





41-2
2. a. 6. 15.



BIBLIOTECA HOSPITAL REAL GRANADA	
Sala:	A
Estante:	43
Numero:	99

U1582758x




de la comp^a de los de granada R. 8835


PRIMVS TOMVS

Theosophiæ Ioannis Arborei

LAVDVNENSIS, DOCTORIS THEOLOGICI, complectens sanam & luculentam difficillimorum locorum cum veteris tum noui testamenti expositionem, decem libris absolutur: in quibus lepidissimæ sacrorum doctorū sententiæ discutuntur, & multorum hærefes reuelluntur.



PARISIIS.
APVD SIMONEM COLINAEVM.
M. D. XL.




de la comp^{te} de mes comp^{te}

R. 3800



71-2

2. a. 6. 15.



BIBLIOTECA HOSPITAL REAL GRANADA	
Sala:	A
Estante:	43
Numero:	99

19182758x

PRIMVS TOMVS

Theosophiæ Ioannis Arborei

LAVDVNENSIS, DOCTORIS THEOLOGICI, complectens sanam & luculentam difficillimorum locorum cum veteris tum noui testamenti expositionem, decem libris absolutur: in quibus lepidissimæ sacrorum doctorū sententiæ discutuntur, & multorum hæreses reuelluntur.



PARISIIS.
APVD SIMONEM COLINAEVM.
M. D. XL.






FRANCOYS par la grace de dieu Roy de Frâce, aux preuost de Paris, bailly de Rouen, seneschaulx de Lyon & Tholoze, & a tous noz aultres iusticiers & officiers, ou a leurs lieutenâs, salut & dilection. Nostre cher & bien aime Simon de Colines libraire & imprimeur, demourant en nostre bonne ville & vniuersite de Paris: nous a faict dire & remonstrer que depuis peu de temps en ca il a faict imprimer vng liure nomme & intitule Theosophia Ioannis Arborei, doctoris Theologi, que complectitur veteris & noui testamenti expositionē. Pour lequel faire imprimer luy a conueni faire gros fraiz, quasi a luy insupportables, & exposer grande somme de deniers: esperant touteffoys par l'impression & vente dudit liure faire profit a la chose publique de nostredit royaume, & recouurer les deniers a ceste fin par luy frayer & despenduz. Mais il doubte que si tost quil mestra ledit liure en lumiere, aucuns aultres libraires & imprimeurs de nostredit royaume, entreprenâs sur luy & sur son oeuvre: icelluy liure reimprimēt a sa forme & imitation, prétédans par ce moyen faire leur profit: & frustrer icelluy de Colines du recouremēt de ledit deniers quil a frayer, & du gaing, profit, & vtilite quil espere de la vente de sondit oeuvre: ce que luy tourneroit a grant preiudice, dommaige, & interest. Nous humblement requerat luy vouloir sur ce pourueoir de remede cōuenable, & par noz lettres luy octroyer certain temps, pendant lequel il, & non aultre, puisse vendre ledit liure ainsi par luy imprime, comme dit est. Pource est il que nous (ces choses considerees, & mesmes les grans fraiz que ledit de Colines a euz a supporter en faisant imprimer ledit liure: & aussi que ce a este pour le bien & profit de la chose publique de nostredit royaume) a icelluy par ces presentes auons permis & octroye, permetôs & octroyons, quil puisse & luy loyse exposer en vente ledit liure, & icelluy faire son profit: faisans inhibitions & defences a tous aultres libraires & imprimeurs, ou aultre, quel quil soit ou puisse estre, sur peine de cōfiscation desdictz liures, & damende arbitraire, a nous a appliquer, de ne imprimer, ou faire imprimer, vendre, ou meſtre, & distribuer en vente ledit liure dedans le terme de trois ans prochainement venant: lequel terme auons de nostre grace especial, prefix & donne audit de Colines, pour soy rembourser & recōpenser des fraiz, labeurs, mises, & despēs quil a prins & faictz a l'impression dudit liure. Si don nons en mandement a vng chascun sur ce requis, si comme a luy appartiendra, commettons par ces presentes, que de noz presens grace, congie, permission, & octroy, & du cōtenu cy dessus, icelluy de Colines mettez & souffrez iouyr, & vfer plainement & paisiblement, sans en ce luy faire meſtre ou donner, ou souffrir estre fait, mis ou donne aucun destourbier ou empeschement au contraire. Lequel si faict, mis, ou donne luy estoit: vous luy meſtiez, ou faciez meſtre incōtinant & sans delay a plainē & entiere deliurance, & au premier estat & deu. Car tel est nostre plaisir, non obstant quelz cōques lettres a ce cōtraies. Donne a Paris, le neufiesme iour de Ianuier, Lan de grace mil cinq cens trenteneuf, & de nostre regne le vingtiesme.

Par le Roy, a vostre relation.

Barillon.

Nobilissimo ac reuerēdissimo car-

DINALI LVDOVICO BORBONIO, IOANNES Arboreus, doctor Theologus Parisiensis,
S. P. D.



QVI PRAECLARA disciplinarum omnium studia, & ea potissimum quæ ad Christianam cum pietatem tum religionem summo pere conducunt, suis indefessis laboribus, aut illustrare, aut locupletare conatur (Artistes dignissime) si quod in gratiam rei literariæ totiūſque reipublicæ vtilitatem ædiderūt, viris emunctæ naris, ac exquisiti iudicii gratum fuerit, non fluxam sanē, nec momentaneam, sed immortalē sibi parant gloriam. Si verò displicuerit, & non ab his præsertim, quorum censuram subijt, approbetur: tametsi summa diligētia, labore, industria lucubratum fuerit, tantum abest vt laudem consequantur, vt etiam propē omnibus ridiculi sint. Quandoquidem notant alij in quibusdam auctoribus (quorum tamen opera nonnihil habent eruditionis) sædam barbariem, ac inconcinnam verborum complexionem, denique rerum varietatem indigestam, nullōque ornamento expolitam, quorum lectioe delicatiorēs aures offendi vebementer solent, vel statim tædio intolerabilis ineptiæ auocari, ad aliūdque deflecti. Quemadmodum enim nihil est quod magis mortalium animos alioqui iacentes & somnolentos expergefaciat, quàm flexanima illa eloquentia, nihil deniq; quod tam facile bonarum literarum studiosos ad se pertrahat, & in omnium animos sese trāsfundat, ac quem ad se pellexit, retineat. Ita nihil est quod magis hominem a se lautioris disciplinæ cupidissimum repellat, quàm infantissima barbaries, & rudis illa ac incomposita rerum verborūque congeries: nihil denique quod minus candidum lectorem ad se pelliceat, & tardius hominum præcordijs illabatur. Non desunt qui reprehendant & insectentur longas & permolestas quorundam auctorum in enarrandis sublimium rerum sententijs periodos, vitiosa schemata, peregrina & affectata verba, quibus nihil est odiosius, vti perspicuis ac apertis nihil est gratius ac iucundius. Quid enim vaga verborum copia, & quæ rebus minime accommodata est, ac confragosis sermonum anfractibus, fœlicissimis ingenijs vnquam officere potuit? Quæ so quid affectatione dictionis mentem perspicuitatis ac dilucidi sermonis appetentissimam magis hebetat & obtundit? Falluntur igitur vebementēque errant, qui cum existimant se adferre orationi maiestatem aliquam, & auctoritatem antiquitatis maxima cum delectatione, deicēt tam humilitatem, velut ducentes ijs quæ exculpuntur tenuem nimium laminam, non sine extemporalī ac circulatoria garrulitate adferunt, rebus etiam perspicuis tenebras offundūt, & quæ obscura sunt rudi ac aspero stylo obscuriora reddunt. Adde etiam si lubet, quod explicatio a implicat, ac obuoluta nube contegunt. Quamobrem

Vereor, plurimumque extimesco, ne vani sint mei conatus, irritique tot labores mei, & meam perdidit operam, vt hanc Theosophiam, in qua sacra tractantur litera, & subobscuri ac difficiles Bibliorum penè omnium scrupi discutiuntur, & subinde pestilentissima multorum haereses reuelluntur, in publicam studiosorum vtilitatem, & eorum potissimum qui diuinis scripturis inuoluntur, excuderem. Enimuero dubitandum esse mihi video, num plausibilem omnium gratiam sibi conciliabit, num potius multorum odium & inuidiam sibi conflat. Alius cui nihil placet quod non sit elegans, graue, & omnibus eloquentiae numeris perpolitum & absolutum, nostram dictionem vt duriozem, paucisque vestitam coloribus ridebit. Nec tamen offendet barbarorum monstra, nec quod Solæcis mihi faeces ac vitia subleat. Etenim malui in hoc opere, ingenti sanè & laborioso, minus expolire stylum & exornare, quam eo nimis rhetorū floribus exulto, magnas ac pergrauas rerum sententias, & quae ad sanam sacrae philosophiae intelligentiam magno opere conducebant, praetermittere. Alius cum non poterit doctrinam ex diuersis sacrae scripturae testimonijs, & ecclesiasticis doctoribus congestam calumniari: myriades auctoritatum (quas vt postulabat locus & negotium, protulimus) stoccifaciet, & nostram (si tamen nostra dicenda sit) Theosophiam vt dissolutam, & latius ac longius diffusam reprehendet, suamque in nostra studia (quae tamen futura vsui bonae mentis non solum iuuentibus, sed etiam senibus arbitramur) concitabit tragœdias. Cui vt violētōs cohibeat impetus, & subortos commoti animi fluctus (ne passim tumultuetur) tēperet, ac caninam rabiem edacissimi liuoris veneno subaccensam domare possit, respondebimus. Quae ex varijs Bibliorum locis, & luculentissimis sacrarum interpretum monumentis adduximus & argumenta & testimonia, maximum nobis praestiterunt adiumentum, vt nostras plenius, firmiter & numerosius assertiones suffulceremus & comprobaremus. Et cum nobis ineundum erat certamen cum haereticis (quorum perniciosissimam doctrinam bis firmisimam diuini eloquij scutis, galeis, & ecclesiasticorum doctorum armis concussimus, & concutiendo subuertimus) ad munitissima Theosophiae castra confugeremus. In quibus multo studio, summa diligentia, ac inquieto labore perquisiimus quicquid nobis vtile duceremus, tum ad diruenda haeresiarum propugnacula, tum ad faciendam certiore nostrorum axiomatum fidem, & vt aptius ac copiosius de rebus diuinis differeremus. Et eam pro summa Christianismi vtilitate in excutiendis sacrarum doctorum sententijs nauauimus operam εὐκρίτως ἡμῶν δουλεύουσας ἑσσεὶ κίβωτος. Hoc est, vt labor noster nequaquam erit inanis. Cuius studiosissimi facile percipient quantum adiumenti sacris literis attulerimus. Quod si nostram Theosophiam pretiosissimis ac selectissimis sacrarum literarum & probatissimorum auctorum margaritis ac diuitijs exornatam & locupletatam, ab exordio ad finem vsq; non tam cursim legeris, quam diligenter euolueris, spero te maximam & voluptatem & vtilitatem consecuturum. Enimuero non tam ex nostris arbutulis quam ex floridissimo Bibliorum ac sacrosanctorum doctorum campo fragrantissimos flores decerpes, quibus mire oblectaberis, & tuus delinietur animus. Denique animaduertes quam subtiliter Augustinus, vir sanè solertis ingenij, de abstrusis rerum diuinarum sensis differat. Tuam subinde mentem Hieronymus sua polita & graui dictione demulcebit, cuius

doctae & sententiosae in sacram scripturam enarrationes, tantam praeseferunt maiestatem & virtutem, vt nihil ex alijs auctoribus selectum habeas, quod illis conferre possis. Lubentissime audies Chrysostomum (qui nobis vt ingenue fateamur, plerumque materiam vel abundantiore atque vltra quam forsitan oportuerit fusam suppeditauit) in tua exclamantem vitia, teque ad capeendam virtutum semitam cohortantem. Euolues & pulcherrima Origenis, Tertulliani, Cypriani, Cyrilli, Iosephi, Ambrosij, Gregorij, Irenaei, Damasceni, & caeterorum auctorum monumenta, quorum sententias (si quae occurrerent obscurae, & intellectu difficiles, & quae imperitioribus ac simplicioribus offendiculum adferre potuissent) pro ingenij viribus exposui. At vbi Christianismum & sanctissima Ecclesiae praescripta offendeant, reieci. Caeterum ne alienis dūtaxat vestigijs insisteremus, nihilq; per nos ipsos conaremur, multa nostro Marte, nostraq; industria cōsecimus, ac alijs contulimus auctaria. Et quae non erant ab auctoribus quorum paulo ante meminimus, aut inuenta aut elucubrata, vt nostra ditior esset Theosophia, ex sacris literis deprompsimus. Adduximus interdum rationes nequaquam paenitendas, easque diluimus, vt assertiones magis innotescerent, & planius intelligerentur, ac qui Theologiae dant operam, illis exercerentur. Quibus hoc per nos emolumentum accessisse videas, vt praeterquam quod inexhausto labore leuantur, quicquid classicorum theologorum grandi pecunia venit, parare sibi queat aere vel minimo. Quos commonescere velim, vt si quid eruditionis ex istis cumulatis studijs nanciscantur, tibi reuerēdissime in Christo pater acceptissimum referant, tuaeque augustissimae & nobilissimae maiestati tribuant, nec tam mihi quam tibi hoc se debere fateantur. Siquidem iam dudum conceperam animo, vt cum post palladium sacrarum literarum certamen, ad coronam tuo fauore, tuis denique beneficijs peruenissem, excussis diligenter Bibliorum & antiquissimorum auctorum libris, mei ingenij periculum facerem, & aedito meae eruditionis specimine, insigne quoddam opus ex varijs Ecclesiasticorum doctorum, & aliorum sacrae scripturae interpretum sententijs & assertionibus collectū, tibi ob eximias quibus excellis virtutes, ac singularem in me beneuolentiam dedicarem, & admiraretur omnes tuam animi dexteritatem qua foues literas, ac literatis sponte patrocinaris, quod etiam plus honoris sacris literis quam quibus alius tribuas. Et quia Mecenas humanissime, existimaris ab omnibus maxima cum tui nominis admiratione πικρὰν ἀδελφῆ, καὶ ἰσοπέδον σφῆρα, καὶ ἰσοπέδον σφῆρα. Id est, Sane quam bonus & vere doctus, & vt Homericè dixerim) similis deo vir, propensiori animo hoc tibi opus nuncupatim consecraui. quod eo animo te recepturum spero, quo tibi obtuli.

Bene vale.

Ex sacro Sorbonicae domus musaeo.

*.ij.

INDEX RERVM OMNIVM QVAE IN SIN-
gulis libris huiusce Theosophiæ continentur.

Angeli omnes æqualis felicitatis ab initio creati sunt lib. 1. cap. 1. fol. 1.
Angeli creati sunt in gratia gratum facientes, ibidem.
Angeli sunt natura hominibus perfectiores, lib. eodem. cap. 2. fo. 3.
Angeli primum didicerunt dominicæ incarnationis mysterium, lib. eodem. cap. 3. fo. 5.
Angeli vniuersam creaturam in verbo dei prius nouerunt, quàm in natura rei, lib. eodẽ. ca. 4. fo. 6.
Angelus prolapsus minime reuocari potuit, lib. eodem. cap. 5. fo. 7.
Angeli nunquam iniuerunt coniugia cum mulieribus, libro eodem. cap. 6. fo. 8.
Angelus non potest per se & proprie moueri de loco ad locum, lib. eodem. cap. 7. fo. 9.
Anima hominis non est ex substantia dei facta, lib. eodem. cap. 8. fo. 10.
Animæ defunctorum nesciunt quid hic agatur, lib. eodem. cap. 9. fo. 12.
Adam non est natus in paradiso, sed illuc transfatus, imo nec natus, lib. eodem. cap. 10. fo. 14.
Adam si non deliquisset, fuisset immortalis, ibidẽ.
Adam factus est ad imaginem dei, in intellectu, in mente, in interiore homine, lib. eodẽ. ca. 11. fo. 15.
Adam post peccatũ nõ perdidit dei imaginẽ, ibidẽ.
Adam non est seductus, lib. eodem. cap. 12. fo. 17.
Adam peccauit superbia, inobedientia, & idololatã, ibidem.
Adam quodã modo grauius peccauit q̃ Eua, ibidẽ.
Adã non fuit præcius sui casus, lib. eodẽ. ca. 13. fo. 19.
Adam habuit sciẽtiã boni & mali, antequam esu ligni vetiti vesceretur, ibidem.
Adam fuit sepultus iuxta Hebron, & non in Golpho, lib. eodem. ca. 14. fo. 19.
Abel fuit insignitus singulari iustitiã, sacerdotio, virginitate, & martyrio, lib. eodem. ca. 15. fo. 20.
Abrahã natus est in Chaldæa, lib. eodẽ. cap. 16. fo. 12.
Abraham erat annorum 75. quãdo egressus est ex Charra, lib. eodem. cap. 17. fo. 22.
Abraham pater Gẽtium per fidem, & Iudæorum per circumcisionem, fuit propheta & sacerdos, lib. eodem. cap. 18. fo. 22.
Abraham non est iustificatus ex sola fide, libro eodem. cap. 19. fo. 24.
Abrahã infidelitate peccauit, lib. eodẽ. ca. 20. fo. 25.
Abraham offerendo suum filium deo, maximum opus fecit, ibidem.
Abimelech fuit alienus à peccato habendo Saram, lib. eodem. cap. 21. fo. 27.
Aaron peccauit in facto constatilis vituli, lib. eodẽ. cap. 22. fo. 28.
Aarõ præfertur Moyfi in munere & officio sacerdotij, licet Moyfẽ illi præferatur in causa prophetiæ & scientiã, lib. eodem. cap. 23. fo. 28.
Aioth quando occidit Eglon, non mentitus est, lib. eodem. cap. 24. fo. 29.
Apostoli fuerunt pari potestate, non tamen omni-

moda præditi, lib. eodem. cap. 25. fo. 29.
Apostoli fuerunt in initio à Ioanne Baptista baptizati, lib. eodem. cap. 26. fo. 33.
Apostoli ante passionem Christi acceperunt spiritum sanctum, pariter & post resurrectionem, diuersimode tamen, lib. eodem. cap. 27. fo. 35.
Apostoli bis fuerunt vocati, lib. eodem. ca. 28. fo. 36.
Apostoli in prima uocatione à Christo discendentes, non deliquerunt, ibidem.
Apostoli tres formas doni spiritus sancti acceperunt, libro eodem. cap. 29. fo. 37.
Apostoli habuerunt maiorem gratiam quàm propheta, lib. eodem. cap. 30. fo. 37.
Apostoli votum paupertatis adiderunt, lib. eodem. cap. 31. fo. 38.
Apostoli omnes, excepto Ioanne & Paulo, uxores habuerunt, libro eodem. cap. 32. fo. 39.
Adolescens ille qui dicebat Christo se obseruasse omnia madata, mtebatur, lib. eodẽ. ca. 33. fo. 40.
Antichristus iam operatur mysterium iniquitatis, libro eodem. cap. 34. fo. 40.
Antichristus nondum est reuelatus, ibidem.
Adulteriũ uxoris non facit vt illa deserit esse vxor quæ se miscuit alteri viro, lib. eodẽ. ca. 35. fo. 41.
Absurdum est dicere neminem debere cogi ad iustitiam, libro eodem. cap. 36. fo. 43.
Adorandæ non sunt simpliciter & per se reliquiæ martyrum aut sanctorum, sed honorandæ, libro eodem. cap. 37. fo. 44.
Adorandæ sunt reliquiæ martyrum & sanctorum ad orationem generaliter sumpta, ibidem.
Authoritas 70. interpretum aliquando cæteris interpretibus fuit præposita, lib. eodẽ. ca. 38. fo. 48.
Balaã fuit propheta domini, lib. 2. cap. 1. fo. 52.
Baptisma Ioannis erat imperfectũ, ca. 2. fo. 53.
Baptisma Ioannis non dimittebat peccata, ibidem.
Baptisma Ioannis fuit præuium baptismatis Christi, ibidem.
Baptisma Christi potest esse sine spiritu, ca. 3. fo. 55.
Baptismus tantum semel fieri debet, cap. 4. fo. 58.
Baptizandis non est necessãtia pœnitentia, cap. 5. fo. 61.
Baptismus Christi licet sit efficax, eo tamen suscepto quis potest delinquere, cap. 6. fo. 62.
Baptismus Christi confert gratiam, cap. 7. fo. 63.
Baptizandi sunt paruuli propter peccatum originale, cap. 8. fo. 65.
Baptismus figurabatur circumfusione, diluuiio, nube, & mari rubro, cap. 9. fo. 67.
Baptismi sacramentũ non est simpliciter ad salutẽ necessarium, neque cordis cõuersio, ca. 10. fo. 69.
Baptismus Christi ante eius passionem, neminẽ ad sui susceptionem obstrangebatur, ca. 11. fo. 70.
Baptizare licet laicis si necessitas cogat, ca. 12. f. 71.
Baptismatis aqua non solum corpus, sed & animã abluit, cap. 13. fo. 71.
Bellum est licitũ, etiam in euangelica philosophia,

INDEX.

cap. 14. fo. 72.
Blasphemia spūs veniã non meretur, ca. 15. fo. 76.
Blasphemia spiritus, peior est peccatio, ibidem.
Bigamus reputat qui ante baptismũ habuerit vnã vxorẽ, & post baptismum alteram, ca. 16. fo. 78.
Beatitude neminem caelestem non esse æternam, hæreticis est Origenis, cap. 17. fo. 79.
Beatitudo æterna præsertim perpẽdenda est penes operationem intellectus, ibidem.
Creata sunt omnia simul, li. 3. cap. 1. fo. 83.
Christus fuit æque promissus Gentibus atque Iudæis, ca. 2. fo. 85.
Christus peculiariter & primo fuit promissus Iudæis, ibidem.
Christus fuit in lumbis Abrahæ, cap. 3. fo. 88.
Christus nõ fuit in lumbis Abrahæ decimatus, ibidẽ.
Christus iureiurando factus est sacerdos secundũ ordinem Melchisedech, & non Aaron, ca. 4. fo. 90.
Christus fuit rex Iudæorum, ca. 5. fo. 91.
Christus non exercuit regiam dignitatem fluxo honore, ibidem.
Christus factus est sub lege, cap. 6. fo. 92.
Christus sub lege non fuit, ibidem.
Christus quatenus deus, est creator, cap. 7. fo. 94.
Christus quatenus homo, est creatura, ibidem.
Christus quatenus homo, nõ potuit peccare, ibidẽ.
Christus incarnatus non fuisset, si Adam non peccasset, cap. 8. fo. 97.
Christus 14. luna fecit pascha, ca. 9. fo. 99.
Christus consecrauit in azymo pane, ibidem.
Christus 15. luna crucifixus est, ibidem.
Christus 17. luna resurrexit, ibidem.
Christi fides est necessãria ad salutem, ca. 10. fo. 101.
Christi pmissio licet de Euãgelisto viuere, ca. 11. f. 102.
Christus habebat loculos, ca. 12. fo. 104.
Christus non præcepit nobis vt vederemus omnia quæ habemus, bene tamen suavit, ibidem.
Christus sua cruce nõ solũ ea quæ in terra, verũ etiam quæ in caelis sunt, restaurauit, ca. 13. fo. 106.
Christus in suo Euãgelio non inhibuit nobis nisi deremus nostris bonis operibus, ca. 14. fo. 107.
Christus quatenus homo, nõ solum orat pro peccatis nostris, sed pro abstergendis totius mundi delictis, ca. 15. fo. 108.
Christi passio fuit per se inuolũtaria, ca. 16. fo. 111.
Christi passio fuit voluntaria propter humani generis utilitatem, ibidem.
Christus quatenus homo timuit mortẽ, ca. 17. f. 112.
Christus nõ solũ potuit exire de tumulo, lapide nõ reuoluto, sed sanẽ exiuit & resurrexit, ca. 18. f. 114.
Christus in excellentissimo Eucharistiæ sacramento, omni die populis immolatur, ca. 19. fo. 115.
Ceremoniæ Iudæorũ nõ statim post passionẽ Christi fuerunt mortificæ & perniciosæ, ca. 20. fo. 118.
Confessio sacramentalis secreto faciendã est sacerdoti, cap. 21. fo. 119.
Confessio sacramentalis à Christo præcepta est, & primum instituta, ibidem.
Canticis deus non solum laudatur, sed etiam reconciliatur, cap. 22. fo. 124.
Concupiscẽtia carnis dimittitur in baptismo, non vt non sit, sed quod non imputetur in peccatũ, cap. 23. f. 125.

Carnis prouidẽtia culpanda nõ est, ca. 24. fo. 127.
Clericus in duabus Ecclesijs conscribi potest, ca. 25. fo. 128.
Cum Pagano comedere licet, ca. 26. fo. 129.
Cum excommunicato comedere nõ licet, ibidem.
Concilij generalis est plene & vltima quidem censura, de hæresi censere, & nullius Academiæ, ca. 27. fo. 130.
Character imprimẽt in sacramẽtis, etũ nõ in oĩbus attamẽ in tribus, in sacramẽto baptismi, confirmationis, & ordinis, ca. 28. fo. 131.
Deus nunquam fuit visus antiquis patribus dum hanc agerent vitam, in specie propria, lib. 4. cap. 1. fo. 133.
Deus secundum naturam est dominus, ca. 2. fo. 135.
Dei primarium & præcipuum nomen, dicitur qui est, cap. 3. fo. 137.
Deus sine personis perfecte intelligi non potest, ca. 4. fo. 139.
Dei optimi & maximi diuinitatẽ quatenus diuinitas est, siue (vt fertur) simpliciter figurare, extremã est impietatis, ca. 5. fo. 140.
Deus non dedit animã Christi, spiritũ & gratiam ad mensuram, cap. 6. fo. 141.
Deus veteris legis caeremonias non respuit, cap. 7. fo. 143.
Dei sentẽtia cũ flecitur nõ mutatur, ca. 8. fo. 145.
Deus prius cõuertitur ad nos, quàm q̃ ad eum conueriamur, cap. 9. fo. 146.
Deum obstringimur diligere toto corde, tota anima, & tota mente, ca. 10. fo. 146.
Deus non omnes vocatos iustificat, ca. 11. fo. 148.
Deus loquitur aut per suã substantiã, aut per creaturam sibi subditã, ca. 12. fo. 149.
Deus secundũ suã voluntatem sempiternã, & præscientiam, futura iam fecit, cap. 13. fo. 151.
Deus non est author mali, cap. 14. fo. eodem.
Deum gratis diligere debemus, cap. 15. fo. 153.
Deus pater nõ necessitate genuit filium, ca. 16. fo. 153.
Deus pater non voluntate genuit filium, ibidem.
Deus pater non prius misit filium suum in hũc mundum, quàm factus sit ex muliere, ibidem.
Dauid iuramentum non excusatur cum voluit occidere Nabal, cap. 17. fo. 155.
Dauid non peccauit cum iurauit se facturum misericordiam ipsi Sauli, cap. 18. fo. 155.
Dauid nõ peccauit cum voluit pugnare pro Achis rege Geth, cap. 19. fo. 156.
Dauid grauitur deliquit iubendo numerari populũ Israel, cap. 20. fo. 156.
Dauid non peccauit comedendo panes propositionis, cap. 21. fo. 157.
Dauid nõ composuit oēs psalmos, cap. 22. fo. 158.
Daniel apertius de Christo vaticinatus est, quàm quĩuis alius propheta, cap. 23. fo. 158.
Daniel tempus quo venturus fuerat Christus atq̃ passurus, hebdomadibus definiuit, ibidem.
Darius nõ peccauit tradẽs Danielẽ Satrapis, vt conijceretur in lacum leonum, ca. 24. fo. 159.
Delbora prophetissa fuit, cap. 25. fo. 160.
Delbora ordini Iudicum ascribitur, ibidem.
Dedicãda est deo ad orientẽ adoratio, ca. 26. fo. 160.
Diabolus non videt internas animæ cogitationes, * .iiij.

cap. 27. fo. 161.
 Diabolus per energeticam operationem non illabitur substantialiter humanæ menti, ibidem.
 Diabolus sui casus pfectus esse non potuit, c. 28. f. 161.
 Digamia non est improbanda, ca. 29. fo. 162.
 Diuitem difficile est admodum ingredi in regnum celorum, ca. 30. fo. 164.
 Domare linguam non quia volumus, possumus, cap. 31. fo. 165.
 Decretales epistolæ non exæquatur autoritate canonibus conciliorum, ca. 32. fo. 165.
Enoch nondum est defunctus, sed translatus, libro 5. ca. 1. fo. 166.
 Enoch fuisse primogenitum Cain, non plane indicat Genesis, ibidem.
 Esaias vniuersa domini sacramenta continet, c. 2. f. 167.
 Esaias non solum est propheta, verum etiam euangelista & apostolus, ibidem.
 Esaias magis est euangelista quam propheta, ibidem.
 Ecclesia incipit ab angelis, cap. 3. fo. 168.
 Ecclesia potest multis persecutionibus concuti, sed non potest subverti, ca. 4. fo. 170.
 Ecclesia fundata est super petram, & non super Petrum, cap. 5. fo. 171.
 Ecclesia vniuersalis non potest errare in fide & moribus, cap. 6. fo. 173.
 Ecclesia recte & prudenter sacris ordinibus initiatos adstringit ad calibratum perpetuamque continentiam, cap. 7. fo. 174.
 Ecclesiasticæ constitutiones à christianis obseruandæ, sunt parti humanæ & parti diuinæ, ca. 8. f. 176.
 Ecclesia Christi diuersos ordines sortitur, quibus decenter distinguitur, cap. 9. fo. 178.
 Ecclesia non potest nouum fidei articulum condere, ca. 10. fo. 180.
 Euangelium Christi est vnicum, cap. 11. fo. 181.
 Euangelium Christi sufficiens est ad beate viuendum, ibidem.
 Euangelium non omnia particulatim ac peculiariter explicat, quæ nobis facienda sunt, vt salutem consequamur, ibidem.
 Euangelium nondum est prædicatum in vniuerso orbe, cap. 12. fo. 183.
 Eucharistia sacramentum est omnium augustissimum, in quo re vera est corpus Christi, ca. 13. fo. 184.
 Eucharistia confert gratiam digne eam sumentibus, ca. 14. fo. 188.
 Eleemosyna ex se plus habet virtutum ad extinguenda peccatorum incendia, quam virginitas consultata, ca. 15. fo. 191.
 Eleemosynæ præceptum omnes obstringit, & diuites & pauperimos, cap. 16. fo. 198.
 Episcopi sunt apostolorum successores, ca. 17. fo. 197.
 Episcopi sunt præferendi presbyteris, ibidem.
 Episcopi debent esse doctores legis dei, ibidem.
 Episcopo non licet sibi successorem constituere, ca. 18. fo. 199.
 Episcopo non licet res ecclesiæ distrahere, c. 19. f. 100.
 Excommunicationis absolutio vi extorta reijcitur, cap. 20. fo. 201.
 Excommunicatio iniusta non omnino priuat hominem suffragijs Ecclesiæ, ca. 21. fo. 202.
 Excommunicatus iniuste episcopus, non potest excommunicare, ibidem.

Excommunicari non potest hæreticus post mortem, cap. 22. fo. 202.
 Excommunicari non potest vxor pro scelere sui mariti, ibidem.
F
 Filij Israel manserunt in Aegypto 430. annis, & quarta generatione reuersi sunt, lib. 6. cap. 1. fo. 203.
 Filij Israel deliquerunt petentes sibi constitui regem, cap. 2. fo. 204.
 Fides est donum dei, cap. 3. fo. 205.
 Fides sola non iustificat, ibidem.
 Fide curantur morbi, fugantur dæmones, & fiunt miracula, cap. 4. fo. 209.
 Fidei plenitudo est in sola Euangelica philosophia, cap. 5. fo. 210.
 Fidei plenitudo est de rebus temporaneis, ibidem.
 Filius dei est in patre vt in fonte, ca. 6. fo. 211.
 Filius dei nullo modo est posterior patri, ibidem.
 Filius dei est principium de principio, ibidem.
 Filius dei scit diem extremi iudicij, cap. 7. fo. 213.
 Filius dei assumpsit humanam naturam in atomo, cap. 8. fo. 214.
 Filius dei assumpsit naturam humanam substantia liter, ibidem.
 Filius dei non assumpsit naturam humanam absque gratia, ibidem.
 Filius non est occidendus pro vitio sui patris, ca. 9. fo. 215.
 Fidelis vxor habens infidelē, non dimittat illum, si consentiat cum illo habitare, ca. 10. fo. 216.
 Filius post professionem in religione factam, non astringitur egredi cœnobium, vt sui patris inopiam subleuet, cap. 11. fo. 217.
 Fidelis non licet alteri imprecari malū, ca. 12. fo. 218.
G
 Gedeon non obtulit angelo sacrificium, lib. 7. cap. 1. fo. 220.
 Gedeon non peccauit offerendo deo sacrificium extra tabernaculum, ibidem.
 Gedeon deliquit tentando dominum, ibidem.
 Giezitæ sunt qui pecunijs præcipue ordinat & episcopos & sacerdotes, & cum Simone damnantur, qui gradum sacerdotalem & episcopatum pecunijs comparant, cap. 2. fo. 222.
 Gratia magis saluamur, quæ operibus, ca. 3. fo. 224.
 Gratia dei prima secundum merita non datur, ca. 4. fo. 226.
 Gratia efficit vt non tantum velimus recte facere, sed etiam possumus, ca. 5. fo. 227.
 Generationes ab Abraham vsque ad Christum sunt quadragintaduæ, nec tamen omnes carnales, ca. 6. fo. 228.
H
 Hebræi ab Heber suam traxerunt originem, lib. 1. cap. 8. fo. 1. 229.
 Hebræi semper habitassent in terra promissionis, si non peccassent, ibidem.
 Hebræa lingua prior est omnibus, cap. 2. fo. 230.
 Hebræica in sacris literis exemplaria extiterunt eminentiora quam Græca, & Græca quam Latina, ibidem.
 Hieremias in matris utero fuit sanctificatus, cap. 3. fo. 231.

Hieremias fuit sacerdos & propheta, ibidem.
 Hieremias in sua virginitate mortuus est, ibidem.
 Helias & Enoch mortales, per logam ætatem non maruerunt senectute, cap. 4. fo. 233.
 Helias & Enoch nondum sunt in illam spiritalem corporis qualitatem commutati, ibidem.
 Hierusalem suis vitijs deserta, fuit Sodoma sceleratior, cap. 5. fo. 235.
 Herodes non excusatur ab homicidio Ioannis Baptistæ, cap. 6. fo. 238.
 Homo antequam peccet, quod vult agit, vbi autem peccauit, non quia vult, bene agit, ca. 7. fo. 239.
 Homicidium non semper committit qui hominem occidit, cap. 8. fo. 241.
 Homicida non solum celandus est, qui manibus occidit, sed cuius consilio & fraude alij occidunt, ibidem.
 Hæretici ad vnitatem Ecclesiæ sunt cogendi, c. 9. f. 243.
 Hæretici pro pertinaci vitio sunt cõburendi, ibidem.
 Hæresis sine errore intellectus esse non potest, ca. 10. fo. 246.
 Hæresum vna origo est, sacras literas in vulgarem linguam tranferre, cap. 11. fo. 247.
I
 Isaac fuit typus Christi, pariter Ioseph & Samuel, libro 9. cap. 1. fo. 250.
 Iacob non peccauit emendo ab Esau primogenita, cap. 2. fo. 251.
 Iacob non est meritis cum dixit patri suo Isaac, Ego sum Esau primogenitus tuus, ibidem.
 Iacobi in septuaginta animabus descendit in Aegyptum, cap. 3. fo. 253.
 Ioseph non excusatur à mædacio, quod dixerit suos fratres esse exploratores, cap. 4. fo. 254.
 Ioseph & Hebræorum principes, obstringebant serua re iuramentum fœderis cum Gabaonitis, c. 5. f. 255.
 Iephthe deliquit suam offerendo filiam in holocaustum, nec eius votum probatur, cap. 6. fo. 257.
 Iahel occidendo Sisaram non deliquit, sed fecit rem licitam & meritoriam, ca. 7. fo. 260.
 Iehu non deliquit cum dixit se velle seruire idolo Baal, cap. 8. fo. 261.
 Israel in deserto nullas spontaneas, aut paucissimas deo hostias obtulit, sed Moloch, cap. 9. fo. 261.
 Iob fuit euangelicus ante Euangelium, ca. 10. fo. 262.
 Iob fuit apostolicus ante præcepta apostolorum, ibidem.
 Iob videtur magis passionibus æquo animo tolerantis, quam virtutis actionibus profecisse, ibidem.
 Iob fuit typus Christi, cap. 11. fo. 264.
 Iob non peccauit cum maledixit diei suo, ibidem.
 Iob corporum resurrectione sic propheta, vt nullus de ea vel manifestus vel cautius scripserit, ibidem.
 Iob descendit de stirpe Hus, cap. 12. fo. 267.
 Iob librum addidit in canonicam auctoritatem receptum, ibidem.
 Iudæi occidendo Christum non potuerunt habere excusationem ignorantie, cap. 13. fo. 268.
 Ioannes Baptista licet fuerit plus quam propheta, non tam ceteris prophetis & patriarchis, cunctisque hominibus præfertur, cap. 14. fo. 273.
 Ioannes Baptista cum misit suos discipulos ad Christum, non dubitauit an esset Christus, nec ex eo quæsiuit, Tu es qui venturus es vt cum ad inferos deuenisset, ibi quoque Christum prædicaret,

cap. 15. fo. 276.
 Ioannes Baptista nullum miraculum fecit, c. 16. f. 277.
 Iuramentum in lege euangelica non est prohibitum, ca. 17. fo. 278.
 Ieiunium non solum est institutum ad castigandam carnem, cap. 18. fo. 280.
 Ieiunium in literis euangelicis est præceptum, quibus autem diebus & temporibus debeant Christiani ieiunare, prudenter instituit Ecclesia, cap. 19. fo. 283.
 Iudex condemnans innocentem ab ipso scitum innocentem per falsos tamen testes conuictum, peccat, cap. 20. fo. 284.
 Iudicium extremum in sacris literis probatur, c. 21. f. 284.
 Iudicium extremum futurum est quum Euangelium prædicatum fuerit in omnibus gentibus, ibidem.
 Iudicium extremum non solum fiet vniuersaliter, sed etiam particulariter, ibidem.
L
 Lamech, primus intoduxit bigamiam, contra naturæ institutionem, lib. 10. cap. 1. fo. 288.
 Lamech occidendo Cain, septem vindictas exoluit, ibidem.
 Loth non peccauit, cum Sodomitis suas filias prostituit, cap. 2. fo. 289.
 Loth peccauit cum concubuit cum suis filiabus, ca. 3. fo. 291.
 Loth magis arguendus est ebrietatis quam incestus, ibidem.
 Lux non fuit prima creatura, cap. 4. fo. 292.
 Lex naturæ, dei digito humanis inscripta est cordibus, cap. 5. fo. 293.
 Lex naturæ lege scripta instauratur & augetur, ibidem.
 Lex Moyli data est per angelos, cap. 6. fo. 299.
 Lex Moyli neminem iustificabat, ibidem.
 Legem Moyli nullus ex se adimplere potuit, ibidem.
 Lex Moysayca iudeis posita non fuisset, si non deliquissent, cap. 7. fo. 301.
 Lex euangelica legi veteri non aduersatur, c. 8. f. 303.
 Liberi arbitrij nos condidit deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur, ca. 9. fo. 305.
 Licet pastori Ecclesiæ in persecutione fugere, cap. 10. fo. 315.
 Licite possum precari deum, ne deleat pro aliquo temporis interstitio peccata sceleratissimorum hominum, cap. 11. fo. 317.
 Lugere etiam bene mortuos pius est, ca. 12. fo. 318.
M
 Methusalem non vixit post diluuium, sed eodem diluuij anno mortuus est, li. 11. c. 1. f. 2.
 Melchisedech Chananeus fuit, ca. 2. fo. 3.
 Melchisedech non fuit de genere Iudæorum, ibidem.
 Melchisedech in typum sacerdotis filij dei præcessit, ibidem.
 Moyles fuit adoptatus à filia Pharaonis, ca. 3. fo. 5.
 Moyles liberauit filios Israel, ibidem.
 Moyles occidendo Aegyptium non peccauit, c. 4. f. 7.
 Moyles fuit typus Christi, cap. 5. fo. 7.
 Moyles quadraginta diebus ieiunauit, ibidem.
 Moyles antequam fugeretur Aethiopia, videbat deum in ænigmate, postquam vero ei iunctus est, non vidit in ænigmate, sed in specie, ca. 6. fo. 9.
 Moyles ad aquam contradictionis offēdit deum, c. 7. f. 11.
 Moyles non appetiuit simpliciter pro dimittenda

Israëlitici populi noxa deleri de libro vitæ, cap. 8. fol. 13.
 Moyses non fuit sacerdos, cap. 9. fo. 14.
 Moyses fuit eximius propheta, cap. 10. fo. 14.
 Moyses fuit apostolus, ibidem.
 Moyses non est mortuus deficiens, sed per verbum dei, ca. 11. fo. 16.
 Mēdaciū omne est peccatum, etiā si aliquid videatur incūbere necessitas mentiendi, cap. 12. fo. 17.
 Martyrē Christi nō facit pœna sed causā, c. 13. f. 20.
 Martyrē Christi vt regnū dei ingrediatur baptismo aqua ablui non est necessarium, ibidem.
 Miracula Christi à sanctorum miraculis differunt, cap. 14. fo. 23.
 Miracula Christi omnium etiā admiranda miracula superant, ibidem.
 Matrimonium nō facit coitus, sed volūtas, c. 15. f. 27.
 Matrimonium minime contrahit fidelis cum infidelis, cap. 16. fo. 29.
 Merita hominū, dei sunt munera, cap. 17. fo. 31.
 Meritis ipsius homo peruenit ad salutem, ibidem.
 Miserum esse melius est, q̄ non esse, cap. 18. fo. 34.
 Mundi fabrica verbi productionē exigit, sine quo nihil vnquam creatum est, nec creari potest, ca. 19. fo. 35.
 Mortuorum apparitiones non sunt leuiter credendæ, cap. 20. fo. 36.
 Mortuorum apparitiones non sunt in vniuersum damnandæ, ibidem.
 Maria Magdalene vna est reipsa, cuius euangelistæ meminerunt, cap. 21. fo. 38.
 Magi ex genere Balaam originem duxerunt, cap. 22. fo. 41.
 Magi viso nouæ stellæ signo crediderunt sui autoris prophetiam fuisse impletam, ibidem.
 Magorum ad Christum aduentum prædixerat Esaias, ibidem.

N

Noe fuit patriarcha, lib. 12. cap. 1. fo. 44.
 Noe fuit propheta, ibidem.
 Noe non est accusandus ebrietatis, ibidem.
 Noe absque villa vitij noxa maledixit Chanaan, ca. 2. fo. 46.
 Naaman arguendus est quod non subito verbis Heliæ fidem adhibuerit, cap. 3. fo. 47.
 Naaman à sua lepra purgatus, sincera fide vnū deum confessus est, ibidem.
 Nabuchodonosor ex scientia peccauit in deum videntem, cap. 4. fo. 48.
 Nabuchodonosor per pœnitentiam restitutus est regno, ibidem.
 Nabuchodonosor de filio dei tulit testimoniū, ibidē
 Natiuitas Christi etiā secundum carnem est inenarrabilis, cap. 5. fo. 50.
 Nathanael super ceteros fuit à Christo summo prece commendatus, cap. 6. fo. 52.
 Nathanael non fuit ad apostolatū vocatus, ibidem.
 Nathanael quamuis fuerit sine dolo, non tamen sine peccato, cap. 7. fo. 53.
 Natura humana, sua voluntate deprauata, dei gratia instauratur, cap. 8. fo. 54.
 Nuptiæ sunt licitæ, cap. 9. fo. 56.
 Non licere vesci carnibus, error est Tatianorum & Eucratitarum, cap. 10. fo. 62.

Non licet quibuslibet cibus quolibet die indistinctim natim vesci, cap. 11. fo. 64.
 Non est superstitiosum sed laudabile, accendere ceos & luminaria in honorē sanctorū, c. 12. f. 66.
 Non licet episcopalis honoris primatum appetere, cap. 13. fo. 67.
 Nunquam debemus desistere à cura lapsorū, etiā si præciamus illos nobis non obtemperaturos, cap. 14. fo. 69.

O

Thoniel licite duxit in vxorem filiam Caleb, lib. 13. cap. 1. fo. 73.
 Osee propheta non perdidit pudicitiam fornicariæ copulatus, cap. 2. fo. 73.
 Orare possunt pro nobis multo libetius sancti cum iam ex hac vita decesserunt, quā cum hic viuēbant, cap. 3. fo. 75.
 Orationes viuētium profunt defunctis ad ipsorum subleuationem, cap. 4. fo. 80.
 Oratio dominica delet quotidiana peccata, si dimiserimus debitoribus nostris, ca. 5. fo. 82.
 Orandus est deus magis mente & sincero affectu, quā voce, cap. 6. fo. 84.
 Orare sicut oportet, nescimus, cap. 7. fo. 86.
 Orare pro inimicis melius est, quā pro amicis, cap. 8. fo. 88.
 Orare omnibus in locis optimum est, nec refert an stando an sedendo oraueris, cap. 9. fo. 90.
 Obedientiā virtutū omnium est origo, ca. 10. f. 91.
 Obedientiā victimis & sacrificijs præfertur, ibidem.
 Obedientiā subditi malis præpositis denegare non debent, ibidem.
 Odium dei est possibile, cap. 11. fo. 94.
 Opera bona sunt ex gratiā, non ex operibus gratiā, cap. 12. fo. 94.
 Opera bona tunc recte sunt cum ad charitatem diriguntur, ibidem.

P

Paradisus in Eden ad orientem plantatus erat proprie locus terrenus, lib. 14. ca. 1. fo. 97.
 Paradisum non solum corporaliter intelligi volumus, ibidem.
 Phinees duplex perpetrans homicidium, non contaminauit manum sanguine, sed puriorem reddidit, deoque maxime placuit, cap. 2. fo. 98.
 Prophetia non est omnino immutabilis, ca. 3. f. 99.
 Prophetia consistit in cognitione, ibidem.
 Prophetia est donum spiritus sancti, cap. 4. fo. 101.
 Prophetia est donum maius dono linguæ, ibidem.
 Prophetia non habet necessariam cum ipsa charitate connexionem, ibidem.
 Prophetiæ ratio falsum non admittit, ca. 5. fo. 103.
 Prophetia non semper exigit, vt quæ propheta denuntiat, primo intelligat, ibidem.
 Præscientia dei nulla necessitate cogit hominem ad aliquid faciendū vel non faciendū, ca. 6. fo. 106.
 Præscientiam dei nō est necesse prædestinationem comitari, ibidem.
 Prædestinationis, & reprobationis negatiuæ nulla est causa, cap. 7. fo. 108.
 Peccata quædam sunt pro quibus vt purgetur, nemo orare debet, cap. 8. fo. 112.
 Peccata esse paria hæresis est Iouinianus, ca. 9. f. 114.
 Peccatū mortale etiā vnicum excludit hominem

regno dei, ca. 10. fo. 116.
 Peccatum mortale reddit hominem dignum æternis pœnis, ibidem.
 Peccatū æternæ fructioni repugnat, ca. 11. fo. 117.
 Peccata dimissa redeunt, vbi fraterna charitas non est, cap. 12. fo. 118.
 Pœnitentiā, dei munus est, cap. 13. fo. 119.
 Pœnitentiā cōceditur relapsis in vitium, ibidem.
 Pœnitentiæ publicæ non est secundus locus in ecclesia, cap. 14. fo. 122.
 Pilatus condemnando Christum, minus peccauit quā Iudæi accusando, & qui clamando eū occidere voluerunt, cap. 15. fo. 123.
 Petrus negādo Xpm, peccauit mortaliter, c. 16. f. 125.
 Paulus nunquam in perpetuum optauit anathema fieri pro fratribus suis, cap. 17. fo. 127.
 Purgatoriū esse sacræ testatur literæ, ca. 18. fo. 129.
 Perseuerantiā in Christo vsque in finē, dei donum est, cap. 19. fo. 132.
 Pauci saluantur in comparatione multorum perituroorum, cap. 20. fo. 133.

Q

Vies dei non excludit eiusdem operationem, libro 15. cap. 1. fo. 135.
 Quadragintaduæ māsiones fuerūt filiorū Israel in deserto, cap. 2. fo. 136.
 Quadragesima circa nascens Ecclesiæ exordium, ex institutione apostolorum, suum habuit auctoramentum & vigorem, cap. 3. fo. 142.
 Quinquagesimus dies in sacris literis maximopere commendatur, cap. 4. fo. 143.
 Quinquagesimo die merces laboris & requies præfiguratur, ibidem.
 Quæcumque per theologiam affirmatiuam de deo dicimus, non naturam eius, sed ea quæ sunt circa naturam insinuant, cap. 5. fo. 146.
 Quatuor sunt apostolorum genera, cap. 6. fo. 147.

R

Ruben nō peccauit cōsulendo suis fratribus Ioseph deici in cisternā, li. 16. ca. 1. fo. 148.
 Repudium in lege Moisaica præscriptum, nunquam fuit licitum, cap. 2. fo. 149.
 Raab fuit meretrix, cap. 3. fo. 151.
 Raab fuit typus Ecclesiæ, ibidem.
 Raab prophetauit, ibidem.
 Raab mentita est dicendo exploratores esse sua domo exiisse, ibidem.
 Raab pro humanitate qua erga exploratores vsa est, temporaneam mercedem obtinuit, ibidem.
 Resurrectio erit omnium hominum, non tamē immutatio, cap. 4. fo. 153.
 Resurrectio mortuorum talis futura est, qualis fuit Christi, & non Lazari, cap. 5. fo. 158.
 Resurgēt hoies absq; vlla deformitate, c. 6. fo. 159.
 Resurrectio Christi facta est propter nostram iustificationem, cap. 7. fo. 160.
 Resurrectio Christi magnā nobis sp̄ cōtulit, ibidē.
 Restitutio alieni, facit vt p̄ctū remittat. c. 8. f. 163.

S

Spiritus sc̄tus cōis est charitas qua pater & filius inuicē se diligunt, lib. 17. ca. 1. fo. 164.
 Spiritus sanctus licet principaliter procedat à patre, non tamen prius quā à filio, ibidem.
 Spiritus sanctus si à filio non procederet, ab eodem

non distingueretur, ibidem.
 Sibylla Erythraea quædam de Christo manifesta conscripsit, cap. 2. fo. 167.
 Sara fuit typus rerum spiritualium, ca. 3. fo. 168.
 Sara ad Pharaonem introducta excusatur, nec fuit polluta, ibidem.
 Samuel non fuit sacerdos, cap. 4. fol. 169.
 Samuelis spiritus non fuit vere à phytomissā excitus, cap. 5. fo. 171.
 Saul prophetauit, cap. 6. fo. 172.
 Saule esse damnatum veteris testamenti scripturæ satis aperte manifestant, ca. 7. fo. 173.
 Semei peccauit maledicendo Dauid, ca. 8. fo. 175.
 Salomon non peccauit accipiendo in vxorē filiam Pharaonis, cap. 9. fo. 176.
 Salomon ob idololatriā & spurcissimā libidinē qua diffuebat, à domino reprobatus est, c. 10. f. 177.
 Sacrificari noluit sibi angeli, vel quicumque beati, sed soli deo, cap. 11. fo. 179.
 Sacramēta legis erant vmbra futurorū, c. 12. f. 180.
 Sors non est aliquid mali, cap. 13. fo. 182.
 Sortiū rationē, duellum sequitur, fo. 185.
 Scandalum pusillorum est prohibitū, ca. 14. f. 185.
 Scandalū Pharisæorum non est prohibitū, ibidem.
 Status merendi aut demerendi solum est in hac vita, cap. 15. fo. 187.
 Stella quā viderunt Magi in oriente, non fuit vna cælestium stellarum, cap. 16. fol. 189.
 Sensus literalis librorum canonicorū solus est efficax ad reuincendos hæreticos, cap. 17. fo. 190.

T

Trinitatis mysteriū fuit in baptismo Christi demonstratum, li. 18. ca. 1. fo. 192.
 Trinitas est incōprehensibilis, ca. 2. fo. 193.
 Trinitas simul operata est redemptionē hominis, ibidem.
 Trinitatis tres sunt hypostases, cap. 3. fo. 195.
 Thamar cum Iuda fornicata est, cap. 4. fo. 196.
 Thamar non cōmisit adulterium cū Iuda, ibidem.
 Tentatio nō est à nobis sp̄te appetēda. c. 5. f. 197.
 Tentationes dæmonis non potestate eius, sed permissu domini fiunt, cap. 6. fo. 199.


V

Vclitas dei omnium quæ sunt est causa, li. 19. ca. 1. fo. 200.
 Voluntatis dei non est causa quaerenda, ca. 2. fo. 201.
 Vindicta conceditur, cap. 3. fo. 202.
 Vota sunt soluenda, cap. 4. fo. 206.
 Votum continentie coniugatorū non est suscipiendum nisi ex coniugum consensu, ca. 5. fo. 207.
 Votum sponte suscipi debet, cap. 6. fo. 209.
 Votū non est eorū quæ salutī necessaria sunt, ibidē.
 Vira est omnino illicita, cap. 7. fo. 210.
 Vsurarium lucrum restituendum est, ca. 8. fo. 212.
 Virginitas præfertur nuptijs, ca. 9. fo. 213.
 Virgo Maria & natura, & secundū carnem de Dauid processit per Nathan, ca. 10. fo. 216.
 Visio dei corporeis oculis etiā in æterna illa sc̄litate, percipi non potest, ca. 11. fo. 217.
 Virtutes morales sunt adinuicē cōnexæ, c. 12. f. 219.
 Virtutes morales remanebunt in beatis, ibidem.

Theosophia Ioannis Arborei

Laudunensis doctoris Theologi, complectens sanam & luculentam difficillimorum locorum, cum veteris tum noui testamenti expositionem, nouemdecim libris conclusa est: quibus totidem respondent litteræ alphabeticæ. Liber primus.

CAPVT I.



Angeli vt simul facti sunt, lux facti sunt: & æqualis felicitatis omnes ab initio creati sunt, & quidem in gratia gratum faciēte. Quonia Angeli ceteris creaturis natura sunt perfectiores, & perspicacissima mētis acrimonia hominibus præcellunt, ac inter eos qui in principio creati sunt, primi cōnumerantur, primā alphabeti litteram obseruando, nostra ab his quæ de Angelis discuti solent, auspicia captare voluimus. Et huiusce assertionis partes, quæ Augustinianā sapiūt doctrinam, seorsim stabiliemus. Ad primā igitur partem approbandam, proferam quod scribit Augustinus

Auguſtinus
bro 11. de ciuitate dei, c. 11. Nullo quidem modo secundum aliquod temporis spatium prius erant illi spiritus tenebræ (quos angelos dicimus) sed simul vt facti sunt, lux facti sunt, nõ tamen ita tantum creati, vt quoquo modo essent, & quoquo modo viuerēt: sed etiã illuminati, vt sapienter beatęq; viuerēt. Hæc ille. Ex eo existimo fulgidissimã illã diuinæ sapientiæ lucem, qua nihil est fulgidius, nihil lucidius, nihil deniq; illustrius, perfudisse ac illustrasse angelorũ ingenia quadã luce veritatis agnoscendæ, vt summũ rerũ omniũ opificem amarent, cognoscerent, & venerarentur: amando, & cognoscendo, suæ creationis perfectionem intuerentur, & agnoscerēt, cuius rei gratia sunt conditi, ac contemplerētur perspicacissima ingenij perspicuitate se eximia à deo optimo & omnium architecto prudentissimo, munera accepisse, vt ceteris præferrentur creaturis, nobis præessent, si modo diuinæ obtemperassent voluntati; nihilque sibi arrogarent, nec fastu elati, authoritatem deo debitam sibi vsurparent. Eandem suadebo partem vnica ratiuncula, Si primus homo in paradiso beatus fuerit ante peccatum, teste eodem August. libro eodem, cap. 12. quanuis de sua beatitudine vtrum æterna, fuerit incertus, sicut iusti sunt de perfeuerantia incerti, nisi aliqua reuelatione fiant certi, & cum angelus fuerit creatus homine natura perfectior, inficiandum non est, angelum fuisse creatum beatum. Idem August. subtiliter probat libro 12. de ciuitate dei, cap. 9. angelos omnes fuisse creatos cum bona voluntate. Etiam planè restatur libro vno de correptione & gratia, cap. 10. demones diuinam bonitatē refugiētes aliquãdo fuisse beatos. ¶ Sed dicet quispiã, Si ea illustrati fuerint luce, vt non solum viuerent, sed beatè & feliciter viuerēt, nõne in exordio suæ creationis fuerūt perbeati? nõne deum viderunt? & cum non fuissent in tenebras exteriores deturbati, nõne illa æterna beatitudine fruebantur? ¶ Respondet illic Augustinus, Non erant plenè & verè beati, & qui ab hac illuminatione auersi sunt, non obtinuerunt excellentiam sapientis beatęq; vitæ. Si enim fuissent plenè beati, non excidissent ab illa æterna beatitudine, sed illis vt credo aperta erat ianua ad nanciscendum regni celestis ingressum, & iacta seminaria, & non modica adiumenta, ad assequendam vitæ æternæ felicitatem: & prægustauerunt venturam beatitudinem, & quadamtenus beati fuerunt, beatitudine saltem naturali, qua & intellectu, & memoria, & voluntate, ac

mētis acumine excellentes, aptius, perfectius &lympidius si perstitissent in virtutibus, & deo iugi studio adhæsissent, diuinam essentiam, & secretissima rerum diuinarum mysteria contemplati fuissent quàm homines, & imbuti naturalibus donis ac eximijis dotibus, quibus perfectam habent rerum naturalium cognitionem, adepti fuissent consummatissimam suæ naturæ perfectionem. Nec absurdè dices eos fuisse beatos: quia ante lapsum, fuerunt in cælo, à quo quidam tumida arrogantia inflati, propter superbiam corruerunt. Vnde dominus in Euangelio Lucæ, Videbam Sathanam tanquam fulgur de cælo cadentem. Hoc Christus dixit septuaginta discipulis ab officio reuersis, qui gloriabantur in nomine Christi, non solum se valetudinarios sanasse, & acerrimis affectus morbis, verumetiam profligasse dæmonia. Nec abs re hoc dixit Christus: quia princeps ipsorum olim de cælo decidit, & nullam fortitudinem habet. Decidit autem sicut fulgur, quia lux erat, & Archangelus, vt exponit Theophylactus, & Lucifer, decidit tamen in tenebras. Si igitur de cælo ille decidit, serui eius, dæmonia dico, quid non patientur? Quidam autem interpretantur de cælo, id est, de gloria, vt innuere velit Christus ob miseriam, qua dæmoni ille dæmonum princeps præ sua superba arrogantia modo diuexatur & torquetur, factum fuisse à gloria & honore quo enitebat, ad densissimas vsque calamitatis tenebras præcipitium. Quamobrem qui me syncera vita & integra fide sectantur, nihilo formident dæmonum impetus. Magister sententiarum non Centonarius, vt ei à centonibus impingitur ab æmulis, sed sacrorum Doctorum studiosissimus, & vir non vulgari doctrina, dicit libro secundo Sententiarum, distinctione secunda: Cælum illud à quo delapsus est Sathan, esse cælum splendidum, & non firmamentum, siue mauiis empyreum, id est, igneum à splendore & non à calore, quod ilico factum est angelis repletum, quod supereminet firmamento, & hoc prætere videtur scriptura, dicens: In principio creauit deus cælum & terram. Explicans Strabus hunc locum, dicit: Cælum hic non appellari visibile firmamentum, sed empyreum, id est, igneum vel intellectuale, quod non ab ardore, sed à splendore dicitur, quod statim factum repletum est angelis. Vnde Iob, Vbi eras cum me laudabant astra matutina? De hac re sic scribit Beda: Hoc superius cælum quod à volubilitate mundi secretum est, mox vt creatum est, sanctis angelis impletum est: quos in principio cum cælo & terra conditos testatur dominus, dicens: Vbi eras cum me laudabant astra matutina, & iubilarent omnes filij dei? Astra matutina & filios dei eosdem angelos dei vocat. Legit illic magister Sententiarum: Vbi eras cum me laudabant astra matutina? sed hoc non legitur in nostris exemplaribus, & forsitan attribuendum est vitio scriptoris. Sed legitur, Aut quis demisit lapidem angularem eius, cum me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij dei? Vnde Hieronymus enarrans hunc locum, si modo illi commentarij sint Hieronymi, Astra & filij dei Angeli intelliguntur, qui in natiuitate saluatoris exultauerunt. Sicut ait angelus ad pastores: Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est saluator, qui est Christus dominus, in ciuitate Dauid. Item Euangelista: Et subito facta est cum angelo multitudo, &c. Ideo autem angeli, astra matutina dicuntur, quia inter creaturas rationales primi facti sunt. Non putat magister Sententiarum eodem libro, distinctione quarta, angelos qui corruerunt, fuisse beatos, nisi desumatur beatitudo pro statu innocentia, in quo fuerunt ante peccatum. Dicit beatus Thomas in prima parte suæ summæ, angelum fuisse creatum beatum, sumendo beatitudinem pro vltima perfectione rationalis naturæ, vel intellectualis. Nam huiusmodi perfectionem angelus non acquirit discursiuo ratiocinio, sicut homo, sed statim ei adest, propter suæ naturæ dignitatem. Alia est beatitudinis ratio, quam certa spe expectamus, qua videbimus deum sicuti est, & hanc non est angelus assequutus in ex-

ordio suæ creationis. Hæc enim excedit facultatem & vires naturæ, neque est aliquid naturæ, sed finis & absolutissima naturæ perfectio. ¶ Sed admirabitur quispiam, Qui fieri potest, vt angelus non subito sit consequutus hanc beatitudinem? cum ex doctrina Augustini super Genesim ad literam, ea quæ leguntur facta in operibus sex dierum simul facta fuerunt, & in illis sex diebus, fuit cognitio angeli matutina, vt idem explicat, qua cognouerunt verbum & res in verbo. Cognoscere autem verbum, & ea quæ in verbo relucent, est attingere consummatissimam perfectionem. Videtur igitur, quod in primordijs suæ creationis, angelus fuerit syncerè & perfectè beatus. ¶ Dilutio ratiuncule, Expendenda est duplex verbi cognitio. Altera naturalis, qua verbum cognoscitur secundum quandam speciem & similitudinem in naturam spectantis promanantem, & ab obiecto illo maximè visibili profluxam, nec hac cognitione caruit angelus à principio sui esse. Altera est gloriæ cognitio, qua verbum per suam essentiam cognoscitur, & hanc insignem verbi diuini cognitionem non habuit angelus ilico, sed cum tranquillo contemplandi studio, & tota mente in deum conuersa, bono incommutabili adhæsit. Differens Damascenus de præcipiti è cælesti sede primi angeli lapsu, libro secundo suæ Theologiæ, capite quarto, dicit, quod magnopere comprobatur primam nostræ assertionis partem, Angelicarum scilicet virtutum eam quæ præerat terrestri ordini non ferentem illuminationem & honorem, quem ipsi conditor indulserat, libera voluntatis potestate demutatam ex eo statu, qui secundum naturam, in eum qui contra & præter naturam est, & eleuata est aduersus deum qui illam fecit, rebellare illi volens, & prima prolapsa à bono, in malo constituta. ¶ Obrepat scrupus, Si omnes angeli ab exordio fuerint vitæ beatæ & diuinæ sapientiæ participes, & huiusmodi participatione æquales, vt sentit Augustinus, capite citato. Et diuus Dionysius libro cælestis Hierarchiæ, capite quinto, dicens angelicas omnes appellationes esse communes, quod omnium cælestium virtutum sit æqua societas, atque ad dei similitudinem, lucemque diuinam (licet aliæ alijs excellent, gradusque diuersi sint) vna tamen intentione nitantur, quid causæ fuit vt post quandam morulam aliæ virtutes perstiterint in bono, aliæ à bono & virtute ad perniciem & maximam vitiorum ruinam præcipitatae sint & detrusæ ad inferos vsque? Quod si ad voluntatem confugeris, sciscitabor quænam fuit causa peruersæ voluntatis, cum nullæ ipsis angelis fuissent viæ ad malum insitæ? Cur ille, dic quæso, cecidit & præcipitium fecit, ille vero constans & firmus perstitit in virtutis exercitio? libenter inquirerem primæ pessimæ voluntatis fulcimenta. Cum nullis vitiorum cicatricibus occalluerat angelorum natura, neque fuisset quibusdam natiuis afflicta & vulnerata plagis. ¶ Dilutio. Te possem simili torquere & diuexare scrupulo. Quid adegit primum hominem omnium foelicissimum ad scelera? quis eum ad noxia facinora impulit? quodnam in eo fuit mali seminarium, quo laberetur? nemo tamen negat eum sponte & libera voluntate decidisse, & fastu elatum atque inani gloria captum, scelus admisisse terribissimum. nec quæras primæ voluntatis malæ causam efficientem, vt dicit Augustinus, libro duodecimo de Ciuitate Dei, capite sexto & septimo, subtili ingenij acrimonia hoc pertractans negotium, sed voluntas mala, est causa efficiens mali operis, nec est dicenda efficiens huiusmodi voluntas, sed deficiens: nec illa est effectio, sed defectio. deficere nanque ab eo, quod summe est, ad id quod minus est, hoc est incipere habere voluntatem malam. Hæc ille. Quamuis igitur omnium supernarum substantiarum æqua fuerit secundum generalem rationem societas & communio, vt vnicuique compertum est, eo quod omnes sunt immateriales, immortales, & intellectuales, & vna intentione omnes ad Dei similitudinem & clari-

tatem diuinam ferebantur. Nec fuerint pestes vitiorum à natura ipsis insitæ, nec feminaria malorum: ille tamen sui ingenij acrimoniæ, & perspicacitati nimium indulgens, & plus æquo confidens, ac diuini muneris ingratus, quia voluit, à diuino obsequio, diuinâque voluntate deflexit, & auersus à bono incommutabili, ad bonum commutabile arroganter & insolenter delapsus est: ille vero nihil sibi elato animo vendicans, neque quicquam præclarum sibi arrogans, deum iugi beatæ vitæ studio & animi tranquillitate coluit, à quo maxima ac præclarissima naturæ beneficia acceperat. ¶ Secunda nostræ assertionis pars hæc est, Angeli omnes æqualis fœlicitatis ab initio creati sunt. Hæc pars est eiusdem Augustini, libro citato, capite decimotertio, vbi dicit, omnes angelos ab initio æqualis fœlicitatis creatos fuisse. & ita fuerunt, donec isti qui nunc mali sunt, ab illo bonitatis lumine sua voluntate cecidissent. nec tamen illi, qui post aliquot morulas collapsi sunt, fuerunt certi suæ fœlicitatis & beatitudinis: quia eorum fœlicitas non erat æterna, erat enim finem habitura. qui vero sunt æterna fœlicitate fœlices & perbeati, sunt suæ æternæ beatitudinis, à qua decidere non possunt, certissimi: & post aliorum ruinam, illis certa scientia suæ sempiternæ fœlicitatis accessit. ¶ Sed quis obijceret, scriptum est in Euangelio Ioannis, de arrogantissimo dæmonum præfecto, ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quoniam igitur pacto fuit beatus in exordio? Dilutio, Solent nonnulli dicere angelum ex eo ab initio fuisse homicidam & peccasse, quia statim post initium suæ creationis peccauit, & quoniam tam exiguum fuit illud temporis momentum, in quo veritatem amauit & coluit, vt nihil esse videatur, ideo dicitur ab initio peccasse. Augustinus in eodem libro, capite decimoquinto, dicit contra Manicheos falsò arbitrantes quandam esse mali naturam: Non ex eo angelus dicitur ab initio peccasse, quod ab initio ex quo creatus est, peccasse putandus sit: sed ab initio peccati, quod ab ipsius superbia coeperit esse peccatum. ¶ Rursus ager quispiam, Dicit beatus Dionysius libro cœlestis Hierarchiæ, capite tertio, quosdam angelos quibus pro modulo principalis illius ac diuinæ lucis suauissimus radius inluit, vbi indultum sibi sacratissimum iubar affatim hauserint, hoc postmodum absque inuidia sequentibus fundere: sunt enim primi ordinis cœlestes spiritus, qui solum purgantur, à deo perficiuntur & illuminantur: sed hi purgant, illustrent, & perficiunt angelos mediæ hierarchiæ: & capite quinto, dicit eminentiores ordines inferiorum agminum non carere fulgoribus atque virtutibus: posteriores vero superiorum intelligentiæ exortes esse: quoniam igitur pacto omnes angeli creati sunt æqualis fœlicitatis, cum perfectionibus distant? Iam dictum est ex eodem authore, alios alijs ingenij acuminis, & subtilitate præcellere, sed ex eo æqualis fœlicitatis creati sunt, quod vna intentione eueherentur, & contenderent ad dei similitudinem & lucem diuinam: quemadmodum omnes homines sunt æquales participatione animæ rationalis, tametsi alij syncerius alijs & subtilius ratiocinentur. ¶ Tertia pars hæc est, Angeli in exordio fuerunt creati in gratia gratum faciente, quam deduco ex Augustino, libro duodecimo de Ciuitate Dei, capite nono, vbi inquit, Simulque vt facti sunt, ei à quo facti sunt, amore cum quo facti sunt adhæserunt. Natura autem & ratio gratiæ gratum facientis est, nos deo connectere, & hoc vnum potissimum efficere, vt deo adhæreamus. Plenius multo & apertius ostendit eandem veritatem, libro vno de Correctione & gratia, capite decimo, vbi dicit dæmones fuisse beatos, antequam caderent, plenitudinem tamen beatitudinis non habuerunt: sed quia nesciebant suam futuram miseriam, minore quidem, sed tamen beatitudine sine villo vitio fruebantur. Hieronymus Consentit & huic opinioni Hieronymus super Osee, dicens dæmones in magna pinguedine spiritus sancti creatos esse. Et quod ab Ezechiele scriptum est

creditur suffragari (vt dicit Viucs) Plenus sapientia, ad dæmonem enim fit sermo, & perfectus decore in delicijs paradisi fuisti. Sanctus Thomas huiusce partis defensor acerrimus, assignat in prima parte quandam rationem, Gratia inquit gratum faciens ita cõparatur ad beatitudinem, vt ratio feminalis in natura ad effectum naturalẽ. vnde Primæ Ioan. 3. gratia semen dei nominatur. sed ex opinione Augustini super Genesim ad literam, in prima creatione corporalis creaturæ, inditæ sunt ei feminales rationes omnium effectuum naturalium, quo & angelo indita est & insita quædam gratia gratum faciens, vt hoc adiutus præsidio, posset commodius deum intelligere, & intelligendo beatè viuere, & operari, quod ad dei gloriam cõferret plurimum. Videtur tamen oppositum sentire Augustinus in Genesi, vbi differens de creatione angeli, Si nam sit lux illa quæ primò creata est, vt innuere videtur Moses, Genesim primo capite: Fiat lux, &c. vbi dicit, naturam angelicam primò informiter creatam. Sed diluenda est à nobis ratio illa ex authore eodem desumpta. Hæc informitas non est priuatio formæ, quantum ad gratiam & lucem, quæ tempore præcesserit gratiam assequendam bene quidem natura, sicut in corporibus naturalibus. Nam libro secundo de Genesi ad literam, capite octauo, explicans locum illum Fiat lux, & facta est lux, sic scribit: Quid sibi ergo vult in ceteris illa repetitio? an eo modo demonstratur primo die quo lux facta est conditionem spiritualis & intellectualis creaturæ, lucis appellatione intimari? In qua natura intelliguntur omnes angeli sancti atque virtutes, & propterea non repetiuit factum posteaquam dixit: quia non primò cognouit rationalis creatura conformationem suam, ac deinde formata est: sed in ipsa sua conformatione cognouit: hoc est illustratione veritatis, ad quam conuersa formata est: cætera vero quæ infra sunt, ita creantur vt prius fiant in cognitione rationalis creaturæ, ac deinde in genere suo. Sed hæc informitas, est priuatio formæ quantum ad gloriam, vt hic sit sensus, vbi primum fuerunt creati, non sunt æterna gloria donati. ¶ Sed dicit quispiam, Si angelus creatus fuerit in gratia gratum faciente, qua adhærebat deo & coniungebatur, quoniam igitur pacto auersus est à deo malus angelus? Dico hanc gratiam non imposuisse necessitatem rei, neque vsque adeo excitasse angelum ad bene agendum, vt non potuerit non bene agere: & licet in exordio suæ creationis deo adhæserit, non tamen firma, constanti, & immobili adhæensione. Nam forma datur secundum modum & conuenientiam naturæ: natura autem intellectualis & rationalis, qualis est angelica, liberè vult, & liberè operatur: quare forma illa angelis ad bene operandum insita, non necessario compellebat, & vrgebat angelum ad rectè operandum. Ideo potuit etiam hoc præsidio & munere adiutus, à suo scopo deflectere, nec aliter deflexit & deliquit quàm volens: Nec hæc gratia gratum faciens innitebatur meritis præcedentibus, alioqui angelus ante suam creationem meruisset, quod est absurdum, & etiam fuisset debita. Dicit enim Paulus ad Romanos, Ei qui operatur merces imputatur secundum debitum, & non secundum gratiam. Mirantur plerique quoniam pacto angelus fuit creatus in gratia gratum faciente, & nulla in eo præcesserat operatio, aut dispositio, aut conatus ad obtinendam hanc gratiam, alioqui erat gratis data, in quo igitur dissidebit à gratia gratis data? Dico ad hunc scrupulum, gratiam quatenus gratis datur excludere rationem debiti, nec vocari gratiam gratum facientem, quod homo illam meruerit, aut angelus, aut quod conatus hominis, aut industria, vel dispositio præcesserit ad illam adipiscendam. Sed ex eo vocatur gratia gratum faciens, quia nos reddit deo gratos, aut id cuius est. Et ne hæc subfannes, & cachinnis derideas, proferam quod scribit Paulus ad Ephesios capite 1. Gratificauit nos in dilecto filio suo. sed quidnam sibi vult verbum illud, Gratificauit, nisi quod hac gratia gratum faciente nos fecit deo gratos, & eidem coniunxit? Et licet considerando rationem intellectualis naturæ, quæ est capax & idonea ad hanc gratiam recipiendam, illa esset quodammodo debita: non autem

A.ij.



considerando debitum, quod ex meritis præcedentibus proficitur, tamen Deus nullo modo creaturæ intellectuali obstringitur, sed deo creatura illo insigniter ditata munere quo fit ei grata. Et licet hæc gratia gratum faciens, gratis detur, habet tamen nescio quid discriminis à gratia gratis data: quia hæc non reddit id cuius est, deo gratum: illa autem, hoc efficit. Adde quòd hæc datur à deo vt quis cooperetur alteri vt ad deum reuocetur, & non nihil efficiat ad alterius iustificationem: illa vero hoc vnum præclare molitur, vt per eam quis deo iungatur, & eadem iustificetur. Hæc bona ex parte decerpsi ex Thoma doctore doctissimo, & nunquam satis à me ob eximiam qua præcallebat doctrinam, commendato: qui prima secundæ, hanc abundè circa finem operis disceptationem discutit.

CAPVT II.

Thomas.

Hieronymus.

Matth. 11.

Chrystos.
Lucæ 16.

Matth. 21.

1. Corin. 11.

Matth. 18.

Act. 12.

Origenes.

Theophylactus.

Matth. 18.

Angeli sunt natura hominibus perfectiores.] Hanc ex sacris doctoribus assertionem suadebimus. Hieronymus Algasia, quæstione prima, dicit omnem angelum qui in cælis minimus est, in terris cunctos homines antequam. Nos enim in angelos proficimus, & non angeli in nos, sicut quidam stertentes sopore grauissimo somniant. Et in vndecimo cap. Matthæi ad locum illum, Qui autem minor est in regno cælorum, maior est illo, scribit quosdam dixisse, minimum angelum in cælo, domino ministrantem, meliorem esse quolibet homine, qui versatur in terris. Et sermone de assumptione virginis Mariæ ad Paulam & Eustochium (si modo sit Hieronymi) dicit, extollens virginem Mariam super angelorum choros eleuatam. Nam angelorum, quamuis celsior natura sit, non tamen gratia maior: quia & ipsi gratuita gratia ne corruerent, sunt saluari. Chrystos homilia in Euangelium Lucæ de diuite, vbi dicit mendicum deferri ab angelis in sinum Abrahæ, sic scribit, Gaudet vnusquisque angelorum tantum onus tangere, libenter talibus oneribus prægrauantur, vt adducant homines ad regna cælorum, & id facile crediderim. Nam hoc deus naturæ munus illis contulit, vt purgent homines, illustrent & perficiant. In alijs Commentarijs qui circumferuntur nomine Chrystosi dicitur ad 21. cap. Matthæi ad locum illum, Et sepem circumdedit ei, Quid est sepi, nisi angeli in circuitu, custodientes populum dei, ne in vineam Christi inuisibiles latrones irrumpant. Angelos enim præesse hominibus, & apostolus dicit, Mulier velamen debet habere super caput propter angelos. Item Dominus, Amen dico vobis, quia angeli eorum quotidie vident faciem patris mei. Et in actibus Apostolorum dicitur ad puellam nuntiantem de Petro, ne forte angelus eius sit. ab hac sententia non discrepat Origenes homilia 11. super Numeros, vbi dicit, vnusquisque angelorum in cõsummatione sæculi aderit in iudicio, educens eos secum quibus præfuit, quos adiuit, quos instruxit, pro quibus semper vidit faciem patris qui in cælis est. Et homilia 14. eiusdem interpretationis dicit angelis opus esse, qui præfint operibus sanctis, qui æternæ lucis intellectum, & occultorum dei agnitionem, ac rerum diuinarum scientiam doceant. Theophylactus enarrans locum illum Matthæi, Angeli eorum semper vident faciem patris mei qui in cælis est, dicit pauperes spiritu, adeo diligere à deo, vt & angelos habeant præfides, ne damnati illis fiant à deo monibus. Omnes enim homines & maximè fideles, suos angelos habent. Pusillorum autem & humilium in Christo angeli vsque adeo familiares sunt deo, vt faciem eius per omnia videant coram ipso stantes. Apparet autem ex hoc, quod licet omnes angelos habeamus, peccatorum tamen angeli quasi propter nos cõfusi, minus fidentes sunt, neque ipsi possunt tam liberè videre faciem dei, & precari forsitan pro nobis. Parum mihi placet quod hic dicit Theophylactus, salua tamen eius reuerentia & pace eius dixerim, videlicet quod angeli peccatorum minus liberè deum diuinamque faciem contemplantur, quam angeli bonorum: neque ita res habet, neque ita viris singulari sacrarum literarum doctrina præditis apparere debet. Nam lutulenta hominum sordēs, & immundissima quorūcunq; sceleratorum facies, minimè possunt labefactare angelorum integritatem, & sanctissimam mundiciem. Quid enim sceleris & piaculi admittit dili-

gentissimus hominum custos & patronus, si eius monitis noluit homines obtemperare? aut sanum consilium despiciendo in profundas & abditissimas vitiorum ac errorum lacunas demergatur, & ad exitum vsque animæ precipitia fecerint? Non enim intorquenda est in præfectum hominis & custodem diligentissimum culpa. Alioqui astipulandum esset errori Origenis dicentis, angelos debere castigari, si non bene nos custodiant. Edisserens Augustinus libro vndecimo de Ciuitate dei, cap. 15. scriptum illum, qui solet in palestra scholastica philosophia discuti, An angelus in primis moribus, siue in primo instanti suæ creationis deliquerit: vbi manifestè probat eum non deliquisse, verius esse merum somnium, & delirium, somniasse ipsum peccasse, dicit. Non enim est vlla natura etiam in extremis infimisque bestiis, quam non ille constituit, à quo est omnis modus, omnis species, omnis ordo, sine quibus nihil rerum inueniri vel cogitari potest: quanto magis angelica natura, quæ omnia cætera quæ deus condidit, naturæ dignitate præcedit? Franciscus Georgius Venerus in præclaro opere de harmonia mundi, Tomo sexto, Cantici primi, capite trigesimo secundo, probat non solum sacris Bibliorum & doctissimorum interpretum testimonijs, verum etiam antiquis Gentilium literis, angelos deo coniunctiores, nobis influere, & ab eis in nos secretiora rerum æternarum & cælestium mysteria promanare. Plato, vt scribit ille, afferebat inter deos & homines naturam & locum mediam quasdam diuorum potestates interstitas, easque diuinationes cunctas, miracula, particularēque homines gubernare. Et si à Gentilibus genij, à nostris autem angeli nominantur, qui à patre cuius faciem semper vident, hauriunt, quod in nos influant, vt tanquam fermentum cum nostra massa adiuncti, virtute tamen summi opificis non quidem corrumpant, sed in diuinam sortem nos commutent. Vnde iuxta propheticum illud, Cum sancto sanctus eris: nobis quoque dici possit, Cum angelo angelus eris. Dum igitur homo eorum influxum & vigorem suscipit, dicitur Seraphicus, Cherubicus, Angelicus, & huiusmodi, pro natura suscepti influxus. Ab angelis suscipit, vt bonus sit dei nuntius, & interpres diuinæ mentis. Nam ἀγγελλος dicitur nuntius, hinc ἀγγελος, id est, nuntio: Ab Archangelis, vt dominetur omnibus quibus præfidere datum est: A Principatibus, vt etiam subditorum omnium vires complectens, omnes ad se vi quadam occultissima & supercælesti attrahat. A virtutibus vim suscipit, qua in hostes veritatis & brauij, pro quo pugnamus roboratur: A Potestatibus, præfidiū in mundanæ huius domus inimicos: A Dominationibus, auxilium quo subicere possimus inimicum domesticum, quem semper nobiscum portamus. Et vt debitum finem consequamur, A Thronis suscipimus vnde cõpaginemur, & vnde in nobis ipsis collecti memoriā in illa æterna spectacula figamus: A Cherubinis, mētis lumē aut superexcellas imagines & figuras, quibus ipsa contēplari possim? A Seraphicis vero, vt perfecto amore tandē ipsis inhæream? Et nisi symbolū & cõmunicationē cum angelis haberet homo, nõ posset in angelum trāsmutari. ¶ Sed dicit quispiā, Cū homines cõueniāt cū angelis dispositione naturali, eo quod vtrique rationis sunt participes, intelligentiæ capaces, & in eundem finem tendant, & eiusdem domini serui immediati, qui fieri potest vt angelus sua natura præcellat hominē? Quod si dixeris cum beato Augustino, Deū fecisse angelum prope se tanquam digniorē & excellētiore cæteris rebus ab ipso creatis, & quæ magis appropinquant primæ causæ & perfectissimæ, perfectiora esse, nec eadē esse omnimoda dispositione præditos, eo quod simplicior atque illustrior est in angelo, quam in homine dispositio, qua deumlympidius & clarius intuetur. Nec ex æquo & immediate esse seruos dei, sed hominem per angelum deo seruire, & suum præstare obsequium, & hoc diuina prouidentia & sapientia factum fuisse. Hoc tamen videbitur is qui ex aduerso tecum pugnat dicere, vt sibi persuadcat voluntaria esse quæ pro illa ratione diluenda dicebantur. Nemo tamen negabit verum esse, quod ab infallibili veritate desumitur, maiorem videlicet esse qui recumbit, quam qui ministrat. Sed teste Paulo, Omnes spiritus cælestes sunt Dei administratorij, & non

Origenes.
Augustinus.Franciscus
Venerus.

Psal. 17.

Lucæ 22.
Hebræ. 1.

A. iij.

solum dei sed & hominū. nam sequitur, Missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Sed hæc forsitan diluetur obiectio, Angelos nobis nõ ministrare tanquam perfectioribus & dignioribus, sed tanquam infirmis & ipsorum egētibus præsidio, Sed tibi dicetur, Portaueruntne angeli in sinum Abrahamæ animam Lazari tanquā infirmam? non sanè, sed diuina luce & gratia illustratam. Sed dicit quis, deum voluisse angelos hoc officium præstitisse Lazaro, propter suam vitæ sanctimoniam, & morum integritatem, qua præcellerat Lazarus, dum vitam ageret in terris.

¶ Hac tamen ratione vrgentissima te pulsabit aduersarius, fateberis igitur velis nolis, Angelum etiam infimæ hierarchiæ, non solum esse perfectiorem sacratissima virgine Maria, quæ tamen sublimioribus omnium angelorum ordinibus longè antefertur & gloriose præeminet, sed etiam Christo vt homine, quod tamen non videtur esse dicendum. Nam dicit Paulus, Tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditauit. Et aliubi, Datum est ei nomen tu per omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, caelestium & terrestrium. Adde quòd in Euangelio Matthæi dicitur, Filius hominis habet potestatem remittendi peccata in terris, & id dicit Christus de seipso non solū quatenus est filius dei sed & hominis, ad demittendū supercilium, & insanā phariseorū, & scribarum arrogantia. ¶ Sed huic validissimæ rationi solet hæc exhiberi dilutio, Christus quatenus homo, per gratiam erat nobilior angelo, non tamen per naturam, nam anima Christi quamuis fuerit vnita diuinitati, tamen natura erat inferior angelo. Nam dicit Paulus ad Hebræos ex psalmographo, Minuisti cum paulominus ab angelis, & quòd anima Christi clarius videat diuinam essentiam, hoc non contingit ex naturæ dotibus, & illis natiuis beneficijs, sed ex amplissima gratiarum largitione. Deus enim abundantius multo, & plenius, infudit animæ Christi quàm intellectui angelico, omnium rerum cognitionem, & eo munere eaque claritate perspicua, hanc illustrauit animam, vt nullius angeli quantumuis perspicacissimi limpiditas, conferri possit cum fulgidissima limpiditate, qua anima Christi verbum & ea quæ sunt in verbo intuetur. Hanc tamen solutionem tamen si firmam & stabilem oppugnabis hac ratione, Dona gratuita dantur secundū dispositiones naturæ, si igitur Deus contulerit animæ Christi excellentiora dona quàm angelis, colligendum erit naturam animæ Christi fuisse syncerius dispositam & præparatam ad huiusmodi munera capeßenda quàm naturam angeli. Nec inficiaberis quod proposuimus. Nam Deus longe propensior est in eos qui suos naturæ igniculos ad virtutem assequendam insitos, non modo non sinunt squallere, verū etiam assiduis studijs promptè excolunt: quàm in eos qui oscitanter sinunt sua naturæ adiumenta vilescere, aut ea tardius ad honesta impellunt studia. Etenim durum videtur extremo laborantem conatu, minus à deo iuari, quàm qui parcius minorique conatu laboraret. Verū quod ex Paulo ad Hebræos scribente adductum est de imminuta Christi hominis natura, angelicæ collata, quòd eum Deus paulominus ab angelis imminuerit, non est ex Hebraicis fontibus effluxum, vt volunt quidam viri Hebraicæ linguæ peritissimi. Nam in veritate Hebraica sic habetur, vate chafrehu mehat meelohim: quod ad verbum si traducatur, habet: Minuisti eum aliquantulum vel paulominus à Deo. Elohim enim Deum significat, quamuis aliquando angelos, & aliquando iudices: sed in hoc loco vt communiter sentiunt sapientes Hebræi, significat Deum. Et ita existimat legendum Franciscus Georgius Venetus in opere citato, Tomo tertio, Cantici tertij, capite secundo, vbi omnibus sui ingenij viribus nititur probare hominē, non solum gratia, sed potentia, angelo nobiliorem, qui completo suo curriculo, apparebit angelo nobilior, licet Deus fecerit angelum prope se digniorem & perfectiorem, quantum ad actum immediatum, ad quem finitis huius mundi molestijs & sedatis affectionum tumultibus homines reducētur. Existimat Iacobus Faber, vir trium linguarū peritissimus, ita legendum esse, Minuisti eum à Deo, & non ab angelis, explicans locum istum à

Hebræ. 1.
Philip. 2.

Matth. 9.

Psal. 8.
Hebræ. 2.

Georgius
Venetus.

Faber.

Paulo adductum ad 2. cap. epistola ad Hebræos, & id probat apertissimè tū ex Hebraicis exemplaribus, tum ex interpretatione Hieronymi interpretantis sextum versum octauæ psalmi. Et interpres uulgatus sequutus est aditionē 70. interpretū, & non Hebraicam veritatem. loco enim Malachim, pro angelis, legendum erat Elohim, & ex Hebraica veritate vertendum erat in Græcam παρά τῶν θεῶν, à deo & non παρά ἀγγέλων ab angelis, plura in elegantissimis illius viri annotationibus legere poteris, in quibus nullo motu lacerat famam Erasmi oppositū sentiētis, sed eum monuit, vt cum illis qui sapiunt Hebraicas literas legat. quia tamē Ecclesia hoc in loco recepit aditionē septuaginta interpretū, nolo à communi censura degenerare, doctioribus relinquo certamen & controuersiam dirimendā. Optarim tamē cū Hieronymo, sicubi hæsitamus in Græcis exēplaribus, recurrendū esse ad Hebraicam veritatē. Et quia Georgij Veneti opinio sentientis hominē esse angelo perfectiorē non solum gratia sed potētia & natura, modo ad Elyfios campos contenderit, exulat & euariat à receptissima doctorum sententia, ideo conabor respondere ad illam rationem ex obiectam: Non semper oportet Deum conferre excellentiora dona secundum excellentiores naturæ dispositiones. Nihil enim prohibet deum nulli debitorem, obtuso & crasso ingenio longe excellentiora munera largiri, quàm solertissimo & ingeniosissimo. Eam exhibuit gratiā animæ Christi pulcherrimis dotibus illustrata, vt ab ea promanet in ægelos influxus. Nec ex eo anima Christi dicēda est angelo natura quidē perfectior, quòd Christo nomē omniū excellentissimum fuerit collatum, aut quòd filius hominis animorū morbis medeatur, sed solum hoc indicat Christū vt hominem, gratia esse angelo perfectiorē. Lumē enim gratiæ & gloriæ, & visio beata in anima Christi excedit vtrumque in angelo. & licet lumen naturale intellectus angelici, excedat lumen naturale intellectus animæ Christi, nõ tamen excedit lumen gratiæ & gloriæ. Nec propter illud natium lumen, quo angelus præcellit naturā animæ Christi, colligendum est (vt falso aliqui opinati sunt) angelum perfectius intueri diuinam essentiā quàm animā Christi, tametsi illa duo naturalia lumina differant specie, & maior sit excessus secundum speciem quàm secundum intentionē. Hoc enim suam habet vim quādo illa duo lumina ex æquo & immediate concurrunt ad cognitionē, & agens influit cognitionem necessitate naturæ, modo aliter euenit. Nam lumen naturale intellectus, est ratio mediata atque remota huiusce cognitionis: lumē vero gloriæ, ratio proxima & immediata. Nec deus ex necessitate naturæ influit huiusmodi cognitionem. Et hæc insignia lumina animæ Christi collata, sunt propter vnionē naturæ humanæ cū diuina: quæ quidē vnio non fuit cōmunicata naturæ angelicæ: nusquā enim angelos apprehēdit, sed semen Abrahamæ: q̄ si apprehēdisset, longè limpidius intueretur angelus ille diuinam essentiam quàm anima hominis. ¶ Iterum ratiocinabitur quispiam, angeli à natura hominū, precationibus diuersi non sunt, vt dicit Chrysofomus tomo. j. de Orando deū, Orare namque, commune est opus angelorum pariter & hominum, nec quicquam interest inter nostram naturam & illorum, quod attinet ad deprecationem. Et cum homines ex sacris literis cōaquabūtur angelis, cur angeli nobis præcellunt? Adde quòd ex mente Augustini, videtur anima rationalis esse simplicior angelo. Nā libro vno de Ecclesiasticis dogmatibus, capite 12. dicit ægelos esse corporeos, & omnes virtutes celestes. nemo autē sanæ mētis diceret animā rationālē esse corporeā. ¶ Ad hæc pauca & tātilla, respondendū est, tametsi pares sint precibus fundendis, angeli & homines, hoc tamen parē naturam in illis reperiri non indicat. Et cū dicitur homines futuros angelis æquales, id sanè intelligendū est, scilicet pares præmio & gloria æterna. cum enim nihil vetat eos esse pares gratia, quæ est via ad gloriam nanciscendam, nihil quoque obstabit quominus sint pares gloria. Aliqui erunt impares gradu gloriæ, vt sic loquar, alij pares, alij excedent gloriam angelorum. Nec gratia gratum faciens in angelo, diuersa est specie ab ea quæ est in homine. nam

Ad Hebræ.
2. cap.

Chrysofomus.

Augustinus

illi dicuntur grati deo, & adoptantur in filios dei. Nec etiam visiones beatificæ distinctæ sunt specie, nec præmia: alioqui nõ possent aliqui ex hominũ ordine ad singulos angelorum ordines assumi, quod tamen est contra beatum Gregorium. Nec erunt æquales, vt dicit dominus Durādus æqualitate officij, quod purgent, illuminent, perficiant, custodiant, & nuntiēt, sed æqualitate præmij. Quod vero torquet ex Augustino, Angelos esse corporeos, id nõ putat viri etiam literatissimi, ex Augustini ingenio profectum, tamerſi eius interpres, in 15. librũ de Ciuitate dei, capite 23. vt peculiare Augustino ascribat. Et si id sit Augustinianum, non tamen aliter intelligendum est à nobis, quàm intellexit Augustinus, conferendo scilicet angelicam naturam simplicissimæ dei naturæ, longè tamen simplicior est angelus, quàm homo, & magis ad indiuiduam & insectilem naturam accedit. Augustinus angelis corpora tenuissima tribuit, quæ visum omnem frustrentur, ad agendum apta, non ad patiendum. talia erant dæmonum corpora, cum adhuc itarent: postea vero quàm ceciderunt, densiora effecta & patibilia. Eiusdè sententiæ fuerunt Platonici omnes, deinde Origenes, Lactantius & Basilius.

CAPVT III.

Angeli primum didicerunt altissimum dominicæ incarnationis mysterium, diuinũque dispensationis carnis assumptæ sacramentũ, deinde hominibus tãti mysterij notionem tradiderunt.] Hanc desumo assercionem ex sanctissima beati Dionysij doctrina, eam ex sacris literis amplissime persuadētis, qui 4. ca. cælestis Hierarchiæ, sic sublimes philosophia, & altissimo eolquio dicit, Intueri autem libet, vt diuinum illud sacramentum, quo nostræ humanitatis Iesus benignissimè factus est particeps, angeli primum didicerunt, deinde per illos ad nos quoque scientiæ istius gratia deriuauit. sic denique Gabriel Zachariã quidè pontificem (vt legimus) docuit nasciturũ ex se præter spem, sola diuina gratia filium prophetam fore, ac præmium illius (quæ mundo clementissimè atque saluberrimè reuelanda erat in humana carne Iesu) diuinæ operationis: Mariam vero quo pacto diuinum illud atque ineffabile susceptæ à deo humanitatis sacramentum perficeretur, instruxit. Alius item angelus, Ioseph pium erudiit, & quæ patriarchæ Dauid diuinitus promissa fuerat, impleta præmonuit, scilicet quod de fructu vètris sui poneret super sedè eius, & quod de semine eius sceretur Christus, vt doctè exponit Clichthoueus. Alius item, pastores vt solitudinis recessu & quiete purgatos alloquitur, eisque nuntiat gaudium, atque cum illa multitudo cælestis exercitus, hymnum illum celeberrimum atque laudatissimum mortalibus tradit. Libet quoque ad ipsas supremas sanctorum, altissimæque intelligentias cordis lumen attollere. Cerno enim vt ipse quoque Iesus cælestium substantiarum author mirabilis, atque incomprehensibilis ab humana (quam ipse statuerat & elegerat) lege atque ordine non descuerit, cum ad infima nostra sine vlla sui mutatione venisset, immo obtemperanter patris ac dei institutis (quæ per angelos dederat) fuerit obsecutus. Illorum item ministerio nuntiat Ioseph à patre summa dispensatione decretus Iesu vel in Aegyptum discessus, vel ex Aegypto in Iudæam denuo reditus. Ipsum quoque per angelos cernimus patris legibus subditum. Nec ab hac degenerat sententia Augustinus, dicens libro 7. de Ciuitate dei, cap. 32. Mysterium vitæ æternæ & sacramentum redemptionis Christi ab exordio generis humani, per signa temporibus cõgrua per angelos prædicatum fuisse. Et libro 11. de Ciuitate dei, cap. 29. fatetur omnia in verbo dei cognosci ab angelis, saltem vniuersam creaturam, & quæ deus voluerit ipsis reuelare. videndo enim verbum, vident quæ in verbo relucet, ipso transfundente notionem rerum arcanarũ, & sic illa diuina verbi cognitione, contèplati sunt mysterium incarnationis, à quibus tandem in homines huiusce sacramenti profuxit cognitio. De cognitione angeli in verbo, abunde sumus loquuturi in sequenti capite. ¶ Dicit aliquis, angeli ignorauerunt resurrectionẽ Christi, quod subindi-

Dionysius.

Luce 1.

Psal. 131.

Matt. 2.

Augustinus.

care videtur psalmographus dicens, Tollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? interrogant quasi ignorent. & alij respondent, dominus fortis & potens, dominus potens in prælio, ipse est rex gloriæ. Et huius est sententiæ beatus Ambrosius tomo. j. de institutione virginis, cap. 5. Videtur igitur & ignorasse mysterium incarnationis. Sed huic respõdebitur obiectioni, angelos cognitione naturali non cognouisse resurrectionem Christi, & in seipsis, sicut nec eius incarnationem: bene tamen cognitione in verbo, siue reuelationis notione. Nam Matthai vltimo manifestè ostenditur angelum nuntiasse sanctis mulieribus resurrectionem Christi: dixit enim mulieribus, Nolite timere vos, scio enim quod Iesum qui crucifixus est, quæritis. non est hic, surrexit enim sicut dixit. venite & videte locũ vbi positus erat dominus. Aliter potest dici ad rationem motam, angelos nõ tam ignorasse quod dicerent, Quis est iste rex gloriæ? quàm admiratos. quemadmodum apud Esaiam scribitur, Quis est iste qui ascendit de Edom? fuluida vestimenta eius ex Bosor, sic formosus in stola candida. Et hoc dicebant angeli admirantes deum cum corpore ad cælum reuertentem. Aut dic, vt quidam volunt, angelos infimi ordinis, non autem supremi, huiusmodi sacramentum ignorasse, sed hæc expositio minus mihi grata est quàm altera. ¶ Conflabitur aliquis, probando angelos ab hominibus didicisse sacramentum incarnationis, & non homines ab angelis. scribit Paulus ad Ephesios, Mihi enim omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in gētibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à sæculis in deo qui omnia creauit, vt innotescat principibus & potestatibus in cælestibus per ecclesiam multiformis sapientia dei secundum præfinitionem sæculorum quam fecit in Christo Iesu domino nostro. nec dicit Paulus hoc sacramentũ à sæculis absconditum videlicet filium dei pro nostra salute incarnandum, sibi reuelatum, vt duntaxat gentibus aperiret: sed & aperte manifestaret angelicis spiritibus. Adde quod Hieronymus ad hunc locum explicandum in hanc it pedibus manibũsque sententiam, vbi plane deducit ex textu, Paulum hæc arcana sacramenta cælestibus potestatibus nota fecisse. deinde dicit crucem Christi nõ solum nobis sed & angelis, cunctisq; in cælo virtutibus profuisse, & aperuisse sacramentum quod antea nesciebant. Et huic adblanditur opinionioni Theophylactus, eundem enarrans locum, vbi dicit superiores potestates & principatus, nullam habuisse cognitionem huius mysterij, quod gentibus est reuelatũ. Enimuero angelis & archangelis illud & solis constabat, quod Israel esset pars domini, populus eius, & allaturus esset dominus populo suo salutem, & eundem à prauis facinoribus exempturus. Quod autem gentiles tantum honoris essent consecuturi, latebat vtique tam superiores quàm inferiores illas potestates, sed collata in apostolos beneficia, potestates & principatus diuinæ sapietiæ monuerunt, vt intelligerent quàm sit de ecclesia bene meritus deus. Gregorius Nyssenus affirmat potestates cælestes habuisse ante incarnationem, quandam simplicem dei cognitionẽ, videlicet quod sola voluntate cuncta crearet, & sapienter gubernaret. sed multiformis dei sapientia & potentia, fuit cælestibus potestatibus per apostolos cognita & perfecta ecclesia, potestates illæ sunt ad certiore diuinæ sapietiæ cognitionem deductæ. Lyranus huiusce difficultatis sententiam exprimens, dicit angelos non plene hoc cognouisse mysteriũ, donec prædicantibus apostolis, fuit impletũ. quia antè habuerunt tantũ simplicẽ notitiã, quæ potest dici abstractiua, quatenus est rei præsentis. sed quando fuit impletũ, habuerunt experimentalẽ siue intuitiuam, sicut astrologus per motũ cæli, certitudinaliter cognoscit eclipsim futuram tamen adhuc perfectius cognoscit, quando videt eam actu existentẽ. sed me vehementer hoc vnum torquet, & stupidum reddit, quod apostoli plenius cognouerint hoc sacramentum quàm angeli, cum soleant homines pulcherrimo ordine illustrari à deo per angelos. Aut dicendum erit, ad hanc sacram sublimioris philo-

Psal. 23.

Ambrosius.

Matt. 28.

Esaiæ 63.

Ephes. 3.

Hieronymus.

Theophylactus.

Gregorius Nyssenus.

Lyranus.

- fophiæ anchorâ confugiendo, vt ratio propofita opportunius difcutiatur, angelum ordine naturæ illuminare hominem, ordine vero gratiæ, verius quadam eximia & speciali gratiâ, hominem illustrare angelum. Nec hoc peregrinū est & absurdum Henrico à Gaudano quodlibet. 6. quæftione 4. Sanctus Thomas in 2. fententiarum hūc dirimens fcrupum, dicit angelos non ignoraffe hoc myfterium, quantum ad effentiam & fubftantiam rei, eos tamen latuit tempus quo Chriftus debebat nafci. Videtur tamen Lucas indicare eos nequaquā ignoraffe tempus natiuitatis Chrifti. Nam angelus dixit pastoribus fuper gregem fuū vigilantibus & exterritis timore magno, eo quòd claritas dei illos circumfulferat: Nolite timere. Ecce enim euāgelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie faluator, qui est Chriftus dominus, in ciuitate Dauid. fed forfitan intelligit Thomas angelos non cognouiffe tēpus quo Chriftus nafceretur cognitione fpeciali, nifi hoc illis fuerit reuelatum. Licet tādē cognouerint tempus & diem, quo Chriftus natus est. fufius multo hanc declarat ambiguitatem in prima parte fummæ, quæftione 57. articulo 5. vbi dicit angelos nō cognofcere myfteria gratiæ, cognitione naturali. Nam hæc ex pura dei voluntate dependent. fi enim vnus angelus non poffit cognofcere cogitationes alterius ex eius volūtate dependentes, multominus potest cognofcere quæ ex fola dei volūtate dependent. Et fic argumentatur Paulus ad Corinthios: Quæ funt hominis, nemo nouit nifi fpiritus hominis qui in ipfo est, ita & quæ funt dei, nemo nouit nifi fpiritus dei. fed cognitione beata fiue cognitione verbi, qua vident verbum & res in verbo, cognouerunt angeli myfteria gratiæ, non quidem omnia, neque æqualiter omnes, fed vt deus eis voluit reuelare, iuxta illud apoftoli ad Corinth. Nobis autem reuelauit deus per fpiritus fuum. Atteftatur Auguftinus libro 5. fuper genef. 19. capite, angelos hæc myfteria cognouiffe, dicens, Sic fuit hoc myfterium abfconditum à fæculis in deo, vt tamen innotefceret principibus & potestatibus cæleftibus, & de cognitione verbi & beata, hæc intelligenda funt. Et id quod dicit Paulus ad Theffalonicēfes: Apparuit angelis illud magnū sacramentū pietatis, & quo angeli fuperiores, perfpicacius diuinā fapientia contēplantur, eo abftruftiora & altiora myfteria in ipfa dei vifione cognofcunt, q̄ fi contenderimus de cognitione generali, dicendum erit, omnibus angelis à principio fuæ beatitudinis reuelatū fuiffe hoc præclarum myfterium. Nam hoc est quoddam generale principium, ad quod omnia eorum officia ordinantur: omnes enim funt adminiftratorij fpiritus. fi vero fuerit contentio de cognitione fpeciali, quantum ad quasdam fpeciales cōditiones, dicendum erit non omnes angelos ab exordio omnibus hifce sacramentis fuiffe præditos ac institutos. nam quidam etiam ex fuperiori ordine poftea didicerunt. dicit enim beatus Dionyfius 7. cap. cæleftis Hierarchiæ, facram fcripturam induiffe quasdam cæleftes effentias ad ipfum Iefum quæftionem facientes, & addifcentes fcientiam diuinæ eius operationis pro nobis, & Iefum eas fine medio docentem, vt patet apud Efaïam, vbi quærentibus angelis, quis est iste qui venit de Edom? refpondit Iefus, ego qui loquor iuftitiam.

CAPVT IIII.

- Auguftinus **A**ngeli vniuerfam creaturam, in qua ipfi funt principaliter conditi, in ipfo verbo dei prius nouerunt, quàm in natura rei, fiue in proprio genere.] Hanc defumo affertionem ex beato Auguftino libro 4. in genef. capite 24. vbi dicit: Quapropter cum sancti angeli, quibus post resurrectionem cœquabimur, si viam quæ nobis Chriftus factus est, vsque in finē tenuerimus, semper videant faciem dei, verboque eius vnigenito filio sicut patri æqualis est, perfuantur, in quibus prima omnium creata est sapientia, proculdubio vniuerfam creaturam, in qua ipfi funt principaliter conditi, in ipso verbo dei prius nouerunt, in quo funt omnium etiam quæ temporaliter facta funt, æternæ rationes, tanquam in eo per quod factæ funt, ac deinde in ipsa creatura quam sic

nouerunt tanquam infra despicientes, eamque referentes ad illius laudem, in cuius incommutabili veritate rationes, secundum quas facta est, principaliter vidēt. nec absurde dicit priorem esse cognitionē rei in verbo, ea quæ est in natura rei. nam si illam huic contuleris, conferre videberis diem nocti, aut cognitionē matutinam vespertinæ. Cū longè illa sit ista clarior, vt Iympidius multo id cuius est, repræsentet. quod ex eodē Auguftino libro eodem, capite 23. non erit obscurū cōprobare, vbi sic loquitur, Multum quippe interest inter cognitionem rei cuiusque in verbo dei, & cognitionem in natura eius, vt illud merito ad diē pertineat, hoc ad vesperam. in comparatione enim lucis illius, quæ in dei verbo conspicitur, omnis cognitio, qua creaturam quamlibet in seipsa nouimus, non immerito nox dici potest: quæ rursus tantum differt ab errore vel ignorantia eorum, qui nec creaturam ipsam sciunt, vt in eius comparatione non incongruè dicatur dies: sicut ipsa vita fidelium quæ in hac carne atque in hoc seculo ducitur, in comparatione vitæ infidelis atque impiæ, non irrationabiliter lux & dies appellatur, dicente Apoftolo, Fuitis enim aliquādo tenebræ, nunc autem lux in domino. & illud, Abijcimus opera tenebrarum, & induamus nos arma lucis, sic vt in die honeste ambulemus. qui tamen dies nisi in comparatione illius diei, quo æquales angelis facti, videbimus deum sicuti est, ipse quoque nox esset, non hic prophetiæ lucerna indigeremus. vnde apostolus Petrus dicit, Habemus certiore propheticum sermonem, cui bene facitis intendentes, sicut lucernæ lucenti in obscuro loco, donec dies lucefcatur, & lucifer oriatur in cordibus vestris. ¶ Sed inquireret aliquis, si nam simul quis habeat huiusmodi cognitiones. respondeo vt idem Auguftinus respondet libro eodem, capite 29. angelum beatū simul hæc intueri saltem tempore, nec molarum interstitio, quæuis natura & quodam ordine præconciipiendi angelus beatus prius videat rationes creaturarum incommutabiliter in verbi dei incommutabili veritate, ac deinde ipsas creaturas, & earum in seipsis cognitionem ad laudē creatoris referendam, quæ matutina cognitio dici potest: quare non alternatim, alternisque temporum fucceffionibus has habent angeli cognitiones, sed simul habent & diem, & vesperam, & mane: & in illa spiritali patria, semper est dies in contemplatione incōmutabilis veritatis, semper vespera in cognitione creaturæ, semper mane etiam ex hac cognitione in laude creatoris, vt idem subtiliter differēdo de hac re, dicit in eodem libro, capite 30. Et disputans de eadem re, feliciffima quidē sui ingenij acrimonia, & exquisitiffimis sublimioris philosophiæ studijs, libro 11. de Ciuitate dei, cap. 29. planè ostendit sanctos angelos prius cognofcere operū causas in operantis arte, quàm in ipsius artificis operibus. vbi dicit, angelos beatos ipsam creaturam melius ibi, hoc est in sapientia dei tanquam in arte qua facta est, quàm in ea ipsa scire, ac per hoc ibi melius seipsos cognofcunt quàm in seipsis, verū tamen & in seipsis sciūt. facti funt enim, & aliud funt quàm ille qui fecit. ibi ergo tanquam in cognitione diurna, in seipsis autem tanquam in vespertina. multum autem differt, vtrum in ea ratione cognofcatur aliquid secundum quam factū est, an in seipso: sicut aliter scitur rectitudo linearum seu veritas figurarum, cū intellectu cōspicitur, aliter cum in puluere scribitur. Doctores scholastici dicūt istas cognitiones non esse eiusdem rationis, quæuis fuerint eiusdem potentia, & eiusdē obiecti. nec cognitio beata aufert aut impedit perfectionem cognitionis in proprio genere, quia vtraque perficit sua ratione, suoque modo id cuius est. nec putes eum qui cōtemplatur verbum, & quæ vifione verbi conspiciunt, intueri simul effentiam rei siue quidditatem, & eiusdem rei existentiam. potest enim scire quidnam sit effentia rei, aut cognofcere quidditatem, ignorando an sit res. etenim rei existentia, intuitione experimentalis dignofcitur. Sanctus Thomas j. parte summæ, quæftione 58. arti. 7. bifariam considerat in angelis cognitionem vespertinā: vno modo, vt hac cognitione dicantur angeli cognofcere esse rerum quod habet in propria natura, vidēdo verbum, & tunc vna & eadem est secundum effentiam

Ephē. 5.
Roma 13.

2. Petri. 1.

cognitio matutina & vespertina, differens solum secundum cognita: alio modo vocatur cognitio vespertina, qua angeli cognoscunt esse rerum quod habent in propria natura per formas innatas: sic alia est cognitio vespertina & matutina, & vna respectu alterius, est imperfecta.

CAPVT V.

Augustinus.



Angelus prolapsus minime reuocari potuit. Hæc Augustini est assertio, cui eruditissimi viri adblandiuntur, nec exiguis rationibus libro. j. de miraculis sacra scriptura, capite. 2. suam stabilit opinionem. etenim angelus ille, qui è cælesti sede ad terrenâ decidit, & à luce ad tenebras lapsus est, erat in supremo sui honoris ordine cõstitutus, qui diuini muneris ac præcellentis gratiæ ingratiſſimus, ac sui primarij domini & antistitis oblitus, eo fastu, eaque superba arrogantia intumuit, vt eum deseruerit, spreuerit, & auersatus sit, à quo præclara sui honestameti, suæque gloriæ tyrocinia, felicissimæque auspicia captauerat. verum cum de sublimissimo sui ordinis statu prouerit, nec arbitratus sit petendum esse à deo respicientiæ & pœnitentiæ præsidium etiam tutissimum, aut noluerit intima pœnitudine ad vberissimū misericordiæ & clementiæ fontem confugere, diuino prorsus destitutus auxilio, absque vlla reparandæ ruina, aut sarcindæ amicitia spe, prolapsus est, ac in miserimos carceres detrusus. Sed audi quæ ille scribit, vt ad hæc proloqueremur, Homo clementia conditoris ad illam beatitudinem, ad quam peccans adhuc non peruenit, per passionem domini reuocatur, qui si inde cecidisset sicut angelus, nunquam iterum reuocaretur. His subscribam verbis, Pia admodū Christi passio, imo pietatis & clementiæ in nos officina, primum hominem sui criminis mœstitia afflicto, à fortissimis Cadæmonum repagulis & laqueis penè indissolubilibus, necnon ab abditis cæcæ mentis tenebris eripuit, & nonnihil libera hominis facultas ad dissoluendos huiusmodi nexus conabatur, agebat, & operabatur. ille autem angelus arrogantia dux primarius, nolens se diuinæ clementiæ submittere, meruit irreparabilem sui casum, & ex ruina, æternos suppliciorum ignes. Præterea, vt ille dicit, ad cumulum diabolici peccati illud accedit, quod statim postquam peccauit, foueâ desperationis incurrit. si enim de suo delicto habere veniam non desperasset, nūquam consentienti sibi homini damnum salutis suæ procuraret. per hanc ergo non solum sibi ipsi foueâ perditiõis inuenit, sed etiam per se peccati homini causa perditiõis exitit: hoc autem ad leuigandum hominis delictum occurrit, quod non solum per semetipsum mandati transgressionem non reperit, sed serpentiæ suasioni consensit, verum etiam aliam creaturam rationabilem in dei offensam non induxit. hæc ille. Nec cõferas velim, superbiam lapsi angeli cum superbia lapsi hominis: nam hoc conferendi genere, mihi videris conferre elatam superbiam, & impudētissimam, cū supina & stupida, aut elatiorem cum minus elata, vel perpetuam & iugi studio perseverantem, cum temporanea & tandem deplorata, ac lachrymis euicta. In eadem de lapsu angeli sententiã, descendit beatus Chrysostomus to. 2. Homelia. j. de Adã & Eua, vbi de hac re differens, sic loquitur, Deus præsciuit præuaricaturum primū angelum, & ipsum hominem. angelos ergo fecit in spiritu sine carne, præceptum dedit eis nullum. vnus angelus primus, qui Sathahel dictus est, malignã & nefariam præsumptionem assumens dixit, Pono sedem meam in aquilone, & ero similis altissimo: & ita pro tali præsumptione cecidit irreparabiliter, vt ægelus primus præcipitatus de culmine ægelico diabolus nominaretur. Ecce sine præcepto ita cecidit irreparabiliter, vt consequentes sibi hodie, hodièque occidat. Sed æque dicturus est aduersarius fidei catholicæ, Et in ipso angelo præsciis non erat, qui hæc præsumptionem assumere habebat. nos nūc respondemus ei, Omni ratione sciunt futurum irreparabilem casum eius, sicut sciunt quanta bona facturus esset de malo eius. nam tolle persecutores, & non erunt martyres: tolle ebriosos, & nō laudamus sobrios: tolle tenaces, & non proferimus in elemosynis largos. ex comparatione

Chrysosto.

Esaiæ 14.

ergo peioris, oboritur laus melioris. ¶ Sed oblectabitur quispiam, cum vterque factus elatus, scilicet angelus & homo cecidit, quid causæ est, cur hic lapsu recuperabili ceciderit, ille vero irrecuperabili? Hunc discutit scrupum Chrysostomus in loco eodem, dicens, Deus noster faciens hominem ad imaginem & similitudinem suam, dedit præceptum in creatura. i. in arbore, eligens vt per transgressionem in creaturâ peccaret, quàm sine mandato in creatorè offenderet. & sicut angelus qui sine præcepto elatus cecidit, ita & homo si præceptum nō acciperet, æque & ipse diceret, Pono sedem meam in aquilonem, & ero similis altissimo, & caderet irreparabiliter. Præuidit per omnia deus, quanta habuit facere bona de transgressionem primi hominis. Ex firma & stabili diuini Chrysostomi opinione & æquissima censure, quis colligere poterit, nihil simpliciter & absolute obstuisse naturæ angelicæ, quominus, si diuinæ clemetiæ se submittere voluisset, & humilitate flecti, respiciisset, & ad pristinum cadorem restituta fuisset, & hoc potissimū pœnitentiæ confugio, si præceptum dei accepisset, cuius cognita transgressio vicisset, ac edomisset humilitate arrogantissimā superbiã. Cõtendit Alexãder Alësis 3. parte suæ summæ, quæstione 1. arti. 2. assignare rationem, cur angeli lapsus reparari non potuit, bene tamen hominis, quia liberum arbitrium hominis ante electionem voluntatis & post, est mutabile: liberum autem arbitrium angeli, licet ante electionem voluntatis fuerit mutabile, post tamen electionem voluntatis manit immutabile: ideo post lapsum non potuit angelus per pœnitentiam ad pristinam gratiam à qua exciderat, redire: etiam angelus non cognoscit quidpiam temporanea successione, sed simul rem integre videt & cognoscit, ideo nulla læsus fragilitate, nulla vulneratus imbecillitate, sed propria & dedita malitia cecidit, quare nihil in eo reperiebatur quod diuinam offensam lenire posset & mitigare: homo vero mole corporea præpeditus & offuscatus, non potest simul & absque temporanea successione rem ipsam cognoscere, ideo non ea elata malitia prolapsus est atque angelus, sed à sua fragili imbecillitate victus, & volens suæ vxori cõplacere decidit diuinum transgrediendo præceptū. & licet deus absolute potuerit mœderi peccato angeli in miseriã collapsi, tamen illud peccatū cognitis illis circumstantijs ex natura sui fuit irreparabile: dicit tamen ille deum potuisse sanare peccatum angeli, mutando naturam angeli. homo reparatus est non per hominem diuersi generis ex Anselmo, lib. 2. Cur deus & homo. & quia non omnes angeli eiusdem sunt generis, hinc accidit, vt nihil reperire potuit angelus, quo à sua culpa expiaretur.

CAPVT VI.



Angeli nunquam inierunt coniugia cum mulieribus, licet dixerint nonnulli quosdam fuisse incubos, & quosdam succubos. Huius assertio beatus Augustinus, libro 15. de Ciuitate dei, capite 23. vbi describit locum illum Geneseos, videntes filij dei, siue (vt alia habet trãslatio) angeli dei, filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus quas elegerat. non autem inquit ita fuisse angelos dei, vt homines non essent, sicut quidam putant: sed homines proculdubio fuisse scriptura ipsa sine vlla ambiguitate declarat. cum enim præmissum esset quod videntes angeli dei filias hominum quia bonæ sunt, sumpturunt sibi vxores ex omnibus quas elegerat, mox adiunctum est, & dixit dominus deus, non permanebit spiritus meus in hominibus his in æternū propter quod caro sunt. Spiritu dei quippe fuerat facti angeli dei & filij dei, sed declinãdo ad inferiora, homines dicuntur nomine naturæ, nō gratiæ, dicuntur & caro desertores spiritus, & deserendo deserti. & in eodem capite dicit Augustinus illos filios dei, fuisse filios Seth, qui antequã pellecti fuissent libidine à filiabus Cain, erant filij dei gratia. beatus Chrysostomus explicans eundem Geneseos locū, amplissime hanc pertractat difficultatē, & aliquot suasionibus ostendit non obscure scripturam illam non esse intelligendã de angelis, sed hominibus: Operæpretiū est, inquit, bene scrutari hoc loco, vt subuertamus fabulas omnia incon-

Esaiæ 14.

Alexander Alensis.

Anselmus.

Augustinus Genes. 6.

Chrysostomus Cain.

fiderate loquentiū. & primum dicendā ea quæ dicere audent, & monstrata eorum quæ ab illis dicuntur absurditate. germanus quoque scripturæ sensus vestræ charitati aperiendus est, vt ne simpliciter & facile aures accōmoderis tam blasphema dicentibus, & aduersum capita sua blaterare audentibus. Afferunt enim q̄ non de hominibus hoc dictum sit, sed de angelis, hos enim filios dei appellauit. Primum ostendant vbi angeli, filij dei appellati sunt. sed nō poterunt vsquā mōstrare. homines quidē filij dei dicti sunt, angeli autē nunquā: atqui de angelis dicit, Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos flammā ignis. de hominibus autē, Ego dixi dii estis. Et iterū, Filios genui & exaltaui. Et iterū, Primogenitus meus filius Israel. angelus autē nusquā vocat⁹ est filius dei. Cæterū quid dicūt? Profecto angeli quidē sunt, sed quia ad iniquū hoc opus descenderūt, dignitate sua exciderūt. En iterum fabulosius aliud, quod igitur? Nūc exciderunt, & hæc ruina illorū causa. Verū scriptura nos aliter docet, quōd antequā formaretur protoplastus, à sua dignitate exciderunt, & diabolus, & qui cū eo maiorem dignitatē ambiebant. Sicut & sapiens quidā inquit, Inuidia autē diaboli mors intrauit in mundū. Dic oro mhi, si nō ante factū hominē excidit, quomodo in tanta dignitate manens, inuidit homini? Quomodo rationi consonū est, angelū incorporeū, & in tali dignitate constitutū, homini inuidere corpore circūamictō? Sed inuidit, quia à superna gloria in extremam ignominia deiectus est, licet esset incorporeus. videns autē formatū hominem, & in corpore tantū honorē conditoris beneuolentia sortitū, inuidia exarsit, & deceptione, ad quā serpentis opera vsus est, hominē mortis supplicio obnoxium fecit. Talis enim malitia nō potest non grauiter ferre aliorū felicitatē. Manifestū quōd & diabolus, & omnis eius cohors, olim à gloria illa exciderūt, & ignominiosi facti erant. Aliās itē quanta dementia plenū fuerit dicere, angelos deiectos, vt cum mulieribus rem habeāt, & incorporea illa natura copuletur corporibus. An non audis dominū dicentem de angelorū substantia? In resurrectione neq; matrimoniū con trahunt, neque elocantur, sed sunt sicut angeli dei. Neq; enim possibile est incorpoream naturam, talem vnquā concupiscentiā habere. tum etiam insanū est dicere, spiritualem naturā corporis complexū ferre. Sentit Chryostomus cū Augustino, dicens, illos homines qui filij dei vocabātur, à Setho siue Seth originē traxisse, qui filio suo nomē Enos indidit. dicit enim, Iste sperauit inuocādō nomen domini dei. ab illo postea nati, vocati sunt filij dei in diuinis scripturis, eo q̄ parentes eorū illius virtutē imitati sunt. filios autē Cain, & qui ex eo nati sunt, & qui ante Seth geniti fuerūt, filios hominū vocat. Factū est (inquit) cū cæperūt homines multiplicari super terrā, & filia: natæ sunt illis, vt viderūt filij dei qui à Seth & ab Enos progeniti, filias hominū illas quæ ab alijs natæ sunt, de quib⁹ dixit quōd filia: natæ sint illis, & quōd pulchræ essent. vide quomodo per verbū hoc, omnē nobis eorū intēperantiā insinuat. nō enim ob desiderū procreandorū filiorū cōueniebant, sed ob voluptatē & intēperatiā: vt viderūt (inquit) filias hominū quōd pulchræ essent, cōcupiscentia illos in hāc induxit perniciē, pulchritudo aspectus, & scortationis & intemperatiæ eis occasio fuit. Cyrillus inuehitur in Iulianū apostatā, quōd ille impudētissimē dixerit, angelos eō libidinis & intēperatiæ venisse, vt omnino fœdis mulierū voluptatibus & cōcupiscētijis sese dederint & immerferint. sed hūc insanū Iuliani errorē imperite intelligētis illud Geneseos citatū, eludit & subuertit, lib. 9. contra eundē Iulianū, vbi dicit post euulgatā interpretationem septuaginta, alios interpretes loco huius filij dei, trāstulisse filij potentiū. Et reddendo syncerā illi loco intelligentiā, asserit temporibus Noe filios dei. i. qui ex sanguine Enos suā profapiam duxerāt, deamasse filias hominum pulcherrimas, scilicet quæ ex sanguine Cain, & posteritatis eius progenitæ erāt, easq; duxisse in vxores, nec tamen citra delectū, vt voluptuosius libidine fruētur. Et ob id sceleris, lōgēque maiora, deū vitiorū vltorē æquissimū, immisisse diluuiū. Lactantius tamen, lib. 2. de falsā religione, cap. 15. sentire videtur cū Iuliano apostata, vbi scribit in hūc modum, Cum

Hebr. 7.
Psal. 81.
Esa. 1.
Exo. 4.

Saplen. 2.

Matt. 22.

Gene. 4.

Cyrrillus.

Lactantius.

numerus hominū cepisset crescere, prouidens deus, ne fraudibus suis diabolus, cui ab initio terræ dederat potestatem, vel corrumperet, vel dispergeret homines, quos in exordio fecerat, misit angelos ad tutelā cultūque generis humani. Quibus præcepit ante omnia, ne terræ contagione maculati, substantiæ cælestis amitterent dignitatē. scilicet id eos facere prohibuit, quod sciebat esse facturos, vt veniam sperare non possent. Itaque illos cum hominibus cōmorantes dominator ille terræ fallacissimus, consuetudine ipsa paulatim ad vitia pellexit, & mulierū congressibus inquinavit. Tum in cælum, ob peccata quibus se immerferant, non recepti, ceciderunt in terram. Sic eos diabolus ex angelis dei, suos fecit satellites ac ministros. Qui autem sunt ex his procreati, quia neque angeli neque homines fuerunt, sed mediam quandam naturam gerentes, non sunt ad inferos recepti, sicut in cælum parentes eorum. Ita duo genera dæmonum facta sunt: vnum cæleste, alterum terrenū. Hi sunt immundi spiritus, malorum quæ geruntur authores, quorum idem diabolus est princeps. Vnde Trismegistus illum *δαιμονογενῆς* vocat. Sed istis Lactantij erroribus non assentitur, sed exulant à veritate explosi. Nec inficiatur Cyprianus, Tractatu de singularitate clericorum: angelos cum fœminis cecidisse, quem sequi nolim, si puter angelos cum mulieribus concubuisse, & fœda illa libidine suam conspurcasse naturam. Dominus Lyranus explicans prolatum Geneseos locum, de filijs dei sibi deligentibus filias hominum elegantissimas, tres refert opiniones, & tertiam imitatur. Prima est dicentium dæmones incubos hic vocari filios dei, propter naturam spiritualem. Iob enim primo capite ostenditur sathan fuisse inter filios dei: & isti in specie humana commiscuerunt se mulieribus, & inde nati sunt gigantes. Nam in hoc Geneseos capite dicitur, Gigantes erant super terram in diebus illis. Sed hæc expositio recipi non potest, quia hic exprimitur causa diluuij, quod inundauit in pœnam peccatorum. diluuium autem nunquam fuit in pœnam dæmonum, sed tantum hominum. Aliter exponit Rabi Salo. dicens filios iudicum vel potentum hic intelligi. Nam nomen istud Hebraicum Eloym, quod hic ponitur, aliquando accipitur pro deo, aliquando pro dijs, aliquando pro iudicibus. Nam vbi habetur Exodi vigesimo secundo, secundum vulgatam translationem, Dominus domus applicabitur ad deos, id est iudices, in Hebræo habetur ad Eloym. vult igitur hic interpretes innuere filios iudicum & potentum plectos pulchritudine filiarum hominum, quibus se commiscuerunt. Sed nec istam recipit expositionem. Nam hæc causa fuisset diluuij particularis, quantum ad potentes solum, quod tamen falsum est. Siquidem omnis caro corruerat viam suam. Tertia est communis assertio, quam amplexatur, dicens, hic filios dei intelligi illos, qui descenderunt de Seth, qui à patre suo fuerant instructi in cultu diuino. Per filias hominum, intelliguntur mulieres descendentes de Cain, quæ erant dissolutæ: & lubricæ, & inhibuerat Seth filijs suis ex voluntate domini, ne cum illis contraherent matrimonium, sicut præceperat dominus filijs Israel, ne contraherent matrimonium cum mulieribus Chananais. Sed filij Seth paternum transgredientes præceptum, obscœnis voluptatibus incubuerunt.

Cyprianus.

Lyranus.

Iob. 1.

Exo. 22.

CAPVT VII.

Angelus non potest per se & proprie moueri de loco ad locum. Hanc approbabo assertionem ex Augustino, libro 8. de Genesi ad literam, capite 20. vbi inquit, Deus spiritalem creaturam corporali præposuit, quod spiritalis tantummodo per tempora mutari posset, corporalis autem per tempora & loca. Exempli enim gratia, per tempus mouetur animus, vel reminiscendo quod oblitus erat, vel discendo quod nesciebat, vel volendo quod nolebat. Per loca autem corpus vel à terra in cælum, vel à cælo in terram, vel ab oriente in occidentem, vel si quo alio simili modo. Omne autem quod mouetur

Augustinus

B. j.

per locum, non potest nisi & per tempus simul moueri. At non omne quod mouetur per tempus, necesse est etiam per locum moueri. Nec dissentit Aristoteles ab Augustini sententia, in hoc potissimum quod dicit, angelum non moueri per loca. Nam 6. physicorum ostendit indiuisibile non moueri secundum locum. Quicquid enim in spatio fertur, ut prius se minus & æquale quam maius abeat, necesse est. Non autem minus se, prius abibit impartibile. Nam impartibili minus esse impossibile est. Nec sibi æquale. Nam si conficeret motum super lineam, punctum esset puncto coniunctum & proximum, & linea abiret composita ex impartibilibus. Hoc autem est impossibile, quare impartibile non potest per se moueri de loco ad locum, bene tamen per accidens. nam moto homine anima eius per accidens mutatur. Adde quod motus diuisionem recipit à tempore, & à partibus mobilis, ut idem demonstrat philosophus, in eodẽ libro, quod dici non potest de motu angeli. Nam angelus est insectilis. Tum etiam omne quod mouetur, necesse est prius fuisse mutatum, & posterius agitari, quod fieri non potest in re indiuisibili. Et cum motus 3. physicorum sit actus entis, in potentia quatenus in potentia, & actus mobilis quatenus est mobile. Impossibile erit, id mutari quod solum erit in potentia, aut quod solum erit actu. Sed quod partim est in potentia, & partim in actu. Sed quoniam pacto insectile erit partim actu & partim in potentia? Nec poterit aliquid per se & proprie moueri de loco ad locum, nisi occupet locum, & circumscribatur loco: modo expertia sectionis, non occupant locum, nec circumscribuntur loco. Imò dicunt nonnulli Doctores scholastici etiam ingeniosissimi, angelum non esse in loco nisi per operationem, quorum nomen placitis & inuentis non astipulor. Nam absurdum videretur fateri, angelum nusquam esse si non operetur. Nam est ubi patitur, etiam si non agat. Nec esse in loco dicit actionem, alioqui quicquid esset in loco ageret, nec esse in loco potius exprimit actionem quam passionem, imò neutrum exprimit: sed quandam habitudinem & ordinem ad locum. Et quemadmodum deus seclusa quaque operatione, ratione suæ substantiæ & essentiæ infinitæ, ubique est per præsentiam: ita angelus seclusa quacunque operatione alicubi est, ratione suæ finitæ substantiæ. Et licet ex Damasceno, libro primo suæ Theologiæ, capite 16. sit locus intelligibilis, ubi intelligitur, & est intelligibilis & incorporea natura, ubi adest & operatur, non tamen hinc colliges angelum, aut incorpoream naturam, non esse in loco nisi operetur. Habet enim cælestis spiritus definitum quendam terminum suæ plenitudinis & replentiæ, extra quem suam non exhibet præsentiam, & ex eo certo dicitur esse in loco, tamen non operaretur: non quidem in loco tanquam in superficie concaua atque intima corporis continentis & ipsi intrinseca, contento vero extrinseca: sed quia præsens est loco, extra quem ratione sui definiti limitis suam non exhibet præsentiam. Magister sententiarum libro primo, distinctione trigesimaseptima, dicit angelum partim esse in loco, partim non esse: In loco quidem, quia diffinitione loci terminatur, quoniam cum alicubi præsens sit, totus alibi non inuenitur. Sed non est in loco, ut dimensionem capiens distantiam in loco faciat. Sanctus Thomas in prima parte Summæ, quæstione quinquagesimatertia, Articulo primo, dicit angelum non esse in loco ut commensuratum & contentum, sed magis ut continentem: & ei assignatur locus diuisibilis per contactum suæ virtutis, sicut corpori assignatur locus diuisibilis per contactum suæ magnitudinis, & non aliter mouetur angelus quam secundum applicationem suæ virtutis: & hic motus est actus perfecti & existentis in actu: motus vero qui est existentis in potentia, est actus imperfecti. Nec mouetur angelus localiter propter suam indigentiam, sed propter nostram: quod non absurde comprobari potest ex Paulo ad Hebræos, dicente, Omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem accipiunt salutis. Et Christus descendit in triduo ad inferos secundum suam animam, siue eius anima de-

Damascen⁹.

Petrus Lombardus.

Thomas.

Hebr. x.

scendit ad inferos propter summam utilitatem eorum, qui abditis tenebrarum carceribus detinebantur, ut illis lumen perfunderet. Quod si adherere voluerimus Symbolo Apostolico, dicendum erit, Christum descendisse realiter ad inferos, non tamen eo motu quo corpora mouentur, decurrendo successive temporaneum spatium: sed quod re ipsa penetrauerit inferos, non mediocre exhibens sanctissimis viris solatium. Thomas in tertia parte summæ dicit, animam Christi descendisse ad inferos eo genere motus quo angeli mouentur, scilicet per operationem, non tamen vellet dicere, quin anima Christi realiter ingressa sit inferos. Sed quidam doctor huic aduersatur opinioni, neque putat animam etiam separatam moueri eo genere motus, quo angeli mouentur. Nam angeli dicuntur moueri de loco in locum, quatenus successive operantur in diuersis locis. Anima autem separata non potest habere aliquam operationem circa locum, vel circa corpus existens in loco. Quia cum ex sua natura sit determinata ad certum corpus, non potest mouere, nec agere in aliud, nisi mediante corpore proprio: sed illo caret dum est separata: ergo non potest dici moueri de loco ad locum ratione operationis, quam habeat circa locum, vel circa corpus existens in loco. Et idem fatetur animam Christi non fuisse in inferno diffinitiuè, vel circumscripitiuè, quod tamen communis tenet opinio, sed solum secundum effectum. Sed ex huius solertissimi doctoris sententia, dicendum esset, animam Christi citra descensum realem fuisse in inferis. nam ut sit in inferis (ut ille voluit, sua peculiari opinione à nullis aut à paucis recepta) satis est, ut in tali tenebroso loco operetur. Nec vincit eius ratio, in Thomam emissa. licet enim anima separata non sit præscripta certo motu huius vel illius corporis, non tamen oportet eam non posse moueri propter operationem, quam habet circa corpus existens in loco: nec videtur determinari ad certum corpus, nisi cum corpus informat & corporeis obuincitur vinculis.

Durandus.

CAPVT VIII.

Anima hominis non est ex substantia dei facta. Nam substantia dei est prorsus incommutabilis, anima autem hominis est commutabilis, & flexilis ex bono in malum, ex vitio ad virtutem. Nec sacris destituimur doctoribus ad tuendam hanc assertionem, cuius oppositum est vesana hæresis & blasphemia in deum. Augustinus lib. 7. de Genesi ad literam, capite 2. de hac re non vulgari studio edifferens, dicit quosdam ex illo Geneseos loco, formauit dominus deus hominem de limo terra, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem, credidisse aliquid esse animam de ipsa substantia dei, id est eiusdem naturæ, cuius ille est: hoc ideo putantes, quia cum homo sufflat, aliquid de seipso eijcit in flatum. hinc potius admonendi sumus, hanc inimicam fidei catholicæ reprobare sententiã. Nos enim credimus dei naturam atque substantiam, quæ in trinitate creditur à multis, intelligitur à paucis, omnino esse incommutabilem. Porro autem animæ naturam, vel in deterius vel in melius commutari posse quis ambigit? Et cap. 3. plenè explicat quid hoc sibi velit, inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ. non enim ex eo deus insufflauit in faciem hominis, quod anima sit pars dei, vel omnino dei substantia. Cum enim homo sufflat, anima utique ipsa subiaccens sibi naturam corporis mouet, & de illa, non de seipsa flatum facit. Nisi isti forte tam tardi sunt, ut nesciant isto reciproco halitu, quem de hoc aere circumfuso ducimus & reddimus, fieri etiã flatum cum voluntate sufflamus: Paulo post dicit, Posslemus quidem dicere, nec ipsum dei flatum esse animam hominis, sed deum sufflando fecisse animam in homine: aut insufflare, quod est flatum facere, id ipsum esse quod est animam facere. Cui sententiæ congruit quod per Esaiam dicit deus, Spiritus enim à me procedet, & flatum omnem ego feci. Nam non quemlibet flatum corporeum dicere, sequentia docent. Cum enim dixisset, Omnem flatum ego feci, & propter peccatum inquit, pusillum quid contristauit eum & percussit eum. Quid ergo dicit flatum nisi animam, quæ propter pec-

Augustinus, Gen. 2.

Esa. 57.

Baj.

eatum percussa & cōtristata est. Quid igitur est, omnem flatum ego feci, nisi omnem animam ego feci? Et capite 5. inquit, An deus eam naturā quæ anima dicitur, & antea non erat, ex nihilo creauerit: an vero iam erat aliquid spiritale, quæuis hoc quicquid erat, nondum animæ natura erat, atque ex hoc factus sit status dei, qui esset natura animæ. In discutienda hac quæstione difficillima desudauit Augustinus tota mētis acrimonia, omnibusque sui ingenij viribus, qui longè felicius & copiosius differit, quàm respōdeat. Et vt sui perspicacissimi ingenij faciat periculū, dicit, cap. 6. eiusdē libri, Nū ergo credibile est in primis illis sex dierū operibus, deū condidisse non solum futuri corporis humani causalē rationē, verū etiam materiē de qua fieret. i. terrā de cuius limo vel puluere fingeretur: animæ autem solam ibi condidisse rationē secundū quam fieret, non etiā quandā pro suo genere materiā, de qua fieret? Si enim quiddā incōmutabile esset anima, nullo modo eius quasi materiē quærere deberemus. Nūc autē mutabilitas eius satis indicat eam interim vitij atq; fallacijs deformē reddi, formari autē virtutibus veritatisq; doctrina, sed in sua iam natura qua est anima, sicut etiā caro in sua iam natura qua caro est, & salute decoratur, & morbis vulneribusq; fœdatur. Sed sicut hæc, excepto quod iā caro est (in qua natura vel proficit vt pulchra, vel deficit vt deformis sit) habuit etiam materiē. i. terram de qua fieret vt omnino caro esset: sic fortasse potuit & anima, antequam ea ipsa natura fieret quæ anima dicitur (cuius vel pulchritudo virtus, vel deformitas vitium est) habere aliquā materiā pro suo genere spiritalem quæ nondū esset anima, sicut terra de qua caro facta est, iam erat aliquid, quamuis non erat caro. Nihil tamē affirmat, ne occasione huiusce rei sumas occasionem offendiculi & erroris. Sed quidnā sit illa materia spiritalis, an angelus, an alius spiritus intellectualis, nō exprimit abunde, sed disquirat vt perpendere possit quonā pacto dici possit animā ex materia spiritali factā, licet fateatur, cap. 28. eiusdē libri, animam hominis simpliciter ex nihilo factā fuisse siue creatā. Nam videtur ex Genesi, deum prius habuisse quandā rationem atque ideam animæ rationalis creandæ, quàm quod illā creauerit, ita quod creata fuerit secundū rationem simul cum cælo & terra, licet tūc non fuerit eius natura quæ futura. Nam dicitur in 1. cap. Geneseos, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostrā, & postquam requieuit dominus, formauit hominē de limo terræ, & inspirauit, vel vt alij volūt, insufflauit in faciē eius spiraculū vitæ. Dominus Lyranus enarrās locū illū Geneseos 2. Homo non erat qui operaretur terrā, dicit, quod adhuc non erat formatus homo, licet 6. die creasset deus hominē ad imaginem & similitudinem suā, sed forsitan (vt quibusdā placet) potentialiter & causaliter. Dicit Glossa ordinaria ex sentētia Augustini ad locū illum, & inspirauit in faciē eius, deū in illis primis operibus, quæ simul omnia creauit, animā etiam humanā creasse, quā suo tempore corpori inspiraret. Et cū dicitur, formauit igitur dominus deus hominē, sensus est, vt innuit Lyranus, diligētius ac nobilius disposuit. hac in re conspirant omnes sacri interpretes, vt fateatur deū creasse animā non quidē de sua substantia, sed de nihilo. Et in multis locis hoc ostendit idem Augustinus. Nam libro primo de anima & eius origine, cap. 4. scribit in hunc modum, Absit vt negemus omnipotētem de nihilo flatū vitæ facere potuisse, quo fieret homo in animā viuam, atque in eas contrudamur angustias, vt vel iam fuisse aliquid quod ipse non esset vnde flatū faceret opinemur, vel quod mutabile factū videmus, de seipso fecisse credamus. Quod enim de ipso est, necesse est vt eiusdē naturæ sit, cuius ipse est, ac per hoc etiā immutabile sit: anima vero, quod omnes fatentur, mutabilis est. Non ergo de ipso, quia non est immutabilis sicut ipse. Si autem de nulla re alia facta est, de nihilo facta est proculdubio, sed ab ipso. Idem agit negotium in psalmū 41. ad locum illum, Quādo veniam & apparebo ante faciē dei, vbi dicit, animū hominis quærere aliquid quod deus est. Videlicet aliquam incommutabilem veritatem. Nec talis est ipse animus, deficit enim, proficit, nouit, ignorat, meminit, obli-

Gene. 1.

Lyranus.

Glossa ordinaria.

Psalm. 41.

uiscitur, modo illud vult, modo non vult, ista mutabilitas non cadit in deum. Nec ab hac abscedit sententia Beatus Chrysostomus, non infeliciter in eos resiliens, qui vecordi amentia, & amentissima vecordia dixerūt animam hominis de diuina procreata substantia. Etenim enarrans exquisitè locum illū Geneseos, Inspirauit in faciē eius spiraculū vitæ, sic philosophatur, Hic insensatorum aliqui suis moti opinionibus, nihilque deo dignum cogitantes, neque verborum dispensationem animaduertentes, dicere audent, animā ex dei essentia esse. O insaniam, O delirium. Quot perditionis vias diabolus peperit, si qui eas ingredi volunt. Et vt discas considera, quomodo diuersis inter se vijs incedunt. Nam alij ansam ex verbulo, inspirauit, rapientes asserunt ex dei essentia esse animas: alij autem quod anima in brutorum substantiam transeat. Quid hac amentia deterius fieret? Nam quoniam obtenebrata est ratio eorum, etiam verā scripturæ mentem ignorauerunt, sicut capti oculis in diuersa præcipitia feruntur. & illi quidem supra dignitatem, animā efferunt: alij autem contra dignitatem dehonestāt. Nam si deo quod scriptura dicit, inspirauit in faciē eius spiraculum vitæ, hoc dicere volumus, necesse erit & deo os affingere, & manus tribuere, quādoquidem inquit, Et formauit hominem. Et paulo post subnectit, Si deo membra & liniamenta attributuri sumus, nostris opinionibus impulsī, mox in gētilium impietate incidemus. igitur quum audieris scripturā dicentem, formauit deus hominem, cogita virtutem eandem, quando dicit, fiat. Et iterum quando audis, inspirauit in faciē eius spiraculum vitæ, hoc iterum cogita, quod visum est sibi. Et sicut incorporeas virtutes produxit, ita certè corpus illud ex puluere, rationalem animā habere iussit, quæ corporeis membris vti possit. formatum enim corpus hoc iuxta præceptum domini quasi instrumentum erat, quod egebat aliquo se mouente. Sed quid est inspirauit spiraculum vitæ? voluit (inquit) & imperauit, vt hoc corpus haberet vitalem vim, quæ facta est animalī in animā viuentem, hoc est efficaciter operantem, & suā artem membrorum motu ostendere valentem. In eodem loco fateatur deum prius condidisse corpus hominis quàm animam, tametsi anima sit longè dignior corpore. Nam cælum & terra & sol & luna & cætera omnia prius formata sunt, & irrationalia animalia, quàm homo, horum principatum suscepturus. ita & in hac hominis formatione, prius corpus producit, & postea anima. Et homilia 2. in Acta Apostolorū dicit contra Manichæos, Etenim si nostra anima pars est substantiæ diuinæ, anima verò demigrat etiā in corpora cucurbitarū, peponū, & cæparum, consequitur vt substantia dei sit in cucurbitis. Iam si dicamus quod spiritus sanctus in virgine cōstruxerit templum dei, derident. Si dixerimus quod deus habitavit in spiritali templo, rursus irrident. Ipsos vero nō pudet dei substantiā in cucurbitas, pepones, muscas, bruchos & asinos detrudere noua idololatriæ specie reperta. At non cæpe, inquit, in deo est, sed deus in cæpe. Cur fugis ne videaris deo tribuere demigrationē in corpora? Turpe est, inquis. An non igitur istud multo turpius? An non hoc turpe est? Quomodo non turpe sit in deum, quod si nobis cōtingat, reuera turpe futurum sit? Videtis ne faciem impietatis? Tertulianus nō minus doctè quàm luculentè enarrans flatum animæ aduersus Marcionem, planè ostendit hunc flatum non esse deum, nec quicquam ex diuina emanans substantia, & sic philosophatur, Quo quo tamen inquis modo, substantia creatoris delicti capax inuenitur, cum afflatus dei. i. anima in homine deliquit, nec potest non ad originalem summā referri corruptio portionis. ad hoc interpretanda erit qualitas animæ. In primis tenendum quod Græca scriptura signauit πνοή, afflatum nominans non spiritum. Quidam enim de Græco interpretantes, non recogitata differentia, nec curata proprietate verborum, pro afflatu spiritum ponunt, & dant hæreticis occasionem spiritū dei delicto infuscādi. i. ipsum deum. Intellige itaque afflatū minorem spiritum esse, etsi de spiritu accidit vt aurulā eius, non tamen spiritum. Nam & aura vento rarior, etsi de vento aura, non tamen ventus aura. & licet, vt

Chrysost.

Gene. 2.

Tertulianus

B.iiij.

ille dicit, imago spiritus diuini sit quidam afflatus, non tamen imago veritati vsque-
 quaque adaequabitur: quod tamen oporteret, si hic afflatus esset de substantia dei. Adde
 quod si anima esset de substantia dei, non esset intelligens potentia, nec scientia à re-
 bus nasceret, nec diuersus esset instructa potētis, quod tamen est absurdissimum.
 nam non semper actu intelligit, sed discit quae prius ignorauerat, & ab inscitia re-
 rum demutatur ad scientiam, & à rebus sensuum adminiculo venatur discipli-
 nas, quoadiu corpori immergitur, & diuersas in se continet potentias, potentiam vi-
 uendi, mouendi, sentiendi, appetendi, & intelligendi. Sanctus Thomas. i. parte summae,
 quaestione 90. arti. i. dicit Manichaeos existimantes deum esse quandam lucem corpo-
 ream, posuisse quandam partem illius lucis esse animam corpori alligatam, vbi stre-
 nuè depugnat in illorum placita. Gnostici eò amētiae & delirij venerūt, vt astruxe-
 rint animam hominis aut esse substantiam dei, aut esse ex dei substantia. horum
 principem fuisse Nicolaum diaconum, de quo fit mētio in Actis apostolorum, testatur
 Philaster. Ireneus tamen lib. i. aduersus haereses, cap. 24. eorum autorem fuisse Car-
 pocratem asserit. hunc tamen errorem impijssimum suscitauerunt Manichaei Persica
 venena propinantes. sed illi cæcutierunt in plano lumine, non agnoscentes animam
 hominis infinitis penè obnoxiam esse affectibus etiam noxijs, & subditam vitijs,
 à quibus diuino destituta praesidio liberari nequit. ¶ At dicit aliquis, Anima homi-
 nis est ex traduce siue ex Adam propagata: videtur igitur, animam hominis non
 esse ex nihilo factam. Ad suadendum antecedens, pugnat Augustinus, lib. 10. de Gene-
 si ad literam, cap. 11. argumento equidem ex Paulo desumpto, Per vnum hominem
 peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines
 pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Sed hoc primi parentis scelus non decubuit
 in omnes secundum carnem duntaxat. non enim delinquit caro nisi prius saltē na-
 tura, deliquerit anima. igitur intelligendum est hoc crimē delapsum ad animam vs-
 que. quare non minus anima videtur esse ex Adam propagata quam caro. quod si
 ex Adam propagata non est, videtur esse innocentissima. Et ex eodem Paulo ibidem
 fortius stabilietur argumentum, Sicut (inquit) per vnius delictum in omnes homines
 ad condemnationem, ita & per vnius iustificationem in omnes homines ad iustifica-
 tionem vitae, sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt
 multi, ita & per vnius obedientiam iusti constituentur multi. Sed quomodo delictum
 primi parentis in omnes transfunditur ad condemnationem vsque, si sola caro squal-
 leat vitio? Aut quomodo per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi,
 si tantum homines fuerint in Adam secundum carnem, & non secundum animam? An
 infudit deus animam carni in qua necesse est eam peccare? quod si necesse est eam
 peccare, iam non peccat. Peccatum enim non est peccatum, nisi voluntarium. Adde
 quomodo potest anima iuste ire in condemnationem quando exit de corpore absque
 baptismo, si ex illa primi hominis propagine non emanauerit? Dices ne cum Augu-
 stino, nihil aliud ex his posse intelligi, nisi vnumquemque paruulum non esse nisi Adam
 & corpore & anima? Aut concedes necesse erit carnem sine anima posse concupi-
 scere, quod est contra Augustinum, capite 12. eiusdem libri, vbi inquit, Licet caro
 concupiscat aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, non tamen caro si-
 ne anima concupiscere potest. Caue tamen ne sentias cum Manichaeis, qui cum
 viderent carnem non posse sine anima concupiscere, arbitrati sunt aliam quan-
 dam animam suam ex alia natura deo contrariam, carnem habere, vnde concupiscat
 aduersus spiritum. quod si quis eam sibi indueret opinionem, vt putaret animam ho-
 minis propter adductam rationem esse ex traduce, deberet & fateri animam Christi
 esse ex traduce, & fuisse in lumbis Abraham, sicut Leui, non solum secundum sub-
 stantiam corporalem, verum etiam secundum concupiscentiam carnalem, nisi vnum ti-
 bi sit confugium ad gratiam praeseruatricem animae Christi, & ad insigne quoddam pri-
 uilegium ei collatum, quo fuit praeseruata. Plurimum facit ad dissuadendum ani-
 mam ex traduce emanasse, quod in libro sapientiae scriptum est, Puer autem eram

ingeniosus, & fortitus sum animam bonam. & cum essem magis bonus, veni ad corpus
 incoquinatum. Sed quid vetat dicere animam à traduce non profluxam, neque propa-
 gatam, sed à deo creatam ex nihilo, illi corpori? In quo propter transgressionem pra-
 cepti diuini factam à primo parente, contrahit maculam, & imbibit faeces primi delicti
 ex carne contaminata. Nec puer ille, in lucem hominum educatus, deliquit peccato pro-
 prio, sed alieno & contracto: nec caro prius inficitur infectione spiritali, quam
 anima, cum non sit caro hominis nisi ab anima. Totum compositum traducitur, non ta-
 men partes secundum se & absolute ut sint, sed ut vnum sint, & vnam faciant naturam:
 & natura deficiens, siue ut alijs placet defectuosa, traducitur ab eo qui seipsum &
 nos sua culpa, huiusmodi defectibus subiecit. Petrus Lombardus 2. sententiarum, di-
 stinctione 31. dicit peccatum manere in carne, quae in concupiscentia libidinis semi-
 natur, nec culpam habet, nec actum culpae, sed causam. in eo ergo quod seminatur, cor-
 ruptio est: in eo autem quod nascitur, concupiscentiae vitium est. Vnde Ambrosius ex-
 plicat quomodo habitat peccatum in carne cum non sit substantia, sed priuatio boni,
 dicit: Ecce primi hominis corpus corruptum est per peccatum, ipsaque corruptio per con-
 ditionem offensionis manet in corpore, robur tenens diuinae sententiae datae in Adam,
 cuius consortio anima maculatur peccato. Per id ergo quod facti causa manet, inhabi-
 tare dicitur peccatum in carne, hoc est lex carnis. Non habitat peccatum in anima, sed
 in carne, quia peccati causa ex carne est, non ex anima, quia caro est ex origine car-
 nis peccati, & per traducem, omnis caro fit causa peccati: anima vero non traducitur,
 & ideo in se causam peccati non habet. Augustinus pariter in sermone quodam de ver-
 bis Apostoli, indicat animam contrahere peccatum ex carne, Vitium (inquit) concupiscen-
 tiae, est quod anima non ex se, sed ex carne contrahit. ¶ Sed quis sciscitari poterit,
 An causa peccati originalis quae est in carne, sit culpa vel poena. Non culpa, nam in his
 quae sunt expertia rationis, non est culpa. Tū etiam si esset culpa, ante infusionem ani-
 mae, vel esset actualis vel originalis: non primum, nec secundum, quia ipsa est causa ori-
 ginalis peccati. Si autem poena sit, quae est illa? passibilitas, vel mortalitas, vel alia cor-
 ruptio, hos enim defectus inesse carni constat: quae dum concipitur, contrahens si-
 bi pollutionem, ex feruore coitus parentum & libidinosa concupiscentia, est causa ori-
 ginalis peccati. Sed demiraberis, quomodo in ipso conceptu, cum caro propagatur,
 & nondum infusa est anima, transmittitur peccatum, cum peccatum non possit
 esse vbi anima non est? Nec causa peccati originalis carni insita, est proprie cul-
 pa, sed ex illa tandem enascitur. Sed dicam, vt ille respondet, in illo conceptu
 peccatum transmitti, non quia peccatum originale ibi sit, sed quia caro ibi con-
 trahit id, ex quo peccatum fit in anima cum infunditur.

CAPVT IX.

Animae defunctorum nesciunt quid hic agatur. ¶ Hoc velim Assatum ex
 Augustino probatissimum reddere, qui cum de cura pro mortuis geren-
 da, non vulgariter differeret, cap. 13. illius opusculi, sic philosophatus est,
 Si rebus viuientium interessent animae mortuorum, & ipsae nos quando
 eas videmus, alloquerentur in somnis. vt de alijs taceam, me ipsum pia mater nulla
 nocte desereret, quae terra marique secuta est, vt mecum viueret. absit enim vt fa-
 cta sit vita felicior crudelis vsque, adeo, vt cum aliquid angit cor meum, nec tristem fi-
 lium consoletur, quae dilexit vnice, quae nunquam voluit maestum videre. Sed profecto
 quod facer psalmus personat, verum est: Quonia pater meus & mater mea dereli-
 querunt me, dominus autem assumpsit me. Si ergo dereliquerunt nos patres nostri, quo-
 modo nostris curis & rebus intersunt? Si autem parentes non intersunt, qui sunt alij mor-
 tuorum qui nouerunt quid agam, quidve patiamur? Esaias propheta huic videtur fa-
 uere opinioni, dicens, Tu es enim pater noster, quia Abraham nos nesciuit, & Israel
 non cognouit nos. Si tanti patriarchae quid erga populum ex his precreatum ageretur, igno-
 rauerunt, quibus deo creditibus populus ipse de illorum stirpe promissus est, quomodo
 mortui viuorum rebus atque actibus cognoscendis adiuuandisque miscentur? Explicans
 B. iij.

Petrus Lom-
bardus.

Ambrosius.

Augustinus

Augustinus

Psal. 26.

Esa. 63.

Hieronym⁹ Hieronymus locum illum Esaia, dicit, Nescit nos Abraham & ignorat Israel, quia te offendimus. nec cognoscunt filios, quos à deo suo intelligunt non amari. Aliud nescit ratiociniū Augustinus, dicens, Quomodo dicimus eis fuisse consultum qui obierunt antequam venissent mala, quæ illorum obitum cōsecuta sunt, si & post mortē sentiunt quæcunque in vitæ humanæ calamitate cōtingunt? An forte nos errādo ista dicimus, & hos putamus quietos, quos inquieta vita viuorum sollicitat? Quid est ergo quod pijsimo regi Iosia pro magno beneficio promisit deus, quod esset antè moriturus, ne videret mala quæ ventura illi loco & populo minabatur? quæ dei verba ista sunt: Hæc dicit domin⁹ deus Israel, verba mea quæ audisti, & veritus à facie mea cum audisti quæ locutus sum de isto loco, & qui commorantur in eo vt deferatur, & in maledicto sit, & conscidisti vestimenta tua, & fleuisti in conspectu meo, & ego audiui, dixit dominus deus Sabaoth non sic, ecce ego apponā te ad patres tuos, & apponeris cum pace, & non videbunt oculi tui omnia mala quæ ego induco in locum hunc, & qui commorantur in eo. Territus iste dei comminationibus fleuerat, & sua vestimēta consciderat, & sit omnium malorum futurorū de properatura morte securus, quod ita requieturus esset in pace, vt ille omnia nō videret. Ibi ergo sunt spiritus defunctorum, vbi nō vident quæcūque aguntur, aut eueniunt in ista vita hominibus. quomodo ergo vident tumulos suos, aut corpora sua, vtrum abiecta iaceant an sepulta? Quomodo interfunt miseriam viuorum, cū vel sua ipsa mala patiantur, si talia merita contraxerunt: vel in pace, requiescant, sicut huic Iosia promissum est, vbi mala vlla nec patiēdo, nec compatiēdo sustineant, liberati ab omnibus malis quæ patiēdo & compatiēdo cum hic viuerent, sustinebāt? ¶ Sed dicet aliquis, Si nulla est mortuis cura de viuis, quomodo ille diues, qui apud inferos torquebatur, rogabat Abrahā patrem vt mitteret Lazarum ad quinque fratres suos nōdum mortuos, & ageret cum eis, ne venirent & ipsi in eundem tormentorum locum? Sed hunc discutit scrupum Augustinus in eodē libro, capite 14. dicens, Sed nunquid quia hoc ille diues dixit, ideo quid fratres agerent, vel quid paterentur in illo tempore, sciuit? Ita illi fuit cura de viuis, quamuis quid agerent omnino nesciret, quemadmodum est nobis cura de mortuis, quāuis quid agant omnino vtique nesciamus. nam si nihil de mortuis curaremus, nō vtique pro illis deo supplicaremus. Denique Abraham nec Lazarum misit, sed Moysen ac prophetas hic eos habere respondit, quos audire deberent, vt ad illa supplicia non veniret. Sed acrius insultabis, Quomodo Abraham pater, quid hic ageretur nesciebat, vbi tamē sciebat esse Moysen & prophetas, id est, libros eorū quibus homines obediendo, tormenta inferni euitarent? vbi denique nouerat diuitem illum in delicijs, pauperem vero Lazarum in laboribus doloribūsq; vixisse? nā & hoc illi ait, Memēto fili, quia percepisti bona in vita tua, Lazarus autem mala. Sed idem Augustinus in eodem capite, nititur huic satisfacere obiectioni, dicens, Sciebat ergo hæc quæ vtique apud viuos non apud mortuos gesta fuerant, verum nō cum agerentur in viuis, sed eis mortuis potuit Lazaro indicante cognoscere, ne falsum sit quod ait propheta, Abraham nesciuit nos. & quāuis nouerit Mosaiica vaticinia, & prophetarum oracula, nō propterea colliges eum sciuisse, quæ hic aguntur. multa potuit intelligere diuino afflatus spiritu, & ex reuelatione, quæ tamen suo ingenio, suæque secreta mente, dignoscere non potuisset. fatendum est igitur mortuos nescire res viuentium, tamen si possint audire ab his, qui hinc ad illos demigrant, quidnā hic agatur. nec tamen omnia percipiūt, sed quæ decet eos opportune audire. Possunt vt idē scribit Augustinus, libro eodē, capite 15. ab angelis qui rebus quæ hic agūtur, præsto sunt, audire aliquid, quod vnūquemque illorū audire debere iudicat, cui cuncta subiecta sunt. Nisi enim essent angeli qui possent interesse & viuorum & mortuorum locis, non dixisset dominus Iesus, Contigit autem mori inopem illum, & ferri ab angelis in sinū Abrahæ. Possunt etiam spiritus mortuorum aliqua quæ hic agūtur, quæ necessariū est eos nosse, & quæ necessariū non

4. Reg. 22.

Lucæ 16.

est eos non esse, non solum præterita vel præsentia, verum etiam futura à spiritu dei reuelante cognoscere. sicut propheta dum hic viuerent, cognoscebant quæ illis esse reuelanda dei prouidentia iudicaret. Mitti quoque ad viuos, aliquos ex mortuis, sicut e contrario Paulus ex viuis in paradysum raptus est, diuina scriptura testatur. Nam Samuel propheta defunctus, viuo Sauli etiam regi futura prædixit, quamuis nonnulli non ipsum fuisse, qui potuisset magicis artibus euocari, sed aliquem spiritum tam malis operibus congruentem illius existiment similitudinem figurasse. Cum liber Ecclesiasticus, quē Iesus filius Sirach scripsisse traditur, & propter eloquij nonnullam similitudinem Salomonis pronuntiat, contineat in laude patrum, quod Samuel etiam mortuus prophetauerit. Sed si huic libro ex Hebræorum (quia in eo non est) canone cōtradicitur, quid de Moysē dicturi sumus, qui certē & in Deuteronomio mortuus, & in Euangelio cum Helia qui mortuus non est, legitur apparuisse viuentibus? Quid igitur subsannant quidam Germani hæresum fontes turbidissimi, & hiantibus labris cachinnatur, delirium esse & meracissimum commentum, animas ad nos reuerti? quasi vero non putent deum posse sua benignitate & clementia efficere, vt anima densissimis incarcerata tenebris, denuntiet hominibus agendam penitentiam, aut pro se apud deum fundendas esse preces. Vulgatissimum est, quod 2. Machabæorū 15. cap. scribitur de Onia, qui dum viueret summus sacerdos & sanctitate spectabilis, post mortem suam orantis speciem præ se ferens, apparuit Iudæ Machabæo inuito pugnam contra sacrilegum Nicanorem: & in hac visione etiam sanctus propheta Hieremias astutit focus Oniæ, & exhibuit Iudæ gladium aureum tanquā futuræ victoriæ pignus. Adde quod beatus Gregorius scribit libro quarto suorum Dialogorum, cap. 40. Pascasium diaconum Romanum, & alios nonnullos apparuisse viuentibus post mortem, & ab eis sacræ oblationis atque orationum suffragia postulasse. Sed plura de hac re aliubi efferentur. ¶ Sed vt aliquando vnde digressi sumus, redeamus, luctabimur & alia ratione qua luctatur Augustinus in eodem opusculo, cap. 16. ad probandum mortuos non nescire quid agant viui: Martyres ipsis beneficijs quæ dantur orantibus, indicant se interesse rebus humanis, quod haud dubiè fieri non posset, si mortui essent prorsus inscij eorum quæ hic aguntur. Nec solum beneficiorum effectibus, verum etiam ipsis hominum aspectibus fatetur August. Felicem confessorum apparuisse, cum à barbaris Nola oppugnaretur. Sed ad hæc diluenda respondet: Ista diuinitus exhibentur, longè aliter quàm sese habet vfitatus ordo singulis creaturarum generibus attributus. Non enim quia in vinum aqua, cum voluit dominus, repente conuersa est, ideo non debemus quid aqua valeat in elementorum ordine proprio, ab istius diuini operis raritate, vel potius singularitate discernere. Nec quoniam Lazarus resurrexit, ideo mortuus omnis quando vult surgit, aut eo modo exanimis à viuente, quomodo à vigilante dormiens excitatur. Alij itaque sunt humanarum limites rerum, alia diuinarum signa virtutum, alia sunt quæ naturaliter, alia quæ mirabiliter fiunt. quamuis & natura deus affit, vt sint, & miraculis natura nō desit. Non igitur ideo putandum est viuorum rebus quoslibet interesse posse defunctos, quoniam quibusdam sanandis vel adiuuandis martyres affunt: sed ideo potius intelligendum est, quod per diuinam potentiam martyres viuorum rebus interfunt, quoniam defuncti per naturam propriam viuorum rebus interesse non possunt. Accedit propemodum huic Augustinianæ sententiæ, Beatus Thomas 1. parte Summæ, quæst. 89. arti. 8. vbi dicit, anima separata, cognoscit singularia, quatenus quodam modo determinata est ad illa, vel per vestigium alicuius præcedentis cognitionis seu affectationis, vel per ordinationem diuinam. Sunt enim semotæ à viuentium consortio, & coniunctæ conuersationi spiritualium substantiarū, ideo quæ apud nos aguntur ignorant. Et con-

2. Corit. 12.

1. Reg. 28.

Eccle. 4.6.

Deuter. 34.

Matt. 17.

2. Machab. 15

Gregorius.

Ioan. 2.

Thomas.

Gregorius.

ne viuentium post eos qualiter disponatur nesciunt: quia vita spiritus longe est à vita carnis: & sicut corporea atque incorporea diuersa sunt genera, ita sunt distincta cognitione. Sed asserit Augustinum, quantum ad animas beatorum, dissentire à Gregorio, quòd sentiat Gregorius animas sanctorum non ignorare quæ foris aguntur. Si enim omnipotentis dei claritatem videant, nullo modo credendum est, quòd ignorent quæ foris aguntur. Augustinus verò dicit, mortuos sanctos nescire quid agant viui. Si tamen diligenter & ad amissim perpendit, quæ nunc protulimus ex Augustino in opere de Cura pro mortuis gerenda, cap. 16. planè intellexit martyres per diuinam potentiam & reuelationem interesse rebus viuentium, licet per naturam propriam non intersint. Nec putandū est Gregorium opinari cōtrarium. Certum est sanctorum animas æterna felicitàte fruente, rebus viuentium se ingerere, quatenus iustitiæ diuinæ dispositio exigit, nec secus. Iob enim 14. dicitur, Siue fuerint filij eius nobiles siue ignobiles, non intelliget. Quem locum explicans Glossa ordinaria, inquit, Sicut enim viuentes, mortuorum animæ quo loco habentur, ignorant: ita mortui qui carnaliter vixerunt, vitam in carne positorum qualiter post eos disponatur, nesciunt.

CAPVT X.

ADAM non est natus in paradiso, sed illuc translatus, imò nec natus, qui si non deliquisset, fuisset sanè immortalis.] Huiusce assertionis primæ parti arridet Tertullianus, libro 2. aduersus Marcionem, vbi inquit, Nemo hominum in paradiso dei natus est, ne ipse quidem Adam, translatus potius illuc, nec cum Cherubin positus in monte sancto dei, id est, in sublimitate cælesti, de qua Satanas dominus quoque decidisse testatur, nec inter lapides igneos demoratus, inter gemmantes syderum ardentium radios: vnde etiam quasi fulgur deiectus est Satanas. Assentitur & secundæ parti Augustinus, sermone 16. in Natali domini, vbi sic loquitur: Primus enim homo, quo cadente omnes cecidimus, cuius ruina est mortalitas nostra, non est natus sed factus, patre nullo, nulla matre, sed deo operante. Hæc est hominis prima conditio, Adam de terra. Secunda conditio est hominis, qua creauit foemina de latere viri. Tertia conditio est hominis, qua natus est homo ex viro & foemina. Quarta conditio est dei & hominis, qua natus est Christus sine viro de foemina. Idem sentit Damascenus, libro 1. suæ Theologiæ, cap. 9. vbi dicit: Adam est ingenitus, plasma enim dei est. Et Seth genitus, nam filius Adam. Et Eua ex costâ Adam procedens: non enim ipsa genita est, neque ipsi natura differunt (homines enim sunt) sed subsistentiæ modo. Et vrget sanè ratio ad probandū Adam esse ingenitum. Omne quippe genitum ex substantia alterius specie consimilis emanauit. Sed Adam non emanauit ex substantia alterius. Nam Genesios 2. cap. dicitur: Formauit dominus deus hominem de limo terræ. Adam igitur non est genitus. Glossa ordinaria explicans locum illum, Formauit hominem de limo terræ, dicit: Iussit verbo suo hominem fieri de limo terræ, nulla tamen feminum commixtio reperta est in huiusmodi factura, nec foemina quæ sanguinem suppeditaret. Sed quòd fuerit translatus in paradysum, indicat textus Genesios. Sic enim habet litera: Plantauerat autè dominus deus paradysum voluptatis à principio, in quo posuit hominem quem formauerat. nec exprimit Adam factum in paradiso, sed positū à deo. & ex contextu, primo obtutu quis colliget nec imperite, deum prius plantasse paradysum voluptatis, quàm quòd iussisset Adam accersiri ad locum illum amœnissimum. Nam dicitur, Plantauerat dominus deus paradysum voluptatis à principio. nec absurdè desumes ex illo loco, Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum. Et in eadem historia dicitur: Istæ sunt generationes cæli & terræ, quando creatæ sunt in die, quo fecit dominus deus cælum & terram, & omne virtutum agri antequam oriretur in terra, omnemq; herbam regionis priusquàm germinaret. Et in eodem capite apertissimè ostenditur, dominū deum posuisse Adam

in paradiso. Nam dicitur, Tulit ergo dominus deus hominem, & posuit eum in paradysum voluptatis, vt operaretur & custodiret illum. ¶ Nec erit obscurum comprobare cum ex sacris literis, tum ex doctissimis interpretibus, tertiam partem nostræ assertionis videlicet, quòd Adam si non deliquisset, fuisset immortalis. Genesios 2. cap. scribitur: Ex omni ligno paradysi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas: in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris. Ex quo colligam, argumento probabili, Adam non moriturum, beneficio saltem diuino, si abstinuisset ab esu ligni veriti. Et Genesios 3. cap. Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum. nunc ergo ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum. Fuisset igitur immortalis ex ligno vitæ, hoc est ex gratia dei, & non conditione naturæ, vt scite exponunt interpretes. In hanc descendit sententiam Augustinus, libro 6. in Genesim, cap. 25. vbi dicit, Adam antequam peccasset, habuisse corpus mortale & immortale. Mortale, quia poterat mori, ex conditione corporis animalis: immortale, quòd poterat non mori, & hoc ex beneficio conditoris. Aliter si omnino fuisset immortalis, omnino fuisset spiritualis, quod est absurdum. Nam si fuisset omnino spiritualis, nullo modo potuisset delinquere. Et licet mente fuerit spiritualis, non tamen desumendū est eum nō potuisse in scelus ruere. Nam dicit Paulus ad Gala. 6. Fratres si preoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, intendens teipsum ne & tu tenteris. Et vsque adeo delictum Adæ, hominis naturam vulnerauit & læsit acerbè, à quo nemo non sentit maximam iacturam, vt solo illo scelere simus morti obnoxij. Quod planè indicat Paulus ad Romanos, dicens: Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Sanè potuerunt Adam & Eua agnoscere ante ruinam, integritatem suæ naturæ, illibatam virginitatē, & omnem corporis & animi munditiem, post lapsum experti sunt matrimonij infortunia, molestias, & durissimas afflictiones. Hinc Hieronymus epistola prima aduersus Iouinianum, dicit: Adam & Eua ante offensam in paradiso virgines fuerunt, post peccatum autem & extra paradysum nuptiæ. Cum enim in Genesi dicitur, Replete terram, cōsideranda est vis verbi, replete terram. Nuptiæ terram replent, virginitas paradysum. Et huiusce delicti venenum transfusum est ad animam vsque, vt mortalis dicatur, & morti subdita, non quòd eius substantia desinat esse, sed quòd in vitia admittenda procliuis sit, ex quibus enascitur mors spiritalis, & demigrat ex vita spiritali ad mortem spiritalem. Nec nobis aduersatur diuus Gregorius, lib. 4. Dialogorum, cap. 45. vbi testatur animam hominis esse mortalem & immortalem. Mortalem quidem, quia beatè viuere amittit. Immortalem, quia essentialiter viuere nunquàm desinit, & naturæ suæ vitam perdere non valet, nec cum in perpetua fuerit morte damnata. Et licet Adam ante casum fuerit immortalis, non tamen sic fuit immortalis, vt nullo modo potuisset mori, vt negatio in nomine immortalis inclusa, negat omnem mortalitatem (vt sic loquar). Sed erat immortalis, quia poterat non mori, diuino quidem munere à morte eripiendus. Longè dissident eæ propositiones, Potest non mori, & non potest mori. Vnde Augustinus, libro eodem citato, in Genesim, eodemq; capite, dicit: Aliud est enim non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creauit deus: aliud est autem posse non mori. secundum quem modum primus creatus est homo immortalis, quod ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ, à quo ligno separatus est cum peccasset, vt posset mori: qui nisi peccasset, posset non mori. Dicunt quidam Doctores scholastici, immortalitatem Adæ in statu innocentie fuisse quodam modo naturalem: quia quanto complexio est fortior, & cibus melior, & aer purior, tanto potest naturaliter vita esse diuturnior. Sed in suauissimis paradysi delicijs temperamentum naturæ fuisset fortissimum, cibus optimus, & saluberrimus, & tranquillitas aeris ac clementia cæli

Gene. 2.

Genesis 2.

Genesis 3.

Augustinus.

Ad Gala. 6.

Roma. 5.

Hieronymus.

Genesis 1.

Gregorius.

temperatissima. Hæc autem validissima naturæ præsidia nõ ignauiter obstiterunt morti, neque accidisset distemperamentum caloris & frigoris: quare ætas Adæ & Eux potuit esse in illo statu felicissimo diuturnissima, donec ad alium statum transferretur, scilicet ad statum beatorum, non tamen illa immortalitas fuisset omnino naturalis: quia non potuit ex causis purè naturalibus provenire, sed opus erat diuina prouidentia protegente naturam hominis ab omnibus incurfionibus mortis, & insidijs infestissimis. ¶ Sed dicit aliquis, Christus quatenus homo habuit necessitatem naturalem moriendi, ergo à fortiori Adam etiã pro statu naturæ integro. Nam Christus quatenus homo longè erat perfectior Adam, cum illi non fuerit data ad mensuram gratia, Adæ vero data fuit ad mensuram, etiam humanitas Christi erat coniuncta diuinitati, & vnita supposito infinito siue infinitæ perfectionis: non autem humanitas Adæ. quòd si Adam pro tali statu habuerit necessitatem naturalem moriendi, quomodo igitur habuit quodam modo immortalitatem naturalem? imò videtur quòd nullo modo habuit immortalitatem naturalem, cum eius natura fuerit subdita morti, & habuerit ex Augustino (vt dictum est) conditionem corporis animalis. sed si immortalitatem habuerit, illa fuit beneficio dei concessa, & non natua. Sed probo antecedens illius succincti argumenti, Christus quatenus homo, habebat naturam susceptiuam contrarietatis primarum qualitatum, ex quarum mutua pugna & alteratione, necessario sequitur mors: quare naturalem habuit necessitatem moriendi: quòd si non fuisset adactus cruci, & violenta morte interemptus, tamen secundum naturam defecisset senio, sicut ceteri homines: non tamen habuit necessitatem coactionis moriendi, vt hæc necessitas aduersatur voluntati, saltem diuinæ aut humanæ deliberatiuæ. Hac enim spontanea & vltionea voluntate, se obtulit in aram crucis, & sacrificium pro nobis. Secundum illud Esaiæ, Oblatus est, quia ipse voluit, licet in eo fuerit necessitas coactionis, vt necessarium repugnat inclinationi naturali: quia corpus Christi secundum conditionem propriæ naturæ subiucit violentiæ siue coactioni, clauis perforantis, & flagelli percussantis: etiam voluntate naturali refugit mortem, & corporis nocumenta. Sed forsitan dicerent illi, hæc duo non pugnare, vt dissoluerent rationem illam non infirmam: Adam habuit in statu naturæ integræ immortalitatem quodammodo naturalem, & habuit necessitatem moriendi naturalem. Licet hæc dissiderent & pugnant adinuicem, Adam habuit simpliciter immortalitatem naturalem, & habuit necessitatem moriendi naturalem. Non sum nescius illos concludi istis respondentibus, & ad hanc sacram cõfugere anchoram. Sed non possum hac solutione non indocta abire contentus, neque mihi suadere Adam habuisse quodam modo immortalitatem naturalem. Cum Augustinus dicat planè hanc immortalitatem solum fuisse ex gratia dei & beneficio, & non ex conditione naturæ. Et licet Adam pro tali optimo statu habuisset optimum temperamentum, tamen illi fatentur quòd erat obnoxius qualitibus contrarijs, ex quarum concertatione & alteratione sequitur mors. Adde quòd licet Adam vsus fuisset optimo cibo, puta ligno vitæ, ex quo cõsequuta fuisset immortalitas, hoc tamen ex Augustino erat ex gratia dei, & non ex conditione naturæ. Sed satis est probabili inuento differuisse. Deberent & illi non minus attribuere Christo vt homini, cum in terris agebat, immortalitatem quodam modo naturalem, cui attribuunt necessitatem naturalem moriendi: nisi dicant Christum non fuisse in paradisi delicijs positum, nec eum sub tanta aeris & cæli clementia vixisse, sub quanta vixit Adam. Sed nemo negat Christum habuisse excellentissimum temperamentum, & cum potestatem haberit ponendi animam suam, & iterum eam sumendi, sicut in Euangelio Ioannis ostenditur: Propterea me diligit pater, quia ego pono animam meam, vt iterum sumam eam: nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso: potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. quibus videtur, quòd Christus non habuerit necessitatem moriendi. Adde quòd Augustinus, lib. 13. de Ciui-

Esaiæ 53.

Ioan. 10.

Augustinus.

tate dei, cap. 23. dicit Christum nõ habuisse necessitatem moriendi, sed potestatem: licet acceperit corpus animale. Sed dicerent illi Christum non habuisse necessitatem coactionis moriendi, vt hæc necessitas repugnat voluntati, saltem quantum ad voluntatem diuinam & humanam deliberatiuam, non autem naturalem, quod verum est. Nam voluntariè posuit animam suam, licet habuerit necessitatem naturalem moriendi. Sed nisi distinguatur hæc propositio, Christus habuit necessitatem moriendi, videtur pius offendere aures.

CAPVT XI.

ADAM factus est ad imaginem & similitudinẽ dei, in intellectu, in mente, in interiore homine, nec tamen post peccatum perdidit dei imaginem, tamen si vera imago dei patris sit filius. ¶ Imprimis nemo nescit in Genesi scriptum esse, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs, vniuersaq; terræ, omniq; reptili quod mouetur in terra. Et creauit deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem dei creauit illum, masculum & fœminam creauit eos. Quem locum explicans Augustinus, lib. 3. de Genesi ad literam, cap. 19. dicit expressum à deo ad imaginem & similitudinem nostram, ad insinuandam pluralitatem personarum, propter patrem scilicet, filium, & spiritum sanctum, quam tamen deitatis vnitatem intelligendam statim admonet, dicens: Et fecit deus hominem ad imaginem dei, non quasi pater ad imaginem filij, aut filius ad imaginem patris, alioquin non verè dictum est, ad imaginem nostram, si ad patris solius, aut filij solius imaginem factus est homo. Sed ita dictum, Fecit deus ad imaginem dei, tanquam diceretur, fecit deus ad imaginem suam. Cum autem nunc dicitur ad imaginem dei, cum superius dictum sit, ad imaginem nostram, significatur quòd non id agat illa pluralitas personarum, vt plures deos vel dicamus, vel credamus, vel intelligamus: sed patrem, & filium, & spiritum sanctum, propter quam trinitatem dictum est, ad imaginem nostram, vnum accipiamus deum, propter quod dictum est ad imaginem dei. Edisserens eundem locum beatus Chrysostomus, homilia 8. in idem caput, & præfertim ad sententiam illam, Faciamus hominem ad imaginem siue secundum imaginem nostram, dicit: Hic Arianos tempestiuè perstringit. Non enim imperando dixit, fac vt subdito & inferiori, vel vt minori secundum essentiam, sed par honor declaratur, cum dicit faciamus. Et quod sequitur, magnam substantiæ æqualitatem ostendit. Faciamus enim, ait, hominem secundum imaginem nostram & similitudinem. Iterum hic insurgunt & pullulant hæretici alij, Ecclesiæ dogmata depopulantes, & dicentes: Ecce dicit secundum imaginem nostram. Et inde voluit deo humanam formam tribuere, id quod extremi fuerit stuporis, vt is qui forma specieiq; caret, & nulli alterationi obnoxius est, sub humanam redigatur formam, & incorporeo mēbra & liniamenta attribuantur. Verum depulsa hac infania, interiectis tamen quibusdam verbis ad intelligentiam textus parum conducentibus, sed ad detrudendam & reprimendam illorum stultitiam & arrogantiam, dicit: Neque enim cum dixit, Faciamus hominem secundum imaginem nostram, & secundum similitudinem, hic sermonem finiuit, sed per ea quæ adiungit, manifestum nobis facit, quo sensu nomen imaginis posuerit. Quid enim dicit? & dominetur piscibus maris, & volatilibus cæli, & omnibus reptilibus super terram. Imaginem ergo dixit de principatu & dominio, non de aliquo alio: quia deus fecit hominem principem omnium quæ sunt super terram, & nihil super terram homine maius est, & omnia sub potestate illius sunt. Hactenus Chrysostomus. Plura excute si voles in eadem homilia. Sed quòd homo factus sit ad imaginem & similitudinẽ dei, in intellectu, in mente, in interiore homine, ex Augustino desumitur tractatu 8. in 4. caput, 1. epistolæ Ioannis, ad locum illum, Deum nemo vidit vnquã, &c. Vbi cum ostendisset naturalem potestatem hominis, in ea quæ sunt super terram, eo quòd factus est ad imaginem dei, subnectit forma interrogantis accinctus: Vbi autem

Genesis 1.

Augustinus.

Chrysosto.

Augustinus.

1. Ioan. 4.

factus est ad imaginem dei? In intellectu, inquit, in mente, in interiore homine, in eo quod intelligit veritatem, diiudicat iustitiam & iniustitiam, nouit à quo factus est, potest intelligere creatorem suum, laudare creatorem suum. Habet hanc intelligentiam, qui habet prudentiam: ideo multi cum per cupiditates malas dederent in se imaginem dei, & ipsam quodammodo flammam intelligentiæ perueritate morum extinguerent, clamat illis scriptura: Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, hoc est dicere, præposui te equo & mulo, te ad imaginem meam feci, potestatem tibi super ista dedi. Quare? Quia non habent feræ rationalem mentem, tu autem rationali mente capis veritatem, intelligis quod supra te est, subdere ei qui supra te est, & infra te erunt illa quibus præpositus es. Quia vero per peccatum homo deseruit eum, sub quo esse debuit, subditus est eis supra quæ esse debuit. Vocat aliquando Augustinus imaginem & similitudinem dei, virtutem rationis & intelligentiæ. Nam libro decimotertio Confessionum, capite 32. dicit: Videmus terrenis animalibus faciem terræ decorari, hominemque ad imaginem & similitudinem tuam cunctis irrationabilibus animantibus ipsa tua imagine ac similitudine, hoc est rationis & intelligentiæ virtute præponi. Et quemadmodum in eius anima, aliud est quod consulendo dominatur, aliud quod subditur vt obtemperet: sic viro factam esse etiam corporaliter feminam, quæ haberet quidem in mente rationalis intelligentiæ partem naturam: sexu tamen corporis, ita masculino sexui subijceretur, quemadmodum subijcitur appetitus actionis ad concipiendam de ratione mentis rectè agendi solertiam. Ex his Augustini verbis facile possumus connectere duos locos sacræ scripturæ, qui videntur pugnare: quorum alter in publicum iam est adductus ex Genesi, Fecit deus hominem, ad imaginem dei fecit eum, masculinum & feminam fecit eos. Ad imaginem dei quippe naturam ipsam humanam factam dicit, quæ sexu utroque completur, nec ab intelligenda imagine dei separat feminam. Et tamen Paulus dicit ad Corinthios, Vir quidem non debet velare caput suum, quoniam imago & gloria dei est: mulier autem gloria viri est. ex quo coniectabis virum esse imaginem dei, & ob hanc causam non debere caput suum velare. Mulierem verò non esse imaginem dei, ideo velat caput suum. Sed iam dictum est, mulierem esse imaginem dei, quatenus præstat & donata est rationalis intelligentiæ natura. Idem explicat Augustinus libro duodecimo de Trinitate, capite septimo, vbi dicit mulierem cum viro esse imaginem dei, si spectemus naturam humanæ mentis, vt vna imago sit tota illa substantia. Cum autem ad adiutorium distribuitur, quod ad eam ipsam solam attinet, non est imago dei: quod autem ad virum solum attinet, imago dei est, tam plena atque integra, quam in vnum coniuncta muliere. & paulò post, Ex qua parte conspectam consulit veritatem, imago dei est: ex qua verò intenditur in agenda inferiora, non est imago dei. Et libro vno contra Adimantum Manichæi discipulum, capite quinto, dicit hominem factum ad imaginem dei, non secundum veteritatem peccati quæ corrumpitur, sed secundum spiritalem conformationem: & hoc approbat ex Paulo ad Colossenses: Expoliantes vos veterem hominem cum actibus eius, induite nouum qui renouatur in agnitione dei secundum imaginem eius qui creauit eum. Filij ergo dei sunt homines renouati ad eius imaginem, & ei similes facti vsque ad dilectionem inimici. ¶ Secunda assertionis pars, scilicet Adam post peccatum non perdidit dei imaginem, probatur, Epiphanius Salaminiæ Cypri Episcopus, Epistola ad Ioannem Episcopum Hierosolymitanum, quam Hieronymus è Græca Latinam fecit, & habetur Tomo secundo Epistolarum Hieronymi, dicit Origenem inter multa mala afferuisse, Adam perdidisse dei imaginem, cum tamen in nullo sacræ scripturæ loco id reperitur. Si autem ita esset, nunquam omnia quæ in mundo sunt feruissent semini Adam, id est, vniuerso generi hominum, sicut & Iacobus apostolus loquitur: Omnia domantur, & subiecta sunt humanæ naturæ. Nunquam enim vniuersa subiecta essent hominibus, si non haberent homines iuxta id quod vni-

uersis imperarent, imaginem dei. Coniungens autem atque consocians scriptura diuinam gratiam benedictionis, quam Adam donauerat, & generationibus quæ ex eo erant, ne qui forsitan maligna interpretatione auderent dicere vni datam gratiam dei, & illum solum factum ad imaginem dei: quia plasmatus esset ex humo, & uxorem eius, quam creasset de costa viri: eos verò qui conciperentur in utero, & non ita nascerentur vt Adam, dei non habere imaginem, statim per ordinem iungit & dicit: Et vixit Adam centum triginta annis, & cognouit eam uxorem suam, & peperit ei filium iuxta speciem, & iuxta imaginem eius, & vocauit nomen eius Seth. Rursusque in decima generatione post annos bis mille ducentos sexaginta duos, vindicans deus imaginem suam, & ostendens quod gratia, quam dedisset hominibus perseveraret in eis, ait: Ne comederitis carnem in sanguine, ego enim vlciscar sanguinem vestrum de manu omnis hominis effudentis illum: quia ad imaginem dei feci hominem. Necnon post alteras decem generationes vsque ad Abraham, & ab Abraham vsque ad Dauid alias generationes quatuordecim, quæ viginti quatuor generationes simul faciunt bis mille centum decem & septem. Spiritus sanctus in 38. psalmo, cum quereretur de omnibus hominibus, quod in vanitate ambularet, & peccatis essent obnoxij, loquitur: Veruntamen in imagine perambulat omnis homo. Hactenus ille. Quod si Origenes sumpsit imaginem pro ea significatione, qua substantiam significat, manifestus est error Origenis. Nam si in demonibus, quorum peccatum multo fuit grauius Adæ delicto, naturalia (teste diuo Dionysio) manserint integra, multo magis in primo homine. Adde quod si peccatum aliquid subtraheret de natura, crebrescentibus peccatis, tandem ipsa peccata totam animam naturam consumerent. Victorinus Afer, à quo Hieronymus rhetoricen didicit, in ea disputatione, quam aduersus Arrium scripsit, lib. 1. differens illud Genesios, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, sic ait: Aliud igitur est iuxta imaginem esse, quod quidem substantia est, aliud iuxta similitudinem esse, quod non est substantia, sed in substantia nomen qualitatis declaratum. Sed sicut deum, sic & imaginem, hoc est Christum substantiam accepimus: perfectionem autem iuxta quale significatiuum intelligimus. Et si simile quale significat necessario, quomodo dicimus animam rationalem esse, & perfectè rationalem iuxta similitudinem perfectionis in deo? Perfectam ergo esse animam iuxta imaginem nunc & in mundo: iuxta similitudinem autem postea fide in deum, & in Iesum Christum, qualis esset futura si Adam non peccasset. In quo igitur rationalis est, ad rationem iuxta imaginem est, in quo futura perfecta est, secundum similitudinem. Hactenus Victorinus. Ex quibus verbis notum euadit imaginem maximè distare à similitudine, Adamque similitudinem perdidisse, non autem imaginem. Nec anima peccatrix, desinit esse imago dei. Ad dei autem similitudinem nisi sancta fuerit, non peruenit. Verum attende sacram scripturam non semper sumere imaginem, vt dictum est: sed loco similitudinis, & vt puritatem mentis per se dem in Christum, indicat. Vnde Paulus ad Colossenses 3. vt iam fuit locus citatus, inquit: Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum, qui renouatur, in agnitionem secundum imaginem eius qui creauit illum. Ex quo loco manifestum est Paulum distinxisse veterem hominem à nouo. vt vetus homo qui ad peccatum pertinet, non habeat imaginem dei, quia bonitate caret: nouus autem homo qui ad gratiam per Christum recuperatam pertinet, gerat dei imaginem, vt exponit Alphonfus à Castro, lib. 2. aduersus hæreses, errore 2. de Adam & Eua, quod planè videtur sentire Augustinus, libro vno contra Adimantum Manichæi discipulum, cap. 5. vbi dicit, Admonet Apostolus, vt exuti consuetudine peccatorum, id est, veteri homine, induamur noua vita Christi, quem nouum hominem appellat. Et vt doceat hoc nos aliquando amisisse, renouationem illam vocat. Sed coniecto Augustinum duntaxat voluisse innuere nos amisisse perfectionem illius imaginis, & non omnino illam imaginem, quæ in sordes etiam spurcissimas proie-

Psal. 31.

1. Corint. 11.

Coloss. 3.

Epiphanius:

Iaco. 3.

Gen. 5.

Psal. 38.

Victorinus.

Alphonfus
à Castro.

eta, & luculento voluptatum omnium ceno volutata, non desijt esse imago, licet eius candor & pulchritudo, vitiorum facibus obscuretur, & obtegatur. Nam dicit libro primo Retractionum, cap. 26. Cum exponere in opere 83. questionum, questione 67. quod scriptum est: Et ipsa creatura liberabitur a seruitute interitus, dixi: Et ipsa creatura, id est, ipse homo cum iam signaculo imaginis propter peccatum amisso, remansit tantummodo creatura. Quod non ita accipiendum est, quasi totum amiserit homo quod habebat imaginis dei. Nam si omnino amisset, non esset propter quod diceretur, Reformamini in nouitate mentis vestrae. Et in eandem imaginem transformamur. Sed rursum si totum amisset, nihil maneret. Vnde diceretur, Quamquam in imagine ambulet homo, tamen vanè conturbatur. Et lib. 1. de Genesi contra Manichaeos, cap. 18. dicit: Aliquando solent dicere, Quomodo accepit homo potestatem piscium maris, & volatiliu caeli, & omnium pecorum & ferarum, cum videamus a multis feris homines occidi, & a multis volatilibus nobis noceri, quae volumus, vel vitare, vel capere, & plerumque non posse? Quomodo ergo in hac accepimus potestatem? Hic illis primò dicendum est, quòd multum errent, qui post peccatum non confiderent hominem, cum in huius vitae mortalitate damnatus est, & amisit perfectionem illam, qua factus est ad imaginem dei. Sed si dominatio eius tantum valet, ut tam multis pecoribus imperet: quauis enim a multis feris propter fragilitatem corporis possit occidi, a nullis tamen domari potest, cum ipse tam multas & prope omnes domet. Si ergo hac hominis dominatio tantum valet, quid de regno eius cogitandum est, quod ei renouato & liberato diuina voce promittitur? Sed Ambrosius exponens illum Pauli locum ad Colossenses citatum, dicit hanc imaginem in conuersatione bonae vitae esse intelligendam. Sicut dicit Paulus ad Corinthios: Quomodo portauimus imaginem eius qui de terra est, ita & portemus imaginem illius qui de caelo est. Ipse est ergo creator hominis, cuius imaginem portare nos iubet in sanctitate & bonis operibus, quae de filij dei agnitione descendit. Sed sumit Ambrosius (ut diuinare possum) imaginem pro excellentia & perfectione imaginis. Tertia pars assertionis, est Augustini, libro vno de vera religione, capite 43. vbi dicit: Quia summè vnus est pater veritatis, pater suae sapientiae, quae nulla ex parte dissimilis, similitudo eius dicta est & imago, quia de ipso est. Itaque filius rectè dicitur ex ipso, caetera per ipsum. Et libro 1. Retractionum, cap. 26. Quod dixi, inquit, libro 83. questionum, questione 51. Neque in scite distinguitur, quòd aliud sit imago & similitudo dei: qui etiam filius dicitur: aliud ad imaginem & similitudinem dei, sicut hominem factum accepimus. Quod non ita intelligendum est, quasi homo non dicatur imago dei, cum dicat Apostolus: Vir quidem non debet velare caput, cum sit imago & gloria dei, sed dicitur etiam ad imaginem dei, quod vnigenitus non dicitur, qui tantummodo imago est, non ad imaginem. Damascenus etiam libro 1. suae Theologiae, cap. 18. dicit: Sicut filius dei est imago patris, ita spiritus sanctus est imago filij, medius ingenti & geniti, & per filium patri coniunctus. Diligenter annotauit sanctus Thomas 1. parte suae Summae, questione 93. articulo 1. discrimen inter imaginem & similitudinem. Nam omnis imago est similitudo, non tamen omnis similitudo est imago proprie, licet abusuè, ut dicit Augustinus, libro vno 83. questionum, questione 51. Addit enim imago nonnihil supra rationem similitudinis, scilicet quòd sit ex alio expressum. Vnde ouum quantumuis sit alteri ouo simile & aequale, quia tamen non est expressum ex illo, non dicitur ad imaginem eius. Et quia in homine inuenitur aliqua dei similitudo, quae emanat a deo sicut ab exemplari, licet non sit similitudo secundum aequalitatem: quia in infinitum excedit hoc exemplar tale exemplatum, siue id cuius est, ideo in homine est imago dei, non tamen perfecta, sed imperfecta. Ideo potius homo dicitur esse factus ad imaginem dei, quam sit imago dei. Et articulo 3. dicit angelum magis esse ad imaginem dei, quam hominem: quantum ad id in quo primò consideratur ratio imaginis, quae est natura intellectualis, quae est perfectior in angelis, quam in hominibus. Sed homo magis accedit ad imaginem dei, quam angelus:

Roma. 8.

Roma. 12.
2. Corin. 3.
Psal. 38.

Ambrosius.

1. Corin. 15.

Augustinus.

Damascen.

quantum ad id, in quo secundario consideratur imago, quatenus in homine inuenitur quaedam dei imitatio, in quantum homo est de homine, sicut deus de deo. Et hoc modo intelligendum est illud Augustini in Sermone de imagine, quòd deus nulli alij creaturae dedit, quòd sit ad imaginem suam, nisi homini. Et libro 83. questionum, questione 51. Spiritus hominis qui est ad imaginem dei factus, in quo est intelligentia veritatis, haeret veritati nulla interposita creatura.

CAPVT XII.

Adam non est seductus, peccauit tamen superbia & inobedientia, imò idololatria, & quodam modo grauius, quam Eua.] Primae parti huius assertionis suffragatur Paulus ad Timotheum, dicens: Adam non est seductus: mulier autem seducta in prauaricatione fuit. Quomodo locum explicans Chrysostomus, homilia nona, dicit: Quomodo vero modo Adam non est seductus? Ergo neque inobediens fuit, siquidem seductus non est. Nempe mulier quidem crimen excusans, ait: Serpens decepit me: Adam verò non ait, Mulier decepit me, sed dedit mihi de ligno, & comedi. Par autem profecto non est, ab ea quae sibi generis societate iugeretur decipi, & a bestia quae seruituti hominis fuisset addicta: illud igitur seductio potius, ac verius dici potest. Sed ad plenam & apertam Pauli intelligentiam, posito argumento subnectit: Ad comparationem ergo mulieris, dicit illum non fuisse seductum: illa quippe ab irrationali animante decepta est. Hic autem a libera muliere, & sibi naturae copulata ratione, rursum non dicitur de Adam, vidit lignum, quia bonum ad comedendum est, sed de muliere tantummodo. Comedit enim, inquit, & dedit viro suo. Nò igitur iste concupiscentiae cedens, sed obtèperans mulieri, prauaricatus est. Nec desectit à Chrysostomo Augustinus, explicans lib. 14. de Ciuitate dei, cap. 11. quoniam pacto Adam non est seductus, & subinde in quo fuerit seductus. Credendum est, inquit, illum virum suae foeminae, vni vnū, hominem homini, coniugem coniugem, ad dei legem transgrediendam, non tanquam verum loquentem credidisse seductum, sed sociali necessitudine paruissè. Nò enim frustra dixit Apostolus, Adam non est seductus, mulier autem seducta est: nisi quia illa quod ei serpens locutus est, tanquam verum esset accepit: ille autem noluit ab vnico confortio dirimi, nec in comunione peccatis: nec ideo minus reus, si sciens, prudensque, peccauit. Vnde & Apostolus nò ait, nò peccauit, sed nò est seductus. Nam vtique ipsum peccasse ostendit, vbi dicit: Per vnū hominem intrauit peccatum in mundum: & paulò post aperti. In similitudinem, inquit, prauaricationis Adae. Hos autem seductos intelligi voluit, qui id quod faciunt, non putant esse peccatum, ille autem sciuit. Alioqui quomodo verum erit, Adam non est seductus? Sed inexpertus diuinæ seueritatis in eo falli potuit, ut veniale crederet esse commissum: ac per hoc in eo quidem, quo mulier seducta est, nò est ille seductus: & in hoc, sentit Augustinus cum Chrysostomo. Deinde subnectit, Sed eum sefellit, quomodo fuerat iudicandum quod erat dicturus, Mulier quam dediisti mihi sociam, ipsa mihi dedit, & manducaui. Quid ergo opus est pluribus? Et si credendo non sunt ambo decepti, peccado tamè ambo capri sunt, & diaboli laqueis implicati. Et libro 11. de littera ad Genesim, cap. 42. rem istam fusius explicans, dicit: Sicut Salomon vir summè sapientiae, in simulachrorum cultu nò credidit aliquid esse vtilitatis, sed mulierum amori ad hoc malum trahenti resistere non eualuit, faciens quod sciebat non esse faciendum, ne suas quibus deperibat atque diffuebat, mortiferas delicias contristaret. Ita & Adam posteaquam de ligno prohibito seducta mulier manducauit, eiq; dedit vt simul ederent, noluit eam contristare, quam credebat posse, sine suo solatio contabescere, si ab eius alienaretur animo, & omnino illa interire discordia. Non quidem carnis victus concupiscentia, quam nondum senserat in resistente lege membrorum legi mentis suae, sed amicabilem quadam beneuolentia, qua plerumque fit vt offendatur deus, ne homo ex amico fiat inimicus: quod eum facere non debuissè, diuinæ sententiae iustus exitus indicauit. Ergo alio quodam modo etiam ipse deceptus est: sed dolo illo serpèntino, quo mulier seducta est, nullo modo illum arbitror potuisse

1. Timot. 2.

Chrysosto.

Gen. 3.

Augustinus

Roma. 5.

3. Reg. 11.

Cij.

seduci in illo modo quo illa potuit. Hanc autem proprie seductionem appellauit Apostolus, qua id quod suadebatur, cum falsum esset, verum esse putatum est, id est, quod deus ideo lignum illud tangere prohibuerit, quod sciebat eos si tetigissent, velut deos futuros: tanquam eis diuinitatem inuideret, qui eos homines fecerat. Sed etiam si virum propter aliquam mentis elationem, quae deum interiorum scrutatorem latere non poterat, sollicitauit aliqua experiendi cupiditas, cum mulierem videret accepta illa esca non esse mortuam: non tamen eum arbitror, si iam spiritali mente praeditus erat, villo modo credere potuisse, quod eos deus ab esca illius ligni inuidendo vetuisset, sed persuasum est illud peccatum, sicut persuaderi talibus posset. Haecenus ille. Nec mirum si Adam ob suum scelus exulauerit à paradiso, à quo eum draco siue diabolus deiecit, vt idem Augustinus testatur, Tractatu decimo in Euangelium Ioannis, quod si humiliter se accusasset, & in authorem suum culpam non retorisset, à paradiso non exulasset, vt vult idem Augustinus Tomo decimo, Sermone tertio de Annuntiatione dominica. Lyranus ad locum Pauli citatum, dicit: Adam non est seductus in hoc, quod crederet esse verum serpentis dictum, Eritis sicut dii: fuit tamen seductus in hoc, quod ad exhortationem mulieris comedit de ligno verito, ne contristaret eam, & quia credidit illam transgressionem non sic esse puniendam. Sanctus Thomas enarrans eundem locum, sic philosophatur: Adam non est seductus scilicet primo, quia fortior erat, sed tentator inccepit à debiliore, vt facilius seduceretur fortior. Sed cursum annotat duplicem seductionem: In vniuersali scilicet & particulari eligibili, quae est ignorantia electionis. Quicumque ergo peccat, seducitur ignorantia electionis in particulari eligibili: mulier autem fuit seducta ignorantia in vniuersali, quando scilicet credidit, quod serpens dixit: sed vir non credidit hoc, sed deceptus fuit in particulari, scilicet quod gerendus esset mos vxori, & cum ea comedere deberet, & inexpertus diuinæ feueritatis, credidit quod facile ei remitteretur. ¶ Sed dices: Cum ignorantia sit poena peccati, videtur poena praecessisse culpam. Sed hanc obiectiuinculam diluit, negando poenam praecessisse culpam: quia statim ad verba serpentis fuit elata, eo quod alius esset de ea sollicitus, & ex illa elatione seducta est: vnde elatio praecessit. ¶ Secunda assertionis partem, scilicet quod Adam peccauit superbia, & inobedientia, defendit Augustinus libro decimoquarto de Ciuitate dei, capite decimotertio, vbi scribit in hunc modum: In occulto mali esse coeperunt, vt in apertam inobedientiam laberentur. Non enim ad malum opus perueniretur, nisi praecessisset mala voluntas. Porro male voluntatis initium quid potuit esse, nisi superbia? Initium enim omnis peccati, superbia est. Quid est autem superbia, nisi peruersa celsitudinis appetitus? Peruersa enim celsitudo est, deserto eo cui debet animus inherere principio, sibi quodam modo fieri atque esse principium. Hoc fit cum sibi nimis placet. Sibi verò ita placet, cum ab illo bono immutabili deficit, quod ei magis placere debuit, quam ipse sibi. Et capite decimoquarto eiusdem libri, ostendit superbiam primorum parentum fuisse maximè detestandam & damnandam: quia in manifestis peccatis, suffugiū excusationis inquirebant. Nam illa dixit: Serpens seduxit me, & manducaui. Et ille dixit: Mulier quam dedisti mihi, haec mihi dedit de ligno, & edi. Sed nusquam hic sonat petitio veniae, nusquam imploratio medicinae. Nam licet isti non sicut Cain, quod commiserunt, negent: adhuc tamen superbia quaerit in alium referre, quod perperam fecit: superbia mulieris, in serpentem: superbia viri, in mulierem. Sed accusatio potius, quam excusatio vera est, vbi mandati diuini est aperta transgressio. Neque enim hoc propterea non fecerunt, quia id mulier serpente suadente, vir muliere imperitiè commisit: quasi quicquid deo, cui vel crederetur, vel cederetur, anteposendum fuerit. Et lib. 11. in Genesim, cap. 5. dicit: Nec arbitrandum est, quod esset hominem deiecerunt iste tentator, nisi praecessisset in anima hominis quaedam elatio comprimenda, vt per humiliationem peccati, quod de se falso praesumpserit, disceret. Verisimè quippe dictum est: Ante ruinam exaltatur cor, & ante gloriam humiliatur. Et huius forte hominis

Lyranus.

Thomas.

Augustinus

Eccl. 10.

Prouer. 16.

vox est in psalmo: Ego dixi in abundantia mea, non mouebo in aeternum. Et Tractatu octauo in 4. caput primae epistolae Ioannis, dicit Adam cecidisse superbia: cecidit etiam auaritia. Nam Paulus dicit ad Timotheum: Radix omnium malorum est auaritia, siue (vt habet nostra translatio) cupiditas. Et explicat Augustinus quidnam sit auarum esse: progredi ultra, quam sufficit. Sed quid auarius illo, cui deus sufficere non potuit? Sed ludit ad metaphoram, & non ad propriam auaritiae rationem, quae censetur inexplebilis cupiditas auri, & argenti, & istorum temporalium bonorum. Vt auaro temporanea sufficere nequeunt bona, neque amplissimae opes: ita nec Adae caelestia, imò nec deus. Quidam Doctores ex eo dicunt Adam deliquisse superbia, quia indecenter, & quadam arrogantia ad finem propriae excellentiae consequendae omnia ordinauerit. Pariter & Eua, sicut subdola demonis pollicitatio ostendit, quae ad transgressionem praeccepti instigauit, dixit enim: Eritis sicut dii. Et licet Adam inobedientia deliquerit, non propterea sequitur primum eius peccatum non fuisse superbia. Paulus ad Romanos indicat eum inobedientia lapsum, dicens: Per inobedientiam vnius hominis, peccatores constituti sunt multi. Et haec inobedientia non erat ex contemptu praeccepti particularis, quo quis specialiter peccat: sed conditio generalis, consequens omne peccatum mortale. Cum enim praecceptum legis, actus, & officia virtutum omnium disponat & ordinet: subinde fit & consentaneum est, vt quodlibet vitium habeat transgressionem praeccepti annexam, & inobedientiam: & hoc modo Adam deliquit inobedientia. ¶ Tertia assertionis pars, est Augustini, in quaestionibus ex nouo testamento, quaestione octuage simatteria, vbi inquit: Cum acerbè peccauerit homo, assentiens ei contra mandatum creatoris, fieri se deum idololatria admittit, per quod in deum peccauerat: ideoque non statim illi debuit subueniri, quippe cum poenituerit. Perspicis igitur ex mente Augustini Adam deliquisse idololatria. Et perpendes eum non solum esse idololatræ, qui loco numinis diuini colit & adorat idolum, sed qui appetit aequalitatem dei impudentissima arrogantia, vesane assentiens demoni se fieri deum. ¶ Quartam partem tutantur plerique Doctores, videlicet quod Adam quodam modo grauius peccauit, quam Eua. Et consulto addidi quodam modo. Nam (vt sumus ostensuri) Eua simpliciter grauius deliquit, quam Adam. Ex Augustino deduci potest, Adam quodam modo grauius deliquisse, quam Euam. Nam libro decimoquarto de Ciuitate dei, capite vndecimo, dicit Euam, quod ei serpens locutus est, tanquam verum esset, accepisse, nec putasse esse peccatum quod fecit. Adam autem non credidit esse verum quod callidè suggillabat hostis perditissimus, & sciuit esse peccatum, quod admisit, & sciens, & prudens peccauit. Eandem comprobatur partem Ambrosius de Institutione virginis, capite quarto argumentis equidem validissimis, vbi praeludens ad argumenta, dicit: Mulier excusationem habet in peccato, vir non habet. Illa (vt scriptura asserit) à sapientissimo omnium serpente decepta est, tu à muliere: id est, illam superior creatura decepit, te inferior. Te enim mulier decepit: illam, malus licet, angelus. Si tu inferiori non potuisti resistere, quomodo illa potuit superiori? Culpa tua illam absoluit. Sed non putes Ambrosium velle innuere culpam Adae abstulisse culpam Euae, sic quod non deliquerit: sed quod forsitan culpa Adae lenijet & mitigauit culpam Euae. Adde, inquit, quod Eua prior fatetur culpam. Etenim quae se dicit esse seductam, testatur errorem. Erroris igitur medicina, confessio est: in iudicio ipso quanto clementior mulier viro? ille mulierem suam accusauit, ista serpentem, hoc est, nec accusata crimen retorfit, sed ipsum accusatorem suum maluit si posset absolvere, quam ligare. Magister Sententiarum, libro secundo, distinctione vigesima secunda ostendit, Euam simpliciter plus peccasse: quia voluit vsurpare diuinitatis aequalitatem, & nimia praesumptione elata, credidit ita esse futurum: Adam verò nec illud credidit, & de poenitentia, & Dei misericordia cogitauit, dum vxori morem gerens, eius persuasioni

Psal. 29.

1. Timot. 6.

Roma. 5.

Augustinus

Ambrosius

Petrus Lombardus.

C. ij.

consensit, nolens eam contristare, & à se alienatam relinquere, ne periret, arbitratu illud esse veniale, non mortale delictum. Et licet Adam ambierit diuinitatem, vt deo coæquaretur, nō tamen credidit id posse fieri: & ideo cognouit falsum esse quod diabolus promittebat: & quis diuinitatis æqualitatem concupiuerit, non tamen adeo exarsit, nec tanta affectus est ambitione, sicut mulier, quæ illud posse fieri putauit, & ideo magis illud ambiendo superbiuit. Insuper beatus Ambrosius, qui visus est aperte suadere, Adam grauius deliquisse, quàm Euam, dicit libro vno de Paradiso, capite decimotertio, Adam non sua culpa, sed vxoris vitio lapsus. noli tamen tuæ infigere menti ex his verbis, Adam non deliquisse propria culpa. Nam si noluisse, suæ vxori non obtemperasset: sed hoc dicit Ambrosius, quia per suam vxorem præuaricatus est, quod etiam putat Augustinus. Id etiam intelligendum existimo, quod non primò transgressus est, sed cum eius vxor ei præberet animum corruendi, & faciendi nō mediocriter præcipitium, illi suauius & mollius, quàm decebat obediendo, tandem lapsus est, & transgressus præceptum domini. Doctores scholastici dicunt illud peccatum simpliciter esse grauius altero, quod maximè ad delinquendum mouet, & in pluribus ac potioribus præponderat, & hoc contigit peccato Eux: quia sola elatione mentis fuit allecta ad peccandum: Adam verò non ex sola elatione, sed simul ex quadam amabili benignitate ad vxorem.

CAPVT XIII.

Adam non fuit præsciens sui casus, licet habuerit scientiam boni & mali, antequam esu ligni vetiti vesceretur.] Priorem huiusce assertionis partem tutatur Augustinus libro vndecimo in Genesim, capite decimooctauo, ad quam comprobendam sic ratiocinatur: Si præsciens fuisset sui peccati vindictæque diuinæ, quoniam pacto beatus esse poterat in paradiso? & sic in paradiso fuisset non beatus, imò vt conijcio miser, apprehendendo non infimam, in quam incideret ruinam, & qua à paradisi voluptatibus & delicijs exularet: nec solum à paradiso, verumetiam à gratia diuina, quod non exiguum est homini detrimentum. ¶ Sed dicit aliquis: Si non fuerit præsciens sui casus, sed incertus: fuit etiam futuræ felicitatis æternæ incertus: quod si ita contigerit, quomodo ergo fuit beatus & spiritalis? Et quomodo certissima spe credidit se æternam beatitudinem assequuturum? Tibi responsio paratur, Argumentum illud non valere. Nam certitudo saltē moralis, & non euidentiæ, futuræ beatitudinis, & eiusdem cognitio, nihil subtraxisset beatitudini saltē naturali, & in quodam genere, ipsius Adæ in statu innocentie, imò potius adauxisset & illustrasset. Sed præscientia sui casus, suæque futuræ miserie, aut extinxisset beatitudinem eius: non quidem perpetuam, sed in suo genere, aut naturalem: vel obscurasset plurimū. Etiam dici potest, quod fuit incertus suæ futuræ beatitudinis æternæ, vt incertitudo aduersetur certitudini euidentiæ, & ita angelus creatus beatus, fuit incertus suæ futuræ beatitudinis æternæ. Et licet (inquit illic Augustinus) non fuerit Adam præsciens sui casus, non propterea sequitur ipsum non fuisse spiritalem, nec beatum. Neque illi præcij fuerunt, quibus Apostolus dicit ad Galathas: Vos qui spiritales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, intendens teipsum, ne & tu tenteris. Non absurdè tamen, nec improbè dicimus beatos iam fuisse hoc ipso, quod spiritales essent, non corpore, sed iustitia fidei, spe gaudentes, in tribulatione patientes. Subscribi potest Ratio scholastica, ad probandum Adam non fuisse præsciens sui casus, imò nec potuisse. Nam malum præcognitum, aut complacet voluntati, aut non. Si complacet, iam culpa inest. Sed fieri nequit, vt culpa præcesserit primum peccatum Adæ. Si verò non complacet, poena inest, quod non est dicendum. Non enim poena præcedit culpam. ¶ Secunda assertionis pars, est Chrysostomi Tomo quinto, homilia decimasexta in Genesim, vbi præludens ad hanc propositionem, dicit: Meritò quis rogauerit quam virtutem habuerit hoc lignum, cuius esus illorū oculos aperuerit, & quare lignū scientiæ boni & mali vocetur. Neque

Augustinus

Gala. 6.

Chrysosto.

enim esus ex eo ligno oculos illorum aperuit. Nam & ante esum videbāt. Sed quia gustus ille erat inobedienciæ argumentum, & præuaricatio mandati à deo traditi, ob quam causam postea ablata est gloria, quæ illos circumdabat (quia se indignos tali honore fecerant) propterea scriptura morem suum obseruans, inquit, Comederunt, & aperti sunt oculi amborum, & cognouerunt quod nudi essent. Nudati propter peccatum, supernæ gratiæ amictu, & sensibilibus suæ spoliatiōis sensum acceperunt, vt per erubescētiā quæ inuadebat ipsos, certo scirent in quantum periculum se adduxisset mādātī dominici præuaricatio. Qui enim antea fruebantur tanta fiducia, & neque sibi conscij erant sese nudos esse, nec nudi erant (quandoquidem superna ipsos gloria, quouis vestimēto honestius tegebat) post esum autem, hoc est, post præuaricationem præceptorum, in tantam humilitatem redacti sunt, vt ob intolerabilem erubescētiā, vestem tunc quærerent. Deinde multis interpositis verbis, dicit: Sunt enim cōtentiosi multi, qui dicere audent, quod post esum ligni, scientiam habuerit Adam, ad discernēdum bonum & malum, id quod extremæ fuerit amentie. Qui enim nomina animantibus dedit, quique admirabilem prophetiæ gratiam fuit assequutus, quam de muliere pronuntiauit, quomodo ignoraret quid bonum, & quid malum? Quod si receperimus, iterum blasphemias in conditorem transferemus. Nam quomodo ignoranti præciperet quod malum sit transgressio? Verum non ita est, absit, sed sciuit clarè. Enimvero hac de causa animal hoc ab initio, libero arbitrio esse fecit. Quod si non fuisset, neque cum mandatum præuaricatus est, illum puniri, neque si seruasset, remunerari oportebat: factus enim mortalis est propter præuaricationem, vt ex hoc mandato, & his quæ sequuta sunt, claret. Audi enim mulierem ipsam loquentem serpenti: De fructu ligni huius in medio paradisi, dixit deus: Ne comedatis ex eo, vt non moriamini. Itaque ante præuaricationem immortales erant, alioqui post cibum non hoc supplicij loco imposuisset. Quis ergo ferret, quod homo post esum de ligno acquireret primò scientiā boni & mali, qui & antea tanta sapientia plenus erat, & cum scientia etiam propheticam gratiam assequutus fuit? Et quomodo hoc rationi consonum, vt sciat caprarum, & ouium, & omnium brutorum natura, quæ herba salutaris, & cibo utilis, & quæ perniciofa, vt illam inquirat, hanc fugiat: & hominem rationale animal, nescire quid bonum, & quid malum? Sed ecce, inquit scriptura, lignum hoc vocat, lignum scientiæ boni & mali. Neque me hoc latet, sed si proprietates diuinæ scripturæ discere vuleris, scies quare hoc nomen huic ligno tribuit. non enim quod homini scientiam dederit, sic vocatum est, sed quia per illud facta est transgressio mandati: & ex illo postea intrauit scientia & erubescētia, & propterea sic appellatum est. Augustinus Tractatu de arbore scientiæ boni & mali, facta uet huic parti, eos reprehendens, qui falso opinabantur Adam non voluntate peccasse, quia in illa arbore fuit dinoscētia boni & mali. Sed cum hominis culpam excusare nituntur, deo conditori iniuriam faciunt. Vna arbor fuit in medio paradisi explorans hominis voluntatem: in ea, vita pendebat: in ea, & mors transgressione latebat: in ea apparuit transgressio, in qua firmata fuerat legis præceptio.

CAPVT XIII.

Adam fuit sepultus iuxta Hebron, & non in Golgotha.] Hanc desumo assertionem, partim ex veteri instrumento, partim ex Hieronymo, & ex his qui proximius accedunt ad veritatem. Scribitur in libro Iosue, Benedixit ipsi Caleb Iosue, & tradidit ei Hebron in possessionem: atque ex eo fuit Hebron Caleb filio Iephone cenezeo vsque in præsentem diem; quia secutus est dominum deum Israel. Nomen Hebron antè vocabatur Caria tharbe. Adam maximus ibi inter Enachim situs est, & terra cessauit à prælijs. Quem locū enarrans Glossa interlinearis dicit, Quatuor Patriarchæ principales ibi sunt sepulti, quos nominat Lyranus: Adam, Abraham, Isaac, Iacob, vnà cum suis vxoribus. Et ad eundem locum commentandū dicit Lyranus: Adam est

Augustinus

Iosue. 14.

Glossa interlinearis.

Lyranus.

C. iij.

nomen commune, & significat hominem, tamen appropriatum fuit primo homini ibidem sepulto. Adde quod Hieronymus edisserens illum Matthæi locum: Et venerunt in locum qui dicitur Golgotha, siue vt alijs placet, Golgotha, quod est Caluarie locus, dicit: Audiui quendam exposuisse Caluarie locum, in quo sepultus est Adam: & ideo sic appellatum esse, quia ibi antiqui hominis sit conditum caput, & hoc esse, quod Apostolus dicat: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. fauorabilis interpretatio, & mulcens aurem populi, nec tamen vera. Extra enim urbem, & foras portam, loca sunt, in quibus truncantur capita damnatorum: & Caluarie, id est, decollatorum sumpserunt nomen. Propterea autem ibi crucifixus est dominus, vt vbi prius erat area damnatorum, ibi erigerentur vexilla martyrij. Et quomodo pro nobis maledictum crucis factus est, & flagellatus est, & crucifixus, sic pro omnium salute, quasi noxius inter noxios crucifigretur. Sin autem quispiam contendere voluerit, ideo ibi dominum crucifixum, vt sanguis ipsius super Adæ tumulum distillaret. Interrogemus eum quare & alij latrones in eodem loco crucifixi sint? Ex quo apparet Caluariam non sepulchrum primi hominis, sed locum significare decollatorum, vt vbi abundauit peccatum, superabundaret gratia. Adam vero sepultum iuxta Hebron, & Arbæ, in Iesu filij Nauæ volumine legimus. Hactenus Hieronymus. Sentit omnino Lyranus cum Hieronymo, exponens eundem Matthæi locum. Insuper Hieronymus tractans illum Pauli locum prolatum: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus, dicit: Scio me audisse quendam de hoc loco in ecclesia disputantem, qui in theatrale miraculum, nunquam ante visam formam populo exhibuit, vt placeret: Testimoniū hoc (inquiens) ad Adam dicitur in loco Caluarie sepultum, vbi crucifixus est dominus. Qui Caluarie idcirco appellatus est, quod ibi antiqui hominis esset conditum caput. Illo ergo tempore quo crucifixus dominus super eius pendebat sepulchrum, hæc propheta completa est, dicens: Surge Adam qui dormis, & exurge à mortuis: & non vt legimus *ἐπιπέσει σοι ὁ χριστός*, id est, oriatur tibi Christus, sed *ἐπιπέσει σοι*, id est, contingeret te Christus. Quia videlicet tactu sanguinis ipsius, & corporis dependentis viuificetur atque conturget, & tunc typum quoque illum veritate compleri, quando Elifæus mortuus mortuum suscitauit. Hæc vtrum vera sint necne, lectoris arbitrio derelinquo. Certè tunc in populo dicta placuerunt, & quodam plausu ac tripudio sunt excepta. Vnum, quod scio loquor, cum loci istius interpretatione atque contextu, sensus iste non cõuenit. Dicit tamen Ambrosius libro quinto Epistolarum, Epistola decimanona, Adam fuisse sepultum in Golgotha. Christus, inquit, animam Euangelicam in Golgotha suscepit, vbi Adæ sepulchrum, vt illum mortuum in sua cruce resuscitaret. Vbi ergo in Adam mors omnium, ibi in Christo omnium resurrectio. Sed huic fuit sua peculiaris opinio. Aut sensit cum his, qui parum perpendebant quid sibi vellet Golgotha & Caluarie. Nec tamen videtur Origenes hanc aspernari sententiam, exponens homilia trigesima quinta, illum Matthæi locum iam citatum, vbi sic scribit (quamuis ex se non affirmet) Venit enim ad me traditio quædam talis, quod corpus Adæ primi hominis ibi sepultum est, vbi crucifixus est Christus: vt sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes viuificentur: vt in loco illo, qui dicitur Caluarie locus, id est, locus capitis, caput humani generis resurrectionem inueniat cum populo vniuerso, per resurrectionem domini saluatoris, qui ibi passus est, & resurrexit. Inconueniens enim erat, vt cum multi ex eo nati remissionem acciperent peccatorum, & beneficium resurrectionis consequerentur, non magis ipse pater omnium hominum huiusmodi gratiam consequeretur. Eadem penè refert Theophylactus eundem locum exponens. Nec ab istis diuersus est Cyprianus, dicens Sermone de resurrectione Christi, Creditur caluarie Adam sanguine Christi conspersa, qui sub loco, quo crux domini fixa est, humatus traditur ab antiquis.

Hieronymus
Matth. 27.

Eph. 5.

Roma. 5.
Iosue. 14.
Lyranus.

Ambrosius.

Origenes.

1. Corin. 15.

Theophylactus.
Cyprianus.

CAPVT XV.



Bel fuit insignit⁹ singulari iustitia, sacerdotio, virginitate, & martyrio.] Astipulantur primæ parti huiusce assertionis Augustinus & Hieronymus, qui maximopere commendant primariam iustitiæ virtutem, quæ præcelluit Abel, ei primatum laudis in hoc nobilissimo virtutum genere deferentes. Augustinus differens libro primo de Mirabilibus sacre scripturæ, capite tertio, de paucis hominibus à deo electis post peccatum originale, & qui bus deus optimus notitiam suæ amicitie demonstrauit, his verbis loquitur: Ex quibus paucis, primus Abel totius humanæ iustitiæ princeps, & post hunc secundus Enoch insignissimus ante diluuium eligitur, quibus summa iustitiæ in initio mundi & sine committitur. Vnus enim statim in iustitiæ suæ initio, in ipso etiam mundi principio, sanguinis sui tripudio coronatus martyrio arripitur: Alter adhuc sine morte in testimonium nouissimi temporis reseruatur. Sed huic Abel dominus Iesus Christus primatum iustitiæ hominum cõmisit, ita inquiens: Vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachie, quem occidistis inter templum & altare. Et hunc locum enarrans Hieronymus, dicit: De Abel, nulla est difficultas quin is sit, quem Cain frater eius occiderit. Iustus autem non solum in nunc sententia, sed ex Genesis testimonio comprobatur, vbi accepta eius à deo narratur munera. Et Epistola ad virginem in exilium missam (quam puto à stylo, esse Hieronymi, quamuis quidam censor Catonianus, & pluraquam Aristarchus leuissimo argumento, quod nullius scilicet præferat nomen, neget esse Hieronymi) sic loquitur: Nonne sanctus Abel, qui in hoc mundo primus innocentiam conferuasse reperitur atque iustitiam, cum illibata deo obtulisset munera, mox vt munera respectu deo placuit, vsque ad mortis illationem, humanum, vel quod sceleratius est, fratrum statim inuenitur odium, inuidiamque sensisse? Sed dicet quispiam: Si Abel iustitiæ primatum tenuerit, cur deus hunc sine morte ad testimonium nouissimi temporis non reseruauit, vt in fine mundi ipse doctor existeret veritatis, qui in principio erat author perfecti operis? Huic respondet obiectio Augustini in loco citato, dicens: Huic responsioni congruè obuiare poterit, qui iustitiam in tribus partibus constare nouit. Tota enim iustitia hæc est, Virginitas, Sacerdotium, & Martyrium. Quæ triplex iustitia in Abel primò fuit, qui & munera deo placita obtulit, profapiam generis in sæculo non reliquit, & martyrij coronam sanguinis effusione promeruit. Si ergo longiori tempore, vt Enoch, Abel maneret, sine vlla dubitatione coniugium iniret. Quippe qui in tempore illius legis viueret, quæ dixit: Crescite & multiplicamini, & replete terram. Et si illud man datum expleret, pro certo nequaquam virgo esset: & si illum deus sine morte seruaret, martyrij primatum nequaquam acciperet. Rectè ergo competebat, vt qui primus in terra iustus eligitur, in eo totius iustitiæ forma seruaretur: cuique primò in hominibus post delictum gestare figuram conceditur saluatoris, qui virgo, & caput, & sacerdos, & martyr esse videtur. Et hæc faciunt ad reliquas assertionis partes approbandas. Indicat Cyprianus sermone de oratione dominica, Abel martyrium primum ostendisse, vbi sic loquitur: Sacrificium deo maius est: pax nostra, & fraterna concordia, & de vnitatis patris, & filij, & spiritus sancti, plebs adunata. Neque enim in sacrificijs, quæ Abel & Cain primi obtulerunt, munera eorum deus, sed corda intuebatur, vt ille placeret in munere, qui placebat in corde, Abel pacificus & iustus, dum deo sacrificaret innocenter. Nec negat deum respexisse ad munus Abel, cum dicit: Vt qui placebat in corde, placeret in munere: sed ex eo id dixit, quod non intuebatur munera, quod primario non respexit ad munera, sed ad cor, & ad promptam offerentis voluntatem: secundario respexit ad munus oblatum. Taceant velim, qui superbe & indoctè dicunt deum despiciere, &

Augustinus.

Gen. 4.

Matt. 23.

Hieronymus.

Cyprianus.

omnino aspernari munera nostra, nostrasque oblationes, cum deus respexerit, & ad Abel, & ad munera eius. Deinde subnectit Cyprianus, Docuit & ceteros, quando ad altare munus offerunt, sic venire cum timore dei, cum simplici corde, cum lege iustitiae, cum concordiae pace. Meritò ille dum in sacrificio dei talis esset, postmodum sacrificium deo factus est, ut martyrium primus ostendens, initiaret & sanguinis sui gloria dominicam passionem, qui & iustitiam habuerat & pacem. Tales denique à domino coronantur, tales in die iudicij cum domino vindicabuntur.

CAPVT XVI.

Abraham natus est in Chaldea.] Hæc assertio deduci potest ex vndecimo capite Geneseos, vbi dicitur: Tulit itaque Thare Abram filium suum, & Loth filium Aram, filium filij sui, & Sarai nurum suam, uxorem Abram filij sui, & eduxit eos de Hur Chaldeorum, ut irent in terram Chanaan. Iosephus libro primo antiquitatum Iudaicarum, capite decimoquarto, interpretatur Hur, ciuitatem quandam Chaldeorum, in qua mortuus est Ara, filio relicto Loth, & Sara, & Melcha filiabus inter Chaldeos. Et capite decimoquinto eiusdem libri, his verbis loquitur: Abraham verò, Loth filium fratris sui Aram: uxoris verò suæ Saræ germanum adoptauit, filium legitimum non habes, dimisitque Chaldeam, cum septuagintaquinque annorū esset, deo iubente, ut migraret in Chanaan, in qua habitauit, prolique suæ eam reliquit. Et in eodem capite citat Berosum, qui meminit patris nostri Abraham, non quidem nominans eum, sed ita dicens: Post diluuium decima generatione apud Chaldeos, fuit quidam vir iustus, & magnus, in cælestibus rebus expertus. Et Nicolaus Damascenus in quarto historiarum libro, sic ait: Abrahamus regnauit in Damasco, veniens aduena cum exercitu de terra Chaldeorū, quæ super Babylonem dicitur. Tum etiam Lyranus explicans exordiū capitis 12. Geneseos, vbi sic textitur historia: Dicit autē dominus ad Abraham: Egrede de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terrā quam monstrauero tibi. dicit in hunc modū, de terra tua, & de cognatione tua, id est, Chaldea, in qua natus fuit. Sed mouebis difficultatē non modicā: Prius dictū est quòd Thare eduxerat suos liberos de Hur Chaldeorū, nunc verò dicitur Abraham, Egrede de terra tua: videtur igitur, quòd incipiat egredi de terra sua scilicet Mesopotamia, aut si egrediatur de Chaldea, non cohærebunt subsequētia præcedentibus, quòd nunc primum deficiat à sua terra, cum prius defecisset, & demigrasset. Hunc nititur nodum dissoluere Lyranus, dicēs ad locum illum explanandū: Egrede de terra tua, id est, longius recede ab ea: & hoc putat ex Hebraica veritate exprimentum, quæ sic habet (vt ille dicit) Vade tibi de terra tua, quod tamen mihi videtur subolere barbarismū. Aut purius dicas, Exi de terra tua, id est, tibi cōsulo, vt longius à terra tua proficiscaris, & demigres aliō. Nec recipienda est quorundam interpretatio, dicentium, quòd licet prius egressus fuerit corpore, non tamen mente: quia intendebat illuc redire. Sed illi meracissima cōfingētes commenta, iniuriam faciunt, & deo, & Abraham, quòd maximopere cuperet Abraham redire ad sauissimā Nemroth tyrānydem, & quòd deus voluisset Abraham redire ad inauditam Chaldeorum idololatriam. Dicunt enim Hebræi, quòd pater Abraham erat idololatra, & agrè tulit, quòd Abraham nollet colere ignem: ideo accusauit eum Nemroth, cuius imperio & præcepto proiectus est in ignem, quem sincera fide vicit. Frater eius Aram pollicitus est se sequiturum fratrem ad incendium vsque, si modo à flammis eriperetur, & euaderet illæsus, quòd cum deiectus fuisset in ignem, non euasit periculum, quòd non excelleret ea fide, qua excelebat Abraham. Illic canit Glossa ordinaria, deum Abraham locutum, non tamen cum primum à Chaldea descisceret & demigraret, sed inter egressum de terra Chaldeorū, & habitationem in Charra, vt nullo dissidio pugnet Lucas in actis Apostolorum cum Genesi. Sic enim scribit: Deus gloriæ apparuit patri nostro Abraham, cum esset in Mesopotamia, priusquā moraretur in Charram, & dixit ad illū:

Gen. 11.

Iosephus.

Gene. 12.

Berosus.

Nicolaus
Damascen⁹

Lyranus.

Gene. 12.

Glossa ordi-
naria.

Acto. 7.

Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram quam monstrauero tibi. Tūc exijt de terra Chaldeorū, & habitauit in Charrā. Nec vlla ex parte pugnant hæc: exijt Abraham de terra Chaldeorū, & deus apparuit Abraham cū esset in Mesopotamia, priusquā moraretur in Charram. Lyranus monet Mesopotamiā aliquādo sumi pro ciuitate Aram præcisē, quæ hic nominatur Charram: aliquando pro tota prouincia circa dictam ciuitatem, & hic sumitur Mesopotamia pro tali prouincia. Abraham ergo de Chaldea egressus cum patre suo Thare, intrauit Mesopotamiam, & à Mesopotamia trāsmigrauit in Charram. Et cum hic dicitur, quòd exijt Abraham de terra Chaldeorum, vt diuinæ obtemperaret voluntati, non intelligas, quòd tunc primum exierit, quia iam egressus erat, sed longius abijt & cessit à terra Chaldeorū, à qua prius exierat. Glossa interlinearis sic interpretatur, Exijt de terra Chaldeorum, id est de Mesopotamia, quam existimat esse in Chaldea, & habitauit tandem in Charram. Idem sentire videtur Ra. dicens Mesopotamiam & Charram esse in Chaldea. sed adhæreo Lyranī sententiæ, dicentis Mesopotamiam & Chaldeam esse prouincias distinctas. Nec à communi opinione euariat Augustinus libro decimo, de Ciuitate dei, capite trigesimosecundo, vbi dicit: Hæc est liberandorum credentium vniuersalis via, de qua fidelis Abraham diuinum accepit oraculū: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Qui fuit quidem gente Chaldeus, sed vt talia promissa perciperet, quòd ex illo propagaretur semen dispositū per angelos in manu mediatoris, in quo esset ista liberandæ animæ vniuersalis via, hoc est omnibus gentibus data, iussus est discedere de terra sua, & de cognatione sua, & de domo patris sui. Tunc ipse primitus à Chaldeorū superstitionibus liberatus, vnum verum deum sequendo coluit, cui hoc etiā promittenti fideliter credidit. Nititur Burgenfis omnibus velis & remis pugnare contra opinionem Lyranī, ad probandum Abraham non fuisse natum in Chaldea, sed in Mesopotamia, & his decertat argumentis in additionibus duodecimi capitis Geneseos: Babylonia cum tota terra Sennaar, quæ est Chaldea, pertinebat ad Cham filium Noe, & posteritatem eius, vbi Nemroth regnauit. Abraham autem descendebat de Sem, cuius Sem posteritatis habitatio erat in alijs regionibus. Tum etiam legitur Iosue vigesimoquarto, quòd Iosue alloquens filios Israel, dicebat: Trans fluuiū habitauerunt patres vestri ab initio, Thare pater Abram & Nachor. Constat autē quòd trās fluuiū est Mesopotamia. cum autē dicit, ab initio, satis patet quòd inde erant oriundi, & non abs re dictum est, Thare pater Abram & pater Nachor, prætermittēdo Arā: eo quòd Aram fuit natus in Chaldea, & non in Mesopotamia. Verum is qui tuetur validissime partes Lyranī, diluit argumenta Burgenfis, à Glossa ordinaria, & à communi opinione, imò probabiliorē digredientis. & priusquam discutiat ratiunculas illas in publicam lucem euentilatas, hoc argumento conatur conuellere Burgensem: Arā ex sentētia Augustini fuit primogenitus Tharæ, & is natus in Chaldea, quod non negat Burgenfis. Thare autem semper mansit in Chaldea, vsque ad mortem Aram, vt omnibus est exploratissimum, & inter natiuitatem Aram, & mortem eiusdem natus est Abram, secundum beatum Hieronymum & Augustinum. Et Iosephus illis astipulatur, pariter & Magister historiarum. erat igitur terra natiuitatis Abræ ipsa Chaldea, aut non mansit Thare in Chaldea vsque ad mortem Aram: vel inter natiuitatem Aram & mortem eiusdem, non fuit natus Abram. Nec vincit argumentum Burgenfis, posteritatem Sem in Chaldea non habuisse habitationem, quòd licet illud verum sit pro maiori parte, solus tamen Thare cum familia sua habitauit in Chaldea. Et infirmum est, & inualidum, quod adducit de Iosue vigesimoquarto cap. asserēs trans fluuiū terram illam esse Mesopotamiā, cum Chaldea etiā sita sit iuxta eundē fluuiū Euphratē: quare non minus dicitur transfluuialis quā Mesopotamia. Vnde dicit Isidorus libro 14. Pro Babylonia Asiæ est prouincia in Chaldea, cuius caput est vrbs Babylonia, à qua regio est nuncupata tā

Augustinus
Gene. 22.

Burgenfis.

Iosue. 24.

Isidorus 9.

nobilis, vt Chaldea, Assyria, & Mesopotamia in eius nomen aliquando transferunt, quā præterfluunt Tigris & Euphrates. Inepte igitur dicit Burgenfis, Mesopotamiā esse trans fluuium, cum secundum Isidorum sit sita inter duo prædicta flumina.

CAPVT XVII.

Hieronymus
Gene. 12.

Abraham erat annorū 75. quando egressus est ex Charra.] Hæc Hieronymi est assertio, ex sacris literis deprompta. Etenim dicitur in Genesi, Egressus est itaque Abraham, sicut præceperat ei dominus, & iuit cum eo Loth. Septuaginta quinque annorū erat Abram, cum egredere de Arā. Sed indissolubilis nascitur quæstio. Si enim Thara pater Abraham, cū esset in regione Chaldea 70. annorū genuit Abraham, & postea in Charrā 205. ætatis suæ anno mortuus est, quomodo nunc post mortem Tharæ Abraham exiit de Charra 75. annorū fuisse memoratur? cū à natiuitate Abraham vsque ad mortē patris eius 135. anni fuisse doceantur. Vera erat igitur illa Hebræorū traditio, videlicet quod Abraham deiectus est in ignē, quod ignē adorare noluerit, quē Chaldei colunt, & dei auxilio liberatus de idololatriæ igne profugit. Et ex illo tēpore quo dei auxilio liberatus est, ei dies vitæ, & tēpus reputetur ætatis, ex quo confessus est dominū spernens idola Chaldeorū. Potest autē fieri, vt (quia scriptura reliquit incertum) ante annos paucos Thare de Chaldea profectus venerit in Charrā, quā mortē obiret, vel certē statim post persequentiā in Charrā venerit, & ibi diutius sit moratus. Hæc Hieronymus in quæstionibus Hebraicis. Fatetur Eusebius factam fuisse promissionē Abraham, quod pater esset omnium gentium 75. anno ætatis ipsius, & vbi mox facta est, exijt Abraham de Charra. & hoc citat Augustinus lib. 16. de Ciuitate dei, cap. 16. vbi dicit: Sed si eo anno facta est ista promissio, iam vtrique in Charra cū patre suo demorabatur Abraham. neque enim inde exire possēt, nisi prius ibi habitasset. nunquid nam ergo contradicitur Stephano dicenti? Deus gloriæ apparuit Abraham patri nostro, cū esset in Mesopotamia, priusquā habitaret in Charra. Sed intelligendū est, quod eodē anno facta sunt omnia, & dei promissio antequam in Charra habitaret Abraham, & in Charra habitatio eius, & inde profectio. Lyranus ad locū Geneseos nuper citatū, dicit, quod Abraham exiuit de Aram post mortē patris sui Tharæ, & quod nō fuit primogenitus eius, sed vltimus: ita quod inter natiuitatē primogeniti Tharæ & natiuitatem Abræ fluxerunt 60. anni, & sic in morte patris sui Tharæ fuit 75. annorū: quia Thare cū esset 70. annorum cœpit generare, & inde vsque ad natiuitatem Abræ fluxerunt 60. anni, & Abram 75. annorū erat, quando exiuit de Arā immediate post mortē patris: qui quidē anni si iungantur, faciunt 205. annos, & tot annis vixit Thare.

CAPVT XVIII.

Roma. 4.

Abraham pater gentium per fidem, & Iudæorū per circumcisionem, fuit propheta & sacerdos.] Priores assertionis particulæ depromuntur ex Paulo ad Romanos amplissimè rem istā pertractante. Sic enim Paulus loquitur: Dicimus enim quia reputata est Abraham fides ad iustitiam. Quomodo ergo reputata est? in circūcisione, an in præputio? Nō in circūcisione, sed in præputio. Et signū accepit circūcisionis, signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio, vt sit pater omnium credentium per præputium, vt reputetur & illis ad iustitiā, & sit pater circūcisionis, non ijs tantū qui sunt ex circūcisione, sed ijs qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio patris nostri Abraham. Non enim per legē promissio Abraham, aut femini eius, vt hæres esset mūdi, sed per iustitiā fidei. Si enim qui ex lege, hæreses sunt, exinanita est fides, abolita est promissio. Lex enim iram operatur. Vbi enim nō est lex, nec præuaricatio. Ideo ex fide, vt secundū gratiam firma sit promissio omni femini, nō ei qui ex lege est solū, sed & ei qui ex fide est Abraham, qui pater est omnium nostrum, sicut scriptū est: Quia patrem multarū gentium posui te ante deum cui credidisti, qui viuificat mortuos, & vocat ea quæ non sunt, tanquā ea quæ sunt, qui cōtra spem in spē credidit, vt fieret pater mul-

Gene. 17.

tarum gentium, secundum quod dictū est ei: Sic erit semen tuū, sicut stellæ cæli, & arena maris. Edisserēs hanc sublimē Pauli philosophiā Theophylactus dicit: Cum duo hæc Abraham videatur inesse, præputium, & circūcisio: per præputiū quidem eorū qui in præputio sunt, ostenditur pater, vt fides in illis suscepta ad iustitiā computetur, hoc est vt iusti efficiantur. Ex circūcisione etiā pater esse monstratur circūcisionis, hoc est eorū qui sunt circūcisi. Est igitur Abraham omnium parens, non quidē naturali sanguinis sexu, sed fidei propinquitate. Huic fauet sententiæ Hieronymus in Epistola ad Demetriadē de virginitate, dicens: Nam quod Melchisedech benedicit Abraham principem patriarcharū, qui per circūcisionē pater Iudæorum, per fidem gentium, illius signatissimè ostendit figurā, qui per fidem suam & Iudæis donauit benedictionē, & gentibus. Augustinus lib. 16. de Ciuitate dei, capite 28. indicat Abraham non alio sine sic vocatū, quā quod esset pater multarum gentium, dicit enim: Cur autē mutatum est nomē Abraham? reddita est ratio: quia patrem, inquit, multarū gentium posui te. Hoc ergo significare intelligendum est Abraham: Abram vero, quod antē vocabatur, interpretatur pater excelsus. Et capite 16. eiusdem libri dicit: Aduertendum est igitur duas res promissas Abraham. Vnam scilicet, quod terram Chananaeam possessurum fuerat semē eius, quod significatur vbi dictum est: Vade in terram quā tibi monstrauero, & faciam te in gētem magnam: aliam vero longe præstantiorem, non de carnali sed de spiritali semine, per quod pater est non vnus gentis Israeliticæ, sed omnium gentium, quæ fidei eius vestigia consequuntur, quod promitti cœpit his verbis: Et benedicetur in te omnes tribus terræ. Idem sentit in psalmum 30. ad locum illum: Qui videbāt me foras fugerunt à me. Vbi dicit, Abraham pater noster fuit, non propter propaginē carnis, sed propter imitationē fidei. Et ad locum illū psalmi 46. Principes populorū conuenerunt cum deo Abraham, sic philosophatur: Deus Abraham, deus Isaac & deus Iacob, verum est, dicit hoc deus, & superbierūt inde Iudæi, & dixerūt: Nos filij Abraham sumus, superbientes de nomine paterno, gerentes eius carnem, non tenentes eius fidem, femini adhærentes, moribus degenerates. Denique quid dominus ait eis ita superbientibus? Si filij Abraham estis, opera Abraham facite. Adde quod beatus Hylarius lib. 5. de Trinitate, differens in trāsursu de eximijs Abraham virtutibus, & insigni prærogatiua, dicit: O pestifer hæretice, deum Abraham confessus est, quem tu deum denegas. Quas promissas Abraham benedictiones impie expectas? Nō est tibi ille, vt est gentium pater, neque in familiam feminis sui per benedictiones fidei suæ renatus euadis. Non de lapidibus Abraham filius excitaris, sed natio viperarum confessionis tuæ hostis existis. Non es Israel dei, non es Abraham successio, nō iustificatus ex fide es: non enim deo credidisti, per eam nāque fidem iustificatus est, & constitutus est Abraham pater gentium, per quam deū, cui credidit, adorauit. Appositissime explicat Origenes huiusce assertionis defensor acerrimus, locū illum Pauli citatum, qui est pater omnium nostrum, dicens, Bene autem non de Abraham dixit pater omnium, sed ait pater omnium nostrum, id est non qui ex lege descendimus, sed qui ex fide à lege succedimus. Et quia omnium qui huiusmodi sunt pater est, meritō promissionis diuinæ sententiam in consequentibus posuit, dicens: Sicut scriptum est, quia patrem multarum gentium posui te ante eum cui credidit, deū. Si ergo pater futurus esse promittitur multarum gentium, non immerito pater, & eorum qui ex gentibus, & eorum qui ex circūcisione veniunt, nominatur. Et recte addidit ex sua interpretatione Apostolus, ante eum cui credidit deum, hoc est pater positus est multarum gentium, ante ipsum deum cui credidit, cuius promissiones, & à quo signaculum fidei in circūcisione suscepit. Tum etiam exponens Chrysostomus locum illum Geneseos: Nec vltra vocabitur nomē tuum Abram, sed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te, dicit: Considera dilectē quomodo prædicat & nunc manifeste omnia ei, vt maioribus eum argumentis certum reddat, & literam addit nomini eius, & inquit: Eris pater mul-

Gene. 15.
Theophylactus.

Hieronymus

Augustinus.

Psal. 30.

Psal. 46.

Ioan. 8.
Hylarius.

Origenes.

Gene. 17.
Chrysostomus.

titudinis gentium. Non vocabitur nomen tuū Abram, sed Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te. Nam sicut prius nomen eius transiit indicabat iuxta Hebræorum linguam, quia parentes eius nomen hoc indiderant, eo quod à patria sua in Chananaeam trāsiturus erat: eodē modo & patriarchæ nomen parentes indiderant, statim ab initio declarantes, quod peregrinus erat futurus, & transiit in terrā alienam. Inquit igitur: Quoniam nomen à parentibus tibi inditum, illud præsignauit, accipe & huius elementi additionē, vt scias quod hoc tibi declarat te multarū gentium fore patrem. Et vide euidentiā verborum. Nō dixit omnium gentiū, sed multarum gentiū, quia erant & aliæ gentes expellendæ, vt semen iusti hæreditatem acciperet, ideo dicit: Patrē multarum gentium cōstitui te. ¶ Sed dicit quispiā, Cum parentes eius infideles fuerint, vnde illa sciētia, vt quod multo tempore postea futurū, nomine cōplecterentur? Sed respondet Chrysoſtomus ad hanc obiectionem, dicens hoc esse omnipotentis sapiētia dei argumentum, quæ sapenūmero per infideles eiusmodi res dispensat, & multa similia inuenimus in alijs facta. Statim occurrit nobis & Noe vocabulum: neque enim absque causa & inuanū etiā huic nomen indiderunt parētes, sed præsignarunt subsequiturū diluuiū. Et vocabitur nomē eius Noe. hic faciet nos quietere ab operibus nostris, & à molestijs manū nostrarū, & à terra quam maledixit dominus deus: nomen enim Noe, lingua Hebræorū, quies dicitur. Itaque quia ingruente diluuiō hic solus mundū seruaturus, & posterioris sæculi futurus autor erat, ideo inquit, hic faciet nos quietere, requiem diluuiū vocans. ¶ Posteriorum assertionis particularum prior pars est notissima, videlicet quod Abrahā fuerit propheta. Nam scriptum est in Genesi: Nunc ergo redde viro suo vxorē, & orabit pro te, quia propheta est, & viues. Tum etiā dicit Augustinus lib. 18. de Ciuitate dei, cap. 37. sed nec sapientia Aegyptiorū, sapientiam prophetarū nostrorum tempore antecedere potuit, quandoquidē & Abraham propheta fuit. Quid autem sapiētia esse potuit in Aegypto, antequā eis Isis, quam mortuā tanquam deam magnam colēdam putauerunt, literas traderet? Isis porro Inachi filia fuisse proditur, qui primus regnare cōcepit Argiuis, quādo Abrahæ iam nepotes reperiuntur exorti. Enarrās Chrysoſtomus locum Geneseos citatum, orabit pro te quia propheta est, & viues, dicit: Vide quomodo virtutē iusti detegit: prophetā ipsum vocat, quasi præparans regem, vt precatorem eū faciat pro se. Lyranus quoque ad eundē locum explicandum dicit, Abrahā per spiritū prophetiæ sciuisse Sarā esse mundā, & quod eam nō tetigisset. ideo nihil addubitare debebat Abimelech vt eam redderet viro suo. Adde quod in eruditis in Matthæum cōmentarijs, qui nomine Chrysoſtomi circūferuntur, dicit interpres, ad locum illum, Liber generationis Iesu Christi filij David filij Abrahæ, Quia Christus tres dignitates fuerat habiturus: rex, propheta, sacerdos. Abraham autē habuit duas dignitates: propheta enim fuit, & sacerdos. Sacerdos, sicut deus ad illū dicit in Genesi: Accipe vaccā triennē, & capram trimā, & arietem annorum triū, turturem quoque & columbā. hinc probata nostræ assertionis vltima particula: Et propheta, sicut ait dominus ad Abimelech de illo, Quoniam propheta est, & orabit pro te, & saluus eris tu, & domus tua. ideo ergo dictus est filius Abrahæ & David, vt propheta quidem intelligatur & sacerdos ex Abrahami, rex autem ex David. ideo non dictus est tantūmodo: David filius, quia David rex fuit & propheta, sacerdos autem non fuit. Explicans Glossa ordinaria locū illū, accipe vaccā triennē, dicit: Ab Adam vsque ad Noe, & inde vsque ad Abram, deinde vsque ad David, populum adoleuisse: & quia Abrahā sincera fide, & feruenti deuotione hostias deo obtulit, & hæc præfigiebant, & restabantur typū, vt conijcio, futurorū sacrificiorum, quæ formis istorū animalium fierent in lege Mosaycā: ideo nō absurde dictus est Abrahā in lege naturæ sacerdos, non quidē summus, sed sacerdotij aliqua designati formula: non vt sacerdos legis, qui ingrediebatur sancta sanctorū. Si summus fuisset: etiā sancta, ad orandū pro populo, ad offerēdas hostias, &

ad expiāda populi scelera intrasset. Lyranus in locum illū Geneseos, indicat præter cultū interiorē Abrahæ, quo colebat insigniter deū vnum fide, spe, & charitate, in illo fuisse cultum exteriorē, scilicet quādam cultus interioris protestationē, qui quidem cultus fuit in veteri lege, per sacrificia deo oblata: & ideo de talibus sacrificijs in lege faciēdis, dominus instruit Abrā, dicens: Sume mihi vaccam triennem, &c. Quia de istis tribus speciebus animalium, solum erant sacrificia in lege celebrāda, vt ostenditur in Leuitico: & ideo de qualibet specie nominat vnum indiuiduum. Et de qualibet specie animalium prædictorum fiebat in lege triplex sacrificium: vnū vocabatur, hostia pro peccato, quod fiebat pro expiatione alicuius peccati cōmissi. Aliud vocabatur, hostia pacifica, quod offerebatur deo pro aliquo bono obtento vel obtinēdo. Tertium erat, hostia in holocaustum, quæ tota incendebatur ad honorem diuinum: & ideo ad hoc triplex sacrificium designandum dicitur hic, quod quodlibet indiuiduum prædictum sit trium annorum. Turturē quoque & columbā sumpsit domino, quia futurum erat in lege dāda per Moysē, vt fieret sacrificium deo de istis dūtaxat auium speciebus, nisi in emūdatione leprosi, vbi fiebat oblatio de passeribus, propter quod de ista specie auis non fit hic mentio: quia nō erat communis oblatio vel sacrificium. Nec euariat Origenes ab eorum quæ dicta sunt, assertionē. etenim in librum Iob, cum ostendisset Iob virum tolerantissimū, non solum pro suis amicis, sed etiam pro suis filijs obtulisse deo synceras hostias, & immolasse, subiunxit, Erant nihilominus etiam ea tempestate sacerdotes, necdum à lege ordinati, sed naturali sapientia hoc requirente ac perficiēte. Ita sacerdotio functus est Noe. Ita sacerdotio functus est Abraham. Ita sacerdotium gessit Melchisedec. Ita & ipse Iob, post illos sacerdotio functus est. Sed interim erant etiam sacerdotes per loca, qui pro indigentibus hostias offerebant domino per diuersa tempora. ¶ Sed dicit quispiam, Abraham erat laicus, ex forte autem laicorum nullus erat sacerdos, neque sacerdotali dignitate donabatur. quod autē fuerit laicus, planē indicat Chrysoſtomus oratione 4. aduersus Iudæos, dicens: Abraham progenitor Leuitarum, ac Iudaicorum sacerdotum sub Melchisedec, qui typum gerebat nostri sacerdotij, laici locum obtinuit: idque duplici modo declarauit. Primum, quod illi dederit decimas: nam laici sacerdotibus dabāt decimas. Deinde, quod benedictionē accepit ab eo. Etenim laici à sacerdotibus benedictionē accipiunt. Adde quod si fuisset sacerdos, non dedisset decimas Melchisedec, nec ab eo benedictionem accepisset, tāquam minor à maiore. Videtur enim Paulus ad Hebræos ostendere, minorem recipere benedictionē à maiore, & à meliōre, scilicet Abraham à Melchisedec: quia Abraham non erat sacerdos, sed Melchisedec, à quo insigne benedictionis munus accepit. Tum etiam si Christus dictus est sacerdos ex Abraham, quoniam igitur pacto dictus est sacerdos secundum ordinem Melchisedec? etenim prophetico celebratur illud vaticinio: Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec. Insuper in lege naturæ, solum primogeniti erant sacerdotes: modo Abraham non fuit primogenitus Tharæ, tametsi quidam dixerint, eo quod Geneseos 11. capite scribitur, vixitque Thare 70. annis, & genuit Abram, & Nachor, & Aram. sed primo in loco nominatur propter eius dignitatem, & quia ei facta est primo repromissio de Christo, & quod futurus esset caput & stipes generationis sequētis. Et hac ratione probat Lyranus in caput Geneseos citatum, Abraham non fuisse primogenitum Tharæ. Sara vxor Abram fuit filia Arā, & hæc erat nonagenaria antequam pareret Isaac. Nā scriptū est, Putas ne centenario nascetur filius? Et Sara nonagenaria pariet, quare liquido constat Saram iuniorem tunc Abrā decem annis tantum. Si igitur Arā fuit iunior ipso Abrā, sequitur quod non habebat decem annos quādo genuit Sarā, immo nec octo: quia inter natiuitatem Abræ & Arā fuerunt plusquam duo anni. quod maxime videtur inconueniens illo tempore, in quo incipiebant generare, quādo erant sexaginta annorum, vel septuaginta. ¶ Sed diluendæ sunt rationes moræ. Ad pri-

Gene. 5.

Gene. 20.
Augustinus

Chrysoſto.

Lyranus.

Matt. 1.

Gene. 15.

Glossa ordi-
naria.

Lyranus.

Origenes.

Chrysoſto.

Gene. 14.

Hebr. 7.

Psal. 109.

Gene. 11.

Gene. 17.

Gene. 4. mam dico, nihil absurdi esse Abraham in lege naturæ esse sacerdotem & laicum, sumendo sacerdotē late, pro illo, qui deo sincero affectu hostias immolabat & dedicabat, cuius sacrificio præfigurabatur futurum in lege sacerdotium, quod à Leui originem accepit. Nōne Abel erat sacerdos, & tamen functus est munere pastoris ouium? Nām in Genesi scribitur, Fuit autem Abel pastor ouium, & Cain agricola. Nec concludit illud quod dicitur, scilicet si fuisset sacerdos, non dedisset decimas Melchisedec, nec recepisset benedictionem à Melchisedec, nec ex eo recepit, quia non erat sacerdos. Etenim Leuitæ dabāt decimam decimæ summo sacerdoti, tamen si essent inferiores sacerdotibus, vt ostēditur numeri 18. cap. imò nunc liceret sacerdotibus dare decimam Romano pontifici, si indigeret summe, & occasio sese offerret, & vbi exigeret pro necessitate subleuanda. Solū ratio illa probat, quod non erat summus sacerdos, sed inferior Melchisedec, qui primatum sacerdotū gerebat, à quo vt à supremo sacerdote inferior sacerdos benedictionē recepit, vt quotidie comperimus fieri. & ab illo insigni & commendatissimo sacerdote Christus dictus est sacerdos. Licet quodāmodo ab Abraham, qui adumbrando futuram sacerdotij institutionem in hostijs offerendis, dictus sit sacerdos. Et licet Abraham non fuerit primogenitus secundum natiuitatem, fuit tamen secundum dignitatem, & illi non absurde competeat sacerdotalis dignitas. Abel non erat primogenitus ortu & natiuitate, sed excellentia & dignitate, & tamen fuit (vt dictum est capite 15.) insignitus sacerdotio.

CAPVT XIX.

Abraham non est iustificatus ex sola fide. Non sum nescius quā pluri mos sensisse oppositum huiusce assertionis, qui validissimis rationibus ex sacro eloquio desumptis, contenderunt probare, Abraham fuisse iustificatū ex sola fide. Tamen aduersus illos instrua aciem, & toto Marte decertabo: & vt audacius cum illis congregiar, me mouet Iacobus in sua epistola canonica sic scribēs: Vis autē scire o homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est? Abraham pater noster, nōne ex operibus iustificatus est: offerens filium suum Isaac super altare? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est? Et suppleta est scriptura, dicens: Credidit Abraham deo, & reputatū est illi ad iustitiā, & amicus dei appellatus est. Videtis quoniam ex operibus iustificabatur homo, & non ex fide tātum. Ad hoc facit plurimū quod scribit Hieronymus Epistola ad Principiā virginem, dicens: In Genesi ad ipsum Abraham loquitur deus, In femine tuo benedicentur omnes gentes. Sicut enim ille in præputio ex fide iustificatus est, ita & nos iustificabimur in eadem fide, si habuerimus fidem, & opera patris nostri Abraham. Huic subscribere videtur opinioni Ireneus lib. 4. aduersus hæreses Valentini & similiū, capite 13. vbi inquit, iuste autem & Apostoli ex Abraham genus habentes, derelinqentes nauiculam & patrem, sequebantur verbum dei: iuste autem & nos eandem fidem accipientes, quam habuit Abraham, tollentes crucem, quemadmodum ligna Isaac, sequimur eum. In Abraham enim prædicerat, & assuetus fuerat homo sequi verbum dei. Etenim Abraham prono animo vnigenitum & dilectum filium suum concessit sacrificiū deo, vt & deus beneplacitum habeat, pro vniuerso femine eius dilectū & vnigenitum filium suū prætare sacrificium in nostrā redemptionem. Propheta ergo cū esset Abraham, & videret in spiritu diē aduentus domini, & passionis, per quem ipse quoq; & omnes qui similiter vt ipse credidit, credūt deo, saluari inciperēt, exultauit vehemēter. ¶ Insultabit quispiā nō mediocriter ex Paulo ad Romanos ad hūc modū decertate, q nō fuerit Abraham ex operibus iustificatus: Si enim Abraham ex operibus iustificatus est: habet gloriā, sed non apud deū. Et ex scriptura suū munit & stabilit argumentū, subnectēs, Quid enim dicit scriptura? Credidit Abraham deo, & reputatū est illi ad iustitiā. Et insequēdo illā sublimē Pauli disputationē, sic ratiocinatur Origenes ad locū illum, Si Abraham iustificatus est ex operibus, habet gloriā,

sed non apud deum: atqui habet gloriā apud deū, non igitur iustificatus est ex operibus. Et eodem certādi vigore & stilo cōfligit Augustinus præfatione in psalmū 31. Licet dicat quod omnibus est peruium, Abraham immolando suū filium, magnū opus fecisse, sed ex fide. Nec repugnat Paulus Iacobo. Nam argumentum Pauli eō tendit, vt strenue dimicādo probet Abraham non esse iustificatū ex operibus fidē præcedentibus. Illis enim nemo meretur, nec idoneus est vt ad regnū caeleste subuehatur, nec tamen sunt prorsus inania & inutilia: quia illorum præsidio, quis paratur ad optime agēdum, & ad fidem nanciscendā, vt aliquando accersatur ad Christianismum, & paratior sit ad iustificationē habendam: quā citra fidem assequi non potest. Iacobus vero loquitur de operibus proxime subsequētibz fidem, aut illi adnexis. Nam hæc stabiliunt, cōsolidant & consummant fidem. Quāuis quispiam iustificaretur ex operibus, nihil tamen in illis debet sibi arrogare, sed plus attribue re fidei & dono dei, quā in suis operibus. profiteamur iuxta Euangelicā philosophiā nos esse seruos inutiles, etiā si fecerimus quæ nobis à deo præcepta fuerunt. Et tomo 10. Sermone 68. dicit Augustinus Abraham iustificari ex fide, sine opere. Sed exponit Sermone 72. Ex fide quidem & nō ex opere, quod intus credidit, sed quod filium immolauerit, magnum erat opus. Et libro vno 83. quæstionum, quæstione 76. dicit, Abraham iustificatum sine operibus legis, quā non acceperat, sed per fidem iustificatus est. Et Iacobus solū indicat bona Abraham opera, subsequēta fuisse fidem. Et cum dicit Paulus, Arbitramur hominē iustificari sine operibus, non innuit hominem accepta fide, si vixerit impie, esse iustū. Nam idem dicit aliubi: Non enim auditores legis iusti sunt apud deū, sed factores legis iustificabuntur. sed loquitur de operibus legis, & quæ præcesserunt fidem. Et Iacobus de operibus fidem sequentibus. Nec digreditur ab Augustini sententia Ambrosius, oratione de obitu Theodo si imperatoris, dicens Abraham nō ex operibus, sed fide iustificatum, quoniam subito credidit deo, cū ei dixit, Suscipe cælum & numera stellas si potes: & dixit ei, sic erit semē tuum. credidit Abraham deo, & reputatum est illi ad iustitiā. Nec alicubi locorum sacre scripturæ inuenitur Abraham ante illam diuinam promissionem fecisse opus iustificatione dignū, quo citra fidē iustificari, posset. Glossa ordinaria exponēs illum Iacobi locum, Abraham pater noster nōne ex operibus iustificatus est: dicit: Quod Abraham per fidē sine operibus iustificatus dicitur, de operibus quæ præcedebant intelligitur, quia per opera quæ fecit, iustus non fuit, sed sola fide. Attende quæso ad hæc verba, & tuæ tenaciter infigito menti, sola fide iustus fuit, vt velit innuere primariam illam iustificationem ex sola fide sincera, sine vllō opere exteriori profectā fuisse. deinde subnectit, hic de operibus agitur, quæ fidem sequuntur, per quæ amplius iustificatur, cū iam per fidem fuisset iustus. Vnde Paulus ad Hebræos, Fide Abraham obtulit Isaac cū tētaretur. Hæc oblatio est opus & testimonium fidei & iustitiæ. Paulus cōmendat in Abraham, fidei constantiā: Iacobus vero laudat operū magnificentiam, quia vtroque fuit perfectus Abraham, & de vtroque in exemplū proponitur. Et Glossa interlinearis ab illa ordinaria non degenerat, cū dicit, Licet Abraham per fidem quam habebat, iustus erat, tamē per opera quæ habebat, amplius est iustificatus: qui nisi fecisset, meritū præcedentis fidei amisset. per fidem quidem ante erat iustus, & fides duxit ad opera, & per opera, fides est augmentata & comprobata, & per illam fidem quæ duxit ad opera, apparet veritas scripturæ, credidit filium promittenti, & eundē immolare iubenti. Non igitur admodum foret difficile connectere Paulū cum Iacobo, etiā sequendo illorum doctrinam, qui dicunt Abraham primo iustificatum ex sola fide, innitēs doctrinæ Paulinæ. Et cum dicit Iacobus, Abraham fuisse iustificatum ex operibus, nō vult innuere, Abraham nō fuisse iustificatum primo ex sola fide, sed quod fides illa, qua fuit primo iustificatus, fuerit solidata & consummata subsequētibz operibus. Ne cui tamen varijs opinionum fluctibus & procellis agitato præbeatur ansa euariandi à tutiori opinione, vt putet falsō opera nullius esse momenti & roboris ad

Augustinus.

Lucæ 17.

Roma. 3.

Roma. 2.

Gene. 15.

Glossa ordinaria.

Hebræ. 11.

Glossa interlinearis.

iustificationē, consulere velim pio auditori & ad veritatē tuā propensissimo, vt sibi persuadeat, Abrahā non vsque adeo fuisse iustificatū ex fide, vt ex operibus iustificatus non fuerit. Intellige igitur nostrā assertionem, Abrahā non fuisse iustificatum consummate ex sola fide. Quidam dicunt, nec indocte, duplicem esse iustificationem: Alteram cū quis sincera fide, fonte baptismatis abluitur à peccato originali, & ad hanc iustificationē indispensandam nō est opus extrinsecis operibus, praesertim in paruulis, qui sola diuina gratia & fide fideiutorum, absteruntur à noxa originali. Sed in adultis dicunt requiri conatus, dispositiones, & quaedam praeparamenta, vbi infecti sunt peccato mortifero, antequam se submittant tam excellenti sacramento: Altera est iustificatio post lapsum. vt cū quis lotus baptismatis lauacro incidit in noxam mortalem, & suis vigilijs, studio inquieto, & displicentia sceleris, redit ad diuinam gratiam, à qua exciderat: & haec iustificatio non est sine hominum operibus. dicitur enim, Dic tua peccata vt iustificeris. & alibi: Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam, & tu remisisti impietatem peccati mei.

Esaiæ 43.
Psal. 31.

CAPVT XX.



Abraham infidelitate peccauit, offerens tamen suum filium deo, maximum opus fecit, nec tamen volebat deus simpliciter talem immolationem.] Primæ parti huiusce assertionis conuiuet Chrysostronus tomo 2. homilia 6. de poenitentia, vbi sic loquitur: Debit ipse saluator noster peregrinari secundum ipsam in carne praesentiam, mixturamque nostræ carnis suscipere, & cum hominibus conuersari: sed quoniam deus erat, & idem sine peccato solus, permisit iustos proprium penes arbitrium, humanis erroribus incuruari, non iam ipse ad peccatum impellens, sed arbitrio permittens, secundum proprium nutū ambulare: sic itaque infidelitate sanctus peccauit Abraham, propterea poenā non effugit à deo, vt seruiret eius semen annis quadringētis. Et videtur historia Genesios planè subinnuere Abrahā dubitasse, & de natiuitate Isaac hæsitasse, quòd sibi pertinaci iudicio suasset fieri non posse, vt cetenarius excitaret prolem. Dicitur enim, & contexitur in historia: Dicit quoque deus ad Abraham, Sarai vxorem tuam nō vocabis Sarai, sed Saram: & benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus sum, eritque in nationes, & reges populorū orientū ex eo. Cecidit Abraham in faciem suam, & risit in corde suo, dicens: Putasne centenarius nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet? Ex his verbis praebetur ansa colligendi, Abrahā suspensio fuisse animo, nec credidisse, vt centenarius gigneret filium, summamque arbitratus est sibi fieri gratiam, si Ismael superuideret coram domino. Etenim subnectit historia, Dixitque ad deum, vtinam Ismael viuat coram te. & ait dominus ad Abraham: Sara vxor tua tibi pariet filium, vocabisque nomen eius Isaac. Quòd si constanti & inuicta fide credidisset se habiturum Isaac filium, nec putasset id fieri non posse, nunquam incidisset in illum errorem, vt felicissimum se existimaret Ismaele solo viuento. Nec ad illud deuitandum somniū & forsitan delirium, dixisset dominus ad Abraham: Sara vxor tua pariet tibi filiū, vocabisque nomē eius Isaac. Et constituā pactum meū illi in foedus sempiternum, & semini eius post eum. Super Ismael quoque exaudiui te, ecce benedicam ei, & augebo & multiplicabo eum valde, duodecim duces generabit, & faciam illum in gentem magnam. Pactum vero meum statuā ad Isaac, quem pariet tibi Sara tempore isto in anno altero. Nec videtur Abraham esse memor pollicitationis à deo sibi factæ, nec tenacius infixisse medullis sui pectoris. Cum enim dixisset Abrahā, Mihi autem non dedisti semen, & ecce vernaculus meus, hæres meus erit. Statim factus est sermo domini ad eum dicens, Non erit hic hæres tuus, sed qui egredietur de vtero tuo, ipsum habebis hæredem. Eduxitque eum foras, & ait illi, Suspice cælum, & numera stellas si potes. Et dixit ei, sic erit semen tuum. Credidit Abrahā deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Si forsitan dixeris tuò credidit suum semē

Chrysostr.

Gene. 17.

Gene. 15.

futurum persimile stellis nullo numero cōprehensū, & innumeris harenis: sed hæsitauit an cetenarius & vsque adeo annosus, excitaret Isaac filiū promissionis, hoc nobis plaudit & gratulatur. Nā volens reddere rationē suæ incredulitatis, dixit: Putasne cetenarius nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet? Adde quòd Chrysostronus edisserens locū ex decimo septimo capite Genesios desumptum, inquit: Cum nesciret quid diceret, neque enim discredere potuit tam religiosus, ad suam respiciens ætatem, & Saræ sterilitatem vsque ad illam ætatem, consilij anceps, & obstupescens promissionem dei, cecidit, inquit, in faciem suam & risit videns excellentem promissionem, & magnitudinem eius qui promiserat cogitans, cecidit in faciem suam & risit, quum voluptate perfunderetur, & in animo cogitaret, quomodo iuxta humanum morem hoc fiat aliquando, & num centenarius nascatur filius, & num sterilis & nonagenaria repente possit idonea fieri ad partum. Et cum hæc animo cogitasset, non audebat tale quiddam lingua effari, sed monstrata sua gratitudine orauit pro Ismaele, quasi diceret, Domine satis me consolatus es, & dolo rem quem ex proli inopia gerebam, dato Ismaele, in lætitiā vertisti. Nato enim illo, neque in mentem postea accepi vel cogitavi aliquando, quòd è Sara sit mihi futurus filius, sed neque ipsa hoc expectauit, eo quòd Agar mihi tradidit, omnem sibi spem denegans. Satis consolationum accepimus nato filio Ismaele. Hic igitur qui à te datus est, viuat oro te, & abundè satis recreati erimus, & senectutem nostram illius vita solabitur. Quid igitur ad hæc misericors dominus? Quia satis iam iusti mentē tanto tempore probauerat, & Saræ fidē, quia viderat vtrumque nihil sibi de suis promittentem viribus, Abraham quidem propter senectutē, Saram autem propter sterilitatē & annos, dicit: Nunc quia omnino vobis videtur esse impossibile, idcirco & ego tandiu distuli, vt ostendam quòd longe vltra naturam sit donum quod concedo, quo & vos, aliique omnes his factis discant quòd naturæ sim dominus, & ad quodcunque libuerit, ea vtar: & ipsa obedit, & cedit meis præceptis. Qui enim eam ex nihilo produxi, multo magis quum iam sit & claudicet, erigere possum. Vt igitur melius confidere possis, audi & expergiscere, & repullis cogitationibus mentis tuæ, accipito ex his quæ tibi afferuntur certum argumentum. Ecce enim Sara vxor tua, quam putas tum propter sterilitatem, tum propter ætatem parere non posse, ipsa pariet tibi filium: & vt nihil hæsites, ecce tibi & nomen eius qui nascetur, præmonstrabo. Eum enim qui nascetur, vocabis Isaac, & ponam testamentum meum ad eum in testamentum sempiternum, & semini eius post eum. Hic enim est quem primum, & ab initio tibi promisi, & in hoc promissiones meæ implebuntur. Proinde & omnia tibi prædico, non solum quòd nascetur, sed & quomodo eum vocabis, & quòd ei constituam testamentum meum, & ad hæc, quòd & semini eius post eum. Mihiro consensu astipulatur Chrysostrono Hieronymus libro tertio, aduersus Pelagianos, vbi ad hoc negotium explicandū sic loquitur: Denique & Abraham cui dictum est, esto sine querela & sine macula, conscientia fragilitatis suæ, cecidit pronus in terram. Cūmq; loquutus esset ei deus: Sarai vxor tua non vocabitur vltra Sarai, sed Sara erit nomen eius, & dabo tibi ex ea filium, & benedicam ei, & erit in gentes, & reges gentium ex ipso erunt, statim infertur: Cecidit Abraham in faciem suam, risitque & dixit in mente sua, si centenarius nascetur filius? & si Sara nonaginta annorum pariet? Dixitque Abraham ad deum, Ismael viuat in conspectu tuo. Cui respondit deus: Etiam, ecce Sara vxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Isaac, & reliqua. Certe audierat à deo, Ego sum deus tuus, placeto in conspectu meo, & esto sine macula: quare non credidit quod deus repromisit, sed risit in corde, putans se cælare deum, & aperte ridere non audens. Denique causas incredulitatis exponens, dicit in corde suo: Quomodo potest fieri, vt centenarius de nonagenaria vxore pariat filium? Viuat, inquit, Ismael in conspectu tuo, quem semel dedisti. Difficilia non quæ-

Hieronymus

Dei.

ro, contentus sum beneficio quod accepi. Quem occulta respōsione arguens deus, ait, Etiam. & est sensus, fiet quod existimas non futurum, Sara vxor tua pariet tibi filium, & antequam ista concipiat, priusquam ille nascatur, puero nomen imponam. Ex errore enim tuo quo risisti tacitus, filius tuus Isaac risus nomen accipiet. ¶ At dicet quispiam, Paulus omnino huic aduersatur assertioni ad Romanos, vbi dicit: Et non infirmatus est in fide, nec considerauit corpus suum emortuum, cum iam ferè centum esset annorum, & emortuam vuluam Saræ, in repromissione etiam dei non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam deo, plenissime sciens, quia quæcunque promisit deus, potens est & facere: ideo & reputatum est illi ad iustitiam. Perpende vim maximam & energiam in verbis Pauli, cum dicit tam planè & perspicuè, nec considerauit corpus suum emortuum, cum iam ferè centum esset annorum, & emortuam vuluam Saræ. Theophylactus edisserens locum illum Pauli, nec considerauit corpus suum emortuum, cum iam ferè centum esset annorum, dicit: Ipsèque nil fide infirmus, quin ea vel enixe seruata, nulla sui corporis ratione habita, quòd esset ætate multa confectum. Nec Saræ vulua considerata, duplici mortificatione affecta, id est senio & sterilitate demortua. Non hæsitauit, hoc est nil prorsus habuit, quod ille ambigeret. Quin statim per fidem fortior est effectus. ¶ Ad hæc, Ambrosius eundem enarrando locum, dicit: Hac laude dignum prædicat Abraham, quia cum se sciret non posse, infirmitatem suam fide firmavit, vt crederet se posse per deum, quod sciret fieri per mundi decreta non posse. magni ergo meriti est apud deum, qui contra scientiam suam deo credidit, non dubitans posse illum, vtpote deum, quod scit secundum mundi rationem fieri non posse. ¶ Augustinus. Adde quòd Augustinus libro decimosexto de Ciuitate dei, capite vigesimosexto, dicit, risum Abraham, esse exultationem gratulantis, non irrisionem diffidentis. Verba quoque illa in animo suo, Si mihi centum annos habenti nascetur filius? & si Sara annorum nonaginta, pariet? non sunt dubitantis, sed admirantis. Assentit & Augustino Lyranus, exponens illa eadem Geneseos verba, dicens Abraham non illud dixisse dubitando, sed diuinum beneficium admirando. Et Glossa interlinearis testimonio Pauli ostendit Abraham non dubitasse. ¶ Hæc validissima sunt, & maximi momenti ad subuertendum nostram assertionem. Sed respondebimus paucis ad hæc. Negandum non est Abraham subdubitasse & hæsitasse animo in principio, cum risit in corde suo dicens, Putasne centenarius nascetur filius? Et Sara nonagenaria pariet? Dixitque ad deum, vti nam Ismael viuat coram te. Sed verba quæ subiunxit dominus, fregerunt animum ancipiti iudicio versatum, & expulit omnino dubitationem illam Abraham, cum præfinita & certissima sententia ei dixisset dominus, Sara vxor tua pariet tibi filium, vocabisque nomen eius Isaac. Et constituam pactum meum illi in fœdus sempiternum, & semini eius post eum. audita igitur illa foelicissima pollicitatione, non considerauit amplius suum corpus emortuum, quamuis centesimum penè annum attigisset. Vnde Chrysofostomus sermone de fide Abraham & immolatione Isaac, Natura quidem negat, sed potentia imperat: ætas prohibet, sed tua potestas ostendit. impossibile quidem istud videtur nobis, non tibi: homini, non tuæ domine maiestati: naturæ, non deo: seruis, non domino. Vnde credo pater, credo domine istud te facturum quod dicis, quia his virtutibus cunctis gentibus innotescis. ¶ Secunda pars assertionis est Augustini, in enarratione psalmi trigessimiprimi, vbi dicit Abraham offerentem suum filium immolandum deo, magnum opus fecisse, sed tamen ex fide. laudatur superædificatio operis, sed prouenit ex fidei fundamento. Laudatur fructus boni operis, sed in fide agnoscitur radix: non fecit bonum opus ante fidem, sed ex fide opus excellens fecit, sequuntur igitur opera bona fidem. Ad bonum enim opus requiritur recta intentio, rectam autem intentionem dirigit fides. recto igitur con-

sequio colliges neminem recte, saltè meritorie, agere sine fide. Et licet Abraham sincero affectu obtulerit suum filium in holocaustum, tamen non erat paratus esse sine vnico filio, & à se occiso, vt idem voluit Augustinus libro secundo Retractionum, capite vigesimosexto, vbi de bono coniugali differens, dicit, De Abraham, quod dixi, Ex hac obedientia pater ille Abraham, qui sine vxore non fuit, esse sine vnico filio & à se occiso paratus fuit, non satis approbo. Magis enim filium si esset occisus, resurrectione sibi mox fuisse reddendum, credidisse credendus est, sicut in Epistola legitur, quæ est ad Hebræos, Arbitrans, inquit Paulus, quia & à mortuis suscitare potens est deus. Dicit tamen Chrysofostomus homilia sexta, ad tertium caput epistolæ Pauli ad Titum, quòd Abraham non quasi incolumem filium recepturus, dei monitis obtemperare pergebat, sed vt reuera illum deo libaturus: atque ideo præter spem incolumem recipere meruit. Sed (vt conijcio) vult innuere Chrysofostomus, quòd Abraham ea fide in deum flagrabat, vt etiam non recepturus filium, deo libaret: licet vt dicit Augustinus ex Pauli doctrina, magis crediderit filium si immolaretur, diuino beneficio resurrectione sibi reddendum. Ad comprobandum illam assertionem, plurimum confert quod scribit Chrysofostomus libro primo de Prouidentia dei, vbi sic loquitur, Intuere denique fidelis Abraham cuiusmodi pollicitationem acceperit, & qualia facere sit iussus. Nam promissio quidem erat ex Isaac, implendum esse orbem vniuersum, iussio autem hunc ipsum Isaac immolare vigeat, ex quo orbis totus erat implendus. Quid igitur? Istud ne perturbauit iustum virum? minime vero: immo cum tanta dissonantia & repugnantia esset præcepti & promissi, in nullo penitus turbatus est, neque hæsitauit, neque aliquid huiusmodi locutus est: Quid hoc est? alia promisit mihi deus, alia facere iubet? Ex puero isto nepotum ingentem mihi multitudinem promiserat, & hunc ipsum modo necare mihi præcepit? Quomodo igitur hoc erit excisa radice? fefellit me igitur atque delusit? Nihil prorsus huiusmodi locutus est, sed ne cogitauit quidem, & merito sanè. Cum enim deus aliquid pollicitus fuerit, etiam si millia sunt quæ pollicitationem huiusmodi obtundant atque intercipient, turbari minime conuenit, aut de fine dubitare. Hoc enim maxime dei potentiam commendat, dum in rebus ambiguis, finem certum atque exitum reperit: sicuti tunc beatus secū reputabat. Quocirca fidem illius maxime admirans Paulus, aiebat, Fide obtulit Abraham Isaac dum tentaretur, vniuersumque offerebat, qui promissiones acceperat. hæc ipsa scilicet insinuans atque significans. Et Sermone de fide Abraham & immolatione Isaac, explicans illum Geneseos locum, Accipe filium tuum quem diligis Isaac, & vade in vnum montium, & offer mihi illum in sacrificium, dicit: Mox Abraham tam celeriter decernit iussis cælestibus esse parendum, quàm fuerat diuinitus imperatum. Verebatur ne votum mora offenderet, aut iussionem tarditas impediret. Denique properat quod iussum est perficere, festinat quod præceptum est adimplere. fuit enim lætus cum eum acciperet, lætior cum eum immolandum dominus postularet. Ostendit Abraham charissimum quidem sibi esse filium, sed multo chariorem filio existere dominum, nec dulcedinem aut affectus pignoris respiciebat, qui iussionem vt perficeret, cogitabat. Totos affectus conuertit in deum, cui iam se nouerat mancipatum. Denique illam fidem seruabat in se, cum filium iubere offerre, qua deum promeruerat, cum eum mereretur accipere. Theophylactus in vndecimum caput epistolæ Pauli ad Hebræos ad locum illū, Fide obtulit Abraham Isaac cum tentaretur, dicit deum non propterea tentasse Abraham, vt illius virtutem exercendo experiretur, quippe cuius non erat nescius, sed vt offer nobis id documento ad perdiscendum ipsius Abraham & virtutem imitari & fidem. Nec hinc digreditur Tertullianus libro vno de Patientia, vbi dicit: Abraham deo credidit, & iustitiæ deputatus ab illo est, sed fidem eius patientia probauit, D.ij.

ad Roma. 4

Theophy.

Ambrosius.

Augustinus.

Lyranus.

Augustinus

Hebr. xi.
Chrysostoi

Theophy.

Tertullianus

cum filium immolare iussus est, ad fidei non tentationem dixerim, sed typicam contestationem. Caterū deus quem iustitiæ deputasset, sciebat. Tam graue præceptum quod nec domino perfici placebat, patienter & audiuit, & si deus voluisset, impleisset. merito ergo benedictus, quia & fidelis: merito fidelis, quia & patientis. ¶ Ultima assertionis pars hæc est, Nec tamen deus volebat simpliciter talem immolationem: quam suafuncula probare possum, & sacris literis. Si enim deus absolute & simpliciter voluisset huiusmodi immolationem, non pollicitus fuisset Abrahamæ, quod ei Sara pareret filium, in quo benedicerentur gentes, cum quo deus suum perpetuo firmaret testamentum, & fœdus indissolubile: & longe plus detrimenti consequuti fuissent Iudæi ex eius interitu, quàm ex vita. Adde quod cum Abraham extendisset manum, & arripuisset gladium vt immolaret filium suum, Angelus domini de cælo clamauit, dicens: Abraham, Abraham, non extendas manum tuam super puerum, neque facias ei quicquam: nūc cognoui quod timeas dominum, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me. Quod si deus absolute voluisset & (vt dicit nostri Doctores) voluntate consequente, vt Abraham immolasset suum filium, nequaquam misisset angelum vt inhiberet Abrahamæ, quo minus filium suum necasset, & obtulisset in sacrificium. Tum etiā Augustinus, Tomo decimo, Sermone septuagesimo tertio, dicit Abrahamæ sacrificium in immolatione Isaac nō fuisse probatum à deo in facto, sed solo voto. Sic enim differit in persona dei: Tuū sacrificium quod parueras intēdi, ego quod iusseram vt obtulisses, accepi. in voto probaui, quod in facto renui. Acceptaui votum, nec renui sacrificium. Sacrificium sanè erat quod offerebatur, non ipsum factum, quia nulla executio facta fuit. Consentanea sunt his verbis, quæ dicuntur à Doctoribus scholasticis, Præceptum non est expressum & directum signum, quod præcipiens velit rem præceptam fieri, sed solum quod velit subditum obstringere ad faciendum illud quod præcipitur. non enim in huiusmodi immolatione volebat deus rem præceptam, scilicet factum: sed quod præcipiebatur, scilicet sacrificium, & promptissimam sacrificij obedientiam. Si enim deus in suis præceptis vellet simpliciter rem præceptam fieri, semper fieret. Nec istud fit in præceptis humanis, scilicet quod præcipiens semper velit absolute rem præceptam fieri. Etenim prælatus religiosus quandoque subdito præcipit nonnihil graue & permolestum fieri, volens illum præcepto obligare: & tamen nec vult, nec intendit rem præceptam fieri: quin potius reuocat præceptum, cum paratus est subditus illud exequi, & se submittit voluntati præipientis. Talia igitur præcepta sunt instituta, vel ad sumendum experimentum obedientiæ subditi, vel ad ostendendum pluribus obedientiam vnus, quasi pro exemplo. Et licet deus non voluerit simpliciter & absolute hanc immolationem, voluntate quidem consequente, qua aliquid est volitum in se: tamen cum illud fuerit præceptum, volebat voluntate antecedente. Hæc disputatio fusius tractatur in primo Sententiarum, distinctione quadragesima septima.

CAPVT XXI.

Gene. 20.



Abimelech fuit alienus à peccato, habendo Saram.] Hanc deducā Assertionem ex historia in Genesi descripta. scribitur enim: Profectus inde Abraham in terram australem, habitauit inter Cades & Sur, & peregrinatus est in Geraris. Dixitque de Sara vxore sua, soror mea est. Misit ergo Abimelech rex Gerare, & tulit eam. Venit autem deus ad Abimelech per somnium nocte, & ait illi: En morieris propter mulierem quam tulisti: habet enim virum. Abimelech vero non tetigerat eam. & ait: Domine num gētem ignorantem & iustam interficies? Nōne ipse dixit mihi, soror mea est? & ipsa ait, frater meus est? In simplicitate cordis mei, & mūditiā manuum mearum feci hoc. Dixitque ad eum deus: Et ego scio quod simplici corde feceris, & ideo custodiui te ne

peccares in me, & non dimisi vt tangeres eam. Nūc ergo redde viro suo vxorem, & orabit pro te, quia propheta est, & viues. Si autem nolueris reddere, scies quod morte morieris tu, & omnia quæ tua sunt. Perspicimus imprimis ex contextu, Abimelech non contigisse Saram vxorio affectu, quanuis forsitan intenderit eam cognoscere, vt fororem duntaxat Abrahamæ, & non quatenus vxorem, nec putauit vnquam esse iniquum, eam cognoscere vt fororem Abrahamæ. Deinde vitaturus mortem, nititur promereri excusationem apud dominum deum, dicens: Domine num gentem ignorantem, & iustam interficies? Quem locum exponens Chrysofostomus, dicit: Nunquid sciens, inquit, mulierem eius esse hoc feci? nunquid iniuria peregrinum afficere volens? nunquid vt vxorem eius auferens. Vt fororem eam accepturus eram, ratus hoc nomine & hunc, & illam honorari. Gentem igitur iustam & ignorantem perdes? Tum etiam ex his quæ subnectuntur, se purgat ab omni suspitione libidinis, dicens: Nōne ipse dixit mihi, soror mea est? & ipsa ait, frater meus est? In simplicitate cordis mei, & mūditiā manuum mearum feci hoc: non enim cor meum deperibat in scortum, & in fœdum amorem vxoris alienæ, nec contaminatæ fuerunt manus meæ tactu mulieris. Non vt sceleratissimum facinus facturum, sed vt legitimum, & licitum, irreprehensibileque, hoc feci. Nec deus hunc accusat stupri, sed liberat à peccato, & excusat: Ego scio, inquit, quod simplici corde feceris, & ideo custodiui te ne peccares in me, & non dimisi vt tangeres eam. Sciebat deus Abimelech illorum dictis deceptum, hoc fecisse, & ob hoc, vt ne propter deceptionem hanc peccaret, cohibuit eum à peccato. Ex hoc coniicio Abimelech habuisse in exordio ignorantiam inuincibilem, quod Sara esset vxor Abrahamæ, cum scilicet Abraham dixit de Sara vxore sua, soror mea est: alioqui peccasset eam accipiendo, cum potuisset vincere huiusmodi ignorantiam. Adde si duntaxat fuisset ignorantia vincibilis, & vt frueretur suis illecebris, eam tulisset, non vtique dixisset: Domine, num gentem ignorantem, & iustam interficies? Nec eum excusasset dominus, dicens: Scio quod simplici corde feceris. Sed vbi deus ei apparuit per somnia, mentem eius illustrauit, & inspirauit cognitionem, quod Sara erat vxor Abrahamæ. quod si re explorata Saram attigisset, nequaquam vitasset peccatum. Certissimum est quod non deliquisset illam vxorio affectu tangendo, si tunc laborasset ignorantia inuincibili. Nam ignorantia inuincibilis omnimode excusat delictum, quod quis posset incurrere, si tali ignorantia non afficeretur. Iacob enim cognoscendo, ex ignorantia inuincibili Liam, non deliquit. Nec mihi placet opinio Lyrani dicentis ad hunc locum: Abimelech peccasse, quia non sufficienter inquisiuit, si nam esset alligata viro, an non. Sed abunde ex historia, & ex his quæ diximus, constat oppositum. Sed à quo rescire poterat homine, præterquam ab Abraham, si nam Sara esset vxor Abrahamæ? Nunquam enim Abraham ei detexisset. Nam in eadē historia dicitur, cum Abimelech dixisset Abrahamæ: Quid vidisti, vt hoc faceres? Abraham respondens sic locutus est, Cogitauit mecum dicens, forsitan non est timor dei in loco isto, & interficient me propter vxorem meam, aliās autem & vere soror mea est, filia patris mei (quia filia fratris mei) & non filia matris meæ, & duxi eam in vxorem. Nec mentitus est Abraham cum dixit, Saram esse suam fororem, vt dicit Augustinus libro decimosexto, de Ciuitate dei, capite decimono. Erat enim soror à propinquitate sanguinis, sicut Loth eadē propinquitate, cum fratris eius esset filius, frater eius dictus est: itaque vxorem tacuit, non negauit, coniugis tuendam pudicitiam committens deo, & humanas infidias cauens vt homo. quoniam si periculum quantū cauere poterat, non caueret, magis tentaret deum quàm speraret in deo: neq; polluta fuit Sara à Pharaone. Idem sentit Iosephus libro primo antiquitatum Iudaicarum, capite 20. vbi dicit Abraham nō mentitum, cum dixit, Sarā fuisse suam sororem. Nam de cognatione mulieris loquebatur, referens eā esse filiam fratris. Et in eodē capite excusat Abimelech, dicens:

D. iij.

Chrysofost.

Gene. 29.

Lyranus.

Gene. 20.

Augustinus

Iosephus:

Deo enim protestante cōscientiāque mulieris, dicebat neque eam ab initio se appetisse, si esse eam scisset vxorem, sed tanquam pro sorore seductum, rogabatque ut mitis circa eum esset, & deum ei propitium faceret, & si apud eū manere vellet, omnem ei vbertatem cōferret: volenti vero discedere, danda munera rerum omnium, quibus ad eum indigēs aduenisset. Beatus Augustinus astipulatur nostrae assertioni, quāstione 52. super Deuteronomium, vbi sic scribit: Dicit etiā deus ad Abimelech, de Sara vxore Abrahā: Scio quia mundo corde fecisti hoc: non utiq; mundum illius cor ita voluit intelligi, vt similis eis esset, de quibus dictum est, Beati mundo corde, quoniam ipsi deum videbunt: sed ab illo peccato, de quo agebatur, mundum cor habebat: quoniam quantum ad ipsum pertinebat, non concupiuerat coniugem alienam.

CAPVT XXII.

Aron peccauit in facto conflatis vituli. Hæc assertio partim ex facris literis, partim ex doctissimis sacre scripturæ interpretibus approbatur. Scribitur in Exodo: Videns autem populus, quod moram faceret Moyses descendendi de monte, congregatus aduersus Aaron, dixit: Surge, fac nobis deos, qui nos præcedāt. Moyfi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Aegypti, ignoramus quid acciderit. Dixitque ad eos Aaron, Tollite inaures aureas de vxorum filiorūque & filiarum vestrarum auribus, & adferre ad me. fecit populus quæ iusserat, deferens inaures ad Aaron. Quas cum ille accepisset, formauit opere fusorio, & fecit ex eis vitulum conflabilem. Dixeruntque, hij sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti. Quod cum vidisset Aaron, ædificauit altare coram eo: & præconis voce clamauit, dicens: Cras solennitas domini est. Surgentesque mane obtulerunt holocausta & hostias pacificas, & sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere. Quod si Aaron voluisset se præstare virum magnanimum & inuictissimum, aduersus suborta mortis sibi imminenti pericula, magis reformidando deū quàm homines, & vltrices dei quàm hominum manus, potius exoptasset honestā mortem oppetere pro tuenda vniuersi veri dei gloria & religione, quàm molli & fracto animo, sinere confici vitulum conflabilem, cuius cultu populus ille durissime in sua idololatria pertinax, ab obseruatione & studio dei optimi & maximi abducebatur, & propellebatur ad adorandum hunc conflatum vitulum. Si enim cognoscebat hoc factum deo maxime displicere, & rem esse prodigiosam, & partim callidissimo dæmonis artificio extructam, non debebat huic idolo, & conflati vitulo aram erigere. Magis debebat exhorrescere, & eum pertimescere, qui potest corpus & animam perdere, & deicere in gehēnam ignis, quàm eos qui solum possunt corpus occidere. Aegre ferēs Moses hoc factum Aaron, quo deus grauiter offēdebatur, arripuit vitulum quem fecerant, combussit & contriuit vsque ad puluērem, quem sparsit in aquā, & dedit ex eo potum filiis Israel, dixitque ad Aaron: quid tibi fecit hic populus, vt induceres super eum peccatum maximum? Hæc Moysi verba perspicue intelligentibus hunc contextum, indicāt Aaron deliquisse, quod conficiendo hunc conflabilem vitulum induxerit populum ad malum, vnde in maximam peccati ruinam inciderit. Quidam ex hoc loco videntur dicere, Aaron induxisse populum Iudæum ad idololatriam, quod si induxerit, & cōsensit in huiusmodi nepharium scelus, ex consensu illo insimulandus esset idololatria. Alij negantes Aaron deliquisse idololatriam, dicunt Aaron induxisse scandalum actiuum per accidens, super illum populum, non quod intenderet facto illo eos pertrahere ad idolorum cultum & allicere: sed quod facto illo populus ille sumpserit occasionem ruinæ, vt scilicet veneraretur summo cultu conflatum vitulum. Etenim Aaron volens se purgare à tali crimine, & se reddere immunem à flagitiosissimo & maxime detestabili idololatriæ vitio, cum Moses ei dixisset: Quid tibi fecit hic populus, vt induceres super eum peccatum maximum? Respondit, ne indignetur dominus

meus. Tu enim nosti populum istum, quod pronus sit ad malum. Dixerunt mihi, fac nobis deos qui nos præcedant: huic enim Moyfi, qui nos eduxit de terra Aegypti, nescimus quid acciderit. Quibus ego dixi: quis vestrum habet aurum? Tulerunt & dederunt mihi, & proieci illud in ignem, egressusque est hic vitulus. Nec dixit populus ille, fac nobis deos, quos adorabimus, sed qui nos præcedant: vt illorum adiuti præsidio omnia vitemus incommoda. tamen dixerunt illi vbi primum profiliit vitulus ille, & erupit: Hi sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti. quare videtur quod crederent illi egressuros deos, quos colerent, & præuios duces haberent. Hieronymus accusat Aaron sacrilegij, dicens in Epistola ad Oceanum de epitaphio Fabiolæ: Aaron sacrilegium, & conflatum ex auro vituli caput, fraternæ correxere preces. Tum etiam Lyranus in illud Exodi caput planè dicit Aarō peccasse in facto vituli, quia illud totum malum quod populus fecit, ipsi Aaron attribuitur. Nam consensit ad faciendum quod male petiuerat. Et Rabi Salomon, vt idem Lyranus refert in decimū caput Leuitici, acerbius taxat Aaron, dicens Aaron pro peccato vituli cum sua posteritate meruisse mori, vt Deutero. nono, scribitur, Aduersus Aaron vehementer iratus voluit eum cōterere, sed Moyses pro eo orauit ne moretetur. Lyranus tamē ad locū illum citatum, egressusque est hic vitulus, dicit Aaron non esse excusandum à mendacio, quamuis quidam oppositam partem defendant, dicentes eum præter intentionem illa dixisse. Nec tamen fuit punitus morte, quia id non fecit ex animo, & corde, & dedit opera, sed mortis timore. Adde quod facit ad confirmandam nostram assertionem: De poenitentia, distinctione secunda, capite vt cognouerunt, habetur, quod Aaron in cultura vituli postea cōsensum populo adhibuit. Nec ab istis discedit Traiectanus quodlibeto tertio, dicens Aaron ex se induxisse populum ad idololatrā, & quod nulli licet cooperari proximo ad actum peccati, per quem alius læditur. Augustinus tamen libro decimoquarto, de Ciuitate dei, capite vndecimo, videtur excusare Aaron, cum inquit, Aaron erranti populo ad idolum fabricandum non consensit inductus, sed cessit obstructus. Augustino hac in re sua fuit sententia, quem non insequimur. Nam probatum est, Aaron induxisse etiam ex consensu populum ad delinquendum.

CAPVT XXIII.

Aron præfertur Moyfi in causa, munere, & officio sacerdotij: licet Moyses illi præferatur in causa prophetiæ, & scientiæ. Vtraque huiusmodi assertio pars est Ambrosij libro primo Epistolarum, epistola tertiam. Priorem equidem partem sic probat: Moyses magis fratris sui consilium probauit quàm suum. In his (vt opinor) quæ spectabant ad arcana & mysteria sacerdotum abstrusiora. In Leuitico scriptum est: Inter hæc hircum qui oblatu fuerat pro peccato cum quæreret Moyses, exustum reperit, iratusque contra Eleazar & Ichamar filios Aaron qui remanserant, ait: Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco sancto, quæ sancta sanctorum est, & data vobis, vt portetis iniquitatem multitudinis, & rogetis pro ea in conspectu multitudinis? præfertim cū de sanguine illius nō sit illatū intra sancta, & comedere debueratis eā in sanctuario, sicut præceptū est mihi. Respondit Aarō: Oblata est hodie victima pro peccato, & holocaustū coram domino, mihi autē accidit quod vides. quomodo potui comedere eā, aut placere domino in ceremonijs, mente lugubri? Quod cū audisset Moyses, recepit satisfactionē. Posteriorē partē probat ex illo, quod scribitur in Deuteronomio, Nō surrexit vltra ppheta in Israel, sicut Moyses, quē nosset dominus facie ad faciē, in omnibus signis atq; portentis quæ misit per eū, vt faceret in terra Aegypti, Pharaoni, & omnibus seruis eius, vniuersaq; terræ illius, & cunctā manū robustā, magnāq; mirabilia quæ fecit Moyses corā vniuerso Israel. Etiā in exodo ostenditur, qd Moyses fuit cū domino 40. dies & 40. noctes, panem non comedens, nec bibēs aquā. Et scripsit in tabulis verba fœderis decē. Cūmq; D.iiij.

Augustinus

Matt. 5.

Exodi 32.

Matt. 10.

Exodi 32.

Hieronymus

Lyranus.

Rabi Salom.

Deutero. 9.

De poenitē,
distin. 2.

Traiectanus

Augustinus.

Ambrosius,

Leuitici 10.

Deuter. 34.

Exodi 34.

descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas lapideas testimonij: & ignorabat quod cornuta esset facies sua, ex consortio fermoris domini. Nonne hæc sublimia sacramenta indicabant Moysen non modicam ebibisse doctrinam ex amplissimo & limpidissimo dei sapientissimi fonte dimanantem? nihilque eum latuisse quod foret expectandum in prudentissima sui populi administratione? Subnectitur deinde in cõtextu, Videntes autem Aaron & filij Israel cornutam Moysi faciem, timuerunt propè accedere, vocati que ab eo reuersi sunt, tam Aaron quam principes synagogæ. Et postquam locutus est ad eos, venerunt ad eum etiam omnes filij Israel: quibus præcepit cuncta quæ audierat à domino, in monte Sinai: impletisque sermonibus posuit velamen super faciem suam. Quod ingressus ad dominum, & loquens cum eo aufererat, donec exiret: & tunc loquebatur ad filios Israel omnia quæ sibi fuerant imperata. Qui videbant faciem egredientis Moysi esse cornutam, sed operiebatur ille rursus faciem suam, siquædo loquebatur ad eos. Adde quod in Numeris aperte monstrauit dominus deus Aarõ & Mariæ murmurantibus aduersus Moysen, propter uxorem eius Aethiopsam, singularem & maxime insignem Moysi præminentiam, quibus dixit: Audite sermones meos, si quis fuerit inter vos propheta domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est: ore enim ad os loquor ei: palam & non per ænigmata & figuras deum videt. Quare ergo non timuistis detrahere seruo meo Moysi? Iratusque contra eos, abiit. Tum etiam asserit Theophylactus ad illud Pauli locum ad Hebræos: Nec quispiam sibi sumit honorem, sed qui vocatur à deo tanquam Aarõ, ipsum Aarõ per Moysen à deo accitum esse, qui sacerdotij munere fungebatur. Nec tamè ipse prior est illud aggressus, quinetiam cum & virga reffloruit, innotuit planè diuinitus se fuisse electum. Augustinus nobis astipulatur lib. 2. quæstionum, super Genesim, quæstione 10. dicens principatum Moysi datum, Aaron verò ministerium. Iosephus libro 3. Antiquitatum Iudaicarum, capite 12. dicit Aaron fuisse digniorem suis fratribus honore sacerdotij. Nec tamen cum præfert Moysi in sublimioribus arcanarum rerum officijs pertractandis. Non enim Moyses immolasset hostias deo pro Aaron, neque illum lauisset, nec vnxisset, nisi simpliciter Moyses fuisset ipso Aaron perfectior & excellentior. Quod comprobare possum ex Chrysofomo, Oratione 3. aduersus Iudæos, vbi sic differit: Excute igitur, recordare quomodo tum Aaron factus sit sacerdos, quot hostias pro illo immolarit Moyses, quot pecudes prostrauerit, quomodo illum lauerit, quomodo illum vnixerit, extremum auriculæ, manum dextram in sancta sanctorum introduxerit. Quod si auide desideres rem copiosius tibi explicari, legito octauum Leuitici caput, & 29. Exodi, vbi compendiarie istæ commentationes habentur: videbis Iudaicas ceremonias, & sanctas obseruationes, quibus vtendum erat in electione & institutione summi pontificis.

CAPVT XLIIII.

Aioth iudex quando occidit Eglon regem Moab, non mentitus est.] Hæc probo assertionem ex Augustino, tomo 4. lib. 7. quæstionum super Iudicium, quæstione 20. vbi asserit, Aioth diuino id egisse patrocinio, & in his potissimum quæ protulit. Etiam potest assertio illa approbari ex eo quod scribitur in lib. Iudicium: Addiderunt autem filij Israel facere malum in conspectu domini, qui confortauit aduersus eos Eglon regem Moab: quia fecerunt malum in conspectu eius. Et copulauit ei filios Ammon, & Amalech: abiitque & percussit Israel, atque possedit urbem Palmarum. Seruieruntque filij Israel Eglon regi Moab, decem & octo annis: & postea clamauerunt ad dominum, qui suscitauit eis saluatorem vocabulo Aioth, filium Gera filij Iemini, quivtraque manu pro dextera utebatur. Miseruntque filij Israel per illum munera Eglon regi Moab. Ex contextu considera filios Israel meruisse vt veniret in manus Eglon, & vt omnes perirent: quod elati arrogantia & tumido supercilio suum deum, quem vnice colere debuerant, asper-

nati sint, & eius præcepta præuaricati fuerint, placata tamen dei clementissimi, & in suos indulgentissimi ira, vbi coeperunt suam agnoscere culpam, miserus est deus sui populi, eumque abduxit à seruitute regis Moab: quibus excitauit saluatorem Aioth, cuius solertissima prudentia, & diuino ingenio, suos hostes subiugarit & vicerunt. ¶ At dicit quispiam probando Aioth non caruisse mendacij nota, cum obtulisset Aioth munera Eglon regi obæso & crasso, dixit: Verbum secretum habeo ad te o rex. Et ille imperauit silentium. Et cautissimè suum agebat negotium, vt ille à se omnes, qui cum illo erant, remoueret. Quod cum factum esset, iterum dixit Aioth: Verbum dei habeo ad te. qui statim surrexit de throno: extenditque dextera sinistra manum, & tulit sicam de dextro femore suo, infixitque eam in ventrem eius tam validè, vt capulus sequeretur ferrum in vulnere, ac pinguisimo adipe stringeretur. Sed quis non diceret Aioth illis occultissimis insidijs intendisse mortem Eglon? & illis blandissimis verbis sibi præripuisse ansam, & occasionem tollendi de medio Eglon? qui tamen inscius quidnam moliretur Aioth, imperauit silentium, vt familiari colloquio confabularentur. Confabulatio tamen in sanguinem conuersa est. quod si ille præsensisset verba illa veneno illita fuisse, & sub blando verborum prætextu suum intercipi interitum, nunquam sanè permisisset se huiusmodi verbis delusum iri & circumueniri. Sed beatus Augustinus negat Aioth illis verbis ex industria excogitatis admisisse mendacium. Quadoquidem verbi nomine solet etiam factum appellare scriptura, & reuera ita erat. Quod autem dixit verbum dei, intelligendum est hoc illi deum, vt faceret, præcepisse: qui eum populo suo excitauerat saluatorem. Expones Lyranus illum locum, Verbum secretum habeo ad te o rex: dicit, verbum sumi pro re verbo significata, quia intendebat eum occidere in secreto. In aperto enim non poterat propter assistentes. Nec tamen excusat eum à mendacio, cum dixit: Verbum dei habeo ad te: quia licet illud mendacium non fuerit perniciosum, fuit tamen officiosum: quia fuit ordinatum ad interfectionem pessimi idololatæ & tyranni super populum dei: propter quod commendabatur Aioth, non tamen propter mendacium. Sed hæc opinio non mihi potest suadere Aioth incidisse in mendacium. Nam ex sincera literæ intelligentia compertum est deum suscitasse Aioth saluatorem filiorum Israel, vt eos à durissima Eglon seruitute eriperet. Quare diuino afflatus genio, intendebat & volebat facere, quod deus volebat ipsum agere, & exequi quicquid deus illi præceperat. Volebat autem deus illum huiusmodi verbis vt, quibus commodius enecaret Eglon: alioqui si vir ille prudentia insignis, sciuisset se prolapsurum in mendacium, nunquam intentasset factum: nec intendebat Eglon decipere, sed intendebat mortem illius, ad liberandum populum Israeliticum, quam deus volebat eum velle.

CAPVT XXV.

Apostoli fuerunt pari potestate, non tamen omnimoda, præditi.] Quam longè, latèque pateat primi Affati discussio, sciunt sacrarum literarum professores doctissimi, qui propter non paucos sacræ scripturæ locos, hanc in controuersiam adduxerunt propositionem, & vtrinque differentes, difficillimos excitarunt scrupos: Alij euangelica studia summo & exquisito expendentes iudicio, huic applauserunt assertioni: Alij omnino præferentes Petrum cæteris apostolis, dissenferunt, & in aduersam abierunt opinionem. Conabimur tamen toto Marte persuadere, cum ex euangelicis literis, tum ex selectissimis sacri eloquij interpretibus, apostolos fuisse Petro pares potestate ordinis. Christus (vt Matthæi decimo octauo scribitur) dicebat suis discipulis: Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo. vbi nisi quis in plena luce cæcutiat, & delyret importunè, nolens prompto animo Christi verbis auscultare, facile intelliget, & ratiocinando eorum monstrabit, Christum contulisse suis apostolis potestatem abstergendorum quorumcunque scelerum. quod si suis clauibus quidpiam in terris retinerent ligatum,

Nume. 12.

Theophy.

Hebre. 5.

Exo. 28.

Augustinus

Iosephus.

Chrysofo.

Leuiti. 8.

Augustinus

Iudicum 3.

Lyranus.

Matt. 18.



& in caelis retineretur: si quid verò ab eis laxatū fuerit & dimissum in terris, dimitteretur & in caelis. Nec videtur Christus, cum generatim & forma vniuersali locutus est, suis contulisse apostolis praescriptam & praefinitam alligandi & soluendi vitij potestatem. Qui enim dicit, quaecunque alligaueritis, nullum excludit crimen, & peccatum, quod ligari non possit. & pari ratione contendes de solutione criminum. Nec ad hunc vel ad illum discipulum, deslectenda sunt verba, sed ad omnes. Hunc

Hieronymus Matthaei locum enarrans Hieronymus, dicit in hunc modum: Potestatem tribuit apostolis, vt sciant qui a talibus condemnantur, humanam sententiam diuina sententia roborari: & quodcunque ligatum fuerit in terra, ligari pariter & in caelo. Nec obscurū est ex illo loco (vt dicunt quidam non indocti interpretes) colligere, Christum eandem contulisse potestatem suis apostolis, quam promiserat Petro, vt Matthaei decimosexto ostenditur: Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in caelis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in caelis. Et licet locus ille, qui habetur Matthaei decimo octauo: Quaecunque alligaueritis super terram, &c. potissimum intelligatur de vinculo & ligamine anathematis & excommunicationis (vt innuit Glossa interlinearis) eo quod praecedentia id innuere videntur. Nam edisserens Christus de potestate iudiciaria, quam habet Ecclesia in rebelles, contumaces, & pertinacissimos, quos iure punit sua censura, & gladio spiritali, dicit: Si non audierit ecclesiam, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. tamen communis ecclesiarum Doctorum sententia, non solum explicat locum illum de vinculo & solutione, anathematis, sed etiam de vinculo & solutione cuiuscunque delicti. Verū ne calumniatoribus prebeatur ansa subterfugiendi, proferam quod Christus dixit suis discipulis, post suam resurrectionem: & id habetur Ioannis 20. Accipite spiritum sanctum, quorum remisistis peccata, remittentur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. nam perspicuum est, Christum non solum hanc dixisse Petro, sed omnibus apostolis, quibus inspirauit gratiam spiritus sancti, vt detergerent sordes animarum, & in occultissimis poenitentiae & confessionis secretis, siue (vt fertur) in interiori foro poenitentiae, absoluerent homines a suis delictis. Nec dixit Christus, horum vel istorum hominum, nec hanc vel illa peccata: sed quorumcunque hominum, & in generali peccata, vt nullum sit tam enorme, tamque atrox & crudele scelus, quod non possit ministerio, & officio apostolorum deleri & extingui. Beatus Chrysostomus edisserens hunc locum Ioannis, dicit: Quomodo Rex praefectos mittens, vt in carcerem reos intrudant, vt liberent, potestatem praebet: ita Iesus discipulos dimittens, hac munit autoritate. Et in eodem loco dicit contra impudentissimos & arrogatissimos haereticos, nihili facientes sacramentum poenitentiae, magnam esse dignitatem sacerdotum, vt quaecunque remiserint peccata, sint remissa. Ex factis Doctoribus eandem comprobabo assertionem. Beatus Hieronymus, libro primo aduersus Iouinianum, dicit apostolos clauas regni caelorum accepisse, licet in Petro, singulari munere super omnes apostolos id fieret: & ex aequo super eos ecclesiae fortitudinem solidari: tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tollatur occasio. Idem sentire videtur in 18. cap. Matthaei, ad locum illum, In illa hora accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Quis putas maior est in regno caelorum? Et aduocans Iesus paruulum, statuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum caelorum. Quicumque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno caelorum. vbi dicit Hieronymus. Quia viderant pro Petro & domino idem tributum redditum ex aequalitate pretij, arbitrati sunt Petrum omnibus apostolis esse praelatum: qui in redditione tributij, domino fuerat comparatus: ideo interrogant, Quis maior in regno caelorum? Videns Iesus cogitationes eorum, & causas erroris intelligens, aduocans puerum, dixit: Quicumque se humiliauerit, &c. Nec lato quidem vngue a sententia Hieronymi discedit beatus Chrysostomus, homilia quadragesima septima, in decimum tertium caput Matthaei,

vbi dicit Christum praeposuisse Petrum caeteris apostolis, nec quisquam est, qui ad dubitet: tamen ab omnibus pariter leprosi mundabantur, mortui suscitabantur: omnibus enim aequaliter potestas fuit concessa. Expende quae vim verborum, & verissimam sententiam, ex eo quod dicit, omnibus aequaliter potestatem fuisse concessam. Quod si velis calumniari verba Chrysostomi, exponendo de aqua potestate, in depellendis morbis corporis, & sanandis infirmitatibus, ac eiciendis de monibus humana obsidentibus corpora, hac tecum cogrediar ratione: Qui enim discipulis suis dedit potestatem spirituum immundorum, vt eijcerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem, vt Matthaei 10. & Marci 3. pariter Lucae 6. ostenditur: ex quibus equidem morbis corpus ipsum infestantibus, morbos animi mystice, symbolice, & spiritaliter omnium sane iudicio deprehendimus & intelligimus, & eidem impartitus est potestatem remittendi peccata, vt Ioan. 20. ostenditur. Quod si ex illa Matthaei, & aliorum euangelistarum autoritate, desumpseris potestatem spirituum immundorum, & scorpionum subigendorum: pariter profigandae aegritudinis corporeae, ex aequo fuisse collatam apostolis: & desumere debes, & verè colligere, ex illa Ioannis sententia, Christum aequam contulisse potestatem suis apostolis remittendi peccata. Haec, nisi me mea fallat opinio, sese offerunt omnibus peruia, & omnium oculis excipienda. Astipulatur & huic opinioni beatus Augustinus in 19. caput Ioan. Tractatu 118. Cum enim Petrus dixit, Tu es Christus filius dei: vnus (vt scribit) pro omnibus respondit, & ideo vni pro omnibus datae sunt clauae regni caelorum. Nec ab istis Doctoribus ecclesiasticis euariat Origenes, homilia prima in Matth. vbi dicit asseueranter, & constanti iudicio, Christum dixisse apostolis omnibus, quod Petro dixerat: & non solum apostolis, sed omnibus quibuscunque perfectis fidelibus: saltem in eo quod dixit: Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Verè enim extruitur domus Christi super eos, qui non solum fatentur Christum esse filium dei viui, sed coram scelestissimis & perditissimis tyrannis, confitendo Christum sincero pectore, sese exponunt periculo mortis, minus reformidantes homines, quam deum. non tamen dixit omnibus Christianis, quaecunque ligaueritis super terram, &c. alioqui praecipitium fieret facile in haerem. sed quod dixit Petro confitenti Christum esse filium dei, quod super hanc firmissimam fidem, suum moliretur aedificium sanctissimum, & quod ligarentur in caelis, quae in terris ille ligasset: ex consequio dixit omnibus apostolis eadem fide insignitis, quod super hanc petram, videlicet hanc fidei confessionem, suam domum extrueret: & solueret in caelis, quae illi in terris soluisent: & ligaret, quae ab eis ligata fuissent. Adde quod beatus Cyprianus acerrimè hanc defendit opinionem, & pedibus, manibusque in eandem intentionem, Tractatu de simplicitate Praelatorum, vbi dicit, postquam recensuit ea, quae habentur de Petri fide in Christum, Matth. 16. Et quamuis apostolis omnibus post resurrectionem suam, parem potestatem tribuat, & dicat: Sicut misit me pater, & ego mitto vos: accipite spiritum sanctum. Si cui remisistis peccata, remittentur illi: Si cui tenueritis, tenebuntur: tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem, sua autoritate disposuit. Hoc erat vtiq; & caeteri apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio praediti, & honoris, & potestatis: sed exordium ab vnitatem proficiscitur, vt ecclesia vna monstraret. Haecenus Cyprianus. Sentit cum Origene Tertullianus, libro 4. aduersus Marcionem, vbi dicit Petrum pro omnibus respondisse, cum dixit: Tu es Christus filius dei. quod si tacito animo, bona tamen fide, idem senserint caeteri apostoli, quod sensit Petrus, tamen si verbis non expresserint, aut saltem id non exprimant Euangelistae, & hanc viua voce fidem propalauerit Petrus caeteris audacior, & feruentior, ac paratior ad omnia officia peragenda: inficiari nemo poterit Christum ob hanc promptam & cordatam fidem, mentibus apostolorum insitam, exhibuisse id muneris apostolis, vt possent mederi animorum morbis, & hominum peccata remittere. ¶ At obijciat quispiam etiam cum admiratio-

Matth. 10.
Marci. 3.
Lucae 6.

Augustinus

Origenes.

Cyprianus.

Ioan. 20.

Tertullianus

ne: Qui fieri potest, vt Christus soli Petro nominatim, & quasi singulari quodam privilegio, & insigni munere, ac eximia prerogatiua dixerit: Quia tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Vbi graece legitur *ὅτι σὺ εἶ πέτρος*, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρῃ ἀικοδομήσω μὲ τὴν ἐκκλησίαν, id est, quod tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. *ὅτι* enim quod, & non quia designat. & ceteri apostoli sunt pares Petro: Cum locus ille planè prætere videatur, Petrus fuisse præfectum ceteris apostolis in regimine supremæ potestatis ecclesiasticæ, cui præest, & superior est dignitate & potestate ceteris ministris. Et vt res ipsa apertius innotescat, proferam authores præcellenti ingenio, & acri iudicio præstantes, qui summam in interpretandis sacrae scripturae locis adepti sunt auctoritatem. Augustinus libro primo Retractationum, cap. 21. dicit ad illum Matthæi locum: Tu es Petrus, & c. Petrum dici à petra, & per petram intelligi fidem Christi, quem Petrus confessus est: & Petrum figurasse personam ecclesiæ: quod si mutato nomine Simonis, tam excellens, tamq; præclarum nomen voluerit Christus imponere Petro, hoc sanè nequaquam factum fuisset, sine grandi mysterio. Et vt Christus primatum hunc vique adeo insignè inter ceteros apostolos cõferret Petro, duo munera huic summo pastori largitus est: Alterum, quod super huiusmodi petram, suam extrueret ecclesiam: Alterum, quod Petro nominatim, & specialiter (vt ita loquar) contulerit claves regni cælorum. quod si ex Augustino, Petrus gesserit typo quodam, personam ecclesiæ, aut figurauerit, & potestas ecclesiæ sit excellentior & superior potestate vnus apostoli, haud dubiè colligendum erit, Petrum fuisse ceteris apostolis potestate & auctoritate superiorem. Idem Augustinus in 21. cap. Ioannis, dicit Petrum à petra nominatum, & non petram à Petro. Petra enim 1. ad Corin. 10. cap. erat Christus, quemadmodum Christus non dicitur à Christiano, sed ediuersa: ita nec petra à Petro, sed ediuersa. Et cum dicitur, Tibi dabo claves regni cælorum, vniuersa significatur ecclesia in Petro, qui abundantiore gratia dictus est primus apostolus. Et quia Petrus confessus est Christum esse filium dei: ideo intulit Christus, super hanc petram, videlicet super meipsum, aut mei confessionem, aedificabo ecclesiam meam. Nam 1. ad Corin. 3. dicitur, Fundamentum quippe aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus. Existimat tamè Theophylactus Christum aedificasse suam ecclesiam super Petrum, dicens ad illum locum sæpissimè prolatum: Remunerat Petrum dominus, mercedem dans illi magnam, quod supra eum aedificauit ecclesiam. Hinc colligunt multi, Petrum dici petram, supra quam deus decreuerat suam extruere ecclesiam. Idem annotat Hylarius Canone 16. super Matthæum. Nec ab hac digreditur opinione Chryso. super Matthæum. Et hanc eandem aliquando amplexus est opinionem beatus Hieronymus, Tomo 2. Epistola ad Marcellam, vbi dicit, dominum super Petrum suam fundasse ecclesiam: sed intelligendum est super fidem Petri, & non super talem hominem. Nam in 7. cap. Matthæi, videtur oppositum innuere ad locum illum, Fundata erat supra petram, à qua Petrus nomen sortitus est, & non à seipso. Licet dicere possent nonnulli Petrum sortitum nomen à petra primaria & suprema, scilicet à Christo stabilissimo totius Ecclesiæ fulcramento: Et Petrum dici petram ecclesiæ, non quidem primam simpliciter & supremam, sed primam respectu aliorum apostolorum, & quidem vicariam, vti dicitur caput Ecclesiæ secundarium & vicarium. Sed hæc grata sunt his, qui scarent distinctionibus scholasticis nequaquam aspernandis, modo sobriè & ad causam rei, de qua contendimus, tractentur. Diuus Cyprianus in epistola primi libri tertia, videtur dicere super Petrum esse fundatam ecclesiam: Petrus tamen, inquiens, super quem ab eodem domino fundata fuerat ecclesia. Sed excusabis Cyprianum, quod Petrum hic non pro homine, sed pro typo acceperit, quod propemodum indicant quæ sequuntur: Vnus pro omnibus loquens, & ecclesiæ voce respondens, ait: Domine quo ibimus? Annotare non pigebit & quidem cursum, Petrum Graecis saxum significare *πέτρος*, quemadmodum &

Cephas Syro sermone, vt testis est Hieronymus, nõ Hebraico, soliditatem sonat: Illum Christus saxum appellat, quod solidus sit in confessione fidei, & non vulgarium opinionum leuitate huc & illuc vacillet: & super istam petram, id est, solidam istam fidei professionem, extruam ecclesiam meam: in quo fundamento si constiterit, nec inferi quicquam aduersus illam poterunt, nedum homines. Sed An extructa sit Ecclesia super Petrum, an potius super petram, latius declarabitur libro quinto. Ad hæc facit quod scribit Origenes, homilia sexta in Matthæum, dicens Petro datas esse claves regni cælorum, & non vnus cæli: alijs verò solutoribus & ligatoribus, datas claves vnus cæli: quia non sunt in tanta perfectione sicut Petrus, vt alligent vel soluant in omnibus cælis. Hæc Origenis verba, planè insinuare videntur & exprimere, ex diuerso locutionis modo, fortiores & potentiores claves, fuisse datas Petro, quàm ceteris apostolis. Idem Origenes testatur, homilia secunda in Euangelium Ioannis, Petrum esse summum verticem apostolorum. Nec ab eo dissentit Chrysostomus in 21. cap. Euangelij Ioannis, ad locum illum, Pasce agnos meos, pasce oues meas: vbi dicit, Petrum esse os & principem apostolorum, & omnibus alijs dimissis, duntaxat Christum eum affatur his verbis: Petre dilige me! & cum dixit Petrus respondendo, Tu scis domine, quod te diligo: Subito subnectit Christus, Pasce agnos meos, pasce oues meas: cui curam suorum fratrum commisit. Ex illo Ioannis loco manifestissimè deducunt, non solum Doctores scholastici, & qui cultu non mediocri obseruant & suspiciunt Romanum pontificem, in quem furit Lutherus vesana infania correptus: & stomachando debachatur ore sacrilego, Admirandam vicarij Christi potestatem, & maiestatem, verumetiam Doctores ecclesiastici, qui plurimum, & honoris, & dignitatis, Romano pontifici deferunt. Cui dic quæso, qui faues Lutheranismi, & oblectaris nocentissimo huiusce hæreseos fermèto, dixerit Christus præterquam Petro nominatim, & ex quadam prerogatiua, Pasce oues meas? vt summa cum diligentia & inquieto studio, gregi totius Christianismi, mundè & sanctè pascendo, incumberet, inuigilaret, & vigilando insisteret? Nec sum eo retuso & crasso ingenio, ac fracto iudicio, vt non intelligam Episcopos omnes, sedulis vigilijs, & assidua cura debere prædicationibus, verbo, honestis officijs, & optimis exemplis, suas pascere oues, & suppeditare his, quibus præsent, alimoniam spiritalem. Sed illis particularis incumbit cura, quemadmodum beato Ioanni apostolo & euangelista, commendata est Ecclesia Ephesina: beato Iacob fratri domini, Ecclesia Hierosolymitana: Andrea, Ecclesia Achaia: Matthæo, Aethiopia: Thomæ, Indica: Petro verò & Romano pōtifici, vniuersalis: quæ Christus voluit esse caput vicarium vniuersalis Ecclesiæ: à quo pendet administratio ecclesiastici regiminis. Christus enim docens apostolos, quis illorum futurus esset maior, dixit Simoni: Simon, ecce Sathanas expetiuit vos (verius depoposcit siue postulauit, vt dicit Ambrosius, libro primo de vocatione Gentium, capite vltimo. graecè siquidem habetur *ἐπιπέσκει*) vt cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. quibus verbis, docuit Christus Petrum futurum superiorem suis fratribus: alioqui non ei iniunxisset onus cõfirmandi alios apostolos, quos diabolus postulauerat vt cribraret sicut triticum. Vt autem Petrus rectius posset officium sibi commissum exercere, Christus promittit illi se rogaturum patrem, vt non permittat fidem illius perire. ad quem locum explanandum, dicit Theophylactus: Tu verò conuersus, confirma fratres tuos. Planus huius intellectus is est, Quia te habeo vt principem discipulorum, postquam me negato fleueris, & ad pœnitentiã veneris, confirma ceteros: hoc enim te decet, qui post me, ecclesiæ petra es fundamentum. Hæc ille. Præterea Tertullianus in libro de Præscriptionibus hæreticorum, disputans contra eos qui dicebant, apostolos non omnia ad fidem necessaria sciuisse, apertè innuere videtur, Christum hoc manus insigniter contulisse Petro, vt primario & vberius ei donaretur claves regni cælorum, & ita loquitur: Quis enim integre mentis

Origenes.

Chryso.
Ioan. 21.

In Lutheri.

Lucæ. 22.
Ambrosius.Theophyl.
ctus.

Tertullian.

Ioan. 13.
Ioan. 19.
Matth. 17.
Hylarius.
Ambrosius.
Thomas.

credere potest, aliquid eos ignorasse, quos magistros dominus dedit, indiuiduos habitos in comitatu, in discipulatu, in conuictu, quibus obscura quæque seorsum differebat, illis dicens datum esse cognoscere arcana, quæ populo intelligere non liceret. Latuit aliquid Petrum ædificandæ ecclesiæ petram dictum, clauis regni cælorum consecutum, & soluendi & alligandi in cælis & in terris potestatem. Latuit & Ioannem aliquid dilectissimum domino, pectori eius incubatæ, cui soli dominus Iudam traditorem demonstrauit, quem loco sui filium Mariæ demandauit. Quid eos ignorasse voluit, quibus etiam gloriam suam exhibuit, & Moysen, & Eliam: & insuper de cælo patris vocem, non quasi cæteros reprobans, sed quoniam in tribus testibus stabit omne verbum. Hactenus Tertullianus. Cuius verba si quis exactè expenderit, intelliget Christum suis discipulis, & his potissimum, quos vnice amabat, & cum quibus familiari consuetudine conuersabatur, propria & singularia quædam contulisse munera. Ioanni dedit supra pectus domini in cœna recubuisse: eidem & Iacobo & Petro tribuit, vidisse dominum in gloria maiestatem transfiguratum. Petro autem contulit ecclesiæ petram esse, clauis regni cælorum consecutum, & soluendi, & ligandi in cælis, & in terris potestatem. Insuper diuus Hylarius, Canone 7. in Matth. ex eo colligere videtur Petrum dici apostolatus principem, quod primus crederit. Idem propemodum sentit Ambrosius, Sermone 47. dicens Petrum primum in nationibus fidei fundamenta posuisse. Et hac ratione videntissima certabit quispiam: Si tanta resideret potestas in cæteris apostolis atque in Petro, fuissentque omnes apostoli pares potestate & officio, dicendum non esset Petri auctoritatē & potestatem esse præstantiorem & superiorē potestate cæterorum apostolorum. Et hinc eliciendum esse, quælibet episcopum, & simplicem sacerdotem, cui commissa est potestas absoluendi & ligandi, non minus, imò æquè facile, atque Romanum pontificem, posse absoluere poenitentem à quocunque crimine, etiam truculentissimo & facinorosissimo. quod profecto Ecclesiasticis sanctionibus aduersatur, & plurimum potestati & auctoritati Romani pontificis detrahit. Et ex hac effræna & immoderata dicendi licentia, sequeretur vnumquemque episcopum & sacerdotem, posse plenas conferre indulgentias, quod est absurdissimum. Condonationes enim peccatorum minimè præscriptæ & indeterminate, attribuuntur ex peculiari officio, Romano pontifici, qui vnicique particulari episcopo præscribit certum ecclesiasticæ institutionis officium, vt tot tantisque largiatur indulgentias. ¶ Argumeta illa plurimum habent momenti, ad suffulcendum secundam assertionis partem: quibus tamen ne videantur primam enuntiationem subuertere, adhibebitur responsio. Fateor quod viri clarissimi & doctissimi fatentur Christum peculiariter & singularim soli Petro dixisse, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: & Tibi dabo clauis regni cælorum. vt obseruando vnitatem ecclesiasticam, vnus esset inter apostolos dux primarius & verè classicus, qui eis præfesset & præficeretur. Nec tamen ex hoc debet quispiam colligere, apostolos inspecta ordinis potestate non fuisse pares. Nec munus illud collatum Petro siue gratia, impedit quominus possent cæteri apostoli absoluere reum à quocunque crimine, obseruando semper summa cum diligentia clauis ordinis, quæ ex se extenduntur ad omnia peccata abstergenda per absolutionem sacramentalem. Cum enim Christus dixit apostolis, Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis: nullum ex ordine apostolorum exclusit ab hoc officio & potestate: nec aliquod excepit peccatum. Et hæc est veritas, quam sequi debemus: à qua nunquam diuelli potuerunt Ecclesiastici Doctores, quos protulimus ad approbandum potestate ordinis. Beatus Thomas (vir profecto & ingeniosissimus & eruditissimus, cui in palestra & exercitatione scholastica nemo est secundus, & cuius copiosissimam, solidam, & incredibilem doctrinam, semper prædicaui & laudaui) dicit in 4. Senten. distin. 19. Dubio 3. quæstionis primæ, omnes sacerdotes esse æquales, quātū ad potestatem ordinis: non autē quātū ad iurisdictionem. Et in eadem quæstione discutienda

asserit potestatem clauium in se consideratam, ad omnes sacerdotes extendi: sed quod hic vel ille sacerdos, non possit in aliquem huiusmodi potestate vti, ex eo contingit, quod eius potestas est ad aliquos specialiter limitata & præscripta. Ex quo elicias veritatem primæ partis propositionis assumptæ: Apostolos fuisse pares, potestate quidem ordinis, quam Christus non determinauit, nec astrinxit, cum dixit suis ex æquo apostolis: Quorum remiseritis peccata, &c. tamen nonnulli voluerint dicere, Christum astrinxisse huiusmodi potestatem, ex speciali commissione facta Petro de regimine vniuersalis ecclesiæ, cum dixit Christus Petro, Pasce oues meas. Sed vnicique cōstanti iudicio præcellenti, notum euadit Christum ex illo loco non abstulisse potestatem, quam cōtulerat suis discipulis paulò antea: nec illic differere de potestate absoluendi in foro poenitentia. Sed solum voluit Petrum præficere suæ ecclesiæ militanti, & ei committere curam & negotium Christianorum, cui contulit vniuersalem iurisdictionem super cæteros Ecclesiæ antistites, vt plenas conferret indulgentias: indiscriminatim absolueret ab omni crimine: & rebelles Ecclesiæ, ac contumaces excommunicaret: congregaret concilium generale: & omnibus Ecclesiæ ouibus pascendis diligenter incumberet. & hæc vniuersalis iurisdictionis non est collata cæteris apostolis. Idcirco secunda pars nostræ assertionis euadit nota, quod scilicet apostoli non fuerunt pares omnimoda potestate, loquendo de potestate iurisdictionis. In additionibus ad tertiam partem Summæ, beati Thomæ, quæstione octaua, ad sextum dicitur, quod quilibet sacerdos, quantum est ex virtute clauium, habet potestatem indifferenter in omnes, & quātū ad omnia peccata: sed quod non possit omnes ab omnibus peccatis absoluere, hoc est, quia per ordinationem Ecclesiæ, habet iurisdictionem limitatam, vel omnino nullam habet. Durandus (vir profecto felici ingenio natus, & acerrimus disputator, à cuius latere in scholasticis speculaminibus & argutijs, dum gererem magistratum Sorbonicum, nunquam discessi, & cui acceptum refero quicquid ab eodem didici) visus est aliquando dixisse & defendisse (vt ipsemet testatur 4. Senten. distin. 19. quæstione 2.) quod quilibet sacerdos circūscripta ecclesiæ ordinatione, potest quilibet peccatorem à quouis peccato absoluere. Nam cum quilibet sacerdos sit debitus minister sacramenti poenitentia, & confessio sit debita materia omnium peccatorum, & forma debita sit hæc: Absoluo te, &c. tunc videtur esse verum sacramentum. Sed ab hac opinione defecit, & communem sequutus orbitam, scripsit, non quemlibet peccatorem posse absolui à quolibet sacerdote: nec solum propter ecclesiasticam institutionem, verumetiam propter Christi ordinationem. Et hac mouetur ratione: Christus soli Petro commisit curam & regimen totius sui gregis. Sed potestas clauium ordinis in ligando & absoluendo in foro poenitentia, & potestas iurisdictionis in ligando & absoluendo in foro contentioso, est in ecclesia propter curam ouium Christi, ergo ad solum Petrum, & eius successorem, spectat vti vtraque clauis in quemlibet Christianum, & nulli alteri id muneris conceditur, nisi ex commissione Petri vel successoris. quod si quis simplex sacerdos absoluat à quocunque crimine, id obtinet à Petro, vel eius successore proxime, vel remote. Sed vnum est, quod me vehementer angit & torquet. Si quis enim sit repente efflaturus animam & demigraturus ex hoc mundo, enormi quodam scelere inquinatus, nec sit confugium & recursus ad Romanum pontificem, aut episcopum illius parochi, qui vult promptè se submittere simplici sacerdoti, nonne potest talis sacerdos eum absoluere ab huiusmodi peccato, imò à quocunque? Potest, vt ille vult: & idem sentiunt omnes Theologi, etiam si nolit Romanus pontifex, aut episcopus illius subditi, hunc infirmum & à vita decedentem absoluere. & cum casus necessitatis non mutet ministrum, videtur proculdubio, quod & antea poterat talis sacerdos hunc hominem poenitentia afflictum, absoluere. Nec est dicendum, quod simplex sacerdos accipiat tunc potestatem absoluendi talem poenitentem à Petro aut eius vicario, quia nō vult, quamuis deberet id velle. non enim priuilegium da-

Durandus.

tum est Petro ad destructionem, sed ad adificationem. & ecclesia tacite vel expresse indulget & concedit huic sacerdoti, vt talem absoluat. Sed faxit, quæra si hanc non acceperit potestatem à Christo. Dices eum accepisse, sed Petri iussu aut ecclesie: ita quod non primo & immediate accepit hanc à Christo potestatem. Sed relinquendo certamen, & propro ad Durandum, qui dicit, quod in illa hypothesi cessaret illud priuilegium Petri, & staretur primæ ordinationi Christi, de potestate clauium ordinis, quæ se extendit ad omnem peccatorem, & ad omne peccatum. vsus tamen illius potestatis debet esse, præsupposita potestate Petro collata secundum ipsius ordinationem. Hoc lubenter exoiculus, & agnosco discussis hominum placitis recurrendum esse ad viuos & purissimos Euangelij, & verbi diuini fontes. Quod si quilibet sacerdos inspecta potestate, possit quemlibet absolueret, & hæc à Christo emanauit potestas in sacerdotes, videtur haud dubie colligendum, quemlibet sacerdotem ex Christi institutione, consideratis semper illis clauibus, posse quemlibet poenitentem à quocunque peccato absolueret. Licet Ecclesia ad vitanda scismata, & scandala, & abusus, prudenter hanc determinauerit & præscripserit potestatem: vt non quilibet sacerdos esset minister huius sacramenti poenitentiae, sed sacerdos habes iurisdictionem, & institutus ab ecclesia & sede apostolica. Aliter Thomas diluit argumētum, dicens Ecclesiam acceptare, quod in casu necessitatis quilibet sacerdos possit absolueret à quocunque peccato: & sic habet aliquis vsus iurisdictionis, quamuis iurisdictione careat. Ad alias rationes iam patet responsio. Nec velim inficiari Petrum aliqua in re & officio fuisse superiorem cæteris apostolis, eo quod fuerit electus & institutus à Christo princeps apostolorum: nec propterea licet inferre apostolos non fuisse pares, quantum ad potestatem expositam, videlicet quantum ad potestatem ordinis. Tantum honoris & autoritatis velim eis tribui & deferri, quantum voluit Christus. Et ne offenderem pijs aures, & infirmis adferrem offendiculum, cum dixi apostolos fuisse pari potestate præditos, adijcere volui consulto, particulam hanc, non tamen omnimoda: tamen antiquissimi interpretes sacrae scripturae, & orthodoxi patres, eam non adiecerunt. Licet enim apostolis data sit communiter potestas ligandi & soluendi: vt tamen in hac potestate ordo aliquis obseruaretur, primo soli Petro data est hæc potestas, & quidem singulari munere, vt intelligamus hanc potestatem ab eo in cæteros dimanasse & descendisse. Idcirco dixit ei Christus singulariter: Confirma fratres tuos, & pasce oues meas: loco mei (vt dicit Chryostomus) præpositus & caput esto fratrum, vt ipsi te in loco meo assumentes, vbique terrarum te in throno tuo sedentem prædicent & confirment. Studebo quantum potero & dabo operam, vt vitem mali suspensionem: & ne cuiuspiam præbeam ansam deflectendi à constitutionibus ecclesiasticis. Me totum submitto censuris facultatis Theologiae Parisiensis, quæ fidei ab incurfionibus hereticorum tuenda firmissimum est propugnaculum, & arx inexpugnabilis. Gratianus causa 2. quaestione 7. cap. Paulus, ostendit ex Hieronymo Paulum fuisse parem Petro, puritate vitæ, & sanctitate conuersationis, non autem officio ecclesiasticae dignitatis. Solus enim Petrus inter apostolos primatum gerebat. Hieronymus in epistolam Pauli ad Galathas, dicit Paulum reprehendisse Petrum, quod non auderet, nisi se non impari sciret. Et cap. Puto, declaratur ex Augustino, libro de vnico baptismo, quod licet episcopi sint pares meritis, non tamen gradu dignitatis. Et ad hunc modum loquitur Augustinus: Puto quod sine vlla sui contumelia, Cyprianus episcopus Petro apostolo comparatur, quantum attinet ad martyrij coronam: cæterum magis vereri debeo ne in Petrum contumeliosus existam. Quis enim nescit illum apostolatus principatum cuiuslibet episcopatus præferendum? Sed etsi distat ca thedrarum gratia, vna tamen est martyrum gloria. Testatur Caietanus omni disciplinarum genere præditus, & inter recentiores scholasticos solertissimus, libello equidem de Authoritate Papæ, omnes apostolos fuisse pares executione potestatis, non quidem simpliciter & absolute. Nam Petro incubebat ex officio plura suæ po-

Gratianus.

Caietanus.

testatis exequi officia: sed quantum ad alliciendum infideles ad fidem, ad seminandum Euangelium pacis, & ad abstergenda scelera, vt dominus disposuerat: etiam erant pares quantum ad defensionem fidei, non autem quantum ad authoritatem regimini ecclesiastici. Nec diuersum est ab huius Doctoris sententia, quod dicit Ioannes Eckius, vir in sacris literis apprime versatus, lib. 1. de Primatu Petri, aduersus Lud. Eckius. derum impudētissimè & indoctissimè attestantè, Petrum solū habuisse in cæteros apostolos Primatum honoris & non potestatis: Apostolos fuisse æquales in apostolatu, & hac in re pares honore & potestate: nō tamē æquales regimine prælationis. Nam solus Petrus inter apostolos fuit pastor vniuersalis Ecclesiæ à Christo institutus.

CAPVT XXVI.

Apostoli in initio fuerunt à Ioanne Baptista baptizati.] Verisimile existimant aliqui, apostolos antequam abluerentur, & mundi fierent gratia spiritus sancti, & baptismo Christi, fuisse à Ioanne baptizatos. Nam cum omnis Iudæa, & Hierosolyma ad Ioannem contenderet, & proficisceretur circa Iordanem, vt illoti à Ioanne baptizarentur, cōfidentes peccata sua, quæ postea erant baptisate Christi detergenda, & huiusmodi mysterium, & ad baptisma Christi præludium ac præparamentum, Christi apostolos minimè lateret, nec aspernarentur, quod deus instituerat: etiam vt cæteros ad huiusmodi lotionem allicerent, quo tandem ad verum & sacrum Christi baptismum, paulatim obscurando & extinguendo Iudæorum ceremonias, pellicerentur, prompto animo sese submiserunt Ioanni baptismo. Quod comprobatur nec quidem futuri ratione Chryostomus, Tomo primo, homilia prima. Etenim si meretrices, ac publicani, ad baptismum illum venerunt, multo magis venerunt hi, qui post erant baptizandi spiritu: vt Actorum 1. ca. refert Lucas, vbi Christus promittens se missurum suis apostolis spiritum sanctum in specie equidem visibili, dicit: Quia Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini spiritu sancto, non post multos hos dies. Augu. Epistola 108. Seleucianæ, dicit quosdam codices sic habere: Vos autem baptizabimini spiritu sancto: alios verò, Vos autem incipietis baptizari. vbi res eadem exprimitur, & in hoc veritas non vitatur, sed aperte reprehendit huiusmodi versionem. Nam (inquit) in quibuscunque codicibus inuenitur, vos autem baptizabimini (tamen in quibusdam codicibus Augustini legatur baptizabitis) aut incipietis baptizari, mendosi sunt, qui ex Græcis facillimè conuincuntur. Græcè tamen habetur *ὅτι ἡ βαπτισματικὴ οὐ πνευματικὴ ἐστίν*. vulgata editio sic vertit, Vos autem baptizabimini spiritu sancto, & arbitror veram esse versionem. Nec aliter Erasmus Græcarum literarum peritissimus vertit, tamen ommissa sit coniunctio, & vertendo ex Græco posset repeti *οὐ*, id est, in. Et Erasmus dicit interpretem rectè omisisse coniunctionem, vt sit sensus, Baptizabimini spiritu sancto, per spiritum sanctum. Ita quod Christus vult innuere, recipietis spiritum sanctum in specie visibili, non post multos hosce dies, videlicet in festo Petecostes. Et hæc diuina, & omnium votis expetenda spiritus sancti susceptio, per metaphoram (vt annotat Lyranus ad 1. ca. Actorum apost.) dicitur baptismus, eo quod gratia spiritus sancti, vnctio dicitur, vt ostenditur 1. Ioan. 2. ca. Sed vos vnctionem habetis à sancto, & nostis omnia, & vnctio quam accepistis ab eo, maneat in vobis. Refert Rabanus (cōfentiens cum Chryostomo, quod apostoli fuerunt in initio baptizati à Ioanne) in quibusdam libris sic haberi: Vos autem vngemini spiritu sancto. Videtur Augustinus aliter sentire, quam Chryostomus, Epistola 108. Seleucianæ, contra Nouatianos, vbi dicit magis esse credibile, apostolos fuisse baptizatos baptismo Christi. Neque enim ministerio baptizandi defuit, vt haberet seruos baptizatos: per quos cæteros baptizaret, qui non defuit memorabilis illius humilitatis ministerio, quando eis lauit pedes: & petenti Petro, vt non tantum pedes, verum etiam manus & caput ei lauaret, respondit: Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet: sed est mundus totus. vbi intelligitur, quod iam Petrus baptizatus fuerat: contra errorem Nouatiani, dicentis Petrum non fuisse baptizatum baptismo Christi: & E. j.

Eckius.

Matth. 3.

Chryosto.

Acto. 1.

Augustinus

Lyranus.

1. Ioan. 2.

Rabanus.

Augustinus

Ioan. 13.

infantissimè intelligentis locū illum, Vos autem baptizabimini spiritu sancto: ex quo indoctè quis colligeret, apostolos non prius fuisse baptizatos aqua, baptismo Christi. Ioannis enim tertio dicitur: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest intrare in regnum dei. Et quis nescit ante solemnitatem Pentecostes, apostolos fuisse renatos aqua & spiritu sancto? non tamen in specie visibili, sicut tunc fuerunt illustrati & perfusi cælesti rore spiritus sancti, & confirmati in gratia. Nec voluit negare Chrysostomus, quin fuerint apostoli, baptismo spiritus sancti repurgati: sed prius fuerunt baptismo Ioannis baptizati propter rationem assignatam. Nec putarem illum in hæresim delabi, qui diceret apostolos non fuisse baptizatos baptismo Christi, ante eius passionem eo modo, quo baptizamur, cum non sit exploratum ex sacris literis eos fuisse baptizatos illo baptismo ante Christi passionem. Si tamen Ecclesia determinasset oppositum, quamvis expressè non contineretur in sacris literis, censeretur talis hæreticus, pertinaciter ad defendens contra determinationem Ecclesiæ. Nam nondum obstringebatur ad suscipiendum baptismum Christi. Nec baptisma Christi tunc habebat vim obligandi. Et locus ille Ioannis tertio, de baptismo Christi edisserens: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, &c. non explicat ante passionem Christi, fuisse legem latam de baptismo Christi tunc temporis obstringentem Iudæos ad baptismum Christi. nondū enim sepulta erant & antiquata legalia: & adhuc existerat Circumcisio vices baptismi gerens. Sed quòd illis verbis prætendebat Christus neminem consequitur regnum dei, qui non baptizaretur suo baptismo, post sufficientem legis promulgationem, vt exponit Thomas. Qui tamen diceret apostolos nunquam fuisse baptizatos baptismo Christi, non reciperetur à Christianis bene sentiens de fide, imò suspectus haberetur. Licet tantam gratiam peccatorum omnium expultricem, potuerit Christus conferre apostolis sine huiusmodi sacramento, atque cum eodem. Augustinus enim in eadem epistola inquit: Si autem dicimus aqua nō fuisse baptizatos, metuendum est ne grauius in eis erremus: ne demus hominibus auctoritatem contemnendi baptismum, quem vsque adeo non contemnendum ipsa apostolica disciplina commendat, vt Cornelius Centurio, & ij qui cum illo erant, etiam iam accepto spiritu sancto fuerint baptizati. Sicut antiqui iusti, si nō circunciderentur, non erat eis peccatum: postea verò quā iussit deus vt circuncideretur Abraham, cuiusque posteritas, iam si non fieret, graue peccatum fuit. Sic etiam postquam dominus Christus in Ecclesia sua sacramentum noui testamenti, pro circuncisione carnis, sanctum baptismum dedit, & apertissimè dixit: Si quis non renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum. Iam non debemus quærere quando quisque fuerit baptizatus, sed quoscunque legimus in corpore Christi, quod est Ecclesia, pertinere ad regnum cælorum, non nisi baptizatos intelligere debemus: nisi forte quos angustia passionis inuenit, & nolentes negare Christum, antequam baptizarentur, occisi sunt: quibus ipsa passio pro baptismo deputata est. Sed nunquid hoc possumus de apostolis dicere, qui vsque adeo largum tempus habuerunt quo baptizarentur, vt alios etiam baptizauerint? Sed non omnia quæ facta sunt, etiam scripta inueniuntur, veruntamen facta esse ex cæteris documentis probantur. Scriptum est quando baptizatus sit apostolus Paulus: & scriptum non est, quando baptizati sint alij apostoli: veruntamen etiam ipsos baptizatos intelligere debemus, quemadmodum scriptum est, quādo baptizatae sint plebes Ecclesiarum in Hierusalem, & Samaria: quando autem baptizatae sint aliæ plebes Gentium, quibus apostoli epistolas miserunt, non est vti que scriptum: & tamen etiam ipsas baptizatas vti que minimè dubitamus, propter illam domini sententiam: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum. Hactenus Augustinus. Ex cuius sanctissima & abditissima doctrina, decerpimus id quod paulò antè diximus, ne quis in fide nutabundus hæsitet & vacillet.

¶ At dicit quispiam: Videtur innuere beatus Augustinus Christū suos baptizasse

Ioan. 3.

Acto. 10.

Gene. 17.

Acto. 9.

Acto. 8.

apostolos, cum dicit Christum ministerio baptizandi non defuisse, qui non defuit memorabilis illius humilitatis ministerio, quando eis lauit pedes. Lauit antè pedes suorum, manibus contingendo. Videtur quoque manibus suis, suos intinxisse purissima & sanctissima baptismatis aqua. Pugnabimus tamen ex eodem in aduersum, quòd id non senserit, tamen validissima sit illius prolata auctoritas. Nam in eadem epistola, exponens duos Ioannis locos, qui videntur inter se pugnare, quamuis non pugnent, in quorum altero dicitur: Post hæc venit Iesus & discipuli eius in Iudæam terram, & illic morabatur cum eis, & baptizabat. In altero habetur: Vt ergo cognouit Iesus, quia audierunt Pharisei, quòd Iesus plures discipulos facit, & baptizat, quā Ioannes (quanquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius) dicit Christum baptizasse presentia maiestatis, non autem manibus suis. & subiungit: Ipsius enim erat baptismi sacramentum: ad discipulos autem baptizandi ministerium pertinebat. ¶ Respondebo paucis, & dicam: quòd arbitraret Augustinum velle attestari, apostolos non fuisse à Christo baptizatos, sed forsitan à seiuicem. Nam nisi pugnet secum, id asserendum est. In eadem quippe Epistola, apertius suam prodit & profert sententiam, dicens ad Ioannem, Christum baptizasse quidem, non per seipsum, sed per discipulos: etiam dicitur baptizasse, quòd eis contulerit potestatem baptizandi, pariter quòd contulerit gratiam baptismi. Et cum vrget ex eodem, Christus non defuit ministerio baptizandi, qui non defuit ministerio lauandi pedes suorum: alterum sanè suis manibus exercuit, vt planè Ioanis decimotertio ostenditur: Alterum suis ministris voluit fieri. non defuit prompto animo, & propensā voluntate ministerio baptizandi. quòd si res exposulasset, id muneris obijisset. etiam non deest ministerio baptizandi, qui per suos ministros largitur gratiam baptismi. sed quòd ministravit suis manibus huiusmodi sacramentū, non dicit Augustinus, nec intelligit. Dic melius, & tibi applaudā. nisi velis dicere Augustinū disseruisse probabiliter in vtramque partem: & ex eodem defumuntur rationes non inutiles, ad suffulciendam vtramque partem. In illa epistola non affirmat Augustinus apostolos fuisse à Christo baptizatos, sed dumtaxat dicit magis esse verisimile, apostolos fuisse baptismum Christi baptizatos. Dominus tamen Lyranus refert in 3. ca. Ioanis, Augustinū dixisse, Christū baptizasse suos apostolos suo baptismo, scilicet aqua & spiritu sancto: eo qd Aug. in 3. ca. Euang. Ioan. dicit: Dat dominus baptismū baptizatus à seruo, sed facile est hoc interpretari. Et connectens adinuicē illos duos Ioanis locos, dicit Christū primò baptizasse suos discipulos, quòd facile crederē. Nā cœpit Christus facere, & docere. Tū etiā alia sacramenta per seipsum exercuit. postea soli discipuli baptizabāt, Christo circa altiora docēda occupato. Et in eodem capite dicit opinionem Chrysostomi non esse consonam scripturæ sacræ dicentis (vt refert) illud baptismum, quo apostoli baptizabāt ante passionem Christi, fuisse dumtaxat baptismum Ioannis, itaque solum in aqua baptizabant. Et hac mouetur ratione: Baptismus Christi nondū erat institutus, eo quòd in baptismo Christi datur spiritus sanctus, qui non est datus ante Christi resurrectionē. Nam 7. cap. Ioannis dicitur: Nondū erat spiritus datus, quia nondū erat Iesus glorificatus. Sed hanc rationem dissoluit Lyranus, dicens non esse verū, quòd dicit Chrysostomus, baptismū Christi tunc non fuisse institutū. Nam tunc temporis fuit institutus baptismus Christi, quādo data est virtus producēdi gratiā baptismatis: hoc autē fuit quando Christus à Ioanē baptizatus, tactu suæ sanctissimæ & mūdissimæ carnis, virtutē regenerandi contulit aquis. & hæc assertio defenditur à Doctōribus, licet necessitas vtēdi hoc sacramēto fuerit inducta post passionē. quia in passione Christi, terminata sunt: figuralia sacramenta. Nec veritati consentaneū est apostolos baptizasse baptismum Ioan. Nā subortæ sunt altercationes & cōtentiones de baptismo Christi à discipulis Ioanis & à Phariseis, cōtra Ioannē, qd Christus logè plures baptizaret, qd Ioannes: & qd omnes ad eū cōfluērēt: quòd nō esset verū, si Christus? & eius discipuli baptizassent baptismum Ioanis: quia nō cederet in Ioanis dedecus & detrimentū, quòd

Ioan. 13.

Ioan. 3.

Ioan. 4.

Lyranus.

Acto. 11.

Ioan. 7.

tamen opinabantur discipuli Ioannis, sed potius in eius honorem. Et cum dicitur, Nondum erat spiritus datus, &c. intelligitur quod nondum erat datus & missus missione visibili: & hoc modo non dabatur in baptismo Christi, ante eius ascensionem: dabatur tamen inuisibilis gratia spiritus sancti, sicut & modo datur. Haec tenus ille.

CAPVT XXVII.

Apostoli ante passionem Christi acceperunt spiritum sanctum, pariter & post resurrectionem, diuersimode tamen. Non erit difficile, nec obsecurum, depromere ex sacris literis, apostolos cum ex lympidissimis Christi fontibus sacras exhaurirent literas, & Euangelicam imbiberent doctrinam, fuisse spiritus sancti gratia perfusos. Scribitur enim in Euangelio Matthaei: Et convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut eijcerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem. Nec potuissent fugare demones, & proijcere spiritus immundos, ac noxijs & corporum & animorum morbis mederi, citra diuinam operam, & spiritus sancti subsidium. Et cum eos misit, ut euangelica legatione fungerentur, nec exhorrescerent inimicissimas luporum incurfiones, nec ullius regis aut principis minis exterrerentur, dixit, ut in eodem capite scribitur: Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Ille sane diuinus erat genius, & caelestis aura, quae suauissimè apostolorum mentibus insusflabat, & inspirabat quid dicendum erat, & respondendum. Adde, quod cum Christus ad se accersit Petrum & Andream fratres, in mare sua mittentes retia, ut Matthaei quarto narratur, & ait illis: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum: confestim abiectis retibus, secuti sunt eum. & eodem pede inceserunt Iacobus Zebedaei, & Ioannes frater eius. Nec citra diuinam gratiam, & spiritus sancti prouidentiam & benignitatem, comitati fuissent Christum. Nam dicit Christus: Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo. quod autem datur à patre, datur & à spiritu sancto, si munus illud ad nos promanauerit. Insuper cum Christus interrogati uncula pulsaret mentes apostolorum, dicens: Vos autem, quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus filius dei viui. Respondens autem Iesus, dixit ei: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in caelis est. Perpende quæso à quo profluxit diuinus ille sermo Petri, & euangelica confessio, quod Christum adorando, eum vocauerit filium dei. Si solum spectes liberum arbitrium, vehementer hallucinaris, & toto caelo oberras. Non enim sufficiens erat, ut compertum est ex eo, quod Christus dixerit: Non enim caro & sanguis reuelauit tibi, sed pater meus qui in caelis est, ut hoc verbum summa religione instructum eloqueretur. Similiter Petrus ardentis charitatis incendio exarsuans in Christum, dixit pro omnibus commilitonibus suis verbum deferens, cum Christus percontaretur, si nam à suo vellent comitatu deficere: Domine ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes: & nos credimus & cognouimus, quia tu es Christus filius dei: ad hoc pie & sanctè pronuntiandum vnà cum sincera fide, Petrum compellebat & mouebat spiritus sancti gratia. Nec digre dimur à Hiero. dicente, Tomo 3. quaest. 9. Ego autem audacter & tota libertate pronuntio, ex eo tempore, quo apostoli domino crediderunt, semper eos habuisse spiritum sanctum, nec potuisse signa facere absque spiritus sancti gratia, sed pro modulo & mēsurā. Vnde saluator clamabat in templo, dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, Flumina de ventre eius fluent aqua: viua. Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Et in eodem loco infert: Nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondum fuerat glorificatus: non quod non esset spiritus sanctus, dicente domino: Si autem in spiritu dei eijcio demones: sed quia erat in domino, nec non totus in apostolis morabatur. Quāobrem terreretur ad passionem eius, & negat, & Christum se nescire iurat. Quae autem diuersimode receperint spiritum sanctum, facile est

Matth. 10.

Matth. 4.

Ioan. 6.

Matth. 16.

Ioan. 6.

Hieronymus

Ioan. 7.

2. Paral. 16.

Matth. 12.

ex euangelicis scripturis colligere, si docente apostolo Paulo, spiritus sancti diuersas gratias nouerimus. Scribit enim in prima epistola ad Corin. Diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus: Et diuisiones ministracionum sunt, idem autem dominus: Et diuisiones operationum sunt, idem autem deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifestatio spiritus ad utilitatem. Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiae: alij autem sermo scientiae, secundum eundem spiritum: alteri fides, in eodem spiritu: alij gratia sanitatum, in vno spiritu: alij operatio virtutum: alij prophetia: alij discretio spirituum: alij gratia linguarum: alij interpretatio sermonum. Haec omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Apostoli igitur prima die resurrectionis, cum Christus ianuis clausis ad eos introiuit, & dixit: Pax vobis, & intulit: Sicut misit me pater, & ego mitto vos. & cum haec dixisset, insusflauit, & dixit eis: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis: & quorum retinueritis, retenta erunt: acceperunt spiritus sancti gratiam, qua peccata dimitteret, & baptizaret, & filios dei faceret, & spiritum adoptionis credentibus largirentur. Die autem Petrecostes eis amplius repromissum est, ut baptizarentur spiritu sancto: specie quidem visibili, qua eis apparuit: & indueretur virtute ex alto, qua Christi Euangelium cunctis gentibus praedicaret. Iuxta illud quod psalmo 67. legitur: Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa, ut haberent operationem virtutum, & gratiam sanitatum, & praedicaturi multis gentibus, acciperent genera linguarum, ut iam tunc cognosceretur, qui apostolorum, quibus deberet gentibus nuntiare. Et haec deducuntur partim ex Euangelio Lucae, vbi dicit Christus post suam resurrectionem suis discipulis: Ego mitto promissum patris in vos: vos autem sedete in ciuitate, quoad usque induamini virtute ex alto. Et partim ex Actis apostolorum, vbi refert Lucas Christum praecipisse apostolos, ne discederent ab Hierosolymis, sed expectarent promissionem patris, quam audistis (inquit) per os meum. Quia Ioannes quidem baptizauit aqua: vos autem baptizabimini spiritu sancto non post multos hos dies. Et in eodem cap. dicitur, quod Christus eis pollicetur est, quod acciperent virtutem superuenientis spiritus sancti. Et ca. 2. ostendit Lucas adimpletam fuisse promissionem, cum ait: Et cum compleretur dies Petrecostes, erat omnes pariter in eodem loco, & factus est repente de caelo sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant sedentes, & apparuerunt illis dispersitae linguae tanquam ignis, seditque super singulos eorum, & repleti sunt omnes spiritu sancto, & coeperunt loqui varijs linguis, prout spiritus sanctus dabat eloqui illis. Tunc completum est illud quod legitur in Iohele: Et erit in nouissimis diebus, dicit dominus, Effundam de spiritu meo super omnem carnem: Et prophetabunt filij vestri, & filiae vestrae, seniores vestri somnia somnabunt, & iuuenes vestri visiones videbunt. Verbum autem effusionis, significat gratiae largitatem, & id ipsum sonat quod dominus repromissit. Et postquam apostoli effusissimam hanc spiritus sancti largitatem, & largissimam copiam receperunt, nullius minis exterriti, liberè loquebantur principibus Iudaeorum, existimantes magis obediendum esse deo, quam hominibus. Interim mortuos suscitauit, inter flagella laetatur, fundit sanguinem pro Christo, & supplicijs suis coronatur. Ea laborauit animi vecordia Motanus, ut dixerit: quicquid prophetae praedixerat de amplissima spiritus sancti largitate, quae profundenda erat super apostolos, non in apostolis, sed in se fuisse completum. Nam Christus insusflando contulit gratiam spiritus sancti suis apostolis, & non Motano. Et Ioannis 14. dicit Christus: Ego rogabo patrem, & alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, spiritum veritatis. cum dicit paraclitum alium, ostendit se esse paraclitum, id est, consolatorem. Haec bona ex parte ex Hiero. in quaestione citata sumpsimus, vbi ostendit Lucam & Ioannem hac in re non pugnare adinuicem. Beatus Chrysostomus in commentarijs Ioannis in locum illum: Accipite spiritum sanctum: refert quosdam dixisse, Christum non dedisse spiritum sanctum, sed idoneos ad eum accipiendum per insusflationem reddidisse. Nam si Daniel viso angelo perterritus est, quid illis arcanam illam gratiam accipiendo visu venisset, nisi prius eos Iesus praeparasset: ideo inquit, non dixit, Accipistis, Eijj.

1. Corin. 12.

Ioan. 20.

Psal. 67.

Lucae 24.

Acto. 1.

Acto. 2.

Iohe. 2.

Ioan. 14.

Chrysosto.

sed accipite spiritum sanctum. Ioannes tamen planè scribit eos accepisse spiritus sancti gratiam, licet tunc non receperint spiritum sanctum ipsorum mentibus per speciem ignis illa ipsum. Vnum tamen dicit Chrysoströmus: Non tamen quispiam erraret, si tunc eos potestatem quandam & gratiam spiritalem accepisse diceret: nõ tamen ut mortuos suscitarent, & virtutes ostenderent, sed ut peccata dimitteret. differentes enim sunt gratiæ spiritus sancti. quare addidit: Quorumcumque remiseritis peccata, remissa sunt, ostendens quod virtutis genus largiatur. Post quinquaginta autem dies si gnorum operationem acceperunt. ideo inquit: Accipietis virtutem venientis in vos spiritus sancti, & eritis mihi testes. Nec dissentit meo iudicio Chrysoströmus à Hieronymo. Eiusdem videtur esse sententiæ beatus Cyrillus, dicens in suis commentarijs ad vigesimum caput Ioannis, apostolos in die resurrectionis accepisse spiritum sanctum in arrabonem & pollicitationem: & in die Pentecostes eos habuisse expressiorem gratiæ operationem. Augustinus Tomo quarto, libro vno 83. quæstionum, quæstione 62. dicit ipsa visibili demonstratione spiritus sancti, qui aduentus eius dicitur, ineffabili vel etiam incogitabili modo largius in hominum corda plenitudinem eius infusam. Et in eodem loco eos obiurgat & condemnat, qui afferuerunt spiritum sanctum non fuisse in hominibus ante domini visibilem clarificationem, impulsu & comoti autoritate Ioan. Spiritus nondum erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. non enim præterit diuus Ioannes spiritum sanctum nulli homini datum esse ante Christi passionem, sed nondum sic apparuerat, ut omnes eum datum esse faterentur. quod si ante Christi clarificationem in nullius mentem venisset, nulliq; sanctissimo viro illapsus fuisset, quomodo dicere potuit Dauid, Et spiritum sanctum tuum ne auferas à me? Aut quomodo impleta est Elizabeth, & Zacharias vir eius, ut prophetarent? & Anna, & Simeon: de quibus omnibus scriptum est, quod impleti sunt spiritu sancto.

CAPVT XXVIII.



Postoli bis fuerunt vocati: & in prima vocatione à Christo discedentes, non deliquerunt. Ne quis arbitretur me vtramque huiusce assertionis partem meo elaborasse Marte, & mea peculiari opinione id velle asserere, ut neminem habeam mihi in hac re ducem primarium, Proferam Chrysoströmum, vtriusque partis assertorem doctissimum & commendatissimum. Is etenim homilia 14. in 4. cap. Matthæi ad locum illum: Et ambulans iuxta mare Galileæ, vidit Simonem qui dicitur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes retia in mare, & dicit eis: Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. Hi autem relictiis retibus secuti sunt dominum: dicit hanc secundam vocationem fuisse: cum Ioannes dicat eos aliter vocatos. Nam Andreas, & Simon qui dicitur Petrus, antequam Ioannes Baptista in carceres conijceretur, accesserunt ad Christum, & priusquam secederet in Galileam. Ad hunc modum post Christi baptismum narrat Ioannes Euangelista, Altera die iterum stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo. & respiciens Iesum ambulans, dicit: Ecce agnus dei. Et audierunt eum duo discipuli loquentem, & secuti sunt Iesum. Conuersus autem Iesus, & videns eos sequentes se, dicit eis: Quid queritis? Qui dixerunt ei: Rabbi (quod dicitur interpretatum magister) vbi habitas? Dicit eis: Venite, & videte. Venerunt, & viderunt vbi maneret: & apud eum manserunt die illo, hora autem erat quasi decima. Erat autem Andreas frater Simonis Petri vnus ex duobus, qui audierat à Ioanne, & secuti fuerat eum. Inuenit hic primū fratrem suum Simonem, & dicit ei: Inuenimus Messiam, quod est interpretatum Christus, & adduxit eum ad Iesum. Intuitus autem eum Iesus, dixit: Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. Meminit autem Matthæus huiusce vocationis, postquam Ioannes detrusus est in vincula. Andreas apud Ioanniseuangelium, Petrum accersit ad Christum, postquam à Christo fuerat vnā cum suo condiscipulo vocatus. Matthæus verò docet ambos à Christo vocatos. Nec mihi persuadere possum, Christum Andream ad se accersit

dixisse Petro, Tu vocaberis Cephas, & hoc insigni nomine appellaberis, si Petrus ad Euangelicam Christi scholam vocatus non fuisset. Et Matthæus planè nõstrat Simonem iam vocatum Petrum, cui Christus (vt refert Ioannes) dixerat: Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. Videtur tamen sentire Augustinus, libro secundo de consensu Evangelistarū, capite decimo septimo, vnicam fuisse apostolorum vocationem: sed hæsitabundus ratiocinatur, & toro sudat ingenio, vt Matthæum & Ioannem cõponat: vbi ad hunc modum philosophatur, & quidem subtiliter: Si iuxta Iordanem antequam Iesus isset in Galileam, ad testimonium Ioannis Baptiste secuti sunt eum duo, quorum erat vnus Andreas, qui fratrem suum Simonem continuo adduxit ad Iesum, quando & nomen, vt Petrus vocaretur, accepit: quomodo ab alijs Evangelistis dicitur, quod eos in Galilea piscantes inuenirit, atque ad discipulatum vocauerit, nisi quia intelligendum est, non sic eos vidisse tunc dominum iuxta Iordanem, vt ei iam inseparabiliter cohererent, sed tantū cognouisse quis esset, eumq; miratos ad propria remeasse? Nam & in Chana Galileæ cum fecisset de aqua vinum, dicit idem Ioannes, quod crediderint in eum discipuli eius, quod ita narrat: Et die tertio nuptiæ factæ sunt in Chana Galileæ, & erat mater Iesu ibi. Vocat⁹ est autem & Iesus, & discipuli eius ad nuptias. Qui vtique si tunc in eum crediderunt, sicut paulò post dicit, nondum erant discipuli, cum ad nuptias vocati sunt. Sed illo more locutionis hoc dictum est, quo loquimur, cum dicimus apostolū Paulum in Tarso Ciliciæ natum. neque enim tunc iam erat apostolus. Ita discipulos Christi inuitatos ad nuptias cum audimus, non iam discipulos, sed qui futuri erant discipuli, intelligere debemus. Iam enim vtique discipuli Christi erant, quado ista narrata atque cõscripta sunt. Et ideo sic de illis locutus est temporū præteritorū narrator. Quod autē dicit idem Ioannes: Post hæc descendit Capernaū ipse, & mater eius, & fratres eius, & discipuli eius, & ibi manserunt nõ multis diebus: incertū est vtrum iam illi adhæserat. Hactenus Augu. & longè copiosius differit de hac re. Verisimile est, vt autumat Chrysoström. Petrū & Andream prius quidem audiuisse Christū, & eum secutos: postea verò cum & Ioannem in carcere ligatum, & ipsum secessisse vidissent, reliquistq; eos magistrū, atque ad artem propriam reuertisse. Sic denique piscantes eos inuenit. Quod autē non deliquerint primū à Christo deficiendo, sic probat Chrysoström. Christus neque prius eos cum vellēt abire prohibuit: neque quia discesserāt, in finem reliquit: sed cõcedens eis cum resilire voluerunt: ad eosdē iterū capiēdos venit, qui certe est optimus spiritalibus quoque piscationis modus. Perpende verò & fidē & obedientiā vocatorū, & cognosces q̄ dulcis sit piscatio. Siquidē in medio ipsius operis cõstitutū, cum illū audissent iubentē, nihil distulerūt, nihil omnino cūctati sunt: nõ dixerūt reuertemur domū, loquemur propinquis: sed cuncta ilico relinquētes, fecerūt, quod Heliseus quoque sub Helia legitur implese. Talē quidē à nobis obedientiā Christus efflagitat, vt neque punctum temporis differamus, etiā si nos aliquid necessariū vrgere videatur. Propter quod, & aliū quendā accedentē ad se, & rogantē, vt ad sepeliendū patrē rediret, ne id quidē facere permisit, ostēdens quia Christus cūctis sit etiā necessitudinib⁹ præferendus. Theophylactus ne latū quidē vnguem deflectit à Chrysostrōmi sententiā, dicens ad illum Matthæi locū: Venite post me, faciā vos piscatores hominum: Vnde manifestū, q̄ hæc secūda vocatio sit: antea enim docti erant à Christo, deinde reliquerūt eum, nūc autē viso ipso statim sequuti sunt. Scribit Lyranus ad 4. cap. Matthæi ad locū illū: Venite post me, faciā vos fieri piscatores hominum: Apostolos ter à Christo vocatos. Prima vocatio fuit immediatē post baptismū Christi, vt habetur Ioan. 1. ca. quādo duo discipuli Ioannis audierūt ipsum dicentē de Christo: Ecce agnus dei, & secuti sunt Iesum. Secūda vocatio fuit in captura piscium, quā describit Lucas, dicēs, quod Christus propter turbas irruentes ascendit in nauem Petri ad prædicandum: & finita prædicatione, iussit laxari rete in capturam piscium: & Petrus visā multitudine piscium captorū, sciens quod non poterat esse virtute humana,

E. iij.

Cyrillus.

Augustinus

Ioan. 7.

Psal. 50.
Luc. 1. & 2.Chrysostrō.
Matth. 4.

Ioan. 1.

Ioan. 1.
Augustinus

Ioan. 2.

Theophylactus.

Lyranus.

procidit ad genua Iesu, dicens: Exi à me domine, quia homo peccator sum. Stupor enim circumdederat eum, & omnes qui cum illo erant, in captura piscium quã cæperant. Similiter autem Iacobum & Ioannem filios Zebedæi, qui erant socij Simonis. Et ait ad Simonem Iesus: Noli timere, ex hoc iam eris homines capiēs. Et subductis ad terram nauibus, relictis omnibus secuti sunt eum. Augustinus tamen dicit eos nondum fuisse vocatos, etiam quod Lucas refert exprimendo, sed quod Petro dictū sit, quodd esset piscaturus homines. Sed illæ duæ vocaciones non fuerunt propriè ad apostolatū, sed ad quādam familiaritatem. Tertia autem (vt subnectit) vocatio fuit ista, quam describit Matthæus, quando relictis omnibus, secuti sunt Iesum, amplius ad prædicta negotia non reuersuri, sed intendentes doctrinæ Christi.

CAPVT XXIX.

Apostoli tres formas doni spiritus sancti acceperunt.] Hæc propositio est decerpta ex beato Augustino, Tomo 4. in quæstionibus noui testamenti, quæstione 42. vbi ad hunc modum scribit: Trium ergo officiorū formæ doni spiritus sancti in apostolos datæ sunt. Prima est, quæ generalis est, quæ in Pentecostè data est, non solū in apostolos, verū etiā in omnes decedit spiritus sanctus credētes, vt loquerētur magnalia dei linguis diuersis, vnius gētis homines. Quod possū cōprobare ex eo quod scribitur in Actis apostolorū: Apparuerūt illis dispersitæ linguæ, tanq̃ ignis: seditq; super singulos eorū, & repleti sunt omnes spiritu sancto. q̃ si præterderet Lucas attestari spiritū sanctū dumtaxat in duodecim apostolos decidisse, frustra addidisset, omnes, cum fuissent illic apostoli præsentēs. Nec ab Augustini sententiā discedit Chrysostomus, Tomo 1. homilia 4. in Acta apostolorū, enarrās locū citatū, vbi dicit: Quid autem, an in duodecim venit tantum, nō etiā in cæteros? Nequaquā, sed etiā venit in illos centū viginti. Neque enim temerè Petrus allegauit prophetæ testimoniū, dicens: Et erit in nouissimis diebus, dicit dominus deus, Effundā de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabūt filij vestri, & filia vestra, & iuuenes vestri visiones videbūt, & senes vestri somnia somniabunt. Et paulò post dicit Chrysostomus, ad locum illum: Repleti sunt omnes. Quum & apostoli essent illic præsentēs, haudquaquā dixisset omnes, nisi cæteri quoque fuissent participes. Alioqui quū illos antea seorsum ac nominatim sit eloquutus, nunc non cōiunxisset illos in eodem negotio, nisi fuisset omnium cōmune. Secunda forma specialis est. Non enim pertinet ad omnes credētes, sed ad episcopos tantū, vt baptizatis per manus impositionē dent spiritū sanctū, quæ inter episcopos potest dici generalis. Probari potest ex Actis apostolorū hanc sacram potestatem, collatā fuisse dumtaxat apostolis & episcopis. Cū audissent (vt scribit Lucas) apostoli qui erāt Hierosolymis, q̃ recepisset Samaria verbū dei, miserūt ad eos Petrū & Ioannē. Qui cum venissent orauerūt pro ipsis, vt acciperēt spiritū sanctū. Nondū enim in quenq̃ illorū venerat, sed baptizati tantū erant in nomine domini Iesu. Tunc imponebāt manus super illos, & accipiebāt spiritū sanctū. Adde quod Innocētius Papa huius nominis primus, vir moribus & doctrina clarissimus, Decentio Eugenio episcopo scribens, cap. 3. sic ait: De consignandis verò infantibus manifestū est ab alio fieri, q̃ ab episcopo non licere. Nam presbyteri licet sint sacerdotes, pōtificatō tamē apicē nō habēt. Et me vehemēter distorquet quod dicit Lutherus: Cōfirmationē non esse sacramentū, neque cōferre gratiā, imò nullū sacramentū conferre gratiā: cum tamē apostoli per manus impositionē cōfirmarēt, & darent spiritū sanctū, ex officio quidē & ministerio. Nec aliā ob causam testatur viri ecclesiastici sacramenta quædam iterari non posse, videlicet Baptismū, Cōfirmationē, & sacramentū Ordinis, nisi quia cōferūt characterē qui deleri non potest. Faxit Deus vt Lutherus sordidissimo hæreseos luto volutatus, respiscat, & loco acerrimi ecclesiæ persecutoris, sit propugnator fortissimus. Tertia forma est, quæ solis apostolis est cōcessa, in signis ac miraculis faciendis ad fidei incrementū.

Semina enim fidei, sunt virtutes per Apostolos factæ. Ostenditur planè in Actis Apostolorū ipsos apostolos eximia fecisse miracula. Nam Petrus sanauit quēdam ab ytero matris claudū, qui quotidie deferebatur ad portam tēpli, quæ dicitur speciosa: nec quidē sua virtute aut potestate, sed gratia dei in nomine Christi. Et alibi dicit Lucas: Per manus autē apostolorum fiebant signa & prodigia multa in plebe. Et erant vnanimiter omnes in porticu Salomonis. Itaque facta sunt ab apostolis prodigia, temporis gratia & non personarum (vt dicit Augu.) quia tempus eos inuenit, quo dominus donum suū effudit super terram, vt potestatem acciperent, ad exemplum credentiū per spiritum sanctū faciendarum virtutum. vt autē præfente domino dæmonia pellerēt, & virtutes cæteras facerēt, apostolis potestas data est, vt sine inuocatione nominis imperarent dæmonijs, aut cæteris agrorū passionibus, & salutis prosequeretur effectus. Hac scilicet rationis potestate qua vsi sunt propheta, Helias, Heliseus in virtutibus faciendis. Denique dicit Saluator discipulis suis: Amen, amen dico vobis, si quid petieritis à patre in nomine meo, dabit vobis: vsque modo non petistis in nomine meo. petite & accipietis. Quoniam ergo sine inuocatione nominis fecerunt virtutes apostoli, non tamen omnino sui nominis potestate. Per id enim quod ab ipso missi erant, qui dæmonibus & passionibus terrori erant, ipso metu fugabātur dæmonia, & infirmitates curabātur. Itaque nomē domini tacite operabatur. Denique apostolus Petrus dicit Iudæis inter cætera, In nomine Iesu Christi Nazareni, quem vos abnegastis & crucifixistis, hic astat sanus coram vobis. Nec quidem aliud nomen datum est sub cælo, in quo oporteat nos saluos fieri.

CAPVT XXX.

Apostoli habuerunt maiorem gratiam quàm Prophetæ.] Hanc colligo propositionem ex Beato Ambrosio, & ex alijs doctoribus ecclesiasticis. Dicit Ambrosius in suis commentarijs in epistolā Pauli ad Colossenses, ad cap. 2. vbi dicit Paulus: Nam etsi corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum gaudēs. Si enim spiritus Helisei prophetæ vidit fraudem Giezi euntis ad Naaman Syrū, vt acciperet sub nomine eius, quæ illi mādāta nō fuerant, & descendente prompto animo Naaman ei plus dedisse quàm fuerat postulatus, quanto magis apostolus ea quæ dixit, poterat in spiritu videre? Maior enim gratia fuit in apostolis quàm in prophetis, & vt promptiores illos faceret circa traditionem euangelij, gaudere se dicit in dispositione conuersationis illorū, vt scientes vnde deo placeatur, in eo fierent firmiores, per quod digni effecti ad vtilitatis profectum, fidei suæ addicerent sensum. Plurimum accedit id quod scribitur in Euangelio Marthei, ad hanc suffulciendā afferriorem: Amē dico, vobis, quia multi propheta & iusti cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. Quem locū enarrans Hieronymus, inquit: Abraham vidit in ænigmate, & in specie Christū, vos autem in præsentiarū tenetis, & habetis dominum vestrum, & ad volūratem interrogatis & conuescimini ei. Et apertissime locum hunc enarrans Chrysostomus, nobis mirū in modum fauet, dicēs: Hic enim non solum perditis illis anteposit, verū etiā prophetis ac iustis præstantiores esse asserit atque beatiores. Quare ita? quoniā non solum ista aspiciunt quæ illi non viderunt, verū etiā quæ illi videre cupierūt, isti oculis cernunt. Nam fide illi etiam intuiti hæc fuerūt, sed isti multo clarius omnia perspexerūt. Fauorabilis est & huic opinioni Theophylactus, in explicatione eiusdē loci, vbi dicit apostolos in duobus præcelluisse prophetas: quod corporaliter Christū viderint, & quod maiorem notionem de deo habuerunt. Adde quod apostoli habuerunt à Christo primitias spiritus in ecclesia. Quod planè indicat Paulus 1. ad Corint. 12. vbi dicit: Primū posuit in ecclesia apostolos: quem locū explanans Chrysostomus dicit, idcirco Christum prælocasse apostolos, quia habebāt omnia donorum genera. Neque dicit alios apostolos, alios prophetas deū in ecclesia locasse: & plures dicit fuisse prophetas in no-

Augustinus.

Acto. 2.

Chryso.

Iohelis 2.

Acto. 8.

Innocentius Papa.

In Lutherū.

Io. 1. 4. & 16.

Act. 4.

Ambrosius. Colo. 2.

4. Regū 5.

Matt. 13.

Hieronymus.

Chryso.

Theophy.

1. ad Cor. 12.

Chryso.

ua lege, quàm in veteri. Quòd si quis dixerit, legem & prophetas, etiã Christi testimonio, ad Ioannem vsque durasse, respondet idem Chrysothomus, Christũ de prophetis aduentum suum prænuntiantibus loquutum. Aliubi dicit Paulus de eadem apostolorum præcellentia: Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero Euangelistas &c. Hieronymus exponens hunc Pauli locum ad Ephesios: Et alijs generationibus nõ fuit notum filijs hominũ, sicut nunc reuelatum est sanctis eius apostolis & prophetis in spiritu, dicit patriarchas veteres & prophetas, nescisse domini sacramentũ, quomodo reuelatũ est sanctis eius & Apostolis. Licet cognouerint, non tamen tam plenè & perfectè. Aliud est enim in spiritu vètura cognoscere, aliud ea cernere opere cõpleta. Vnde & Ioãnes propheta maior prophetis omnibus dicitur: quia què ceteri prophetauerunt, ipse conspexerit, & digito demonstrarit, dicens: Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi. Idem Hieronymus dicit in 41. cap. Esaie ad locum illũ: Et tu Israel serue meus Iacob quem elegi: apostolos post seruitutem pædagogæ legis, fuisse electos in Euangelio. Nemini dubium Christum singulari & insigni electione hos viros sanctimonia præditos post illam austeram & amaram legem elegisse, quorum industria, labore, & diligentia multi infideles ad Christi cognitionem pertraherentur. Nec solum apostoli ea quæ ex ore Christi audita, vel ab illo sub oculis suis operata, dicta & facta meminerunt, verumetiam quæ priusquam illi per discipulatum adhæserunt, in eius natiuitate, vel infantia, vel pueritia diuinitus gesta & digna memoria, siue ab ipso, siue parentibus eius, siue à quibusdam alijs, certissimis indicijs & fidelissimis testimonijs requirere & cognoscere potuerunt, imposito sibi euangelizandi munere, generi humano annuntiare curarunt. Author Augustinus de consensu euangelistarum capite primo. Ex eo colligit Origenes in octauum caput Epistolæ Pauli ad Romanos ad locum illũ: Nos ipsi primitias spiritus habentes: Apostolos habuisse primitias gratiæ spiritus sancti. Quia dixit Paulus ad Corinthios: Posuit deus in ecclesia, primo apostolos. Nec eos constituisset Paulus in primo dignitatis ordine, numerum illorum recedendo, ex quibus illustratur & stabilitur ecclesia, nisi donarijs & gratijs spiritus sancti ceteros præcelluissent. Glossa ordinaria ad locum illum Exodi: Duos quoque Cherubin aureos: dicit apostolos maiora prophetis nosse. Et profert ad rei probationem, quod dicitur Matthæi decimotertio, Multi propheta & iusti cupierũt videre quæ vos videtis, & non viderunt. Et Christus maiorem scientiam post suam ascensionem eis promittit, dicens: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Dominus Lyranus enarrans locum illum Matthæi, dicit impletum fuisse in apostolis, quod antiquis patribus promissum fuerat. Notum igitur euadit, mysterium Christi magis fuisse notum apostolis quàm prophetis.

CAPVT XXXI.

Apostoli votum paupertatis ædiderunt. Non sum nescius Lutherum pertinaci iudicio, & arrogantissima quadã temeritate longe aliter sensit, qui cum conaretur perniciosissima quadã peste sensim irrepente in simpliciũ (quos callido astu delusit) præcordia, sanctissima ecclesiæ instituta, & præcepta non tam cõtaminare quàm subuertere, non solũ cachinnis spurcissimo ore & maledicentia deridendã censuit votorum monasticorum professionem, verumetiam negauit prorsus in lege euangelica, vouendi morem & vsum approbari. Contra quem aliquot sacri euangelij testimonijs, & sacrorum doctorũ assertionibus certabimus. Matthæi 19. scribitur: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. vbi Petrus tutissima cõfidentia, nomine omnium coapostolorum asseruit se omnia cõtemptim deseruisse, & sequutum Christũ, vt sanctius in honestissimo Christi comitatu viueret, & cõtanti animo, consulta ratione, ac firmissimo proposito viuendi in statu perfectionis, vnã cum spontanea promissione deo facta apud se statuit, quòd congerendis diuitijs nunquam incumberet nec inhiaret, sed

euangelica paupertate contentus viueret. Quod ne quis calũnietur, quoniã contextus ille non indicat expresse fuisse votum (licet sit facile colligere) proferam Augustinum huiusce veritatis assertorem inuictissimum. is etenim lib. 17. de Ciuitate dei, cap. 4. dicit ad hunc modum de apostolis suas fortunas relinquentibus: Dixerant potètes illi, ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te. Hoc votũ potèntissimi vouerant. Sed vnde hoc eis nisi ab illo, de quo hic continuo dictũ est? Dans votum vouenti. Alioquin ex illis essent potentibus, quorum infirmatus est arcus. Dans, inquit, votum vouenti. Non enim domino quisquam quicquã ratum voueret: nisi qui ab illo acciperet quod voueret. Hæc ille. De eisdem etiam verbis beati Petri, loquens sanctus Bernardus in declamationibus super euangelio Matthæi, illa referente ait: Arbitror verba lectionis huius ea esse, de quibus ad immortalẽ sponsum à finibus terræ clamat ecclesia: Propter verba laborum tuorum, ego custodiu vias duras. Hæc nempe sunt verba, quæ contemptũ mundi in vniuerso mũdo, & voluntariã persuasere hominibus paupertatem. Hæc sunt quæ monachis claustra replent, deserta Anachoritis. Hæc inquam sunt verba quæ Aegyptum spoliãnt, & optima quæque eius vasa diripiunt. Hic sermo viuus & efficax, conuertens animas, felici emulatione sanctitatis, & veritatis promissione fideli. Sed hæc planè indicant fœlicem voti monastici professionẽ, quam qui semel voluntariè amplexus est, non potest absque vrgentissimo negotio deserere. Adde quòd Ananias cum Saphira vxore sua, conscia pecuniæ clanculum detentæ de pretio agri venditi, repentina morte est extinctus: quoniam suum violauerat votum, quo vouerat se abdicasse dominiũ rei propriæ, cui dixit Petrus (vt in Actis apostolorum scribitur) Cur tentauit satanas cor tuum mentiri te spiritui sancto, & fraudare de pretio agri? Nonne manens tibi manebat? & venditum in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed deo. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit & expirauit. Et hoc temerarium Ananiæ factum reprehendit Hieronymus in suis commentarijs in 7. cap. 1. ad Corint. (si tamẽ sint Hieronymi) ad locũ illum: Si acceperis vxorem non peccasti, vbi sic philosophatur: Illos dicit Paulus non peccare si nubant, qui nondum deo vouerint castitatẽ. Cæterum qui vel in corde suo promissit, si aliud fecerit, habet dãnationẽ, quia primam fidem irritam fecit. Quod enim erat licitum, per votum sibi fecit illicitũ. Sicut Ananiæ & Saphiræ, quibus de pretio possessionis suæ retinere nihil licuit: ob quam causam & subita morte prostrati sunt. Hactenus ille. Cui applaudit Rabanus de eodem Ananiæ factu loquens: Videtur mendacium fuisse, quia totum vouerat Ananias. Melius est autem non vouere, quàm post votum non soluere. Nobiscum sentit Clichtoueus vir doctissimus, lib. 3. de votis monasticis, ca. 3. aduersus Lutherum. Sanctus Thomas 2. 2. quæstione 88. Arti. 4. dicit, apostolos vouisse pertinẽtia ad perfectionis statum, quando Christũ relicto omnibus, sunt secuti. Nec ex hoc elicias simili argumento Christũ vouisse, quãuis paupertatẽ amauerit. Nam imprimis quatenus deus, vouere non potuit, neque quatenus homo: quia quatenus homo, habebat voluntatem in bono firmatam, quasi comprehensor existens. Licet dicatur ex persona Christi, Vota mea reddam in conspectu timentium eum. Vbi fit mentio de corpore Christi, quod est ecclesia. Et quamuis dixerimus apostolos vsque adeo fuisse euangelicæ paupertatis amatores, vt votum huiusmodi rei emiserint, non tamen importunus locutor colligere debet, ipsos nec habuisse nec recepisse pecuniam, neque aliquid in crastinum seruasse. in quam hæresim incidit Gerardus Sagarellus & eius discipulus Dulcinus, qui hac pertinaci hæresi inquinati, vitã incendio finierunt. Et hi pauxillula ratione mouebãtur, proferentes illud Matthæi 10. Nolite possidere neque aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris. Et iterum, Nolite esse solliciti in crastinum. Sed huic tantillæ rationi respondebimus, modo ostenderimus apostolos secum detulisse pecuniã. Ioannis 4. dicitur: Cum venisset Christus in ciuitatẽ Samariæ, quæ dicitur Sichem, ipso ma-

Augustinus

1. Regũ 2.

Bernardus

Psal. 16.

Exodi 12.

Act. 5.

Hieronymus

1. ad Cor. 7.

1. ad Tim. 5.

Rabanus.

Clichtoueus

Psal. 21.

Gerardus

Sagarellus.

Dulcinus.

Mat. 10.

Mat. 6.

Ioan. 4.

Ioan. 13. nente prope fontem extra ciuitatem, discipuli eius abierunt in ciuitatem, vt cibus emerent. Rursum dicitur, quod cum dominus proditori Iudae dixisset: Quod facis fac citius, hoc neminem apostolorum intellexisse, eo quod putabant, quia loculos habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus, eme nobis necessaria ad festum transigendum, vt pauperibus succurramus. Quem locum enarrans Theophylactus dicit: Et quomodo qui alios admonet, ne portent peram, neque as, ipse autem marsupium ferebat? Ostendit quod & possessione carentem, & crucifixum mundo, magnam oportet eius partis videlicet pauperum curam habere. ex quo interpretationis loco, desumes Christum illud dixisse de non portanda pecunia, forma consilij & admonitionis, & non praeccepti. Et falsum est quod dicunt isti pseudoapostoli, non licuisse apostolis quidpiam in crastinum referuasse. Nam apud Ioannem dicitur, cum dominus ex 5. panibus & duobus piscibus satiasset 5. milia hominum, dixit postea apostolis: colligite quae superauerunt fragmenta ne pereant. collegerunt autem duodecim cophinos fragmentorum. Hic vides aliquid referuatum. sed ex verbo Christi nihil in crastinum immodica cura asseruandum est, eo fine, vt ventris curam praefereamus pani substantiali. At obiectioni illorum satisfaciendum est. Cum enim dicunt: Nolite portare neque aurum, neque argentum. Ad hoc duo dicenda sunt. Primum, aliqua fuerunt prohibita apostolis vno tempore, quae postea eis licuerunt: nec illa prohibitio erat absoluta & sempiterna, sed temporanea, ad aliquod certum tempus astricta. Sicut in eodem cap. 10. Matthaei dicitur: In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: quod referendum est ad illud tempus, quo ad praedicandum mittebantur, vt tunc non accederent ad loca gentium. Non tamen absolute & simpliciter, vt nunquam accederent ad illa loca, quae gentes inhabitant. Nam in eodem Matthaeo, postmodum dicitur, quod secessit Iesus in partes Tyri & Sidonis, quae oppida ad gentes pertinebant. Et apud Ioannem habetur, quod accessit ad Samariam. Volebat Christus eo tempore quo mittebantur apostoli, exprimere a suis deuitadam esse rerum humanarum curam, & in deo spem tuto collocandam, qui eos enutrit, nec finiret eorum labores suo defraudari premio. Dignus est enim mercenarius cibo suo, Matthaei 10. Potest quis aliter dicere cum Augustino, illud non fuisse praecceptum, sed consilium. Nam libro secundo, de Consensu euangelistarum, cap. 30. dicit, Cum dominus diceret apostolis, nolite possidere neque aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris &c. subito subiunxit: Dignus est operarius mercede sua. Vnde perspicuum est Christum ea ratione noluisse haec possideri ab apostolis, quia eos mittebat, vt ostenderet eis deberi viaticum & alimoniam ab eis, quibus euangelium annuntiabant. Plura leges apud Alphonsum a castro, libro secundo aduersus haereses.

CAPVT XXXII.

Ambrosius. 2. Corin. 11. Augustinus Ioan. 21. Postoli omnes, excepto Ioanne & Paulo, vxores habuerunt.] Haec propositio est beati Ambrosij enarrantis vndecimum caput secundae Epistolae Pauli ad Corinthios, ad locum illum: Despodi vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Quod autem Ioannes euangelista, de quo hic fit sermo, non habuerit vxorem, ex doctrina Augustini suadebimus, dicentis in 21. caput euangelij Ioannis, Tu me sequere: Sunt qui senserint, & hi quidem non contemptibiles sacri eloquij tractatores, a Christo Ioannem apostolum propterea plus amatum, quod neque vxorem duxerit, & ab ineunte pueritia castissimus vixerit. Hoc quidem in scripturis Canonicis non euidenter apparet, verum tamen id quoque multum adiuuat congruentiam huiusce sententiae, quod illa vita per eum significata est: vbi non erunt nuptiae. Et libro vno de Bono coniugali, capite 21. sic scribit, Sicut non est impar meritum patientiae in Petro qui passus est, & in Ioanne qui passus non est: sic non est impar meritum continentiae in Ioanne, qui nullas expertus est nuptias, & in Abraham, qui filios generauit. Et illius enim caelibatus, & illius conubium pro temporum distributione Christo militauerunt. sed continentiam Ioannes

& in opere, Abraham vero in solo habitu habebat. Sed quod Paulus non habuerit vxorem, suadet Hieronymus in epistola ad Eustochium De custodia virginis, dicens: Neque audiendi sunt, qui eum vxorem habuisse confingunt, qui propria voluntate & non imperio fuit virgo: & suam confirmat opinionem ex Paulo, qui cum de continentia differeret, & suaderet perpetuam castitatem, dicit: Volo autem omnes vos esse sicut meipsum. Et in eodem capite: Dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis si sic permanserint, sicut & ego. Et alibi: Nunquid non habemus potestatem mulierem circūducendi, sicut & ceteri apostoli? Nec discedit Augustinus a Hieronymi sententia, libro De moribus ecclesiae catholicae, capite trigesimo quinto, vbi dicit, ad illum Pauli locum: Velle omnes homines esse sicut meipsum, Satis ne vobis videtur apostolus & fortibus demonstrasse, quid summum sit: & imbecillioribus permisisse, quod proximum est? Nam non attingere mulierem, summum ostendit esse, cum ait: Vellem omnes homines esse sicut meipsum. Huic autem summo, coniugalis castitas proxima est, ne homo fornicatione vastetur. Videtur tamen Chrysostomus Sermone quodam De elemosyna, plane indicare Paulum habuisse vxorem, vbi dicit: Quae enim vnquam regina adeo claruit, vel magis est in omnium ore versata, vt Pauli possit sectatricis & sociae mulieris nomen, aut famam excedere? Haec enim Paulum non ad decimum vsque, aut vigesimum annum, quin ad eam vsque tempestatem, qua Paulo Christus sui praesentia obrulit, sectata est, ita vt vbique ob id virtutis laudibus abunde potita, fama & nomine celebretur, quod proculdubio maiori sibi fuit decori & ornamento, quam quaeuis corona, aut insigne aliquod regium extitisset. Verum cum Chrysostomus illic differat plurimum de ecclesia, & de eiusdem ornatu, diceret quis, Chrysostomum nomine vxoris Pauli, ipsam ecclesiam intellexisse. Aut Chrysostomum in ea fuisse sententia, vt crediderit Paulum habuisse vxorem. Origenes in 1. cap. Epistolae Pauli ad Romanos, dicit quosdam tradidisse Paulum cum vxore vocatum, de qua dicit ad Philipenses scribens: Rogo te etiam germane compar, adiuua illas quae cum ipsa sunt. Nostra tamen tralatio aliter habet, Rogo & te germane compar, adiuua illas, quae mecum laborauerunt in euangelio. Nullam tamen Origenes illic praescribit opinionem quam sequi velit. Nam & aliam refert, de Paulo sine vxore vocato. Theophylactus explicans illum Pauli locum, scribit in hunc modum: Nonnulli errore ducti, vxorem dicunt Paulum adhortari, quod tamen longe est secus. Quippe quem neque vxorem legimus habuisse, & germana coniunx dicere debuisset, si vxor illa fuisset. Dominus Lyranus enarrans hunc Pauli locum: Volo vos omnes homines esse sicut meipsum: dicit, Volo vos omnes seruare virginis & subiungit: Fuit autem apostolus virgo, vnde & in eius decollatione, in testimonium suae virginis, fluxit lac de eius corpore. Scio Chrysostomum explicare illud Pauli assertum: Volo vos omnes homines esse sicut meipsum, de continentia, id est vt sitis continentes. Sed magis & acrius vrget quod subiungit Paulus: Dico autem, non nuptis & viduis, bonum est vt permaneat sicut ego. Quomodo non nuptae eam stabilem continentiae permanentiam & stabilitatem sibi vendicabunt sicut Paulus, nisi persistierint in illibata virginitate? Adde quod Paulus patefacit omnibus durissimum matrimonij iugum, molestias, & a sincero euangelicae philosophiae studio, auocamenta. Edifferens Sedulius ad intelligentiam huius loci, sicut meipsum, dicit viduum, castum, virginemque, quod magis creditur. Nec mihi placet interpretatio Erasmi, a Hieronymo, Augustino, & a saniori opinione discedentis, qui hunc Pauli locum: Volo vos omnes manere sicut meipsum: explicans in suis Annotationibus, dicit: Vellem, inquit, omnes qui habent vxores in totum abstinere ab illis: vel ex hoc loco conijcere licet Paulum fuisse coniugem, postea quam de coniugatis agens sui facit mentionem. Haec ille. Imprimis non expetit Paulus eos qui habent vxores, in totum abstinere ab illis: nec illud potest ex contextu colligere. Nam finis matrimonij praecipuus, est partus liberorum, siue fuscitatio proles, ad dei honorem, nisi dominus deus iungat in aliquo

Hieronymus

1. ad Cor. 7.

1. ad Cor. 9.

Augustinus

Chrysostomus

Origenes

Philipen. 4.

Theophylactus

Lyranus

Sedulius

Erasmus

virginitatem vnā cum matrimonio, sicut in Beata virgine pudicissima. Nec ex illo Pauli loco licet conijcere, Paulo fuisse coniugem, imò potius contrarium ex sententia peritorum, cur igitur adderet de inuuptis & viduis: Dico autem nō nuptis & viduis, bonum est vt permaneant sicut ego? conferendo enim similitudinem continentiae Paulinae, ad non nuptas, vult Paulus inuuptas efflorere etiam perpetuo virginitatis & continentiae flore, atque ipse effloruit. Et cum dicit Paulum de coniugatis differentem, sui fecisse mentionem, hoc certe non negamus, nō quòd esset coniugatus, sed postquam de coniugatis edisseruit, vult ostendere quā sanctum sit & integrum, perpetuo virginitatis cādore enitescere, & de seipso profert exemplum, vt inuuptis consulat sanctissimū virginitatis propositum. Et licet Ambrosius dicat omnes apostolos excepto Ioanne & Paulo habuisse vxores, non tamen id posset plene ex sacris literis depromere. Nam Hieronymus scribens aduersus Iouinianū, dicit excepto Petro nō esse manifeste relatū de alijs apostolis, quòd habuerint vxores: imò dicit tacitum esse de alijs, esto quòd Petrus habuerit forū cum credidit, vxorem tamen tunc non habuit. Ibidem enim dicit Petrum habuisse vxorem, sed eo tempore quo nesciebat Euangelium.

CAPVT XXIII.

Hieronymus

Matth. 8.

Matth. 19.
Origenes.

Hieronymus

Augustinus.

Chryso.
Theophy.
Beda.
Lyranus.
Marci 10.

Adolefcens ille, cuius meminit Euāgelium Matthaei, cū dicebat Christo, se obseruasse omnia mādata, mētiebatur.] Huic astipulantur Aſſertioni, Origenes & Hieronymus. Nō enim obseruauit istud praeceptū: Diliges proximū sicut teipsum. Vnde Origenes dicit in Matthaei, homilia 8. Scriptū est in Euāgelio secundū Hebraeos, quòd cum dominus dixisset ei: Vade & vende omnia quae habes, cœpit diues scalpere caput suū, & non placuit ei. Et dixit ad eum dominus: Quomodo dicis, feci legē & prophetas? scriptū est in lege: Diliges proximū sicut teipsum, & ecce multi fratres tui filij Abrahāe amici sunt stercore moriētes prae fame, & domus tua plena est multis bonis, & non egreditur ex ea omnino ad eos. Impossibile est enim implere praedictū mandatum, & esse diuitem, & maxime habere tātas possessiones. Idē sentit Hieronymus in eundē Matthaei locū, vbi dicit, mentitur adolefcēs: Si enim quod positū est in mandatis: Diliges proximū tuum sicut teipsum, opere compleſſet, quomodo postea audiēs, vende omnia quae habes & da pauperibus, tristis abiisset? Augusti. lib. 2. cōtra literas Petiliani cap. 104. dicit in hunc modū de illo adolefcēte: Tristis ille discessit, neglector perfectionis, & elector defectiois. Et (ni fallor) videbatur adolefcēs ille plus amare diuitias q̄ deum, & esse elatus, & honoris cupidus. Nam cū dixisset, haec omnia seruaui, desiderio seruebat, vt Christus ei respondendo diceret: nihil tibi deest. Origenes tamē dicit illum adolefcētē partim esse laudandū, & partim vituperandum. Laudandū quidē, quia neque occidit, neque adulteratus est, neque quicq̄ aliud fecit quod lex prohibuit: Vituperandū, quia tristatus est in verbis Christi vocantis eū ad perfectionē. Diuersae sunt sentētia. Chrysoſtomus, Theophylactus, Beda & Lyranus, dicētes illum adolefcētē non mentitum, cum respondit Christo, haec omnia obseruaui à iuuetute mea. Quod videtur explicare Marcus. Nā cum respondisset ille adolefcens & dixisset, magister haec omnia obseruaui à iuuetute mea. Christus autē intuitus eum, dilexit eū & dixit ei: vnū tibi deest. Vade & vende &c. Quòd si nō obseruasset mādata, credibile est & verisimile Christum non eum dilexisse. Et ex alio loco: Vnū tibi deest, quòd nō vendideris tuas opes, nec erogaueris pauperibus, non igitur deerat ei mandatorū obseruatio. S. Thomas quodlibeto 4. Arti. 24. conatur illos sacros doctores cōponere. Dicit enim Adolefcētē illum ex eo non mentitū, quia imperfecte obseruauerat dei praecepta; & ob eam forsitā causam, Christū eum dilexisse, & ex Hieronymo mēritum, quia sibi arrogabat plenā praeceptorū obseruationē. Bifaria (inquit illic Thomas) hoc praeceptū, diliges proximū sicut teipsum, potest obseruari: imperfecte & perfecte. Imperfecte quidē, vt aliquis non faciat cōtra proximū quod nō vult sibi fieri, & vt sine detrimēto, pro-

ximo subueniat. Perfecte, vt ad subueniendū necessitatibus proximorū corporalibus ita se habeat, sicut ad subueniendū necessitatibus proprijs: hoc modo nō implet praeceptū istud, qui cū multas diuitias habeat, sibi eas referuat permittēs proximū egere. Et consilia ad hoc ordinantur, vt praecepta perfectius custodiantur: & ideo dominus obseruati praecepta imperfecte, superaddidit cōsilia, quibus praecepta perfectius obseruētur. Perfectio accidentalis est in consilijs, quatenus sunt administratiua instrumēta praeceptorū obseruandorū. Sed perfectio essentialis, est in praeceptis, vt sunt de interioribus virtutum actibus. Nam (vt dicit Paulus) Caritas est vinculum perfectionis. Et sic praecepta imperfecte obseruata, pertinent ad cōmunē iustitiam. Sed perfectio vitāe, consistit in plena mandatorum obseruatione. Nec ita consilia ordinantur ad praecepta, tanquam ad finem, sic quòd sine eis praecepta obseruari non possint. Nam Abraham fuit perfectus in praeceptis corā deo, & consilijs non est vsus, sed in his qui nondum suam adepti sunt perfectionem in praeceptis, ita consilia ordinantur ad praecepta, vt his facilius quis possit ad praecepta peruenire. Sed videbitur aliquis hanc Thomae oppugnare sententiam, testimonio Ambrosij. Dicit enim Ambrosius libro primo Officiorum, cap. 11. officium esse imperfectum, praecepta connumerata facere: sed officium esse perfectum, vendere omnia quae habemus, & dare pauperibus, & sequi Christum. Diceret forsitā Thomas, diuim Ambrosium hoc dixisse de praeceptis quātum ad imperfectā praeceptorum obseruationem: aut Ambrosium suam habuisse peculiarem opinionē. Nec puto Christū, cum dicebat: Si vis esse perfectus, vade, vende omnia quae habes, & da pauperibus, & sequere me: summā praefixisse perfectionem in consilijs, sed potius in obseruatione praeceptorum per consilia, tanquam per media administratiua, ac si diceret: Si velis plenam praeceptorū nancisci perfectionem, tibi consulo, vt vendas omnia quae habes, & tuorum bonorū largitate & beneficentia subleues pauperum inopiam, & meo dignus eris comitatu.

CAPVT XXIIII.

Antichristus iam operatur mysterium iniquitatis, sed nondum est reuelatus.] Vtramque partē propositionis assumptae, probo ex Paulo, 2. ca. secundae ad Thessalonicenses, vbi ita scribit: Nam mysteriū iam operatur iniquitatis, vbi verò pauloante loquitur de homine peccati, filio perditionis, intelligit omnes doctores Antichristum. sed is qui iam mysterium iniquitatis, & crudelissimae impietatis operatur, est Nero: & ita loquitur De Nerone Paulus, ac si modo viueret, qui temporibus Pauli multa impia & inaudita scelera commisit. Theophylactus hunc explicans locum, dicit Paulum per iniquitatis mysterium, Nerone designare, qui Antichristi figuram praeseferbat. Quandoquidē & impurius esset, & deus dici & haberi quarebat. Recte autē mysterium dixit. Nō enim Antichristus hic, inquit, Nerone ea in re imitabitur, sed omnē deum aperte & imprudenter impugnaturus est. Quod autem dicit tale est: antequam Antichristi tempus illud immincat, inuentus est alter haud sanē multo malignitate illo inferior. Quid ergo mirum si iam prodijt Antichristus? cū vero si Antichristum videtur exprimere, occulte tamen Nerone carpit: nec quia hūc reformidet, sed nos vt erudiat, vt nimia odia refugiamus, nisi fidei ratio vrgeat. Haec ille. Dicit Halmo ad hunc locum: Iam diabolus occulte per Nerone & alios, occidebat martyres, sicut per illum tunc aperte facturus est occidendo Heliam & Enoch, aliosque plurimos: & sunt Nero & alij, vmbra futuri Antichristi, sicut Dauid & Abel, Christi. Dominus Lyranus astipulatur & huic sententiae, dicens Antichristum operari mysterium iniquitatis in Nerone ecclesiam persequēte. ¶ Secundam partē ostendo ex eodem Paulo, dicente in eodem cap. Tantum qui modo tenet, teneat, donec de medio fiat. Et tunc reuelabitur ille iniquus, quem dominus Iesus interficiet spiritu oris sui. Hinc euidentis est Antichristum nōdum personaliter reuelatum. Nec difficile erit ex eodem cap. Pauli, apertius id expēdere. Paulus obiurgat Thessalo-

Colossen. 3.

Ambrosius.

2. Thessal. 2.

Theophyl.

Halmo.

Lyranus.

nicensēs, summo de aduentu Christi terrore perterritos, quod arbitrentur eū iam venisse: & deinde eos consolando, attonitum ab eorum animis stuporem & terrorem depellit. Inquit enim, Rogamus vos per aduētum domini nostri Iesu Christi, vt non cito moueamini à vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritū, neque per sermonem, neque epistolā tanq̄ per nos missam, quasi instet dies domini: ne quis vos seducat vilo modo. Quoniā nisi venerit, discessio primū, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis &c. Et ita in oppositā partis assertores congregiat: Recte sequitur, iam venit Antichristus personaliter siue in propria persona: ergo iam instat dies domini, aut iam venit. Et loquimur de secundo aduentu, quod nemo sanae mentis diceret. Ad hęc, si iam venerit Antichristus, iam sedet in tēplo dei docens, quod non est asserendum. Adde quod quidā Augustinianus tractatu vno de Antichristo, asserit Antichristū non venturum nisi discesserint omnia regna à Romano Imperio. Hoc autē tempus nōdū aduenit: quia licet videamus Romanū imperium ex maxima parte destructum, tamen quādiu reges Frācorum durauerint, qui Romanum imperiū tenere debent, Romani dignitas ex toto non peribit, quia in suis regibus stabit. De ortu eius sic dicit: Antichristus ex populo Iudæorum nascetur, de tribu Dan secundum prophetā dicentē Geneseos 49. Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita &c. Nascetur in ciuitate Babyloniæ ex copulatione patris & matris. Sed in ipso conceptionis initio diabolus simul introibit in vterum matris eius, & ex virtute diaboli cotifouebitur. Ambrosius enarrās 2. cap. Epist. 2. ad Thesalonicensēs, dicit Antichristum ex circumcisione aut circumcisum venire sperandum esse, vt sit Iudæis fiducia credendi illi. Augustinus libro 20. de Ciuitate dei, ca. 19. dicit illum Pauli locum: Iam operatur mysterium iniquitatis, à quibusdam expositum de imperio Romano: licet Paulus subtraheret, ne imperio Romano male optaret, quod sperabatur aeternum: qui voluerunt Neronem intelligi, cuius iam facta, velut Antichristi videbantur. Alij dicunt eum nondum extinctum & occisum, sed latere donec suo tempore reueletur & restituatur in regnum. Sed Augustinus arbitratur miram esse opinantium præsumptionem, licet videatur primæ astipulari sententiæ, cum dicat hunc Pauli locum: Tātum qui modo tenet, teneat donec de medio fiat, nō absurde de imperio Romano videri dictum. Tantum qui modo imperat, imperet, donec de medio fiat, id est de medio tollatur. Et tūc reuelabitur iniquus, quo significari Antichristum nullus ambigit. Eiusdem sunt sententia Chrysofomus & Theophylactus. Nisi enim Romanū imperiū euertatur, nullam Antichristus habiturus est viā, vt queat pro eius cupiditate quæ velit perficere. Alij locū illum: Iam operatur mysterium iniquitatis, non putant dictum, nisi de malis & fictis qui sunt in ecclesia, donec perueniāt ad tantum numerum, qui Antichristo magnum populum faciat: & hoc esse mysterium iniquitatis, quia videtur occultum. Hortari autē apostolum fideles, vt in fide quam tenent, tenaciter perseuerent, dicendo: tātum qui modo tenet, teneat, donec de medio fiat, id est donec exeat de medio Ecclesiæ, mysterium iniquitatis, quod nūc occultum est. Ad ipsum mysterium arbitratur pertinere, quod ait Ioānes in sua prima Epistola Canonica: Filioli nouissima hora est, & sicut audistis quia Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt, vnde scimus quia nouissima hora est. Ex nobis prodierūt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permāssissent vtique nobiscum. Sicut ergo ante finem in hac hora, inquit, quā Ioannes nouissimam dicit, exierunt multi hæretici de medio Ecclesiæ, quos multos dicit Antichristos, ita omnes tunc inde exibunt, qui non ad Christum, sed ad illum nouissimum Antichristum pertinebunt, & tunc reuelabitur. Et in eadē Epistola subindicat diuus Ioannes eum qui confitetur Christum esse filium dei, & qui eundem soluit, dici Antichristum. Sic enim scribit: Omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex deo est: & omnis spiritus qui soluit Iesum, ex deo nō est: & hic est Antichristus de quo audistis, quoniā venit, & nunc iam in mundo est. Scribit Origenes libro 4.

Gene. 49.

Ambrosius.

Augustinus.

Ioan. 6.

Chrysofomus.
Theophylactus.

I. Ioan. 2.

I. Ioan. 4.

Origenes.

contra Celsum quod Paulus dixit de Antichristo in templo dei confessuro, à Daniele prædictum fuisse. Dicit enim in hūc modum Daniel: Et in templo abominatio desolationis erit, & vsque ad cōsummationem & finem perseuerabit desolatio. Sunt qui non absurde dicūt Antichristum iam venisse in vmbra & figura, scilicet in ipsīs hæreticis, & sceleratissimis hominibus, qui sua sæuissima peste, & crudeli tyrannide, nituntur Christianos seducere, & sanctissimas Ecclesiæ leges disrumpere, licet nondum actu & in propria persona venerit Antichristus.

CAPVT XXXV.

Adulterium vxoris viri honesti, non facit, vt illa deserit esse vxor, quæ se miscuit alteri viro, nec huiusmodi vitium à viro accusari debet, si pari vitio laboret. Conabor toto studio vtramque huiusce assertionis partē comprobare, imprimis solidissima Christi doctrina, & inexpugnabili veritate probabo partem illā, videlicet quod mulier illa quæ se miscuit alteri viro, non deserit esse primi viri viuētis vxor, tamen non ignorē Erasimum virū eloquentissimum & doctissimū scripsisse in sua Paraphrasi ad 5. cap. Euangelij Matthæi, quod deserit esse vxor quæ se miscuit alteri viro, cū explicat locum illū: Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit vxorē suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat, siue mœchatur. Nec vt sum plane ostensurus) agit verū paraphrastem, explicando talem locum. Nemini enim dubiū est, si Christi spiritū & mentem spiret, Christū noluisse illis verbis exprimeret talē mulierem adulterio contaminatā, definere esse vxorē: imò contrarium. Et vt rem ipsam attingā, priusquā in publicum proferā validissimum & tutissimum Pauli propugnaculū aduerfantis omnino & Erasmo, & Caicano: agam hac ratione ex illo Matthæi cōtextu desumpta: Recte sequitur, illa ob perpetratū stuprum & adulterium, desijt esse vxor, ergo qui ducit hęc dimissam non adulterat, aut si maui nō mœchatur, quod tamē est contra Euangelicā philosophiam, & illā Christi veritatē dicentis, & qui dimissam duxerit mœchatur. probo tamē consequentiā: ille non cōmittit adulteriū nisi cōmiscetur vxori alterius, sed vt dicit, desijt esse vxor, igitur qui dimissam ducit, nō mœchatur. Quod si calumnijs hęc prætendas eludere rationē, concedēdo eum nō mœchari, qui dimissam & repudiatam duxit in vxorē, nec Christū his aduersari dictis, quia innuere videtur duntaxat, eum incidere in mœchiam, qui absque vlla fornicationis aut adulterij nota, dimissam duxerit. Sed ostendo id non posse dici. Nam nemo nescit Christum veruisse dimittendam vxorem, nisi sola fornicationis aut adulterij macula occurrerit. Et peccat qui alia ratione diuortium facit, nisi propter infidelitatem, quæ habetur & reputatur loco fornicationis spiritualis, si modo illi adiuncta fuerit contumelia creatoris, & infidelis conetur coniugem fideliem ad infidelitatem pertrahere, quod si vxor non fuerit scelere adulterij aut fornicationis vitata, non censetur dimissa. Nam qui matrimonij iugo vincuntur, sciunt has leges sibi esse à domino præscriptas, vt illibatam & integram matrimonij fidem quā diligentissime obseruent. Sensus igitur huius loci Euangelici: & qui dimissam duxerit, mœchatur, hic est, & qui dimissam etiā ob teterrimum adulterij vitium, duxerit in vxorem, mœchatur. Sed ausculta quæso quid de hac re dicat Paulus ad Romanos: Nā quæ sub viro est mulier, viuente viro alligata est legi, si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri. Igitur viuente viro, vocabitur adultera si fuerit cum alio viro. Sed nisi toto cælo quis oberret & desipiat importune, fatebitur vtrum illius vxoris, quantum ad thorum siue cohabitationem carnalem repudiatā, viuere, modo è vita non decesserit. Et ex ratiocinio Pauli, colligo eā vocari adulteram, si viuente viro proprio, se miscuerit alteri viro. sed libenter & Christiano animo inquiram, cur vocatur adultera, nisi ob eam causam, quod cū adhuc sit vinculo coniugali coercita & obuincta, alteri facit copiam sui corporis? Nec vocabitur adultera, si esset à lege viri soluta, quod si vinculum illud disruptum non

E. j.

fuerit nec solutum, vere & simpliciter est vxor viri viuētis, tametsi polluta & sordidata. Nec ea velim te diuexet amentia, neque in hunc præcipiteris errorem vi argumenti impulsus & laceffitus, vt dicas solutum esse vinculum. Nam si solutum fuerit viuēte etiam viro, cui nupserat, non vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro, quod est contra Paulum, Et ad Corinthios dicit Paulus, Præcipit dominus nõ ego, vxorem à viro non discedere: quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Quòd si ex altera disunctionis parte, viro non reconcilietur, debet manere innupta, etiã infecta facibus adulterij. Sed cur manebit innupta, si defierit esse vxor? & si disruptum fuerit vinculum coniugale? Nec ex clarissima Pauli sententia manebit innupta, nisi quòd non potest licite alteri viro nubere. Sed cur non potest alteri viro nubere? Dicit vere Christianus & syncere edoctus, quia non desijt esse vxor, etiam si alteri viro se miscuerit, cuius non est dicenda vxor, sed viri viuētis. Sed si rursum scisciteris cur non desijt esse vxor, vt semel disputationem absoluat, exactissimo iudicio respondebit, quia non est solutum vinculum coniugale. Nec mihi placet, nec approbo quod idem Erasmus dicit in eadem paraphrasi, quòd qui repudiatam duxerit, non ducit vxorem sed adulteram. Certum est ex his, quæ ex Christi & Pauli doctrina collegimus, dimissam propter adulterium, adhuc esse vxorem mariti viuētis. quare qui repudiatam ducit in vxorē, ducit vxorem quãuis ducat adulteram, licet non ducat suã vxorem, quia sua non est: tamen simpliciter ducit vxorem alterius. Nec pugnat hæc duo: est adultera, & est vxor alterius: quia adulteriũ non tollit vinculum coniugale, quãuis fidem violatam esse, monstret. Nec quia repudiata est secundũ quid (vt ita loquar) videlicet quãtum ad thorũ, idcirco simpliciter est repudiata. Nã non est factum diuortium quãtum ad vinculum. Et licet Erasmus forsità alicubi recinendo Palinodiam, dixerit se intellexisse adulteram desijisse esse vxorem, quãtum ad thorum & non vinculum, tamen hæc propositio: Adultera viuente viro desijt esse vxor, falsa est, & temere asserta, & sacris literis aduersatur. Nec legi in Paraphrasis Erasmi etiam castigatis, illam propositionem ab opere dimotam. Vtinam vir ille magni nominis, antequam extremum diem clausisset, suos errores plene retractasset. Nec me pigebit ad ditandam nostram assertionem adferre, quæ luculentissime scribit Augustinus libro 2. de Adulterinis coniugijs, capite quarto & quinto, tractans abunde hanc non mediocrem difficultatem in aduersarios: Vide, inquit, quàm sit absurdum, vt ideo non sit adulter, quia ducit adulteram, immo vero quod est mõstruosius, nec ipsa mulier erit adultera: quoniam nõ erit posteriori viro vxor aliena, sed sua. Soluta enim per adulterium priore coniugali vinculo, cuique iam nupserit coniugem non habenti, non adultera cum adultero, sed vxor potius erit cum marito. Quomodo ergo erit verum (inquit Augustinus) mulier alligata est, quandiu vir eius viuuit? Ecce vir eius viuuit, quia nec de corpore excessit, nec fornicatus est, quod pro morte vis deputari, & tamen ei mulier alligata iam non est. Nõne attendis quàm sit hoc contra Apostolum dicentem? Mulier alligata est quandiu vir eius viuuit. An forte dicturus es, viuuit quidem, sed vir eius non est? quoniam tunc esse destitit, quando illa per adulterium coniugale vinculum soluit. Quomodo igitur viuente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro? quandoquidem vir eius ille iam non est, coniugali vinculo per mulieris adulterium iam soluto. quo enim viuente viro nisi suo, vocabitur adultera, si fuerit cũ alio viro? At si vir eius esse iam ille destitit, non vtique viuēte viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro, sed nullum habens virum, nubendo erit cum suo viro. Hoc qui sentit, nõne cernis quàm contra Apostolum sentiat? Deinde dicit Augustinus: Noli dicere mortuum virum, vel mortuam vxorem hoc loco debere intelligi etiam fornicantem. Quamobrem secundum doctrinã sanam, mulier alligata est quãdiu vir eius viuuit: id est, nõdũ è corpore abcessit. Et in eodem 4. cap. dicit: nullius viri posterioris mulier vxor esse incipit, nisi prioris esse desuerit. Esse autẽ desinet vxor prio-

1. Corin. 7.

Augustinus.

Caietanus.

Ambrosius.

1. Corin. 11.

1. Corin. 7.

Hieronymus
Matth. 19.

ris, si moriatur vir eius, non si fornicetur. Licite itaque dimittitur coniunx ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris: propter quod sit reus adulterij, qui dimissam duxerit etiã ob causam fornicationis. Et in 5. cap. ad sciendũ vinculi cõiugale per adulteriũ non esse solutum, ponit venustissimã similitudinem. Sicut (inquit) manente in se sacramẽto regenerationis, excommunicatur quis reus criminis, nec illo sacramẽto caret, etiã si nunq̃ reconcilietur deo: ita manente in se vinculo fœderis cõiugalis vxor dimittitur ob causam fornicationis, nec carebit illo vinculo, etiã si nunquã reconcilietur viro, carebit autẽ si mortuus fuerit vir eius. Hæc si legissent Erasmus & Caietanus, aut legẽdo exosculari voluissent, nequaquã ab Euãgelica philosophia discessisset, & à cõmuni Ecclesiæ cõsensu. Illi mihi sunt pulcherrima literarũ, quibus excellit, cõiunctione amicissimi, magis tamẽ mihi amica est veritas, pro qua tuẽda vellem etiã ad mortem vsq; periclitari. Nec verũ est quod dicit Caietanus explicas illum Matthæi locũ: Quicumq; dimiserit vxorem suã nisi ob fornicationẽ, & aliam duxerit, mœchatur: hunc esse Christi sensum: Quicumque dimiserit vxorẽ suã exclusã fornicationis causã, & aliã duxerit, mœchatur. Et quicumque dimiserit vxorem suã ob fornicationem, & aliã duxerit, nõ mœchatur. Et videtur secũ pugnare. Nã exponens consimilem locũ, qui Matthæi 5. habetur, longe aliter sentit. Si enim Christus hæc prætidisset intelligentiã, non possent subsequẽtia præcedẽtib; cohærere. Nã subnectit, & qui dimissam duxerit mœchatur. Plane intelligẽs vinculi cõiugale non fuisse propter adulteriũ solutum. Fate- rer Christum id innuere voluisse, si differuisset de omnimoda dimissione, scilicet quãtum ad thorum & vinculi: modo solum concedit & indulget dimittendã vxorem causa fornicationis, quãtum ad thorum, & non quãtum ad vinculi. Aut Paulus qui diuino spiritu afflatus dixit, viuēte viro, illam esse adulteram si fuerit cum alio viro, pugnaret cũ Euangelicis literis, & Christi intelligentiã, quod sanẽ dicendum non est. Nec debuerũt illi accipere ansam ex beato Ambrosio contra cõmunem Ecclesiæ opinionem, vt suis monumẽtis exprimerent licere viro, cuius vxor adulterij vitio deliquit, alterã ducere. Dicũt illi etiã pertinaci assertionẽ, Ambro- enarrantẽ locum illũ Pauli 1. ad Cor. 7. & vir vxorẽ non dimittat, asseruisse, q̃ viro licet ducere vxorẽ, si dimiserit vxorẽ adulterio peccantẽ. Aliud de muliere cui hoc nõ licet, si eius vir adulterij vitio labefactetur: quia vir nõ ita lege constringitur sicut mulier. Caput enim mulieris vir est. Non ignoro hæc legi in libris beati Ambrosij. Sed à falsarijs (vt dicũt doctissimi viri) id adiectũ est. Auderẽ ego deie- rare diuũ Ambro. virum & vitã sanctimonia, & sacrarũ literarum peritia præcel- lentissimũ, qui nunquã optasset nec lato quidẽ vngue à censuris ecclesiasticis dis- sentire, nunquã illa mendacissima nugamẽta suis diuinis scriptis cõspernisse & in- seruisse. Nã falsissimum est, imò meracissimũ commẽtum quod dicitur illic, quòd viro licet ducere vxorẽ, si dimiserit vxorem peccantẽ: sed nõ licet vxori propter fornicationẽ sui mariti alteri nubere, quia vir nõ ita lege constringitur sicut mu- lier. imò sciebat beatus Ambro. nisi ego in profunda ingenij deliriã incidero, Pau- lum ostendisse virũ & vxorem, pares esse quãtum ad sanctissimas matrimonij le- ges, cũ dicit: Mulier sui corporis potestãtẽ non habet, sed vir. Similiter vir sui cor- poris potestatem non habet, sed mulier. Licet in re œconomica debeat vir præ- fici vxori. Vellem illa ascititia & supposititia, esse ab Ambrosij operibus femo- ta & prorsus abrafa, ne sciolus & ignarus leui iudicio illa legendo, facile in erro- rem prolaberetur. Et licet id asseuerasset Ambrosius, quod tamen credere non possum, neque mihi persuadere: malo tamen communem, sed certissimã Eccle- siæ sententiã sectari, quàm vnus hominis etiã doctissimi autoritate pellectus, me meãque studia temere periculis cõmittere. Hieronymus enarrans hunc Mat- thæi locum: Quicumque dimiserit vxorẽ suã nisi ob fornicationem, & aliã duxe- rit, mœchatur, plane indicat eam quæ viuente marito se miscuit alteri viro, non desijisse esse vxorem, vbi inquit: Et quia poterat accidere, vt aliquis faceret calũ-

E. ij.

niam innocenti, & ob secundam copulam nuptiarum, veteri crimē impingeret, sic priorem iubetur dimittere vxorē, vt secundam viuente nō habeat. Nec diuersus est à Hieronymo Chryostomus enarrans illum Matthæi locū: Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit vxorē suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, vbi dicit expulsam eius qui eā expulit vxorē permanere. ¶ Aliā assertionis partē, scilicet Adulteriū vxoris à viro accusari nō debet cum pari vitio laborat, ex beato Augustino deduco lib. 2. de Adulterinis cōiugijs, cap. 7. & 8. Et imprimis suadet ex benignitate Christi & misericordia, qui mulierē in adulterio deprehensam, quā accusauerant Scribæ & Pharisei, non tamē adiudicauerant morti, dimisit impunitā, vt ostēditur in Euāgelio Ioannis. Cū enim Scribæ & Pharisei cuperent eam secundū præscripta, & sanctiones legis Moysaycæ Christi sentētia lapidibus obrui, Christus dixit eis nepharia in se inuidia accēsis: Qui sine peccato est vestrum, primus in illā lapidem mittat. quē locum enarrans Augu. cap. 7. libri citati dicit, Nō quod illi audierunt, qui sine peccato est: quis enim sine peccato? Sed qui sine isto peccato est, prior in illā, lapidem mittat, & hac diuina & vehementer admiranda respōsione attoniti & cōsternati, timuerunt eam cōsimili forsitā aut grauiori scelere percussū, adiudicare supplicio. Non enim fas est, neque iura sinunt transgressionē legis ab eiusdem trāsgressoribus vindicari. Qui itaque ex vobis sibi conscius est, quod legē non violauerit, quod nihil contra legē admiserit vnquā, primum in eam iaciat lapidē. Non prohibeo lapidari mœchā, sed nolim id ab ijs fieri, qui nō minus quā ipsa, aut grauius legē conculcauerint. & hac sentētia mire diuina, obstruxit ora obloquentiū, & obstrepentiū. Et dixit mulieri, Vbi sunt qui te accusabant? nemo te condēnauit? Quæ dixit, nemo domine. Dixit autē Iesus, nec ego te condēnabo. Vade & iam amplius noli peccare. Et vt apertius probet Augu. quod suadere conabamur, refert cap. 8. Antoniū imperatorē inhibuisse ne maritus vxorē de adulterij crimine accusaret, cui moribus suis nō præbuit castitatis exemplū, ita vt ambo dānentur, si ambos pariter impudicos cōflictus ipse cōiicerit. Nā supradicti imperatoris hæc sunt verba quæ apud Gregorianū leguntur: Sane, inquit, meæ literæ nulla parte causæ præiudicabūt. Neque enim si penes te culpa fuit, vt matrimonii solueretur, & secundū legem Iuliam Eupasia vxor tua nuberet, propter hoc rescriptum meum adulterij dānata erit, nisi constet esse commissum. Habebunt autem ante oculos inquirere, an cū pudice viueres, illi quoq; bonos mores colendi author fuisti. Periniquū enim mihi videtur esse, vt pudicitia vir ab vxore exigat, quā ipse non exhibet. Et in eodē lib. cap. 14. & 15. dicit Augustinus, quod nō licet viro Christiano suā vxorē adulteram interficere. Nā si præclaris misericordiae faciendæ officijs studuerit, debet imitari Christū, qui mulieri adulteræ condonauit veniā. Hoc non inelegāter expressum est ab Origene Homilia 11. super Leuiticum, vbi dicit: Secundū legem adulter & adultera morte moriebatur, nec poterat dicere pœnitentiā petimus, & veniā deprecamur. Nā erat lachrymis locus, nec emendationi vlla cōcedebatur facultas, sed omnimode puniri necesse erat, qui incurrisset in legem. Hoc autē seruabatur & in singulis quibusq; criminibus, quibus erat pœna mortis adscripta. Apud Christianos vero si adulteriū fuerit admissum, nō est præceptū, vt adulter vel adultera corporali interitu puniatur: nec potestas data est episcopo Ecclesiæ, adulterū præfenti morte dānare, sicut tūc secundū legē fiebat à præbyteris populi. Videtur Hierony. subindicare, Episto. ad Innocentiū de muliere septies ic̄ta, suis tēporibus adulteriū plecti capite, vbi stylo politissimo & mira ingenij dexteritate refert quendam maritum Vercellæ impegiſſe suæ innoxia vxori crimen adulterij, quæ in foetidissimos carceres vnā cum iuvene, quem etiā maritus accusauerat cōiecta est, vt durissimis tormētis & sæuis equuleis fateretur se esse ream adulterij, cum iuuenis innocentissimus tormentorum impatiēs cōfessus est quod nō admiserat, & ob id amputato capite interijt: illa inuicta animi magnitudine, & inaudita inter crudelissima supplicia cōstantia, nullis vnq; ic̄tibus,

Chryostomus
Matth. 5.

Ioan. 8.

Augustinus.

Origenes.
Leuiti. 20.

Hieronymus

nullis incendijs, nullis denique quantūlibet atrocibus pœnis succubuit, quæ septies ab immanissimo carnifice ic̄ta, stetit inconcussa & illæsa: maluitq; acerrimis cruciatibus torqueri quā mētiri, & suum deū offendere. Quod si rescire velis qua pœna puniēdi sunt adulteri in lege noua & mitissima, lege Augustinū libro vno de Fide & operibus, cap. 2. vbi dicit, quod Phinees sacerdos adulteros simul inuētos ferro vltore cōfixerit, significatum est in hoc tempore esse faciendum degradationibus & excōmunicationibus, cum in ecclesiæ disciplina visibilis fuerat gladius cefaturus. Nostris tamen temporibus si sacerdotes fœdum adulterij scelus perpetraverint, nō puniuntur degradatione. In concilio Neocesariensi cautum est, quod si sacerdos duxerit vxorē, deponatur ab ordine: si vero fornicatus fuerit, aut adulterium cōmiserit, amplius puniatur, & in pœnitentiā redigatur. Et in concilio Anticyrano, quod qui committit adulterium 7. heptomadarum pœnitentiā consequatur perfectionē. ¶ Sciscitaretur quispiam, & non absurde ad rem præsentem discutiendam, & ad discutiendos opportune de adulterij vitio nodos: An solo facto cōmitti possit adulterium, vt is qui oculis parum pudicis intuetur vxorem alterius, verius eam interna libidine deprædatus est, paratus tamen suauissimo venenis amplexu frui, nec tamē aut per occupationes potuit, aut per occurrentia præpedita. ¶ Facile tibi Christus præbet huiusce noduli dissolutionem Matthæi 5. vbi loquitur ad hūc modum suis discipulis in monte, quo magis petulcam & salacissimam inexplētā libidinis voraginē auersentur, detestentur & abhorreant: Audistis quia dictum est antiquis, nō mœchaberis. Ego autē dico vobis, quia omnis qui viderit mulierē ad concupiscendū eam, iam mœchatus est eā in corde suo. Quem locū enarrans Hieronymus dicit, dominū non dixisse: omnis qui viderit mulierē, eam mœchatus est, sed qui viderit mulierē vt concupiscat, vbi anima titillata, libidini cōsentit, & vbi homo colligit concupiscentiā vidēdi curiose. Nec malū est intueri mulierē, nec malum est simpliciter cōcupiscere, sed malum est videre mulierem ad concupiscendū, & habere aspectum concupiscentiæ iunctum. Nec propterea desinit peccare, si nō peruenerit ad opus lasciuum. Nam non peruenerit, quia non potuit: quod si potuisset, perpetrasset, vt dicit Theophylactus. Cū his consentit Hylarius dicens ad hunc locū explanandum, motū libidinis in mulierē alterius, æquari adulterio. Addē quod Augustinus lib. 1. de Sermone domini in monte, dicit ad huius loci enarationē: Iustitia minor est non mœchari corporum cōiunctione, iustitia vero maior non mœchari in corde. Videt autem quis mulierē ad concupiscendum, cum hoc sine attēdit, vt concupiscat. Et multo fufius hoc pertractat ne gotium lib. 1. de Libero arbitrio, cap. 3. vbi dicit: Si cui etiam non contingat facultas concumbendi cum coniuge aliena, planum tamen aliquomodo sit id eum, & si potestas detur, facturum esse, non minus reus est, quā si in ipso facto deprehenderetur. Hinc collige facta exteriora non adaugere internam culpam ratione essentiali, bene tamen accidentaria. Nam solet voluntatis conatus & feruor, factis intendi & augeri. Hoc Augustini affatum, magnum præstat munimentum solidæ veritatis defendendæ: ijs qui testantur actum exteriorem non addere bonitatem nec malitiam actui interiori. Origenes tamen in 16. cap. Matthæi, in fragmento commentariorum ab Erasmo verso, dicit adulterium in corde peractum minus esse peccatum, quā si quis adiungat etiam factum: vbi mouet quæstionē, an adulterium committat aliquis solo corde. Sed opinaberis forsitā Origenem in ea fuisse sentētia, aut intellexisse (vt diximus) de accidentaria peccati magnitudine.

Augustinus
Nume. 25.Concilium
NeocesarienseConcilium
Anticyranū

Mat. 5.

Hieronymus

Theophylactus.
Hylarius.
Augustinus.

Origenes.

CAPVT XXXVI.



Bsurdum est dicere neminem debere cogi ad iustitiam.] Hæc decerpſi propositionē ex Augustino, Epistola ad Vincentium cōtra Donatistas & Rogatianos, vbi in hūc modum scribit: Putas neminem debere cogi ad iustitiam? cum legas patrēfamilias dixisse seruis: Quoscuque inuenieritis, cogite intrare. Lucæ 14. vbi habet nostra vulgata editio: Ait dominus ser-

Augustinus

Lucæ 14.

F. iij.

uo: Exi in vias & sepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea. Et Matthæi 22. Ite ergo ad exitus viarum, & quoscunque inueneritis vocate ad nuptias. Augustinus sequutus est sententiam vulgatæ editionis, & non eadem verba. Legis etiã Paulum ad cognoscendam & tenendam veritatem, magna violentia Christi cogentis esse cõpulsus. Et paulo post: Putas nullam vim adhibendam esse homini, vt ab erroris pernicio liberetur, cū ipsum deum quo nemo nos vtilius diligit, certissimis exemplis hoc facere videas, & Christum audias dicentem? Nemo venit ad me nisi quæ pater attraxerit. quod fit in cordibus omnium, qui se ad eum diuinæ iracundiæ timore cõuertunt, & noueris aliquando furem auertedis pecoribus pabulum spargere, & aliquando pastorem flagello ad gregem pecora errantia reuocare. Nonne contumacem ancillam data sibi potestate Sara potius affligebat? Et utiq; non eam quã superius beneficio suo matrem fecerat crudeliter oderat, sed in ea superbia salubriter edomabat. Nõ autem ignoras quod istæ duæ mulieres Sara & Agar, & duo filij earum, Isaac & Ismael, pro spiritalibus & carnalibus figurentur. Et cū legamus, ancillam & filium eius à Sara passos graues molestias, Paulus tamen apostolus dicit, quod ab Ismaele persecutionem passus sit Isaac: Sed sicut tunc, inquit, ille qui erat secundum carnem, persequebatur eum qui erat secundum spiritum: ita & nunc, vt qui possunt, intellegant magis ecclesiam catholicam persecutionem pati superbia & impietate carnalium, quos temporalibus molestiis atq; terroribus emendare conatur. Quicquid ergo facit vera & legitima mater, etiã si asperum amarumq; sentiat, nõ malum pro malo reddit: sed bonum disciplinæ expellendo malum iniquitatis, apponit, nõ odio nocendi, sed dilectione sanandi. Cum boni & mali eadem faciunt, eademq; patiuntur nõ factis & poenis, sed causis vtiq; discernendi sunt. Pharaõ populũ dei duris laboribus atterebat. Moyses eundem populum impie agentem duris coercionibus affligebat: similia fecerunt, sed nõ similiter prodesse voluerunt. Ille dominatione inflatus, iste zelo inflammatus est. Iezabel occidit prophetas, Helias occidit pseudopphetas, puto quod sunt diuersa merita facientium & diuersa passorum. Hæc ille. Quod si locos noui testamenti discussimus, reperiemus Paulum acerbe eos increpassisse, qui à diuinis exorbitabant præceptis, & à iustissima æquitate deflectentes, in enormia inciderunt scelera, impudicissimum fornicatorem, quo nullus vnquam foetidior fuit & spurcior, tradidit satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fieret in die domini nostri Iesu Christi. Hymeneum pariter & Alexandrum tradidit satanæ, vt discerent non blasphemare. Adde quod nisi homines nephariæ crudelitatis & impiæ seueritatis, qui vbique locorum grassantur, inuadunt nemora quo iugulent viatores, & omnia deprædantur, immanissimis belluis truculentiores & atrociores, cogentur ad pertimescendas illibatas iustitiæ leges, iudicium mucronem, & ad reformidanda pro suis admisis supplicia, interirent omnia, optimus reipublicæ status subito labefactaretur, pudicitia violaretur, vrbes funditus saeuente malorum tyrannide euerterentur, & occultissimis hæreticorum incursonibus, & serpente sensum corudem in rempublicam Christianam veneno, fides corrueret & extingueretur. Diuina igitur prouidentia factum est, vt & nocentissimi fures, perditissimi prædones, & legum euerfores sceleratissimi, ac infestissimi hæretici, de medio tollerentur. Præclare dictum est à Paulo: Vis non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time. Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit. Refert Gratianus 23. quæstio. 4. cap. Nimum, ex doctrina Augustini in Epistola citata, potestatis officio vtiliter inquietos corrigendos esse, vbi dicitur: Nimum sunt inquieti, quos per ordinatas à deo potestates seculares cohiberi atque corrigi mihi non videtur inutile, nam de multorum iam correctione gaudemus. Insuper si quisquam inimicum suum periculosis febribus phreneticum factum, currere videret in præcipitium, nonne tunc potius malum pro malo redderet, si sic eum ire permitteret, quam si corrigendum curadumque ligaret: & tamen tunc ei molestissimus &

aduersissimus videretur, quado vtilissimus & misericordissimus extitisset. sed plane salute reparata tanto ei vberius gratias ageret, quanto minus sibi pepercisse sensisset. Et C. Displicet, ostendit ex eodem Augustino ad Donatum presbyterum, hæreticis ad salutem etiam inuitos trahendos, vbi dicit Augu. Displicet tibi quod traheris ad salutem dei, cum tamē multos nostros ad perniciem traxeris. Et quæstione 6. cap. Schismatici, dicitur ex sententia Augustini ad Bonifacium: Ecclesia malos debet cogere ad bonum, sicut Christus Paulum coegit. & cap. Iam vero, dicitur ex Gregorio ad Maximianum episcopum: Iam vero si rusticus tantæ perfidiæ & obstinationis fuerit inuētus, vt ad dominum deum minime venire consentiat, tanto pensionis onere grauandus est, vt ipsa exactionis suæ poena cõpellatur ad rectitudinem festinare. ¶ Sed dicit quispiã: Nemo cogendus est ad id quod sibi est inutile, ad bonum autem peperam & in vanum cogitur, cum deus aspernetur coacta seruitia. ¶ Ad hæc rationem respodet Gratianus: Si bonum ad quod mali coguntur semper inuiti tolerarēt, & nunquam voluntarij seruirēt, inutiliter cogerētur ad illud: sed quia humanæ naturæ est, & ea quæ in desuetudinē ducuntur abhorre, & cõsuetæ magna custodia diligere, flagellis tribulationum mali sunt cohibedi à malo, & prouocadi ad bonum: vt dū timore poenæ malum in desuetudinē ducitur, abhorreatur, bonum vero ex cõsuetudine dulcescat. Vnde Augu. in psalmũ 127. Cū per timorem gehennæ, cõtinet se homo à peccato, fit cõsuetudo iustitiæ, & incipit quod durum erat amari, & incipit excludi timor à charitate, & succedit timor castus, de quo hic dicitur, quo timemus ne tardet sponsus, ne discedat, ne eo careamus. Plane monstratur distinctione 45. cap. de Iudæis, conuersos ad fidem esse cogendos ne fidem deserant, neque à primo fidei sacramento ad dæmonis præstigijs, illusiones, & imperium degenerent & demigrent. Illic ex Toletano concilio dicitur: Sicut non sunt Iudæi ad fidem cogendi, ita nec conuersi ab ea recedere permittuntur. Debent enim quod polliciti sunt implere, ne nomen domini blasphemetur, & fides quam susceperunt, vilis ac cõtemptibilis habeatur. Quod autem dicitur de Iudæis, exponit S. Thomas 2.2. Si nullo modo fidem receperint, si vero receperint, sunt cogendi. Accipere fidem est voluntatis, retinere necessitatis: sicut vouere voluntatis, reddere votum necessitatis.

CAPVT XXXVI.

ADORANDÆ non sunt simpliciter, peculiariter, & per se, reliquæ martyrum aut sanctorum, sed honorandæ: sunt tamen adoratione generaliter sumpta, adorandæ. ¶ Poterã ego nude dicere vnã cū Hieronymo, in Epistola aduersus Vigilantium, non esse adorandas sanctorum & martyrum reliquias, modo ansam calūniandi nemo mihi struxisset, & sibi suasisset imperita multitudo, me ab ecclesiæ sanctionibus deflexisse. Verum cum verear simplicitatibus & infirmioribus scandalum adferre, ne à receptissima protrita opinionis assertionem abducatur in præcipitium, tres consulto censui addendas particulas, tametsi absolute Hieronymus (vir præter integerrimam vitam sanctimoniam trium linguarum dotibus abso lutissimus) dixerit scribendo toto animo, omnibusq; ingenij viribus aduersus Vigilantium, sanctorum reliquiarum hostem inimicissimum, & offorem nocentissimum, neque martyrum reliquias, ne quidem solem & lunam, non angelos, non archangelos, nõ cherubin, nõ seraphin, & omne nomen quod nominatur & in præsentis seculo, & in futuro colimus & adoramus, ne seruiamus creaturæ potius, quam creatori. Honoramus autem reliquias martyrum, vt eum cuius sunt martyres, adoremus. Honoramus seruos, vt honor seruorum redudet ad dominum, qui ait: Qui vos suscipit, me suscipit. Nec sum eo crasso & betho ingenio, vt nesciam quid intelligere velit Hieronymus, reliquias scilicet martyrum & sanctorum, non esse supereminenti & maximo honore adorandas, quo honore deum suscipimus, colimus, adoramus, & veneramur, siue (vt volunt Scholastici doctores, sed docti, & exquisito iudicio insignes) adoratione patriæ, quæ soli deo per se exhibenda est. Alij tamē sunt adorationis modi & gradus, illo diuinissimo & omnium præclarissimo inferiores, creaturis com-

perentes, vt sumus ostensuri. Nec contēnendi sunt illi gradus, tamen si mordacissimus ille, imò ipsa mordacitate mordacior Laurētius, aperto ore & effuso cachinno deridere videatur theologos asserentes varias esse adorationis rationes, & latrām soli deo per se, & per accidens humanitati Christi competere, hyperduliam excellentioribus naturā humanā creaturis, vt virgini Mariā: Duliam vero, sanctis & martyribus, hæc propositio: Nō sunt adorandæ reliquiæ martyrum & sanctorum, nec ab Ecclesia approbata, nec à Scholasticis Doctoribus omni ex parte recepta, nec ab his qui nouerūt accurate cōnectere locos sacre scripturæ, qui videntur inter se diffidere: vbi reperimus, solum deū esse adorandum aut colendum, & etiam creaturā adorandam, non recipere in palestra Sorbonica, veritatum omnium exploratrice diligentissima. Nā vt conspectui hominum obijciatur discutienda, videtur excludere omnē rationem adorationis à creatura. Nec velim te in ea esse pertinacia, vt hoc dixerit Hieronymus (Nā multa deferuntur sanctitati Hieronymi) Nec opus est, imò non est vtile in publicum euentilare omnes propositiones Hierony. Nō eo inficias, quin talis propositio possit aliqua ex parte consentire veritati. Sed te cōmonefacio, vt vitēs Syrtēs, & periculosa quæque naufragia, & fedas tutus in clauo ecclesiæ: neq; huc & illuc, more Euripi & incerti flatus rapiaris. Quid si vela querula voce in nos distenderis, nec nobis forsitā modeste monentibus acquiescēdo, dixeris: Scriptum est, dominum deū tuum timebis, & illi soli seruiēs, ac per nomen illius iurabis. Et Mat. 4. simile dicit Christus ad supplantandam dæmonis arrogantiam, expetentis impudētissima superbia se adorari à Christo: scriptum est enim, dominum deum tuū adorabis, & illi soli seruiēs, vbi Græce habetur κύριον τὸν θεόν σου προσκυνήσεις, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις, id est dominū deum tuū adorabis, & illum solū coles. Huic tamē obiectioni facile est respondere, soli deo per se, specialiter, proprie & supereminenter esse seruiendū, nec ex hoc temere poteris colligere, nulli creaturæ impendendum honorem & seruitium obsequiosissimum, pro maiestate personæ, dignitate & qualitate. Beatus Augustinus lib. 2. quæstionum super Exodum quæstione 94. dicit latrā, Latine seruitutem, deberi deo tanquā deo: & duliam deberi deo tanquam domino, sumendo quidem proprie latrām quæ toti per se subsistenti accommodatur, cui tantum cultus & honoris impendendum est, quantum nulli alteri. Et huic doctrinæ adblanditur Thomas 3. parte suæ summæ, vbi discipulū an humanitas Christi sit adoranda adolatrie latræ, & hoc discussis sacrorum doctorū sententijs paulopost discutiatur: & hæc interpretatio approbat primam nostræ assertionis partem, in qua diximus reliquias sanctorum & martyrum non esse simpliciter, peculiariter, & per se adorandas. Nec ex illo Matthæi loco debuit hæc colligere Erasmus, vt scilicet intelligamus nullum præterea adorandum, ac nulli præterea seruiendum. Nam salua eius reuerentia, vtraque propositio simpliciter est falsa. siquidem plane & perspicue sumus ostensuri, humanitatē Christi diuinitati coniunctam esse adorandam: quæ tamen non est deus, sed natura coniuncta naturæ, in vnitatis suppositi & hypostaseos: tum etiam sacratissima Eucharistia est adoranda, licet inferiore gradu quā deus, nisi velis cœnoso hæreseos luto volutari & prolabi in impiissimū Oecolampadij errorē, & insanam hæresim, ac sacrilegam blasphemiam asserentis, dum viueret, nullo modo adorandā sacratissimam Eucharistiam. Etiā imago Christi, & crux pretiosissima, est adoranda. Sed quis nisi debili ingenio natus, auderet dicere contra Paulum, seruos non debere suis dominis honestum & promptum famulatus obsequium præstare? Nec ille locus solida & Euangelica philosophia exponendus, deponit huiusmodi consuetudine extrahi: sed cum velit innuere Christus solum deum esse adorandum per se proprie, & adoratione latræ (quamuis non sit adiectum vocabulum illud, solum) & seruiendum esse per se & eminentissime soli deo: debebat ille magna cum moderatione & modestia decerpere soli deo seruiendū seruitute latræ, per se & summe. Nec ad Erasmus, neque ad quemuis alium spectat decerpere ex propositione

Deutero. 6.
Matth. 4.

Augustinus.

Erasmus.

Oecolampadij error.

Christi, quandam enuntiationem illi nudæ cōsimilem, sed intelligentiā. Modo hæc non est illius loci intelligentia, nulli præterquam deo est seruiendum. Nec illud signum, soli, tam est nota exclusionis, quā vnitatis. Nam ex consimili loco Pauli ad Timotheum: Soli deo honor, deberet ille decerpere: nulli igitur alteri quā deo debetur honor. quod si hoc sibi persuasisset, facile corrueret in hæresim Vigilantij & aliorum: quod tamen nolim de tantō viro suspicari, cui multum & doctrinæ & eloquētiæ attribuo. Sensus igitur præter assignatum, poterit esse: Vni deo seruiēs, ne arbitreris plures esse deos, quibus sit seruiendum. quemadmodum doctē & elegāter exponit Iodocus Clichtoueus, vir emunctæ naris & acri iudicio, in opere Veritatum, cap. 21. hunc Pauli locum, Soli deo honor, id est, vni deo, vt non tam solus, sit signum exclusionis, quā vnitatis, vti Ioannis 17. dicitur: Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum deum verum, & quem misisti Iesum Christū. Vel responde ad agitatum rationem, vt responderet Clichtoueus, vbi profert Augustinum dicentem, quæstione 61. libri quæstionum super Genesim, in illo Deuteronomij verbo adducto in illa obiectione dictum non fuisse: Solum deum tuum adorabis, sicut continuo est subiunctum, Et illi soli seruiēs. Quoniam adoratio secundum suam generalem rationem accepta, vt tantundem valet atque veneratio exhibitioq; reuerentiæ: & honoris, & deo, & alijs à deo, cuique secundum suam qualitatem & sortem potest impedi. De seruitute optime dicitur soli deo latrā, proprie quidem. Et libro 20. contra Faustum, cap. 21. dicit August. Cultus qui græcè latrā dicitur, latinè vno verbo dici non potuit, & sic per antonomasiam nomen generale seruitutis positum est pro eo obsequio, seruitutisq; officio, quod soli debetur deo. Si enim nulla ex parte seruitus posset homini impendi, cur scriptum esset Ecclesiastici 3. cap. Qui timer dominum, honorat parentes, & quasi dominis seruiet? Et Paulus ad Corin. Nos autem seruos vestros per Iesum. Et ad Ephesios: Serui obedite dominis carnalibus cum timore & tremore. Et ad Timotheum: Quicumque sunt sub iugo serui, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen domini & doctrina blasphemetur. Et in epistolis Petri: Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timeate, Regem honorificate: Serui subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam dyfcolis. ¶ Secundam assertionis partem, quæ est: Honorandæ sunt martyrum, & sanctorum reliquiæ: Imprimis probabo ex Hieronymi doctrina, scribentis egregiè & luculentè de hac re, aduersus Vigilantium. Sic ratiocinatur Hieronymus: Si non sint honorandæ martyrum, & sanctorum reliquiæ, sed contemnendæ tanquam ossa putrida. Ergo Petri & Pauli immundæ sunt reliquiæ: Ergo Moyfi corpusculum immundum erit, quod iuxta Hebraicam veritatem ab ipso sepultum est domino. Et quotiescunque apostolorum, & prophetarum, & omnium martyrum basilicas ingredimur, toties idololorum tēpla veneramur (eos quippe vocabat Vigilantium cinerarios & idololatrias, qui mortuorum hominum ossa venerabatur) Etiam licebit inferre, Ergo & domini corpus in sepulchro positum, immundum fuit, quod est contra id quod cecinit Regius propheta: Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Nec eò confugiās, vt dicas illud Christi corpus præseruatū fuisse diuina virtute ne putresceret. Nam etiam potest deus præseruare à putredine, corpus beati Pauli, aut alterius sancti, propter eximias virtutes, quibus excelluit Paulus, dum in hoc mundi hospitio degeret. Adde, si honorandæ non sint martyrum reliquiæ, quomodo legimus: Pretiosa in conspectu domini mors sanctorum eius? Si ossa mortuorum polluant contingētes, quomodo Helisæus mortuus, mortuum suscitauit, & dedit vitam corpori? Etiam dicendum esset omnia castra Israelitici exercitus & populi dei fuisse immunda, quia Ioseph, & patriarcharum corpora portabant in solitudine: & ad sanctam terram immundos cineres pertulerant. Ioseph quoque qui in typo saluatoris nostri præcessit, sceleratus fuit qui tanta ambitione Iacob in Hebron ossa portauit. Dicendum quoque esset ex impiissima Vigilantij doctrina Constantinū im-

1. Timot. 1.

Clichtoueus

Ioan. 17.

Augustinus

Eccle. 3.

2. Corin. 4.

Ephe. 6. &

Coloff. 6.

1. Timot. 6.

1. Petri. 2.

Hieronymus

Deute. 34.

Psal. 15.

Psal. 115.

4. Reg. 13.

peratorem fuisse sacrilegū, qui sanctas reliquias Andreae, Lucae, & Timothei transtulit Constantinopolim. Sacrilegus dicendus esset Augustus Arcadius, qui ossa beati Samuelis longo post tempore de Iudaea transtulit in Thraciam. Omnes episcopi, non solum sacrilegi, sed & fatui iudicandi, qui rem vilissimam, & cineres dissolutos in serico, & vase aureo portauerunt. Stulti omnium ecclesiarum populi, qui occurrerunt sanctis reliquijs, & tanta lætitia, quasi præsentem viuentemq; prophetam cernerent, susceperunt. Insuper male faceret Romanus pontifex, qui super mortuorum hominum Petri & Pauli ossa veneranda, offert domino sacrificia, & tumulos eorum, Christi arbitratur altaria. Beatus Augustinus eo uenerationis cultu, eaque propensa in sanctos religione, existimauit sanctorum monumenta, & reliquias ab his, qui sincero affectu Euangelicam philosophiam profitentur obseruari debere, vt scripserit libro vno de Ecclesiasticis dogmatibus, capite 73. sanctorum corpora, & præcipue beatorū martyrum reliquias, ac si Christi membra, sincerissimè honoranda, & basilicas eorū nominibus appellatas, velut loca sancta diuino cultui mæcipata, affectu pijsimo, & deuotione fidelissima adeunda. Si quis contra hanc sententiã venerit, non Christianus, sed Eunomianus & Vigilantianus creditur. Idem Augustinus refert, lib. 22. de Ciuitate dei, cap. 8. quandã mulierem cæcam, ob synceram fidem, quã habebat in Christū, & in gloriosissimū martyrem, Stephanū, dum episcopus afferret ad aquas Tibilinas, reliquias sancti Stephani, quas nõ mediocri religione & honore suscepit & venerata est, visum recuperasse. Et in eodem capite ostendit miracula sanitatū facta fuisse per inuictissimū militem Christi, diuim Stephanum in Colonia Calamensi. Adde, quod si honoremus memoriã sanctorū hominum dei, vt vult idem Augu. lib. 8. de Ciuitate dei, cap. 27. qui vsque ad mortem suorū corporū pro veritate certarūt, vt innotesceret vera religio falsis religionib⁹ fictiq; conuictis, debemus & honorem reliquijs sanctorū impendere, vt præclara horū monumenta nos propensius excitent ad piẽ, sancteq; viuendū, necnon ad capeffendã honestã vitã semitã. Beatus Ambrosius plurimū detulit honoris, sacratissimis sanctorū corporum Geruasij & Prothasij reliquijs, vt legenti notum est librum 10. Epistolarū eius, Epistola 85. vbi apertè mōstrat effossa illorū sanctorū ossa etiã integra, excitasse non modicã deuotionẽ confertissimã turbã, quã ad illa visenda sincero affectu certatim cōfluebat, cæcis & dæmonijs obsessis plurimū profuit credere deum præclara cōtulisse munera illis sanctis viris, vt qui Christiana religione, & animi sinceritate eorū reliquias honorarēt, cõualescerēt, à suisq; mōrbis sanarētur. Illic dicit Ambrosius, cõmendans vigilias tota nocte factas in laudem istarū sanctorū reliquiarū, plurimos vbi vestem sanctorū manibus cōtigerāt, ab ijs absolutos debilitatibus, quibus laborabāt, & indumēta super sanctissimas reliquias posita, facta medicabilia. Beatus Grego. ab illis sacris Doctōrib⁹ minime dissenties, dicit lib. 3. suarū Epist. ca. 30. Corpora sanctorū apost. Petri & Pauli tãtis in ecclesijs suis coruscare miraculis atq; terroribus, vt neq; ad orandū sine magno illuc timore possit accedi. Nec Romanis cõsuetudo erat, cū sanctorū reliquias exhibebāt syncere spectãdas & honorãdas, vt quispiã præsumeret quicq; de corpore cōtingere, sed tãtūmodo in pyxide brãdeū mittebat, atq; ad sacratissima factōrū corpora ponebatur. Accidit tēporibus beatæ recordationis Leonis papæ, vt cū quidã Græci de talib⁹ reliquijs dubitarēt, prædictus pōtifex ipsum brãdeū allatis forficib⁹ incidit, & ex ipsa incisione, sanguis effluerit. Nec inficiãt Chryso. sanctorū martyrum corpora à nobis pia religione obseruari: dicit enim homi. 7. de natiuit. septē Macha. dæmones factōrū martyrum corpora fugere, & hac lepida similitudine vtit. Vt audaces latronū duces, siue impij sepulchrorū effossores, si forte dū prædas agunt, aut spolia capiēda cõquirūt, in arma vel ornamēta imperatoris incurrerūt, q̄libet cupidid prædarū, tamē ita agnitis regis insignib⁹ deterrētur, vt fugiāt, neq; cõmīn⁹ accedere vel attingere audeāt, vnde sibi nõ cõpēdiū pcedere, sed periculū puidēt imminere, siquid inde audeāt vsurpare. Ita pfecto & dæmones, qui verè latronū & principes & magistri sūt,

Augustinus

Ambrosius.

Gregorius.

Chryso.

vbi coronatorum martyrum corpora viderint posita, longè ilico à conspectu eorum pauidi fugiunt, & abiliunt. Non enim ad naturam eorum intendunt, sed in arcanam dignitatem & gloriam Christi, qui in agone certantium induta corpora martyrum suorum, sicut arma portauit. Huiusmodi enim armis non angelus, non archangelus, non vlla alia creaturã virtus induta est, sed ipse dominus virtutum & angelorum, sicut Paulus clamat, dicens: Si experimentum quæritis præstantis in me Christi. Pretiosa enim sunt corpora martyrum, quoniam plagas pro domino susceperunt. In eadem tamen homilia videtur fauere nostris inimicis, non tamen fauet, sed veritati: cum enim dicit martyres multis solibus illustriores, & magnis luminaribus clariores, & ipso cælo terram lætari ornatiorem, subiungit: Sed in hac comparatione non attendas cinerem sanctorum corporum, nec fauillam reliquiarum carnis, omniãq; ossa consumpra temporibus, sed aperi oculos fidei, & vide eos diuina virtute & gratia spiritus sancti amictos, & diuini luminis claritate radiates. Si diligenter auscultaueris, & exquisito perpēderis iudicio quid dicat: iudicabis beatum Chrysostomum non cõtempnisse sanctissimas sanctorū martyrum reliquias: nam secum pugnaret. cum enim piẽ colat, & veneretur sanctorum corpora, eaque dicat esse dæmonibus terrori, non discedet à seipso, qui ab ecclesia nõ est diuulsus, sed male affectus in ecclesiam capitalis inimicus, & qui fermentatam illam Lutheri farinam sapit, diceret impudentissimè Chrysostomum ridere cineres sanctorū corporū, & reliquias carnis. Fateor hæc secūdum se, & per se, (& vt ita dicam) secūdum sui substantiam considerata, non esse veneranda, neque laudibus decantanda, sed referendo in prototypum, & in sanctos (quorū sunt cineres & reliquie) digna sunt commendatione. Deuita in his superstitionem, & falsam religionem, nec attribuas creaturã, quod creatori attribuendum est. Solum igitur innuit Chrysostomus, cineres sanctorum corporum non esse sole & magnis luminaribus illustriores, sed sanctos martyres diuina virtute & iubare cælesti conspicuos. ¶ Tertia pars nostræ assertionis hæc est: Reliquie sanctorum ac martyrum, adorandæ sunt adoratione generaliter sumpta. Nam huiusmodi adoratio comprehendit cultum, qui debetur siue creatori, siue creaturã. quod si reliquie sanctorum nullo modo essent adorandæ, potissimum hæc assignaretur ratio, quia nullo modo creatura est adoranda, sed ostendo hoc esse falsissimum. Genesis 18. dicitur, quod cum tres viri apparuissent Abraham, adorauit in terra. & quãuis historia non affirmet Abraham eos adorasse, facillè tamen colligunt doctissimi interpretes, quod eos adorauit. Dicit enim Lyranus: adorauit adoratione dulciã, vt illos conuenientius posset inuitare. Tres siquidem angeli apparuerunt Abraham in specie humana, & vnum in tribus adorauit. Et ex hoc loco adumbratur trinitatem in vno deo, esse adorandam supremo adorationis cultu, & honore omnium maximo. Tum etiam Geneseos 23. scribitur: Adorauit Abraham populum terræ, filios videlicet Heth. Et Gene. 42. Fratres Ioseph, ipsum Ioseph virum sanctissimum, & in suos maximè pium, adorauerunt. Tum etiam Exodi 18. Moyse adorauit, & osculatus est Ietro. communis opinio est, quod adorauit Ietro. Nam verbum illud primum, proximè referendum est ad Moysem adorantem Ietro. Sed hæc nec dici nec intelligi possunt, nisi nomen adorationis sit homonymon, & aliter ratio adorandi competat deo, & aliter creaturã. Beatus Augustinus enarrans illum Exodi locum citatum, libro 2. quæstionum super Exodum, quæstione 69. dicit, Vtrum adorauit eum ipse Moyse. Quamquam de adoratione etiam si expressè positum esset, honor videretur focero redditus, eo modo quo solet hominibus honorificentie causa exhiberi à patribus, vbi sumit adorationem pro honore. nec hoc negamus, sed solum contendimus contra imperite interpretates scripturas, adorationem se fuisse & latè distendere, licet adorationis nomen pressè & peculiariter sumptū, & pro ipsa latria, soli competat deo. Et hoc exploratius multo exprimit idem Augustinus, libro 7. de Ciuitate dei, cap. 26. vbi loquitur in hunc modum: Nos autem animum quærimus, qui vera religione

2. Corin. 13

Gene. 18.

Lyranus;

Gene. 23.

Gene. 42.

Exodi. 18.

Augustinus

confusus: non tanquam deum suum adoret mundum, sed tanquam opus dei propter deum, laudet mundum, hic duo subindicare videtur. Primum, non est mundus ut deus colendus & adorandus: Secundum, esto quod adoremus mundum, haec tamen adoratio refertur in vltimum finem, nec tam debet dici mundi adoratio, quam honor aut laus: est tamen quodam modo mundi adoratio. Sed quod debeamus adorare carnem Christi, siue humanitatem, deducit Augustinus ex psalmographo, vbi dicitur: Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est. hoc scabellum dicitur suppedaneum, & graece *ὀρθοπόδιον*. sed inquit ille, quod nam est hoc scabellum: & quoniam apud Esaiam legitur: Caelum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. concludit, hoc scabellum esse terram. Verum cum Christum terram de terra suscepit, id est, de carne virginis immaculatae carnem, plane colligit hunc esse sensum prophetae, Adorate humanitatem Christi siue carnem, & hoc diuino oraculo instinctus propheta, & non hominis ingenio, praedixit futurum, ac si iam factum fuisset. Nec istam carnem sanctissimam debemus sacramentaliter manducare, nisi prius eam adorauerimus: & non solum, inquit, adorando non peccamus, sed peccamus non adorando. Sed Augustinus quasi duabus insidens sellis, torques vtrinque argumentum profert, quod Deuteronomij scribitur: Dominum tuum adorabis. & in alteram disceptationis partem adfert, quod hic scribitur: Adorate scabellum pedum eius. Sed quid ad haec, vir ille bonus & simplicis veritatis amicus dicat, attende quaeso: & attende mi Erasme, ut discas similia magna cum modestia loqui, qui non censuit, ut tu, nullum praetera adorandum, sed ad hunc modum loquitur: Anceps factus sum, timeo adorare terram, ne damnet me qui fecit caelum & terram. Rursum timeo non adorare scabellum pedum domini mei, quia psalmus mihi dicit: Adorate scabellum pedum eius. Fluctuans conuerto me ad Christum, quia ipsum quaero hic, & inuenio quomodo sine impietate adoretur scabellum pedum eius. sed qua ratione, & quo fine adoramus hoc scabellum dicit: propter ipsum Christum adoras, cum te ad terram prosternis. Non igitur excludenda est adorandi ratio a creatura: nec creaturam adoramus, ut in ea finem omnium felicissimum constituamus. Discat velim quicumque admouet manum literis sacris explicandis, coniungere locos Bibliorum, qui videntur ex diametro inter se pugnare, & rectam sectando orbitam non habere, nec per periculosa errorum diuerticula properabit. Ex hac doctrina facile est diluere ratiunculam illam, quae desumitur ex illo Ioannis loco: Mulier crede mihi, quia veniet hora, quando neque in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, quia Hierosolymis est locus, vbi adorare oportet: & cum dixisset Christus illi mulieri quae protulimus, subiunxit: Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus, quia salus ex Iudaeis est. Sed venit hora & nunc est, quando veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate. Nam & pater tales quaerit, qui adorent eum. Spiritus est deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Fatemur Deum praefertim adorandum esse in spiritu & veritate, nec tamen sunt praepeditio imagines sanctorum, reliquiae, & eorum monumenta, & carnis insignia ad huiusmodi adorationem obseruandam, sed adiumento. nam haec sensilia nos commonefaciunt spiritualium, nosque ad sanctorum memoriam reducant. Et licet Ioannes Euangelista cum cecidisset ad pedes angeli sibi apparentis, ut adoraret eum, prohibitus fuerit his verbis (ut scribitur in Apocalypsi) Vide ne feceris, Conseruus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Iesu: Deum adora. tamen angelus ille non sic recusauit honorem illum, ut sibi indebitum ac indecentem, sed ob humanae naturae dignitatem, quam in Christo diuinitati coniunctam vidit, & cognouit super omnes choros angelorum superexaltata. Nec beatus Petrus permittit sibi adorationem fieri a Cornelio, qui prostratus ad pedes Petri cum ipsum adorasset, ut scribitur in Actis Apostolorum, eleuauit ipsum, dicens: Surge, nam & ego homo sum. Et id fecit propter modestiam

Augustinus
Psal. 98.

Esa. 66.

Ioan. 4.

Apoc. 19. &
22.

Acto. 10.

& humilitatem, qua maximè excelleret, licet honorem illum potuisset sine noxa acceptare. Iterum dices: Scribit Cyrillus, libro De recta fide, Christum non adorari ut hominem, alioqui esset deliramentum, deceptio, & error: in hoc enim nihil differemus ab his, qui creaturam colunt vltra conditorem & factorem. Respondeo Christum ut hominem, siue humanitatem Christi, non adorari suprema & supereminenti adoratione: non tamen sequitur quin sanctissima Christi humanitas sit adoranda propter verbum diuinum, quod sustentat naturam humanam. Damascenus libro tertio suae Theologiae, cap. 8. dicit carnem Christi esse adorandam in vna verbi hypostasi, & subnequit, Non ut nudam carnem adoramus, sed cointam diuinitati, & ut in vnam personam, & vnam hypostasim dei verbi duae eius reuocatae sunt naturae. Timeo quidem carbonem tagere propter ignem ligno coniunctum: adoro Christi simul vtrunque, propter carni coniunctam cointamque diuinitatem. Idem sentit libro quarto, cap. 3. Et licet caro Christi vnita diuinitati adoretur, non tamen ut sic vnita, est deus, sed alia natura a diuina. Hinc vides aduersarios veritatis, non posse elabi & effugere, temerè asserentes nihil praeter deum adorandum. Non verebor ad hunc locum adferre, quae scripsit sanctus Thomas de hac re in tertia parte Summae, quaestione 25. in primo articulo, vbi inquit, An diuinitas & humanitas Christi sit eadem adoratione adoranda. Dicit in adnotamentis, duo spectanda esse in eo qui honoratur: Eum scilicet cui honor defertur, & causam honoris: honor proprie exhibetur toti rei subsistenti. Non enim proprie dicimus manus hominis aut pes honoratur, sed homo: quod si quandoque id concesserimus, intelligendum putamus non quatenus sunt partes, sed quia in illis partibus totum honoratur. Causa autem honoris alicuius, est propter quandam insignem excellentiam, qua praeminet caeteris: quod si in eodem homine sint plures causae honoris, scilicet praeratio, scientia, & virtus: vnus erit honor ex parte eius qui honoratur, sed plures secundum diuersas honorum causas & rationes. Cum igitur in Christo vnica sit persona subsistens in duabus naturis, vnica erit adoratio, ex parte suppositi quod adoratur: sed considerando diuersas adorationis & honoris causas, poterunt dici plures adorationes, non quidem simpliciter & proprie, ut alio honore honoretur Christus propter sapientiam increatae, & alio propter sapientiam creatam. Articulo secundo, dicit humanitatis Christi adorationem dupliciter considerari: Ex parte rei adoratae, & sic adorare carnem Christi, nihil aliud est, quam adorare verbum dei incarnatum. Aliter potest intelligi, ut haec humanitas, est omni virtute & munere gratiarum sibi conueniente exornata, & sic adoratio humanitatis Christi non est adoratio patriae, sed dulciae: & sic persona Christi adoratur adoratione patriae propter suam diuinitatem, & adoratione dulciae propter perfectionem humanitatis. Nec hoc te debet pulsare & pertrahere in admirationem. Nam ex doctrina Augustini, ut dictum est, deus honoratur honore patriae, quatenus deus, & quatenus omnium dominus, honore dulciae. sed attende vnum, ne putes Thomam secum pugnare, cum dixit humanitatem Christi non adorari adoratione patriae, intelligendum est ratione sui ipsius. Nam in responsione ad tertium & quartum argumentum, fatetur adorationem patriae exhiberi humanitati Christi, ratione diuinitatis, cui vnitur. Articulo tertio non negat imaginem Christi adorandam adoratione patriae, non quidem ut est res quaedam siue lignum aut lapis, nude rem illam nobis obiectam inspiciendo, sed quatenus est imago: & suadet ex Basilio dicente: Imaginis honorem ad prototypum peruenire, id est, exemplar: sed exemplar scilicet Christus adoratur adoratione patriae, quomodo & eius imago. Nec repugnat haec assertio dictis dei, Exodi 20. Non facies tibi sculprile, neque omnem similitudinem, neque adorabis ea, neque coles. Nam locus ille, vetat fieri imagines & adorari propter se, & summè, & more Gentilium, qui confingebant & moliebatur simulachra in cultum deorum suorum scilicet daemonum, ideo praemittitur: Non habebis deos alienos coram me. adoramus igitur imaginem Christi, non propter ipsam imaginem, sed propter rem cui

Cyrillus.

Damascen.

Thomas.

Basilus.

Exodi 20.

ius est imago: & hac solida doctrina, explicanda est imperitia hominum multitudine, ne abutantur in veneratione imaginum, arbitantes nescio quodnam diuinum in illis latere numen. Mihi videntur Lutherani magis impij, quam Gentiles, quod sacras ades diruerint & demoliti sint, euertentes imagines sanctorum. Articulo 4. dicit crucem Christi esse adorandam adoratione latria: nam in ea quodammodo constituimus spem salutis. Canit enim Ecclesia sanctissimo passionis tempore: O crux aue spes vnica. & ob eam causam, huic sanctae cruci impendimus honorem, quod representet nobis figuram Christi extensi in ea: etiam ex eius contactu ad membra Christi, ex eo quod eius sanguine est perfusa. Dicere vero crucem Christi nullo modo esse adorandam, est haeresis pestilentissima, quae fautoribus non caruit. Huic siquidem impiae haeresi adhaeserunt pertinaciter Claudius Thaurinensis episcopus, & Ioannes Vuicleff acerrimus sacramentorum, & ecclesiasticarum ceremoniarum expugnator. Multi viri doctissimi referunt ad crucem dominicam locum illum psalmodographi: Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est. Et psalmo 131. videtur eadem sententia exprimi, vbi dicitur: Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius, quem locum enarrans Cassiodorus, dicit: Si hoc ad historiam pie velis referre, significat forte sanctam crucem, vbi corporaliter stetit, quando in ea confixus apparuit, in qua steterit recte dicitur, vbi corpus eius infixum fuisse monstratur: merito ergo propheta hunc locum dicit adorandum, qui nobis & fidei signum praestitit & salutem. Damascenus libro 4. suae Theologiae, cap. 12. de crucis dominicae ligno differens, sic ait: Ipsum nimirum pretiosum, & per se vere venerandum, in quo semetipsum in hostiam pro nobis Christum obtulit, ut sanctificatum tactu sancti corporis & sanguinis decenter adorandum: clauicq; & lancea, & indumenta, & sacra ipsius tabernacula, quae sunt praesepe, spelunca, Golgotha sacrularis, viuificum sepulchrum, Sion ecclesiarum propugnaculum, & similia ut dei parens ait Dauid: Introibimus in tabernacula eius, adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius. quod autem crucem dicat, ostendit quod sequitur: Resurge domine in requiem tuam. Sequitur enim crucem resurrectionis. Si enim amatorum desiderabilis domus, & amictus, & lectus, multo magis domini & saluatoris nostri, per quae & saluari sumus. Adoramus etiam figuram pretiosam & viuificam crucis, tamen si ex alia materia facta est: non materiam venerantes (absit enim) sed figuram tanquam Christi signum. Hac Damascenus. Augustinus in tertio libro de Visitatione infirmorum, cap. 3. edifferens de hac re, dicit dominicae crucis monimentum, esse omni veneratione dignissimum, quod ad recordationem crucifixi nostri veneramus. Et cum adoramus crucem, non debemus animo versare crucem, ut est hoc lignum. Nam Ambrosius dicit de obitu Theodosij imperatoris, adorare lignum, esse errorem Gentilem & vanitatem impiorum, sed (ut iam monuimus) perpendere debemus, id cuius hoc est signum, ne detur simplicibus occasio incidendi in idololatriam. Quod si insignes viri & interpretes sacrarum literarum peritissimi, sanctorum reliquijs multum honoris detulerint: cur igitur Erasmus tam acri stomacho inuehitur in episcopos suis diplomatis approbantes cultum, qui ligno crucis Christi, vesti virginis Mariae, & cucullae sancti Francisci defertur? quis nescit superstitionem, & hypocrisim, & auaritiam vitandam esse? Sed eius de hac re annotationes in 23. caput Matthaei, factae sunt cachinnis. Quod si non mediocri religione, magnaq; & animi, & voluntatis deuotione crucem Christi veneremur, multo religiosius, & sanctius, & feruentiori cultu debemus mundissimam & sanctissimam Christi humanitatem in augustissimo Eucharistiae sacramento adorare, nosq; totos illi deuouere, cum ea spiritali studio versari, neq; vnquam latum (quod ferunt) vngue ab ea dimoueri. Nos velim spiritali armatura muniat Christum, contra Oecolapadianos huiusce sacramenti omnium excellentissimi subuersores & hostes inimicissimos, ut assiduis precationibus, diuinis studijs & iugi Christianae professionis exercitio, oues Christi hac venenata peste contaminatas, ad pie credendum sanctissimum Christi corpus esse in praclarissimo Eucharistiae sacramento reuocem.

Claudius.
Ioanes Vuicleff.

Psal. 131.
Cassiodorus

Damascen⁹

Augustinus

Ambrosius.



Vthoritas septuaginta interpretum saluo honore Hebraicae linguae, ali quando caeteris interpretibus fuit praeposita: vbi tamen Ecclesia recipit interpretationem Hieronymi, eam praefert auctoritati 70. interpretum.] Huius assertionis prima pars est Augustini libro 18. de Ciuitate dei, capite 43. Nec sum nescius Hieronymum dixisse septuaginta interpretes in plerisque lapsos fuisse, quod Germanam, ac synceram Hebraicae veritatis phrasim non sint sequuti, & longe aliter haberi in exemplaribus Hebraicis, quam interpretati sint. Et nondum finita est huiusce rei controuersia inter Hieronymum & Augustinum suborta. Nec desunt viri doctissimi, qui propensius fauent Hieronymo, quam Augustino. Communis etiam opinio nunc sentit cum illo. Nec ab Ecclesiae censura discedendum est, vbi 70. interpretibus Hieronymi interpretationem praefert. Verum ut diligentius & commodius a nobis Augustini sententia discutiatur, ostendemus a quo accersiti fuerunt 70. interpretes, viri sane Hebraicae linguae peritissimi, ad hoc munus perarduum & difficile obeundum. Ptolemaeus Lagi satellitis Alexandri filius, Aegypti Rex illustrissimus, & rei militaris peritissimus, quum in senecta tranquillus viuere statuisset, rerum curam filio, qui Philadelphus dictus est, mandauit. Hic Iudaeos, quos pater adduxerat in Aegyptum subiugatos, liberos redire permisit, grauiq; tributo Iudaeam soluit, quumq; in maturiore aetate morbis afflictaretur, proculq; a bellis, rebusq; gerendis esse cogeretur, auctore Demetrio Phalereo, qui patria Athenis vir nobilissimus, maximisq; functus magistratibus, ciuium inuidia pulsus, ad eum confugerat, studijs se tradidit, accitis vndique ingenijs, & constructa illa nobili Alexandrina Bibliotheca, in qua & statuit libros veteris testamenti. Nam legatos ad Eleazarum sacerdotum principem misit, qui pro beneficijs a se in Iudaeam gentem largiter collatis libros Mosaicae legis & interpretes poscerent, qui eos in Graecam linguam transferrent, quod Eleazarus Regi concessit, ut par erat, misitque ex vnaquaque tribu senos viros aetate, & eruditione, & auctoritate imprimis comendabiles, Hebraice, Graecaeq; peritissimos, qui cum essent duo & septuaginta, dicuntur tamen vulgo septuaginta interpretes, quemadmodum iudices illi Romani, qui ad hastam de rebus minoribus iudicabant, centumviri appellantur, cum essent centum & quinque, ex singulis tribubus terni, ut doctè scripsit Ioannes Lodouicus Viues, vir & graecè & latine doctissimus, in suis commentarijs ad 18. librum Augustini de Ciuitate dei, cap. 42. Extant epistolarum Regis Ptolemaei ad Eleazarum pontificem: Et Eleazari pontificis ad Regem Ptolemaeum, apud Iosephum, libro Antiquitatum Iudaicarum 12. cap. 2. Precatur obnixè Rex Ptolemaeus, Eleazarum sacerdotum principem, ut pro ea benignitate & clementia, qua usus est erga Iudaeos deuictos, digne mittere Iudaeorum leges Hebraicis literis conscriptas, ut eas ex Hebraica veritate in Graecam tralatas, in sua Bibliotheca librorum omnium refertissima reponat. & ad hoc negotium rectè peragendum desiderat ab Eleazaro deligi viros optimos, seniores: & ab vnaquaque tribu sex, qui legis Mosaicae peritissimi valeant earum interpretationem exponere. At cum primum Eleazarus Regis literas summa cum voluptate legit, ut beneficium beneficio pensaret, & honesti officij vices rependeret, non immemor tanti beneficii accepti, animaduertens Regis erga deum pietatem, quod pro primitijs votorum & immolationibus, & alijs rebus transmississet tanta lenta centum, viginti pateras aureas, argenteas triginta, crateras quinque, & mensam dedicandam, misit viros seniores, & doctiores sex ab vnaquaque tribu legem deferentes, quam rogauit post transcriptionem vnà cum nuntijs remitti. Et eo afflatu diuino, eoque felicitissimo genio instincti fuerunt septuaginta interpretes, ut ne vnus quidem vertendo ab altero dissideret. Vnde Augustinus in libro nuper citato, cap. 42. dicit tam mirabilem ac stupendum, planèq; diuinum in eorum verbis fuisse consensum, ut cum ad hoc opus separatim singuli federint (ita enim eorum fidem Ptolemaeo Regi placuit explorare) in nullo verbo quod idem significaret, &

Augustinus

Philadelph⁹

Ioan. Lodo.
Viues.

Iosephus.

Augustinus

tantundem valeret, vel in verborū ordine alter ab altero discreparet, sed tanquā si vnus esset interpres: ita quod omnes interpretati sunt, vnū erat, quoniā reuera spiritus erat vnus in omnibus. Et ideo tam mirabile dei munus acceperūt, vt illarum scripturarū, non tanquam humanarum, sed sicut erant tanquam diuinarum etiam isto modo commendaretur autoritas, credituris quandoque gentibus profutura, quod iam videmus effectum. Hæc Augustinus. Cum dicit singulos separatim sedisse ad hoc opus belle conficiendum, videtur cum illis sentire qui arbitrati sunt 70. interpretes fuisse 70. cellulis seorsim ad interpretationem ex Hebraica veritate faciendam, distinctos: quod deridet Hieronymus præfatione in Pentateuchum Mosi, vbi dicit: Nescio quis primus author 70. cellulas Alexandriæ mendacio suo extruxerit, quibus diuisi eadem scripturarum, cum Aristæas eiusdem Ptolemæi *ὑπεργνωστῆς*, & multo post tempore Iosephus nihil tale retulerint, sed in vna basilica congregatos, contulisse scribant, non prophetasse. Est autem *ὑπεργνωστῆς* interprete Erasmo in scholijs eiusdem præfationis, satelles & protector, à clypeo cuius obiectu, satellites tegunt corpora principum: vbi subridet interpretationem Hugonis Cardinalis, qui in hūc modum interpretatur: Hyperaspistes, fidelis interpres, ab hyper quod est valde, & pistis fides. sed an hæc interpretatio sapiat Græcæ dictionis significationem, an Hiberas nœnias, alij iudicent. Nec tamen vrget Hieronymi ratio, tametsi sit verisimilis. Nec hallucinaretur forsitan, qui putaret admodum esse probabile illos 70. interpretes fuisse in varias cellulas distinctos, quo cōmodius & diligentius diuinum illud opus absoluerent: deinde conferrent sicubi discrepasset, aut omni ex parte consensissent, nihil tamen de hac re audeo affirmare. Augustinus ad suam assertionem approbandam sic scribit libro 18. de Ciuitate dei, capite 43. Nam cum fuerint alij interpretes, qui ex Hebræa lingua in Græcam, sacra illa eloquia transtulerunt, sicut Aquila, Symmachus, Theodotus: sicut etiam illa est interpretatio, cuius author non apparet, & ob hoc sine nomine interpretis quinta editio nuncupatur. Hanc tamen quæ septuaginta est, tanquam sola esset, sic recepit Ecclesia, eaq; vtuntur Græci populi Christiani, quorum plerique vtrum alia sit aliqua ignorāt. Ex hac septuaginta interpretatione etiam in Latinam linguam interpretatū est, quod Ecclesiæ latinæ tenent, tamen Hieronymus vir doctissimus & trium linguarum peritus, ex Hebræo in Latinum eloquium easdem scripturas conuertit, cuius laborem quamuis Iudæi fateantur esse veracem: septuaginta verò interpretes in multis errasse contendant, tamen Ecclesiæ Christi tot hominum auctoritati ab Eleazaro tunc pontifice ad hoc tantum opus electorū neminem iudicant præferendum, quia etsi non in eis vnus apparuisset spiritus sine dubitatione diuinus, sed inter se verba interpretationis suæ septuaginta docti more hominū cōtulissent, vt quod placuisset omnibus hoc maneret, nullus eis vnus interpres debuit anteponi. Cum verò tantum in eis signum diuinitatis apparuit, profecto quis quis alius illarum scripturarum ex Hebræa in quamlibet aliam linguam interpres est verax, aut congruit illis septuaginta interpretibus, aut si cōgruere non videtur, altitudo ibi prophetica esse credenda est. Spiritus enim qui in prophetis erat, quando illa dixerunt: idem ipse erat etiam in septuaginta viris, quando illa interpretati sunt. Qui profecto autoritate diuina & aliud dicere potuit, tanquā propheta ille vtrunque dixisset. Hæc August. Vnicuique hæc attentè & sano iudicio legenti exploratū est Augustinū omnibus sui ingenij viribus & toto Marte contendisse diuinam illam 70. interpretū explanationē & versionem cæteris omnium, etiam Hieronymi Hebraicæ linguæ peritissimi, interpretationibus longè præferre. Nec spiritus sanctus eorum dux primarius permisit, vt illi interpretes diuino afflati spiritu, quicquid verterent ex Hebraica veritate in Græcam, quod posset Ecclesiam varijs interpretandi scrupis torquere, & in hæsitationis discrimen adducere. Et licet septuaginta interpretes consulto aliquid addiderint, quod tamen Hebræi non habent, & aliquid delituerit in Hebræis exemplaribus, quod à septuaginta inter-

Hieronymus

Augustinus

pretibus suppressum est aut prætermisum, ob tamen hanc pusillam rationem nemo in istis literis bene institutus, debet suggillare & vellicare 70. interpretum translationem. Nonne aliquid additum est à Matthæo, quod tamen in cæteris Euangelistis non reperitur? & aliquid vice versa additum est à Marco, & à Luca, quod tamen suppressit Matthæus? & tamen concinna est, & concors inter eos sententia, & apprime coheret. Quæ in Hebræis inuēta sunt, & apud 70. interpretes non erant, vt in eodem cap. annotat Augustinus, asteriscis, id est, stellis designabatur. At contra, quod septuaginta interpretes addiderunt, licet in Hebræis voluminibus non legatur, iacentibus virgulis, sicut scribuntur vnciæ (vt ille vult) signabatur. Et in Epistola ad Hieronymum, in qua eum dehortatur à libris testamenti veteris ex Hebræo vertendis, dicit Hieronymum in sua prima interpretatione in Iob, quæ erat ex græco in latinum, asteriscis notasse, quæ in hebræo & in græco defunt: obeliscis verò, quæ in græco inueniuntur, & in hebræo non sunt: & in posteriore additione, quæ est ex hebræo in latinum non fuisse infixos asteriscos, nec obelos: vbi videtur reprehendere Hieronymum. quod negligentius id fecerit in posteriore additione, quam priore. Cui tamen respondet Hieronymus, dicens: Quod autem in alijs quæris epistolis, cur mea prior in libris canonicis interpretatio asteriscos habeat, & virgulas prænotatas, & postea aliam translationem absque his signis addiderim, pace tua dixerim, videris mihi non intelligere quod quæsi. Illa enim interpretatio septuaginta interpretū est, & vbiunque virgulæ, id est, obeli sunt, significatur quod septuaginta plus dixerint, quam habetur in hebræo: vbi autem asterisci, id est, stel- læ prælucentes, ex Theodotus additione ab Origene additum est. Et ibi Græca transtulimus, hic de ipso hebraico quod intelligebamus expressimus, sensuū potius veritatem, quam verborū interdum ordinem cōseruantes. Et miror quomodo 70. interpretū libros legas non puros, vt ab eis aditi sunt, sed ab Origene emendatos, siue corruptos per obelos & asteriscos, & Christiani hominis interpretatiunculā nō sequaris, præsertim cum ea quæ addita sunt, ex hominis Iudæi atq; blasphemii post passionem Christi additione trāstulerit. Vis amator esse verus 70. interpretū? non legas ea, quæ sub asteriscis sunt, imò rade de voluminibus, vt veterum te fautorem probes. Quod si feceris, omnes ecclesiarū bibliothecas condemnare cogeris. Vix enim vnus aut alter inuenietur liber, qui ista non habeat. Idem Hieronymus dicit præfatione in librum Paralipomenon, ad Domnionem, & Rogatianum: Vbiunque asteriscos, id est, stellas radiare in hoc volumine videritis, ibi sciatis de hebræo additum, quod in latinis codicibus non habetur: Vbi verò obelus, trāuersa scilicet virga præposita est, illic signatur quid septuaginta interpretes addiderūt, vel ob decoris gratiam, vel ob spiritus sancti auctoritatē, licet in Hebræis voluminibus non legatur. Vbi plurimum auctoritatis videtur deferre septuaginta interpretibus, spiritus sancti gratia ad id faciendum instinctis. Nec existimat Augustinus in eodem libro, ex eo repugnantiam esse inter Hebraicos codices, & septuaginta interpretū translationem, quod in Hebræis aliquid sit inuentum, quod tamen non sit in septuaginta, & ediuerso. Nam volens quicquid certo colligere de hac suborta apud plerosque controuersia, dicit: Si (vt oportet) nihil aliud intueamur in scripturis illis, nisi quid per homines dixerit dei spiritus, quicquid est in Hebræis codicibus, & non est apud interpretes septuaginta, noluit hoc per istos, sed per illos prophetas dei spiritus dicere. Quicquid verò est apud septuaginta, in Hebræis autem codicibus non est, per istos maluit, quam per illos idem spiritus dicere, sic ostendens vtrosque fuisse prophetas. Isto enim modo, alia per Esaiam, alia per Hieremiam, alia per alium atque alium prophetam, vel aliter eadem per hunc ac per illum dixit, vt voluit. Quicquid porro apud vtrosque inuenitur, per vtrosque dicere voluit vnus atque idem spiritus, sed ita vt illi præcederēt prophetando, isti sequerētur propheticè interpretando: quia sicut in illis vera & cōcordantia dicentibus vnus pacis spiritus fuit, sic & in istis non secū conferentibus, & tamen tanquā vno ore cuncta interpretantibus,

Hieronymus

Augustinus

G. j.

Hieronymus

idem spiritus vnus apparuit. Hactenus Augustinus. Desumet quispiam ex hac accurata Augustini doctrina septuaginta interpretes fuisse prophetas: nam dicit utrosque fuisse prophetas. Nec id tibi denegaret Augustinus. Sed ut ex eodem colligere possum, non tam dicebatur propheta, quam prophetia interpretes, id est, eodem spiritu prophetico interpretates, quo & illi praedixerunt futura. Hieronymus tamē praefatione in Petateuchū Moysi, dicit cum Iosepho illos 70. interpretes non prophetafse. Aliud est enim vatem, aliud est esse interpretē: ibi spiritus ventura praedicit, hic cruditio & verborū copia ea quae intelligit, trāffert. Nisi fortē putādus est Tullius Oeconomicū Xenophōtis, & Platonis Protagorā, & Demosthenis pro Ctesiphōte afflatus rhetorico spiritu trāstulisse. Aut aliter de eisdē libris per 70. interpretes, aliter per apostolos spiritus sanctus testimonia texuit, ut quod illi tacuerūt, hi scriptum esse mētiti sint. Quid igitur? damnamus veteres: minimē, sed post priorū studia in domo domini quod possumus laboramus: illi interpretati sunt ante aduentū Christi, & quod nesciebāt dubijs protulere sentētijs: nos verō post passionē & resurrectionem eius, non tam prophetiā, quam historiā scribimus. Aliter enim audita, aliter visa narrātur. Quod melius intelligimus, melius & proferimus. Audi igitur aemule, obtrektor aucta, nō damno, nō reprehēdo 70. sed cōfidenter cūctis illis apostolos praefero. Per istorū os mihi Christus sonat, quos ante prophetas inter spiritalia charismata positos lego, in quibus vltimū penē gradū interpretes tenēt. Hae Hieronymus. Sed quidnā huic Hieronymianae rationi respondendū sit, quae nō eluctatur Augustinū, nec vincit: ex his quae presse adnotauimus, notū euadit. Fatetur Hieronymus se non reprehēdere 70. interpretes, nec damnare eorū additionē. Et in praefatione in librū Paralipomenon, scribit de hac re in hunc modū: Si 70. interpretū pura, & ut ab eis in Graecum versa est, additio permaneret, superflue me Chromati episcoporum sanctissime atque doctissime impelleres, ut Hebraea volumina Latino sermone transferrē. Quod enim semel aures hominū occupauerat, & nascētis Ecclesiae roborauerat fidem, iustū erat etiā nostro silentio cōprobari: nunc verō cum pro varietate regionū diuersa ferātur exemplaria, & germana illa antiquaq; translatio corrupta sit atque violata, nostri arbitrij putas, aut ē pluribus iudicare quid verū sit, aut nouum opus in veteri opere cudere. Hic prospicis Hieronymū maxime opere germanā illam ac antiquā 70. interpretū additionē cōmendasse, nisi adblan diatur animo Chromatij, apud quē sciebat sanctā esse 70. interpretū autoritatē, ut annotauit Erasmus. Existimo tamē Hieronymū nihil hic fictū & simulatū dixisse. Neque tantā insumpsisset operā, nec tam difficile suis humeris trāfferēdi impo fuisset sarcinā, si illa s̄a, integra, & incorrupta permansissent 70. interpretū exēplaria. Verū cum agnouerit exēplaria fuisse deprauata, & squallere mendis innumeris, nō grauatū est pro maximo reip. Christianae cōmodo, admouere manū & calamū illis libris ex Hebraeo secundū suam natiuā phrasim, & illibatā integritatē in latinum transferēdis. Adde, quōd in praefatione in librū Paralip. ad Domnionē & Rogatianū sic scribit de additione huius voluminis: Ita in Graecis & Latinis codicibus hic nominū liber vitiosus est, ut nō tam Hebraea, quam Barbara quaedā & Sarmatica nomina cōiecta arbitrandū sit. Nec hoc 70. interpretibus, qui spiritu sancto pleni, ea quae vera fuerūt, transfulerūt, sed scriptorū culpā ascribendū, dum de emēdati in emēdata scriptitāt. Sed hoc ex censura Erasmi, nec tamē omniū, affectib; illorū, ad quos scribit dedisse videtur Hieronymus. Diligentissima lima, singulari ingenio & exquisitissimo iudicio expēdit Hieronymus, Epistola Suniae & Fretelae locos, in quibus 70. interpretes vidētur dissidere ab Hebraica veritate ac cōspirare, & potissimū in interpretatione psalmi. Et anteq̄ negotiū agat, breuiter admonet interpretationē variā esse diffidiā, ut sciant arcanarū literarū studiosissimi aliā esse additionem, quam Origenes, & Caesariensis Eusebius, omnēsque Graeciae tractatores κοινῶς, id est, cōmunē appellāt atq; vulgatā, & à plerisque nunc λεκτικῶς dicitur, aliā 70. interpretum, quae & in ἑραπλοῖς codicibus reperitur, & à nobis in latinū sermonē fideliter

versa est, & Hierosolymae atque in orientis Ecclesijs decātur. Deinde cōmone cit ne sectādo riuulos, limpidissimos canonicarū scripturarū fontes aspernemur & despiciamus. Sicut in nouo testamēto, si quando apud Latinos quæstio exoritur, & est inter exēplaria varietas, recurrimus ad fontē Graeci sermonis. Ita in veteri testamēto, si quando inter Graecos, Latinosque diuersitas est, ad Hebraicā recurrimus veritatē, ut quicquid de fonte proficiscitur, hoc quæramus in riuulis. Cōmunis autem additio, quae κοινῶς dicitur, ipsa est quae & septuaginta, ne quis putet Hieronymū à seipso dissentire. hoc Hieronymus latius explicat: Hoc enim, inquit, interest inter vtramque, quōd κοινῶς pro locis & tēporibus, & pro volūtate scriptorū veterū corrupta additio est. Ea autē quae habetur in ἑραπλοῖς, & quā nos vertimus, ipsa est quae in eruditorū libris incorrupta & immaculata, septuaginta interpretū translatio reseruatur. Quicquid ergo ab hac discrepat, nulli dubium est, quin ita & ab Hebraeorum autoritate discordet. In eadem epistola sibi temperat à mordacissima reprehensione Latini psalmorum interpretis. Et solum proferam duos locos, qui Graecae dictioni respondere non videntur: Psalmo quinto dicitur, Neque habitabit iuxta te malignus. Pro quo habetur in Graeco οὐ παροικίσει σοι πονηρός: & miramini, inquit, cur παροικίσει, id est, incolatum Latinus interpres non verterit, sed pro hoc posuerit habitationem, quae graecè dicitur κατοικία: quod quidem in alio psalmo fecisse conuincitur: Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Et in decimo quarto psalmo, rursum pro incolatu, habitationem posuit: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? Et sciendum quōd si voluerimus dicere, Domine quis incolet tabernaculum tuum, vel illud de quinto, Neque incolet iuxta te malignus: perdet Euphoniā: & dum interpretationis κακοηλίαν sequimur, omnem decorem translationis amittimus, & hanc esse regulam boni interpretis, ut idioma alterius linguae, suae linguae exprimat proprietate. quod quidem & Tullium in Prothagora Platōnis, & in Oeconomico Xenophontis, & in Demosthenis contra Aeschinē oratione fecisse conuincimus. Et vbi habetur psalmo vigesimo primo: Vniuersum semen Iacob magnificate eum: Graecè scriptum est ἅπαν τὸ σπέρμα ἰακώβ θεοξοῦται: ἅπαντες, id est, vniuersum semen Iacob glorificate eum. Sed sciendum quōd vbi in Graeco θεοξοῦται, id est, glorificate scriptum sit, Latinus interpres magnificate translulerit, secundum illud quod in Exodo dicitur: Cantemus domino. gloriosè enim magnificatus est, pro quo in Graeco scribitur θεοξοῦσαι, id est, glorificatus est. Sed si in latino transferatur, sit indecora translatio: & nos emendantes psalterium olim vbiunque sensus idem est, veterum interpretum consuetudinem mutare nolumus, ne nimia nouitate, lectoris studium terreremus. Multa sanè debemus Hieronymo, qui nullo vnquam canino dente studuit rodere antiquorum interpretum additiones, sed maxima in illis castigandis (ut efflagitabat vrgens necessitas) vsus est modestia, quam desidero in his qui acrius inuehuntur, & insurgunt vehementius in vulgatas additiones. Nec approbare possum Augustini gladium, quo impetiuit Hieronymum, quōd post veteres, tantopere conatus sit interpretari sacras scripturas, qui in eum hac vtitur ratiuncula: Aut obscura fuerunt, quae interpretati sunt septuaginta, aut manifesta: Si obscura, te quoque in illis falli potuisse credendum est: Si manifesta, illos in eis non falli potuisse perspicuum est. Sed stylo repulit Augustinum, nec clauum clauo retrusit, ut inuidia & libidine vlciscendi retorqueret intortum telum, sed sermone recepto respondet: Omnes, inquit, veteres tractatores, qui nos in domino praecesserunt, & qui scripturas sanctas interpretati sunt, aut obscura interpretati sunt, aut manifesta: Si obscura, tu quomodo ausus es post eos differere, quod illi explanare non potuerunt? Si manifesta, superfluum est te voluisse differere, quod illos latere non potuit, maximè in explanatione psalmorum, quos apud Graecos interpretati sunt multis voluminibus. Primus Origenes, Secundus Eusebius Caesariensis, Tertius Theodorus Heracleotes, Quartus Asterius Scythopolitanus, G.ij.

Exodi. 15:

Augustinus

Hieronymus

Quintus Apollinarius Laodiceus, Sextus Didymus Alexandrinus: Apud Latinos Hylarius Pictaviensis, & Eusebius Vercellensis episcopus, Origenem & Eusebium transtulerunt: quorum priorem, & noster Ambrosius in quibusdam secutus est: Respondeat mihi prudentia tua, quare tu postantos & tales interpretes in explanatione psalmodi diuersa senseris. Si enim obscuro sunt psalmi, te quoque in eis falli potuisse credendum est: Si manifesti, illos in eis falli potuisse non creditur, ac per hoc utroque modo superflua erit interpretatio tua, & hac lege post priores nullus loqui audebit, & quodcumque alius occupauerit, alius de eo licentiam scribendi non habebit. Quin potius humanitatis tuae est, in quo veniam tibi tribuis, indulgere & ceteris. Ego enim non tam vetera abolere conatus sum, quae linguae meae hominibus emendata de Graeco in Latinum transtuli, quam ea testimonia, quae à Iudaeis praetermissa sunt, vel corrupta, proferre in medium, ut scirent nostri quid Hebraica veritas contineret. Et demiratur Hieronymus Augustinum tantopere commendasse, quod scripsit in noui testamenti emendationem, & huius beneficii gratia se deo Optimo & Maximo, quammaximas agere gratias: simile tamen beneficium non ei deprecari, & acceptum referre in veteris testamenti castigatione: & reddidit Augustinus rationem, cur eum in noui testamenti emendatione susceperit, quia plurimi linguae Graecae habentes scientiam, de illo Hieronymi opere possunt iudicare. eadem integritate debuerat ei in veteri testamento credere, quod non sua confirmaret, sed ut apud Hebraeos inuenit diuina, transtulit. Adhuc insurgit Augustinus in Hieronymum, quod male interpretatus sit in Ionam prophetam, hederam pro cucurbita. Sic vertit 4. cap. Ionae: Et praeparauit dominus deus hederam. Septuaginta sic vertunt: Et praecipit dominus deus cucurbitae. hoc tamen dicit Augustinus aliter positum à Hieronymo, quam erat omnium sensibus memoriaeque inueteratum, & tot aetatum successibus decantatum. Et cum quidam episcopus instituisset lectitare in ecclesia, cui praererat, translationem Hieronymi, tumultuante plebecula, & seditione populi concclamante propter unius verbi dissonantiam, episcopum penè sacerdotium perdidisse. sed hoc Hieronymus putat esse fabulosum. Et super hac re in commentario Ionae prophetae plenius respondit, ubi apertissime docet suam translationem magis accedere ad prophetiae intelligentiam, quam septuaginta aditionem. Et ubi septuaginta interpretes cucurbitam, Aquila & reliqui hederam transtulerunt, id est, *ut dicitur*. In Hebraeo volumine Cicaion scriptum est. Est autem genus virgulti lata habens folia in modum pampini: cumque plantatum fuerit, cito consurgit in arbusculam absque vllis calamorum & hastilium adminiculis, quibus & cucurbitae & hederae indigent, suo trunco se sustinens. Hoc ergo verbum è verbo edisserens, si cicaion transtulisset, nullus intelligeret: si cucurbitam, id dicerem, quod in Hebraico non habetur. Hederam posui, ut ceteris interpretibus consentirem. sin autem Iudaei vestri, ut ipse asseris, malitia vel imperitia hoc dixerunt esse in voluminibus Hebraeorum, quod in Graecis & Latinis codicibus continetur, manifestum est eos, aut Hebraeas literas ignorare, aut ad irridendos cucurbitarios mentiri. Ridet facete Hieronymus in illum Ionae locum, quendam Canthelium virum mordacissimum & obrectatorem maledicentissimum de antiquissimo genere Corneliorum, siue ut ipse iactat de stirpe Asinij Pollionis, qui Romae accusauerat Hieronymum sacrilegij, quod pro cucurbita hederam transtulisset. timuit ille ne si pro cucurbitis hederam nascerentur: unde occultè & tenebrosè biberet, non haberet. Et in ipsis cucurbitis vasculorum, quas vulgo Sacomarias vocat, solent apostolorum imagines adumbrare, è quibus & ille non suum sibi nomen assumpsit. Quia si tam facile vocabula commutantur, ut pro Cornelij seditionis tribunis Aemilij consules appellentur, miror cur mihi non liceat hederam transtulisse pro cucurbita. tandem ad feriã progreditur interpretationem, quae bona ex parte pertulimus. In multis locis illius prophetiae reperies Hieronymum dissidere à 70. interpretibus, & praesertim reclamant Hiero. 70. interpretibus ad illum Ionae locum: Et praedicaui, & dixit, adhuc tres dies, ab eis sic versum: ubi sic vertit Hierony. Et clama-

Ionae 4.

uit, & dixit, adhuc quadraginta dies. Et in suis commentariis dicit illum trinum numerum, qui ponitur à septuaginta non conuenire poenitentiae, nec in Hebraeo esse verbi communitatem, nec literarum, nec accentuum, nec syllabarum. Et miratur septuaginta interpretes ita transtulisse. Augustinus tamen in ea est firma sententia, ut tuto credat septuaginta interpretes non discrepare spiritu, rectaque intelligentia ab Hebraica veritate, si rectè intellecti fuerint, licet videantur discrepare, ut scribit libro decimo octauo de Ciuitate dei, capite quadragesimo quarto, in quo apertissime dicit se magis fauere Hebraicae veritati in dissoluenda illius prophetiae disceptatione, quam septuaginta interpretibus, utrunque tamen existimat potuisse dici à propheta, qui missus fuerat terrere comminatione imminenti exitij ciuitatem, cui si tertio die fuerat futurus interitus, non utique quadragesimo die: si autem quadragesimo, non utique tertio. Et nihil prohibet illis quadragesima diebus figuratam fuisse, & significatam mansionem Christi, qua quadragesima diebus post suam passionem familiari colloquio conuersatus est cum suis discipulis. Et illis tribus diebus significari Christum tertio die resurrexisse. Sed dicerent nonnulli hanc non esse literam intelligentiam, cum aliud propheta praetendere videatur. Dicit Ludouicus Viues, excellens Augustini ingenium vix posse se ab istis angustiis explicare, quod tamen asserit, plurimum iuuat ad connectendos septuaginta interpretes cum Hebraica veritate. Nec tamen nobis persuadendum est Augustinum usque adeo fuisse in septuaginta interpretes propensum, tantumque illis tribuisse, ut censuerit illam septuaginta interpretum editionem in nullis sacrae scripturae locis se aliter habere, quam in Hebraica veritate inueniatur. Nam libro secundo de consensu Euangelistarum, capite sexagesimo sexto, sic de hac re scribit: Manifestum est autem interpretationem illam, quae dicitur septuaginta, in nonnullis se aliter habere, quam inueniunt in Hebraeo, qui eam linguam nouerunt, & qui interpretati sunt singuli eosdem libros Hebraeos. Huius item distantiae causa, si quaeratur cur tanta auctoritas interpretationis septuaginta, multis in locis distet ab ea veritate, quae in Hebraeis codicibus inuenitur, nihil occurrere probabilius existimo, quam illos septuaginta eodem spiritu interpretatos, quo & illa, quae interpretabatur dicta fuerant, quod ex ipsa eorum mirabili, quae praedicatur consensione firmatum est. Ergo & ipsi in eloquio narrando, & ab eadem voluntate dei, cuius illa dicta erant, & cui verba seruire debebant, non recedendo nihil aliud demonstrare voluerunt, quam hoc ipsum quod nunc in Euangelistarum quatuor concordi quadam diuersitate miramur, qua nobis ostenditur non esse mendacium, si quisquam ita diuerso modo aliquid narret, ut ab eius voluntate, cui consonandum & consentiendum est non recedat. Chrysostomus homilia quarta in Genesim, dicit de versione septuaginta interpretum, Omnes diuini libri veteris testamenti Hebraeorum lingua ab initio sunt compositi, & in hoc nobiscum consentiunt omnes. Et non ante multos annos aduentus Christi, Rex quidam Ptolemæus, in concquirendis libris admodum studiosus, operæpretium putauit, ut & hos libros colligeret, eaque de causa quosdam Iudaeorum Hierosolymitarum vocauit, qui eos in Graecam linguam verterent. Et perfectum est hoc eius opus: factum est autem hoc diuinæ dispensationis opus, ut non solum Hebraicae linguae periti, sed & omnes qui totum orbem inhabitant, ex eo vtilitatem perciperent. Est & rarum miraculum, quod vir qui Iudaica non curabat, hoc fecit, sed idololatriam deditus, & religioni damnatae multum fauens. Hoc enim modo se habent omnia, quae à domino nostro dispensantur, ut per aduersarios semper crebescant veritatis praecipua. Et homilia quinta in Mattheum, astipulando sententiae Augustini, praefert interpretationem septuaginta, omnibus alijs. Primum, inquit, dicemus illud, quonia ad faciendam veram translationem fidem, omnibus alijs iure septuaginta interpretes sint digniores. Siquidem alij post aduentum domini interpretati sunt. Iudaei siquidem permanentes, meritoque suspecti, quippe qui inimicè & subdolè multa corruperint: & data prorsus opera à prophetis mysteria praedicta celauerint: septuaginta

Augustinus

Augustinus

Chrysosto.

Galij.

Ireneus:

Hylarius:


verò ante centum, & aliquanto amplius dominici aduentus annos ad interpretandum tot ac pariter accedentes, ab omni suspicione huiusmodi vindicantur, tum ob ipsum temporis interuallum, & illorum numerum, tum ex ipso quod super omnia debet valere, consensu. Astipulatur & Chrysostomo Ireneus, libro tertio aduersus hæreses Valentini, & similitum, capite 25. vbi dicit post maximam septuaginta commendationem & auctoritatem, Petrum & Ioannem, Matthæum & Paulum, & horum sectatores, prophetica omnia ita annuntiasse, quemadmodum seniorum interpretatio continet. Sed ausculta velim quidnam in laudem septuaginta interpretum scripserit Hylarius, secundum enarrans psalmum: Hi, inquit, seniores libros hos transferentes, & spiritualem secundum Mosi traditionem occultarum cognitionum scientiam adepti, ambigunt lingua Hebraica dicta, & varia quædam ex sententiantia secundum virtutes rerum certis & proprijs verborum significationibus transtulerunt, doctrinam scientiam multimodam illam sermonum intelligentiam temperantes. Et ex eo fit, vt qui postea transtulerunt diuersis modis interpretantes, magnum gentibus attulerint errorem, dum occultam illius à Mosè propheta traditionis ignari, ea quæ ambigunt lingua Hebræa commemorata sunt, incertis ipsi iudicijs addiderunt. Ambiguitatis autem linguæ Hebrææ vnum afferemus exemplum, ex quo cætera istiusmodi esse atque vt sunt, intelligantur: Bresth verbum Hebraicum est: tres enim significantias in se habet, id est, in principio, & in capite, & in filio. Sed transtatores septuaginta in principio addiderunt, cæteris diuersè transferentibus, & secundum hanc ambiguitatem hæc ab illis in omni translatione est facta confusio. Sed perfecta horum septuaginta interpretum auctoritas manet. Primum, quod ante aduentum corporalem dominici transtulerunt, nec adulatione interpretandi adhibita temporari arguitur, tanto anteriores interpretationis ætate: dehinc quod ipsi illi principes, doctoresq; synagogæ, & præter scientiam legis, per Mosem quoque doctrina secretiori perfecti innotuerunt, non improbabilis esse arbitri interpretandi, qui certissimi & grauissimi erant authores docendi. Hi ergo psalmos inter cæteros libros transferentes, & in numerum redegerunt, & in ordinem collocauerunt, & diapsalmis distinxerunt, qui omnes secundum Hebræos confusi, & habebantur, & habentur. ¶ Secunda assertionis pars, est notissima. Nam in ferendo interpretationum iudicio, potissimum debemus celsuræ totius Ecclesiæ inniti, quæ legit interpretationem Hieronymi vbique locorum veteris testamenti, præterquam in psalmos: quod si eodem tempore, quo Ecclesia septuaginta interpretum ædificationem legebat, lucubrata fuisset, forsitan non minorem apud doctos commendationem & gloriam sibi parasset, quàm ea, quæ est septuaginta interpretum. Et plerisque in locis apparet longè facillior & purior quàm altera, vt ijs qui in vtraque ædificatione versati sunt, notum euadit.

FINIS PRIMI LIBRI.

Theosophiæ Ioannis Arborei

LAVDVNENSIS LIBER II.

CAPVT I.



Alaam fuit propheta domini.] Excutiendæ sunt veteris instrumenti literæ, vt promptius & commodius hanc probemus assertionem. Cum Balaam Magicarum artium peritissimus, ariolandi studio & dæmonis astu perciperet mala omnia imprecari populo Israclitico, & ad diffundendum maledictionis venenum à Balac, honorum omnium pollicitatione, & eximij donarijs illectus fuisset, nec suam ad hæc molienda denegasset artem & operam, & strata a sua proficisceretur ad Balac, restitit illi angelus dolens vehementer hominem illum cæco avaritiæ & honoris studio occæcatum esse, quem ob intentatum maleficium ense districto, nisi a sua ab eo multis ictibus cæca, diuertisset ab itinere, transfodisset. Suam tandem culpam cum agnosceret, & eum sui delicti pœniteret, acerbè à domino obiurgatus, quod talia nephanda moliretur, irruente tandem in se dei spiritu, assumpta parabola ita cepit eloqui: Dixit homo, cuius obturatus est oculus: dixit auditor sermonum dei, qui visionem omnipotentis intuitus est, qui cadit, & sic aperiuntur oculi eius. Quam pulchra tabernacula tua Iacob, & tectoria tua Israel, & valles nemorosæ vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula quæ fixit dominus quasi cedri prope aquas, fluet aqua de stula eius, & semè illius erit in aquas multas. Tolleretur propter Agag Rex eius, & auferetur regnum illius. Deus eduxit illum de Aegypto, cuius fortitudo similis est rhinocerotis. Deuorabunt gentes hostes illius, ossaque eorum confringent & perforabunt sagittis, accubans dormiuit vt leo, & quasi leæna, quam suscitare nullus audebit. Qui benedixerit tibi, erit & ipse benedictus. Qui maledixerit tibi, in maledictione reputabitur. Iratusque Balac contra Balaam complofis manibus ait, Ad maledicendum inimicis meis vocaui te, quibus econtrario tertio benedixisti. Reuertere ad locum tuum. Decreueram quidem magnificè honorare te, sed dominus priuauit te honore disposito. Respondit Balaam ad Balac: Nonne nuntijs tuis, quos misisti ad me dixi, Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti, & auri, non potero præterire sermonem dei mei, vt vel boni vel mali quid proferam ex corde meo, sed quicquid dominus dixerit, hoc loquar. Verûtamen pergens ad populum meum, tibi dabo cõsiliũ quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore. Sumpta igitur parabola rursus ait: Dixit Balaam filius Beor, dixit homo cuius obturatus est oculus, dixit auditor sermonum dei, qui nouit doctrinam altissimi, & visiones omnipotentis videt, qui cadens apertos habet oculos: videbo eum, sed non modo: intuebor illũ, sed non propè. Orietur stella ex Iacob, & cõsurget virga de Israel: & percutiet duces Moab: vastabitq; omnes filios Seth, & erit Idumea possessio eius. Hæreditas Seyr cadet inimicis suis, Israel verò fortiter aget. De Iacob erit qui dominetur & perdat reliquias ciuitatis. Sed quid sublimius vnquam, ac diuinius illo prophetico oraculo dici, ac excogitari potuit, quo prædixit ille orituram stellam ex Iacob, cuius comitatu & splendidissimo fulgore Magi venerunt Hierosolymam, vt Christũ in Bethleem natũ adorarent. Differens August. lib. 4. quæstionũ super Numeros, quæst. 48. de hac insigni propheta, inquit: Balaam ire permissus est dicere, vt iam per ipsum prophetia clarissima proferretur. Nã omnino permissus nõ est dicere quod volebat, sed quod virtute spiritus cogebatur. Et ipse quidẽ reprobus mãsit.

Nume. 24.

Matth. 2.
Augustinus

G.iiij.

2. Petri 2. Nam posterior de illo sancta scriptura ita locuta est, vt quidam reprehensibiles & reprobi viam eius secuti diceretur: Secuti (inquit) viam Balaam filij Beor, qui mercedem iniquitatis dilexit. Et in epistola Iudae, de errore Balaam fit mentio, vbi dicitur: Vae illis qui in viam Cain abierunt, & errore Balaam mercede effusi sunt. Libro etiam secundo quaestionum ad Simplicianum, quaestione prima, fatetur Balaam fuisse prophetam. Ita enim scribit, Loquela humana propter necessarium prodigium, asina locuta est, in qua sedebat Balaam propheta: accepit enim hoc ad tempus illud iumentum, vt deus quod statuerat, demonstraret, non vt habitu perpetuo inter homines bestia loqueretur. Aut si hoc exemplum maiore differentia remotum est, multo minus mirandum est homini reprobo datam fuisse ad momentum temporis affectu transitorio prophetiam, quando ille dederat, qui & asinam cum voluit, loqui fecit. Sed quae subnectit, ostendunt Balaam non fuisse eximium & insignem prophetam, vt clarè & integrè, & habitu perpetuo res futuras, de quibus vaticinabatur, intelligeret. Non enim, inquit, si quisquam dixerit aliquid quod ad sapientiam pertinet, continuo sapiens existimandus est, sicut nec quisquam si aliquando prophetauerit, iam inter prophetas numerabitur. Et in eadem quaestione probat prophetam charitate dei destitutum, nihil esse. Dicit enim Paulus: Et si habuero omnem prophetiam, & sciero omnia sacramenta, & omnem scientiam, & habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Satis ergo, inquit, apparet inter dona sancti spiritus esse prophetiam, quam tamen si quis habeat, & charitatem non habeat, nihil est. Ex quo intelligitur fieri posse, vt quidam etiam indigni vita aeterna, regnoq; caelorum, aspergantur tamen quibusdam spiritus sancti muneribus non habentes charitatem, sine qua illa munera non nihil sunt, sed nihil eis prosunt. Prophetia quippe sine charitate, sicut iam demonstratum est, non perducit ad regnum dei: charitas verò sine prophetia, vtique perducit ad regnum dei. Et licet Balaam reprobis, prophetiam habuerit, quia tamen charitas ei deerat, inerat ei voluntas maledicendi populo Israelitico, quam hostis pretio comparauerat, qui eum ad maledicendum mercede cõduxerat: dono tamen illo prophetandi, quo aspergebatur, benedicebat inuitus. Nec verba illa parum attestantur huic sententiae, quae in Euangelio scripta sunt, multos dicturos in illa die, Domine, domine, nõnne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo demonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia nunquam noui vos, discedite a me omnes qui operamini iniquitatem. Nec vult innuere Augustinus necessariam esse prophetiae, charitatem. Nam propheticum munus nonnihil est etiam sine charitate, sed quòd vaticinium illud propheticum non proficit prophetæ sine charitate. Cum enim quispiam noxios animi affectus reuicit, & effraenem carnis petulantiam perdomuit & subiugauit: longè paratior est ad recipiendũ lumen propheticum, quam si suis turpiter & obscenè lasciuiret affectibus. Vnde legimus de filiis prophetarũ quarti Regum, quarto capite: quòd simul habitabant cum Helisæo quasi solitariam vitam ducentes, ne turbulentis huius mundi curis præpedirentur à dono prophetiae. Nec putes Augustinum sibi aduersari, quòd secunda parte quaestionum ex nouo testamento, quaestione trigesimanona, dicat ad locum illum: Orietur stella ex Iacob: hæc prophetia est Balaam, non quia fuit propheta, sed deus causam sui populi egit per illum, non voluntarium, sed inuitum, sicut prophetaffe inueniuntur missi à Saul ad Dauid capiendum. Et sicut ipse Saul cum dictum est, Nunquid & Saul inter prophetas? Hunc enim probare voluit deus quanta sit maiestas dei Iudæorum, qui cum maledicere venerat, conuertit vt bonum illi videretur benedicere populum dei. Nec enim maledictum eius poterat timere, cuius cor habebat in potestate. Cum enim dicit illum non fuisse prophetam, loquitur (vt iam explicuit) de eximio propheta qui quod prædicit, intelligit & permanenter quidem. Licet late distédendo nomen dictus sit ab eodem, propheta, quòd per-

fusus dono prophético quidpiam prophetauerit. Et sermone vno feria quinta post quartam dominicam in quadragesima, dicit Balaam famosissimum fuisse in arte magica, & in carminibus noxijs præpotentem, qui potestatem & verba non habebat à se ad benedicendum, sed ad maledicendũ. Dæmones enim ad maledicendum inuitantur, non ad benedicendum. Et partim vituperatur Balaam, & partim laudatur: vituperatur, cū ædificat aras, & victimas imponit dæmonijs, & apparatu magico poscit diuina cõsulta. Culpatur etiam cum cõsiliu pessimũ dat, vt populus decipiatur per mulieres Madianitas, & cultum idolorũ: laudatur, cum verbũ domini ponitur in ore eius, cū spiritus dei sit super eum; cū de Christo prophetat, cum Iudæis & Gentibus de aduentu Christi mysteria futura pronuntiat, cum pro maledictionibus benedictionem populo largitur, & nomen Israel super visibilem gloriã mysticis excolit eloquijs. Tum etiam fatetur Chrysostomus Homilia 62. ex capite Matthæi 2. in Epiphania domini, Balaam fuisse quendam prophetam gentium, vbi dicit: Sed forte miratur aliquis, quemadmodum magi natiuitatem saluatoris ex signo stellæ cognoscere potuerunt? Primo quidem dicimus, diuinæ dignationis fuisse hoc munus. Deinde legimus in libris Mosi fuisse Balaam quendam prophetam gentium, qui aduentum Christi & incarnationem eius ex virgine, certis sermonibus prophetauit. Ait enim inter cætera, in sermonibus prophetiæ suæ, Orietur stella ex Iacob, & exurget homo ex Israel. Magi ergo isti, qui nouam stellam in oriente viderunt, ex genere illius Balaam propheta gentium ducere originem referuntur, qui dixerat, orietur stella ex Iacob, & exurget homo ex Israel. Et idcirco viso nouo stellæ signo, crediderunt: quia authoris sui prophetiam impletam nouerant: ostendentes se non solum generis successores, sed & fidei hæredes. Balaam propheta ipsorum stellam in spiritu vidit: isti oculis viderunt & crediderunt. Ille venturum Christum per prophetiam prædicauit: isti venisse visũ fidei cognouerunt. Ambrosius tamen in illum Pauli locum, Etsi habuero prophetiam, existimat Balaam potius dici Ariolum quam prophetam: dicit enim: Nam & Balaam prophetauit, cum propheta non esset, sed ariolus. Sumendo enim prophetam proprie & pressè, vt dictum est, non erat propheta: sed non tam astricte sumit Chrysostomus. Nec Origenes homilia decimatertia, super Numeros, abscedit ab Augustini sententia, attribuens Balaam diuinationem, quæ opere & ministerio dæmonum adimpletur, & non prophetiam, à qua nominaretur, & quam intelligeret: licet enim prophetauerit, verbum tamen propheticum in eius animo à deo insitum non capiebat. A scribit Lyranus in vigesimũ secundum caput Numerorũ, ad locum illum, Profectique castrametati sunt in caestribus Moab, &c. ipsi Balaam, prophetiã dæmonum & dei, dicens: Balaam fuit propheta dæmonũ, quia fuit ariolus & magus, quærens reuelationes à dæmonibus: fuit etiam propheta domini, quatenus aliquæ virtutes fuerunt ei à deo reuelatæ, licet ab ipso nõ quæreret, sed virtute diuina fuit dæmon prohibitus ei dare responsum, à quo tamen quærebat. & cū fuissent illi veritates à deo reuelatæ, cõpulsus est pronuntiare quod nolebat, videlicet sanctitatem & prosperitatẽ populi Israel, cum tamen contrarium desideraret: & hoc factũ est ad commendationẽ populi Israelitici, & ad terrorem aduersariorũ, & præcipue ad gloriam dei, qui erat dux illius populi, & ad salutẽ gentium, quæ ex prophetijs Balaam motæ sunt ad quærendum postea Christum natum, vt habetur Matthæi 2. & propter hæc & similia, eius prophetiæ scriptæ sunt in canonica scriptura.

CAPVT II.

Baptisma Ioannis Baptistæ imperfectum, non dimittebat peccata: fuit tamen præuium baptismatis Christi. Primam huiusce assertionis partem cum ex Euangelica philosophia, tum ex sacris doctoribus suadere conabimur. Nolens Ioannes suum conferre baptismum, cum excellentissimo Christi baptismo: & ne Iudæi ad eius baptismum certatim contententes, falso sibi persuaderent Ioannem esse Messiam, siue summũ prophetam in lege pro-

Chrysosto.

Ambrosius

Origenes,

Lyranus.
Nume. 22.

Matth. 3. missum, his verbis loquitur apud Matthæum: Ego quidem baptizo vos in aqua in poenitentiam: qui autē post me venturus est, fortior me est, cuius nō sum dignus calceamēta portare, ipse vos baptizabit in spiritu sancto & igni. Et Lucas cū Matthæo conspirans, & paulo apertius diui Ioannis mentem in huius lauacri mysterio patefaciens, sic scribit: Exultante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne forte ipse esset Christus, respondit Ioannes dicens omnibus: Ego quidem aqua baptizo vos: veniet autem fortior post me, cuius nō sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius, ipse vos baptizabit in spiritu sancto & igni. Marcus suppressit particulam igni, ab alijs additam, vt perpēdamus feruentissimum charitatis incendium à spiritu sancto emanare. suppressa est à Ioanne eadem particula. Sed quia spiritus sanctus est ignis, vt Acta Apostolorū docent, quo descendente sedit quasi ignis super linguas credentium, & impletus est sermo domini dicētis: ignem veni mittere super terram, eadem est intelligentia. Nec tamen absurde additum est igni, nam igne significatur charitas, quæ spiritui sancto attribuitur. Et ex istis Euangelicis litteris, sic nobis licebit ratiocinari, Ioannes baptista non baptizabat in spiritu sancto & igne, sed duntaxat in aqua, sed perfectum & consummatum baptisma est in spiritu sancto & igne: igitur baptisma Ioannis non erat perfectum, sed imperfectum. Adde quod abluti exterius & baptizati baptismo Ioannis, tenebantur tandem baptizari baptismo Christi, vt gratiam reciperent, & abluerentur à noxa originali, quod tamen non oportuisset, si baptisma Ioannis fuisset perfectum. Huic fauet assertioni Hieronymus aduersus Luciferianos, & in hunc modum probat baptisma Ioannis non fuisse perfectum: Quod à gehenna liberat, perfectum est: sed baptisma Ioannis non liberat à gehenna, non igitur erat perfectum. Tum etiam perfectum baptisma non est, vt inquit, nisi quod in cruce & resurrectione Christi est: sed baptisma Ioannis non erat in cruce & resurrectione Christi, igitur non erat perfectum. Maiorem illam Hieronymi sic confirmabo: perfectū baptisma non est, nisi baptisma Christi: baptisma autem Christi non est, nisi quod in cruce & resurrectione Christi est: perfectum igitur baptisma nō est, nisi quod in cruce & resurrectione Christi est.

Roma. 6. Minorem probo ex Paulo ad Romanos dicente: An ignoratis fratres, quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Trifariam intelligendo: Secundum institutionem Iesu Christi Matthæi ultimo: Docete omnes gentes, baptizantes eos &c. Per inuocationem Iesu Christi, Actorum 8. In nomine Iesu Christi baptizabantur viri ac mulieres: Per conformitatem ad Iesum Christum. Vnde ad Gala. Quicumque in Christo Iesu baptizati estis, Christum induistis, & hanc Christi mortem in nobis repræsentamus. Ad Corint. enim dicitur: Semper mortificationē Iesu Christi in corpore nostro circumferentes, aut in morte ipsius, id est, virtute mortis eius baptizati sumus, & à vitijs repurgati. Nam in Apocalypsi scribitur: Lauit nos à peccatis nostris. Deinde subnectit Paulus in eodē capite ad Romanos: Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. Et postquam probauit Hieronymus baptisma Ioannis, fuisse imperfectum, sic dicit, Ioannis baptisma intantum fuit imperfectum, vt constet postea Christi baptismo baptizatos, qui tamen ab eo fuerant baptizati.

Act. 19. Ita enim historia refert: Factum est autē cum Apollo esset Corinthi, & cum Paulus pertransiret superiores partes Asia, deuenit Ephesum: & cum inuenisset quosdam discipulos, dixit ad eos: Si spiritum sanctum accepistis cum credidistis? At illi responderunt: sed nec si spiritus sanctus sit, audiuimus. Dixit autem ad eos, in quo ergo baptizati estis? responderunt, in Ioannis baptismo. Dixit autē Paulus: Ioannes quidem baptizauit baptismum poenitentiae plebem, dicens in aduenientem post eum, vt crederent, hoc est in Iesu, in remissionem peccatorum. His auditis bapti-

zati sunt in nomine domini nostri Iesu Christi. Et cū Paulus imposuisset illis manus, continuo cecidit spiritus sanctus super eos. Nec Augustinus tractatu 5. in 1. cap. Augustinus. Euangelij Ioannis, huic refragatur sententiæ, asserens Christū ad hoc accepisse baptismum à Ioanne, vt accipiens quod inferius erat ab inferiore, ad id quod superius erat, hortaretur inferiores. hic planè vides Augustinum vocare baptismū Ioannis inferiorem, Christi vero superiorem: vt baptizati baptismum Ioannis, paulatim & gradatim ex imperfectiore baptismum conscenderent ad perfectiorē, in quo salus animæ, & gratia spiritus sancti reperitur. Et in eodem tractatu probat baptismum Ioannis fuisse imperfectum, & inferiorē baptismum Christi, dicens: Ne hoc ipsum quod accepit à Ioanne Christus, præponeretur baptismum Christi, permixti sunt & alij baptizari à Ioanne. sed qui baptizati sunt à Ioanne, non eis sufficit: baptizati sunt enim baptismum Christi, quia nō baptismum Christi, erat baptismum Ioannis. Qui accipiunt baptismum Christi, baptismum Ioannis non querunt: qui acceperunt baptismum Ioannis, baptismum Christi quaesierunt: ergo Christo sufficit baptismum Ioannis. Quomodo non sufficeret, quando nec ipse erat necessarius? Illi enim nullum baptismum erat necessariū, sed ad hortandos nos ad baptismum suum, suscepit baptismum serui: & ne præponeretur baptismum serui, baptismum domini, baptizati sunt alij baptismum conferui. Sed qui baptizati sunt baptismum conferui, oportebat vt baptizarentur baptismum domini. Qui autem baptizantur baptismum domini, non indigent baptismum conferui. Quoniā ergo acceperat Ioannes baptismum quod proprie Ioannis diceretur: dominus autem Iesus Christus baptismum suū noluit alicui dare: non vt nemo baptizaretur baptismum domini, sed vt semper ipse dominus baptizaret. Id actū est vt per ministros dominus baptizaret, id est, vt quos ministri domini baptizaturi erant, dominus baptizaret, non illi. Aliud est enim baptizare per ministerium, aliud baptizare per potestatem. Baptisma enim tale est, qualis est ille, in cuius potestate datur: non qualis est ille, per cuius ministeriū datur. Tale erat baptismum Ioannis, qualis Ioannes, baptismum iustum tanquam iusti, tamen hominis, sed qui acceperat à domino talem gratiam, vt dignus esset præire iudicem & eum digito ostendere, & implere vocem prophetiæ illius: Vox clamantis in deserto, parate viā domini. Tale autem baptismum domini, qualis dominus: ergo baptismum domini diuinū, quia dominus deus. Potuit autem dominus noster Iesus Christus si vellet dare potestatem alicui seruo suo, vt daret baptismum suum tanquam vice sua, & transferret à se baptizandi potestatem, & constitueret in aliquo seruo suo, & tantam vim daret baptismum translatum in seruum, quantā vim haberet baptismum datus à domino: hoc noluit ideo, vt in illo spes esset baptizatorum, à quo se baptizatos agnoscerent. Noluit ergo seruum ponere spem in seruo. Ideoque clamabat Apostolus cum videret homines, volentes ponere spem in seipso: Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis? Baptizauit ergo Paulus tanquam minister, non tanquam ipsa potestas. Baptizauit autem dominus tanquam potestas. Intēdite, & potuit hanc potestatem seruis dare, sed noluit. Si enim daret hanc potestatem seruis, id est, vt & ipsorum esset quod domini erat, tot essent baptismata, quot essent serui: vt quomodo dictum est, baptismum Ioannis, sic diceretur baptismum Petri, sic baptismum Pauli, sic baptismum Iacobi, Thomæ, Matthæi, Bartholomei. Illud enim baptismum Ioannis dictum est. Sed forte aliquis resistit & dicit: Proba nobis quia illud baptismum Ioannis dictum est. Probabo ipsa veritate dicente quando interrogauit Iudæos: Baptisma Ioannis vnde est? de celo, an ex hominibus? Illi autem hæsitantes cogitabant inter se quid nam responderent. Si dixerimus de celo, dicet nobis: quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus ex hominibus, timeamus turbam, omnes enim habent Ioannem sicut prophetam. Multa sed vtilissima adduximus ex licu lentissima Augustini doctrina, quæ maximum præstant momentum ad probandam nostræ assertionis primam particulam, & ad dissoluendos plerosque qui circa præ-

fens negotiū istud contingere poterant) scrupulos, decebat enim hæc accersere ad cumuladas opportune nostri thesauri diuitias, quæ mirum in modū vno & eodem filio sed arctissimo cōtexebantur. Consentit cū illis doctoribus Ambrosius Sermone 41. de gratia baptismi: vbi differens de discrimine baptismi Ioānis & baptismi Christi, sic loquitur: Gratius puto hoc baptismum esse quo nos abluimur, quàm illud quo saluator baptizatur: hoc enim celebratur per Christum, illud celebratum est per Ioannem: in illo se magister excusat, in isto nos saluator inuitat: in illo iustitia semiplena, in isto trinitas est perfecta. ¶ Secunda assertionis pars videlicet, baptismi Ioannis non dimittebat peccata, probatur argumento equidem Hieronymi in loco citato, Ioannes non baptizabat in spiritu vt ipsemet fatetur, igitur baptismi Ioannis non dimittebat peccata: nulli enim hominum sine spiritu sancto peccata dimittuntur. At dices, scribitur apud Marcum, fuit Ioannes in deserto baptizans & prædicans baptismum poenitentiae in remissionem, videtur igitur tale baptismi remississe peccata. Ad hanc rationem respondet Hieronymus explicans locum illum Marci, in remissionem peccatorum, non quod baptismus ille remiserit peccata, sed in futuram remissionem, quæ esset postea per sanctificationem Christi subsequutura. Consentit Chrysostomus cum Hieronymo, Homilia 10. in 3. cap. Matthæi, vbi dicit baptismi Ioannis non habuisse remissionem, quamuis Ioannes venerit prædicans baptismi poenitentiae in remissionem peccatorum. Hoc enim munus illius baptismatis erat, quod postea Christus instituit. In hoc enim vetus homo noster crucifixus est, ac sepultus. Vnde Paulus: Sed emundati estis, sed sanctificati estis, non quidem per baptismi Ioannis, sed in nomine domini nostri Iesu Christi, & spiritu dei nostri. Et alibi ipse dicit: Ioannes quidem prædicauit baptismum poenitentiae, & non ait remissionis, sed vt crederent in aduentum post eum. Deinde dicit, interpositis aliquot verbis: Quid igitur est quod ait in remissionem peccatorum? Erant omnino Iudæi peruersæ mentis, nec peccatorum suorum mordebantur, reatu, sed cum maximis sceleribus tenerentur obnoxij, audebant sibi tam arrogare iustitiam, quod certe à fidei illos veritate decussit. Hoc enim etiam Paulus accusans ait: Quoniam ignorantes dei iustitiam, & suam querentes statuere, iustitiae dei non sunt subiecti. Et rursus: Quid ergo dicemus quod gētes quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam: Israel autem sectando legem iustitiae, in legem iustitiae non peruenit. Quare: quia non ex fide, sed quasi ex operibus, hæc igitur causa malorum cum esset, venit Ioānes, nihil aliud faciens, quàm vt illos ad peccatorum suorum cognitionem trahat. Et cū dixisset, quia venit prædicare baptismi poenitentiae, intulit, in remissionem peccatorum, quasi diceret, ego illis confiteri peccata sua, & poenitentiam agere persuasi, non vt castigarentur omnino, sed vt dignius postea remissionis dona acciperent. nisi enim se ipsos ante damnassent, neque sanè gratiam requisissent. Non quæretes vero gratiam, neque remissionem profecto assecuti fuissent. ¶ Vltimam assertionis partem tutantur doctores Ecclesiastici. Hieronymus in loco præfato, dicit baptismi Ioannis fuisse præuium domini baptismatis. Vt enim Ioānes fuit præcurfor domini, prædicando in deserto Iudææ agendam esse poenitentiam, & appropinquare regnum cælorum, ita eius baptismi fuit præuium baptismatis Christi. Et non nihil habebat conuenientiae cum baptismi Christi. Nam vt baptizabat in aqua, ita & Christus per suos ministros: sed non solum, verum etiam & in spiritu sancto. baptismus autem Ioannis solum erat in aqua. Idem sentit Chrysostomus, in 3. cap. Matthæi: vbi dicit baptismi Ioānis fuisse præparationem baptismatis Christi. Nam in Actis apostolorum scriptum est: Ioannes quidem baptizauit baptismi poenitentiae plebem, dicens in aduentum post eum vt crederet, hoc est in Iesum in remissionem peccatorum. Insuper Augustinus lib. 3. contra Petilianum capite 56. dicit solum baptismum quem dedit Ioannes, esse baptismum Ioannis, quia hoc præcipuum dispensationis suæ munus accepit, vt lauacri præcurforium sacramentum illius diceretur, per quem dispen-

fabatur. Tum etiā Cyprianus Sermone de baptismo Christi, dicit: Præparabat viā domino Ioannes lauando exterius corpora, vt præcederet exterius lauacrum secundum baptismum: in quo conferretur animarum ablutio & peccatorum remissio. Præcessit quod erat ex parte, vt consummatio sequeretur. Nec absurde dixit Origenes homilia 24. in 3. cap. Lucae, baptismum Ioānis esse visibilem. Nam abluere exterius, & erat in aqua: baptismum vero Christi esse inuisibilem, quia erat in spiritu sancto, & etiam abluere interius. Fatetur Lyranus in 3. cap. Matthæi ad locum illum: Et baptizabantur ab eo in Iordane: baptismum Ioannis ad hoc fuisse ordinatum & institutum, vt esset quædam præparatio & quædam præfiguratio baptismi Christi proxime venturi. Et ideo Ioannes non solum prædicabat, sed etiam baptizabat, quia sicut sua prædicatione nuntiabat Christum proxime venturum, sic suo baptismi assuefaciebat homines ad libentius suscipiendum Christi baptismum. Ideo baptismus Ioannis erat quædam protestatio credendi in Christum venturum, & faciendi opera poenitentiae, vt deuotius reciperent ipsum. Dicunt quidam doctores Scholastici, adferentes huic assertioni commodissima, baptismum Ioannis solum præfigurasse baptismum Christi quatum ad materiam, non tamen quantum ad formam. Et decertant similitudine, sicut oblatio Melchisedec præfigurabat sacramentum Eucharistiae quantum ad materiam, & non quantum ad aliquam formam verborum: sic baptismus Ioannis præfigurauit baptismum Christi, quatum ad solam materiam, & non quantum ad aliquam formam verborum. Alij dicunt hunc Ioannis baptismum habuisse materiam & formam: materia quidē erat aqua, forma vero, ego te baptizo in nomine venturi, vt innuere videtur Paulus Actorū 9. Sed qui primam tutantur opinionem, dicunt intentionem Pauli fuisse quod illa essent verba Ioannis, non tamen forma baptizantis. Nam dicebat primo quod baptizabat baptismi poenitentiae, deinde vt crederent in Christum venturum. sed euidentissimum est poenitentiam non fuisse formam baptismi, non igitur forma baptismi erat vt crederent. Hæc tamen dicuntur sine præiudicio fidei. Nec de hoc facto quidpiā sacra scriptura expresse determinauit. Nec ille baptismus Ioannis fuit sacramentum propriissime dictum, vt sit inuisibilis gratiae visibilis forma, quia (vt dictum est) non conferebat gratiam, sed erat sacramentum late sumptum, vt esset signum & typus excellentioris sacramenti, scilicet baptismi Christi. Et illius baptismi Ioānis causa primaria institutionis, erat deus. Nā dicitur in Euangelio Ioannis: Qui me misit baptizare in aqua, ille mihi dixit, super quem videris spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto. Secunda autem causa & ministerialis, fuit Ioānes, & minister quidem singularis illius executionis. Nam hoc baptismate solus sanctus est. ideo ex prærogatiua & excellenti munere dicitur baptismus Ioannis, & non Pauli vel Petri.

CAPVT III.

Baptisma Christi potest esse sine spiritu.] Hanc depromo assertionem passim ex luculentissima Augustini doctrina. Sed antequam adferam ex Augustino argumenta, te velim commonere nos hic spiritu, intelligere gratiam spiritus sancti. Decertat Augustinus lib. 5. de baptismo contra Donatistas cap. 23. ad hanc propositionem suadendam, in hunc modum: Qui discendit ab Ecclesia, non propterea à baptismo discedit, discedit tamen à spiritu sancto, vt hereticus à sancta ecclesia desciscens ad diabolicam & impiam doctrinam, excidit à gratia spiritus sancti, nec tamē à baptismi sacramento demigrat. Et quem admodum spiritum sanctum sicut habent filij dilecti, non habent filij maligni, & tamen baptismum habent: sic & ecclesiam sicut habent catholici, non habent hæretici, & tamē baptismum habent. Nam spiritus sanctus disciplina fugiet fictum, nec tamē eum effugiet baptismum. Itaque sicut potest baptismi esse, & vnde se auferit spiritus sanctus, ita potest esse baptismi vbi nō est ecclesia. Et cap. 24. eiusdem libri sic differit de eadem re: induunt homines Christum aliquando vsque ad sa-

Cyprianus.

Origenes.

Lyranus.

Ioan. 1.

Augustinus.

Sapient. 12.

cramenti perceptionem, aliquando & vsque ad vitæ sanctificationem: atque illud primum & bonis & malis potest esse commune, hoc autem alterum proprium bonorum & piorum. Quapropter si baptisma sine spiritu esse non potest, habent & spiritum hæretici, sed ad perniciem, non ad salutem sicut habuit Saul. Nam per nomen Christi, in spiritu sancto eijciuntur demonia, quod & ille poterat qui erat extra ecclesiam, de quo discipuli domino suggererunt, sicut habent auari qui tamen non sunt templum dei, quoniam quæ societas templo dei cum idolis? Si autem non habent auari spiritum dei, & tamen habent baptisma, potest esse sine spiritu baptisma. Et in fine capitis dicit: Sicut autem queritur vtrum spiritualiter natus sit, qui baptismum Christi apud hæreticos accepit: ita queri potest vtrum spiritualiter natus sit, qui baptismum Christi non ad deum veraci corde conuersus in catholica accepit, nec tamen ideo baptismum non accepit. Et libro sexto, contra Donatistas, capite primo, eos ostendit hallucinatos fuisse hac in re, qui distinguere nescierunt inter sacramentum & effectum sacramenti, vbi sic loquitur: Visum est etiam quibusdam viris egregijs antistitibus Christi, inter quos præcipue beatus Cyprianus eminebat, non posse esse apud hæreticos vel schismaticos baptismum Christi, nisi quia non distinguebatur sacramentum ab effectu vel vsu sacramenti. Et quia eius effectus atque vsus in liberatione à peccatis, & cordis rectitudine apud hæreticos non inueniebatur, ipsum quoque sacramentum non illic esse putabatur. Sed conuertentibus oculos ad interioris paleæ multitudinem, cum & hi qui in ipsa vnitatem peruersi sunt & perditæ viuunt, appareant remissionem peccatorum nec dare posse nec habere, quia non malignis sed bonis filijs dictum est: Si cui dimiseritis peccata, dimittuntur ei: si cui tenueritis, tenebuntur, habere tamē, & dare, & accipere baptismi sacramentum, satis eluxit pastoribus ecclesiæ catholicæ toto orbe diffusa, per quos postea plenarij concilij autoritate originalis consuetudo firmata est, & omnem quæ foris errabat, & dominicum characterem à fallacibus deprædatoribus suis foris acceperat, venientem ad Christianæ vnitatis salutem, ab errore corrigi, à captiuitate liberari, à vulnere sanari, characterem tamē dominicum in ea agnoscere potius quàm improbari. quandoquidē ipsum characterem multi & lupi & lupis infigunt. Ex Augustino vides subtiliter hoc negotium pertractante, characterem baptismi indelebilem, infigi & imprimi his qui baptismum Christi recipiunt etiam ficti & subdole, modo in aqua & in inuocatione patris, filij & spiritus sancti, fiat huiusmodi baptisma, quod & homines integerrimæ vitæ & labefacta, admittit quatum ad sacramenti perceptionem. Et lib. 7. contra Donatistas, cap. 53. dicit Augustinus, non dubito illos habere baptismum, qui quauis fallaciter id accipiunt in ecclesia, tamen accipiunt: quod si quis non crederet baptismi sacramentum recipiendo, sed totum ludicre, & mimice, & ioculariter ageretur, implorandum esset diuinum iudicium, per alicuius reuelationis oraculum, an approbandus esset baptismus. Ne tamen hæsites inter sacrum & saxum, & te non modica scrupi difficultas vehementer torqueat, dico cum scholasticis doctoribus, fictum ad sacramentum baptismi accedentem, nec intendentem se recipere baptismum, quamuis prætendat se velle illo ablui sacramento, nihil recipere nec sacramentum nec vsu sacramenti. Et ratio est, quia sicut ad sacramentum requiritur intentio ministri ad conferendum, sic requiritur intentio suscipientis propria, si sit adultus, vel aliena si sit paruulus. sed vbi deest ministro intentio conferendi, nullum est sacramentum: ergo etiam vbi deest suscipienti intentio, nullum est sacramentum: & talis indiget baptismo, quia nunquam fuit baptizatus. Si vero eo fictionis genere accederet ad baptisma, vt intenderet recipere illud sacramentum & secundum institutionem ecclesiæ, & simularet se esse præparatum ad huiusmodi susceptionem, nec tamen esset præparatus, talis reciperet sacramentum baptismi, non tamen effectum qui est gratia: dimota tamen fictione, posita illa hypothesi, vt in sacramentis non sit aliqua virtus inhærens, sed solum diuina virtus assistens, forma & modo diuinæ actionis & ordi-

1. Regū 18.

2. Corin. 6.

Ioan. 20.

nationis, reciperet vsu & effectum baptismi: quod si deliquisset mortaliter post baptismum sicut ante baptismum, peccatum illud cum alijs prius commissis abstergeretur, non tamen virtute baptismi præcedentis, sed vi contritionis fictionem omnem & simulationem amouentis. Et quia contritio non aufert omnem penam vt baptismus, ideo noxa illa mortifera post baptismum perpetrata non expiatur omnimode quo ad penam, obstringitur homo ille detestari illud peccatum & confiteri, quia proxime spectat ad sacramentum penitentia, cum post baptismum sit commissum: non tamen ita est de peccatis ante baptismum commissis, quia sacramentum penitentia siue confessio auricularia, præsupponit sacramentum baptismi. Et huic ad blanditur opinioni Augustinus, libro primo de baptismo contra Donatistas, capite 12. Sicut, inquit, in illo qui fictus accesserat, fit vt non denuo baptizetur, sed ipsa pia correptione & vera confessione purgetur, quod non posset sine baptismo, sed vt quod ante datum est, tunc valere incipiat ad salutem, cum illa fictio veraci confessione recesserit: sic etiam iste qui baptismum Christi (quod non amiserunt qui se separauerunt) inimicus claritatis & pacis Christi in aliqua hæresi aut schismate accepit, quo sacrilego scelere peccata eius non dimittebantur, cum se correxerit, & ad ecclesiæ societatem, vnitatemque venerit, non iterum baptizandus est, quia ipsa reconciliatio ac pace præstat, vt ad remissionem peccatorum eius, in vnitatem iam prodesse incipiat sacramentum, quod acceptum in schismate, prodesse non poterat. Et quædam ex his, sed ad rei probationem recensentur de consecratione, distinctione 4. capite, Tunc valere. Adde ad suffulciendam nostram assertionem, baptismum posse esse extra ecclesiam, non tamen posse prodesse nisi in ecclesia. quod si baptismus possit esse extra ecclesiam, id est possit tractari ab hæreticis, schismaticis & apostatis à fide, qui ab vno & eodem ac sincero ecclesiæ fœdere diuelluntur, nec charitate membris ecclesiæ præcipuis & excellentioribus cōnectuntur: modo intendant quod intendit ecclesia, scilicet baptizare in nomine patris, filij & spiritus sancti, tametsi non credant forsit peccatum originis auferri, aut gratiam sacramentalem conferri, poterit & baptismus esse sine spiritu, & diuina gratia. Quod autem possit esse baptismus extra ecclesiam, commonstrat Augustinus lib. 4. contra Donatistas, capite 1. vbi dicit munus beatæ vitæ non nisi intra ecclesiam reperiri, licet possit esse baptismus extra ecclesiam. Et libro vno de Fide ad Petrum Diaconum, cap. 3. sic scribit: Siue in catholica fide, siue in hæresi quacunquē vel schismate quicumque in nomine patris & filij & spiritus sancti baptismi sacramentum acciperit, integrum sacramentum accipit, sed salutem quæ est virtus sacramenti, non habebit, si extra catholicam ecclesiam ipsum sacramentum habuerit. Ergo ideo debet ad ecclesiam redire, non vt sacramentum baptismatis iterum accipiat, quod nemo debet in quolibet homine baptizato repetere, sed vt in catholica societate vitam æternam accipiat, ad quam obtinendam nunquam potest esse idoneus, qui cum sacramento baptismatis ab ecclesia catholica remanserit alienus. Et cap. 36. eiusdem operis, Firmissime (inquit) tene & nullatenus dubites sacramentum baptismatis non solum intra ecclesiam catholicam, sed etiã apud hæreticos, qui in nomine patris & filij & spiritus sancti baptizant, esse posse, sed extra ecclesiam catholicam prodesse non posse. Imò sicut intra ecclesiam recte credentibus per sacramentum baptismi conferri salutem, sic extra ecclesiam baptizatis, si ad ecclesiam non redierint, eodem baptismo accumulati perniciem. Tantum enim valet Ecclesiastica societatis vnitatem ad salutem, vt baptismum non saluetur, cui non ibi datur, vbi oportet vt detur. At in nostram quis pugnet assertionem: Si baptismum Christi possit esse sine spiritu, in quo igitur dissidabit baptismum Christi, quod omnium est excellentissimum, à baptismo Ioannis? Nullum enim dissidium comperimus, nisi quod Christi baptismum sit in spiritu & igne, non autem baptismum Ioannis. Adde quod Hieronymus scribit aduersus Luciferianos, Baptisma Christi sine spiritu sancto esse nullum. Tum etiã si baptismum Christi posset esse sine spiritu, posset aliquis bapti-

Augustinus.

Hieronymus

zare non habens spiritum sanctum: quod negat Cyprianus Epistola Magno filio, ubi dicit: Ex illo Christi verbo: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt: eum solum posse baptizare & remissionem peccatorum dare, qui habeat spiritum sanctum. Denique ipsum dominum nostrum Iesum Christum baptizaturus Ioannes, accepit ante spiritum sanctum, cum adhuc esset in utero matris constitutus, ut certum esset atque manifestum, baptizare non posse nisi eos qui habeant spiritum sanctum. Et in eadem epistola assererat haereticos & schismaticos nihil habere potestatis ac iuris. Et aliquot ratiunculis suam nititur stabilire opinionem. Dicit Christus: Qui non est mecum contra me est, & qui non congregat mecum, spargit: sed qui aduersus Christum insurgit, & aduersus sanctam & incontaminatam ecclesiam inuehitur, eamque odio capitali persequitur: quare aduersarij omnes Christi & ecclesiae, à charitate atque ab unitate catholicae ecclesiae recesserunt. cum igitur haeretici & schismatici sint huiusmodi, & ab ecclesiae consortio exulantes, nihil habent potestatis in contrectandis manu sacrilega sacramentis. Insuper ostendens beatus Petrus unam ecclesiam esse, & solos eos qui in ecclesia sint, baptizari posse, posuit & dixit: In Arca Noe pauci, id est, octo animae saluae factae sunt per aquam, quod & vos similiter saluos faciet baptismus, non carnis depositio fordium, sed conscientiae bonae interrogatio in deum per resurrectionem Iesu Christi: ubi probat & contestatur unam arcam Noe, typum fuisse unius ecclesiae. Si potuit tunc in illo exiati & purificati mundi baptismus, saluus per aquam fieri qui in arca Noe non fuit: potest & nunc viuificari per baptismum, qui in ecclesia non est, cui soli baptismus concessum est: sed hoc fieri nequit, ut is viuificetur & sanctificetur qui in ecclesia non est: & non solum haereticus & schismaticus in ecclesia non est, sed & ecclesiam oppugnat. Praeterea scribit Paulus ad Ephesios, rem istam apertius & clarius manifestans: Christus dilexit ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret, purgas eam lauacro aquae. Quod si una est ecclesia quae à Christo diligitur, & lauacro eius sola purgatur, quomodo qui in ecclesia non est, aut diligi à Christo, aut abluui & purgari lauacro eius potest? Propter quod cum sola ecclesia habeat aquam vitalem, & baptizandi atque abluendi hominis potestatem, qui dicit apud Nouatianum baptizari & sanctificari aliquem posse, prius ostendat & doceat Nouatianum in ecclesia esse, aut ecclesiae praesidere. Ecclesia enim una est, quae una & intus esse & foris non potest. Verum opponet aliquis illud aduersus Cyprianum, ut dicat eandem Nouatianum legem tenere, quam catholica ecclesia teneat, eodem symbolo quo & nos baptizare, eundem nosse deum patrem, eundem filium Christum, eundem spiritum sanctum, ac propter hoc usurpare eum potestatem baptizandi posse. Sed hanc diuellit rationem Cyprianus, dicens: Sciat quisquis ei hoc opponendum putat, primum non esse unam nobis & schismaticis symboli legem, neque eandem interrogationem. Nam cum dicunt, credis remissionem peccatorum, & vitam aeternam per sanctam ecclesiam? mentiuntur in interrogatione, cum non habeant ecclesiam. Tunc deinde voce sua ipsi consententur remissionem peccatorum non dari nisi per sanctam ecclesiam quam non habentes, ostendunt remitti illic peccata non posse. Quod vero eundem quem & nos deum patrem, eundem filium Christum, eundem spiritum sanctum nosse dicuntur, nec hoc adiuuare tales potest. Nam & Chore, & Dathan, & Abiron cum sacerdote Aaron & Moyse eundem deum nouerant, pari lege & religione viuentes, unum & verum deum, qui colendus atque inuocandus fuerat, inuocabant: tamen quia loci sui ministerium transgressi, contra Aaron sacerdotem, qui sacerdotium legitimum dignatione dei atque ordinatione perceperat, sacrificandi licentiam vendicarunt, diuinitus percussi, poenas statim pro illicitis conatibus penderunt, nec potuerunt rata esse & proficere sacrificia, irreligiose & illicite contra ius diuinae dispositionis oblata. Sed haec Cypriani inuentio etiam pensculatius excogitata, non omnino dirupit nodum, tamen si haereticus ab ecclesia quantum ad

synceram charitatis unitatem degeneret, erras circa unum fidei articulum, verbi gratia, quod arbitretur opera nostra nullius esse momenti ad assequendam aeternam illam felicitatem, non tamen est omnino ab ecclesia exclusus, si bene senserit de sacramentis & de reliquis fidei articulis. cum igitur spiritus sanctus ex se non respiciat personam mundi vel immundi, digni vel indigni, optimi vel pessimi ministri, sed operetur & per bonos & malos ministros in administrando baptismi sacramento, tamen si sanctimonia vitae & morum integritas commendetur in sacramentis sancte ac nitide ministratis: quare sacerdos haereticus aut schismaticus non poterit baptizare? si intenderit conferre sacramentum baptismi in nomine patris, & filij & spiritus sancti: ut ostensum est prius ex Augustini doctrina. Aliud est conferre sacramentum & sacramenti virtutem, & aliud recipere sacramentum, & effectum sacramenti: nescientes haec distinguere labuntur facile, & periculosissima faciunt praecipitia. Pugnabis rursus aduersus nostram assertionem ex Ambrosio, lib. 2. de Spiritu sancto, cap. 2. ubi dicit arbitrum diuini consilij esse spiritum, baptismatis pariter arbitrum, esse spiritum sanctum, hinc sine spiritu non posse esse baptismum, saltem Christi. Tum etiam Chrysosto. in primum caput Actuum aposto. ad locum illum: Vos autem baptizabimini spiritu sancto, non post multos hos dies: dicit in baptismum praecipuam partem esse spiritum, per quem aqua fit efficax. Et in tertium caput Matthaei ad locum illum: Baptizatus autem Iesus, confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt ei caeli: dicit, Cuius igitur rei gratia caeli patuerunt, ut discas etiam tu cum baptizaris, hoc fieri, deo te iam ad patriam caelestem vocante, nihilque commune cum terra habere suadente. Etiam cum sacro fonte dilueris, sanctus spiritus venit. Nunc seriatim diluenda sunt propositae rationes. Ad primam dico baptismum Christi à baptismo Ioannis dissidere bifariam. Primo, quod fiat inuocatione spiritus sancti, imò totius trinitatis. Nam in Euangelio Matthaei scriptum est, Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij & spiritus sancti. Baptismus vero Ioannis non habebat formam illam. Et licet aliquando baptizauerint apostoli, in nomine solius Christi, ut in primis Actorum tertio scribitur: Poenitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum spiritus sancti. Et alibi: Cum vero credidissent Philippo euangelizanti de regno dei, in nomine Iesu Christi baptizabantur viri ac mulieres. Id tamen factum est ex speciali quadam reuelatione & dispensatione spiritus sancti, sine qua non potuisset fieri. Et causa erat prompta, ut nomen Christi quod prius erat iniustum & odiosum Iudaeis in sua malitia obstinatis, & quibuslibet incredulis, tandem fieret gratum & amabile. Et quia cessauit causa illa, cessauit & dispensatio, quare expressio trium personarum ipsius trinitatis, est nunc necessaria ipsi baptismi, & quidem ex institutione Christi Matthaei ultimo: Baptizantes in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Etiam hanc determinationem ab ecclesia suscipimus firmissime obseruandam, quae profertur de Consecratione distinctione quarta. Et ad hoc suadendum facit expressa fidei protestatio, maxime articuli trinitatis, omnium sanè primi, quae est necessaria suscipienti baptismum, aut per se si sit adultus, aut per fidei iussorem si sit paruulus. Ideo nunc non esset baptismus, si quis baptizaretur solum in nomine Christi. Non tamen nego quin posset absolute fieri, si similis causa accideret & contingeret, quae in primitiua ecclesia contigit. Sed existimo causam illam non venturam. Nam nomen Christi late diuulgatum est. Secundo dissidet baptismus Christi à Ioannis baptismate, quia confert gratiam, & abstergit ab omni sceleris, modo nulla sit fictio nec praepeditum ex parte suscipientis. Baptismus autem Ioannis eam vim non sibi vendicabat. Ad secundam quae est Hieronymi, dico Hieronymum voluisse innuere baptismum Christi sine spiritu, id est sine inuocatione spiritus sancti esse nullum. Et ideo praemonui in exordio nostrae assertionis, non nostrae, sed Augustinianae, me nomine spiritus, intelligere spiritus sancti gratiam. Etiam baptismum Christi non est sine spiritu, id est sine gratia spiritus sancti, quantum ad virtutem

Ambrosius

Chrysosto.
Act. 1.

Mat. 3.

Matth. 28.

Act. 3.

Act. 8.

H. j.

sacramenti, modo quis non obstat suo mortali scelere. Nā adultus sicte accedens ad baptismū Christi, citra quidem detestationē sui criminis, quāuis intendat recipere baptismū Christi, non sortitur virtutē illius sacramenti, vt dictum est. Et hac doctrina discussa sunt rationes ex Ambrosio & Chryostomo adductae. ¶ Ad Cyprianum me cōfero, cum profert testimoniū Christi: Accipite spiritū sanctū, non desumit intelligentiā Christi pro baptisate. Nā in illo loco non meminit baptismi, sed potestatis absoluendi scelera in foro, vt dicā, interiori. Et licet apostoli eximio spiritus sancti munere donati, absterferint scelera, & sacro fonte abluerint homines, nō propterea poteris colligere eum qui nō habet gratiā spiritus sancti, non posse baptizare. Hęc doctrina Cypriani viri sanē doctissimi & sanctissimi, non solum aduersatur Augustino, verum etiā communi opinioni & ecclesiae, quōd scilicet schismaticus & hæreticus nihil habet potestatis & iuris in atrectandis sacramētis: & neminē posse baptizare, qui nō habet spiritum sanctum. Desidero sanctimoniā vitæ, & genium illū diuinum in baptizate, quem habebat & Ioānes baptizās Christum. Quo enim quisq; sanctior est, & nitidior in administrandis sacramētis, eo cultius & religiosius tractantur sacramenta & cōmendantur. Solū rationes Cypriani probant baptismū & reliqua sacramēta non posse prodesse nisi in ecclesia, & vnitate ecclesiasticorum hominū, licet possit esse baptismus extra ecclesiam, id est potest administrari à schismaticis & hæreticis ab vnione ecclesiae & charitate disiunctis. Nā vt dicit erudite Doctores scholastici, Hæretici & schismatici sacerdotēs, habent potestatem sacramentalem indimobilē, licet amittant vsum potestatis, ita qd non licet eis vti illa potestate: si tamen vti fuerint, eorū potestas effectum habet, quia in his homo non operatur nisi sicut instrumentū dei: vnde effectus sacramētales non excluduntur propter quācunque culpam cōferentis sacramentū, quōd si quis ab ecclesia suspēdatur suo officio, vel excōmunicetur, vel degradetur, nō amittit potestatem conferendi sacramentū, sed facultatē & licentiā vtēdi hac potestate: & ideo sacramētum confert, sed peccat conferēdo, si fecerit in cōtemptū ecclesiae. Et adultus sciēter ab illo recipiēs sacramentum, quod ab alio posset nō excluso ab ecclesia recipere, nō percipit rem sacramenti. Et episcopus hæreticus vel degradatus posset ipso facto ordines conferre, non tamen ipso iure, quia suspenditur eius potestas, & inhibetur illi executio potestatis. Rationem vnicam subiūgam ad probandum baptismum & reliqua sacramenta posse administrari à ministris qui pessimi sunt homines, tamen si boni sint ministri & administrant secundum intentionē ecclesiae. Sacramenta consistunt in opere operato, & ab eodem suam vim fortiuntur: quare non labefactantur, nec polluuntur malitia hominis, nec demerito ministri. Ausculta quæso his Augustini verbis Tractatu quinto in Ioannem, quæ tamē aliquādo à nobis prolata fuerunt. Baptisma enim tale est, qualis est ille, in cuius potestate datur, non qualis est ille per cuius ministerium datur. Et in eodem tractatu: Non exhorreat columba ministerium malorum, respiciat domini potestatem. Quid tibi facit malus minister, vbi bonus est dominus? Quid te impedit malitiosus præco, vbi beneuolus est iudex? Et libro vno de Baptismo contra Petilianum capite vndecimo, Baptisum habet aliquis qui non habet veram fidem. Corinthij. i. Corint. i. in quibus fuerunt schismata, verum baptismum habuerunt, & tamen non habebant veram fidem in eo quod dicebant: Ego sum Pauli, ego sum Cepha &c. Et licet inter ministros sit alius alio melior, non tamen est melior baptismus qui per meliorem datur, nullo modo malus est qui per malum datur, quia idē baptismus datur, & ideo per ministros dispares, dei munus est æquale, quia non illorum, sed eius est. Et aliubi: Quos baptizauit Iudas, Christus baptizauit. Si quos ergo baptizauit ebriosus, homicida, adulter, si Christi erat baptismus, Christus baptizauit. Non timeo adulterum, nec ebriosum, nec homicidam, quia columbam attēdo per quam mihi dicitur: hic est qui baptizat. Et libro secundo contra Cresconium grammaticum, capite decimonono. Cum enim Iudas sicut apostolus baptizaret, quan-

doquidem malus erat, quia fur erat, & ea quæ mittebantur in commissos sibi loculos auferebat, non vtique conscientia eius attendebatur, sed deus & Christus in quem credebatur. Et capite vigesimo: Hoc est catholicū quod Christus mundat accipientium conscientias siue per bonos ministros baptismi siue per malos: quoniam de illo scriptum est: Christus dilexit ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt eam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo. Et capite vigesimo-primo, Baptizant ergo quantum attinet ad visibile ministerium & boni & mali. Inuisibiliter autem per eos baptizat, cuius est & visibile baptismus, & inuisibilis gratia. Tingere ergo possunt & boni & mali, abluere autem conscientiam non nisi ille qui semper est bonus.

CAPVT IIII.

Baptismus tantū semel fieri debet. ¶ Huic conuenient Assertioni interpretēs sacrarum literarū selectissimi. Etenim Chrystostomus enarrans illū Pauli locū ad Hebræ. Impossibile namq; est eos qui semel illuminati sunt, gustauerunt quoq; donum caeleste, & participes sunt facti spiritus sancti, & bonū nihilominus gustauerūt verbū dei, virtutēq; seculi futuri, & prolapsi sunt, rursus ad poenitentiam renouari, rursus crucifigentes filiū dei sibimet, & ostentui habentes, dicit ad id quod inuauit plurimū, vt nostra probetur assertio, rursus scilicet ad poenitentiam reuocari: non qd exclusa sit poenitentia, sed reuocatio per lauacrum regenerationis. Non enim dixit, impossibile est renouari in poenitentia, sed tacuit, quomodo tamē impossibile est, adiunxit, iterū crucifigentes. Renouari, hoc est nouum fieri, nouos quippe facere, lauacri est. Renouabitur, inquit Psalmographus, sicut aquila: iuuetus tua: poenitentia autē illud est, vt qui vetulti facti sunt, & veterauerūt in peccatis, liberētur à vetustate, & alteri quodāmodo fiant. Ad illam tamē claritatē adduci eos impossibile est: illic namq; totū gratia est. Et cum baptismus sit crux, saltē similitudine quadā, qua vetus homo noster crucifigitur, si repeteretur baptismus, oporteret iterū Christū, qui viuā pro nobis hostiā deo obrulit, cruci affigi, & ostētū eū habere, quod tamē est absurdū. Nā si mors illi nō vltra dominabitur, si vera (quod sincere credimus) resurrectione resurrexerit, victor factus est mortis: quōd si morte mortē expugnauerit, deinde crucifigeretur, fabulæ sunt cūcta illa & ostētus. Proinde qui secūdo baptizat, secundo eū crucifigit. Quid autē est secundo crucifigētes? Sicut enim mortuus est Christus in cruce, sic & nos in baptisate, nō carni, sed peccato, intueri nunc mortē & mortē: ille mortuus est in carne nostra, vetus autē homo sepultus est, & resurrexit nouus, cōformis factus similitudini mortis eius. Si ergo necesse est baptizari iterū, necesse est rursus eundē ipsum mori. Baptisma enim nihil aliud est, quā interitus eius qui baptizatur, & resurrectio illius. Idē sentit Damascenus, lib. 4. suæ Theologiæ, cap. 10. & eodē argumēto ex illa Pauli autoritate desumpto, decertat in aduersarios. August. subtiliter & copiose multis in locis differēs de hac re distinxit calamū, & inuectus est in Anabaptistas, Epistola quidē Crispino Donatista, sic scribit: Vtinam probare possētis eos quos foris in scelere schismatis Felicianus & Pretextatus tanquā inaniter baptizauerāt, ab eis receptis intus quāsi vtiliter denuo baptizatos. Si enim rursus baptizandi erant isti, rursus ordinandi erant illi. Amiserāt enim episcopatū recedentes à vobis, si extra cōmunionem vestrā baptizare non poterāt. Nam si discedētes episcopatum nō amiserant, baptizare vtique poterant. Si autē amiserāt, ergo vt eis quod amiserāt redderetur, redeūtes ordinari debebāt. Et episto. 203. Maximino Episcopo Donatista, acerbe detestatur lugendā quorundā hominū consuetudinē atq; plangēdā: qui cū Christiano nomine gloriantur, Christianos rebaptizare nō dubitāt. dolet & vehemēter Maximinū illū, rebaptizasse diaconū Mutugennēsem, vbi sic loquitur: Rebaptizare igitur hæreticū hominē, qui hæc sanctitatis signa perceperit, quæ Christiana tradidit disciplina, omnino peccatū est: rebaptizare autem catholicū, immanissimū scelus est. Et lib. vno de fide ad Petrū diaconū, ca. 3. asserit sacramentū ba-

ptismatis nō esse iterū accipiendū, quod nemo debet in quolibet homine baptizato repetere. Et ca. 36. eiusdē libri dicit: Vbicunq; datū fuerit hoc baptisma, semel est dandū, ideo si ab hæreticis in nomine patris & filij & spiritus sancti fuerit datū, venerabiliter agnoscendū, & ob hoc nullatenus iterandū. Saluator enim dicit: Qui semel lotus est, nō indiget nisi vt pedes lauet, sed est mūdus totus. Licet in vulgata æditione nō habeatur semel, hoc tamē facit ad assertionē stabiliendā. Et sententia 330. libelli Sententiarū siue Aphorismorū: Quomodo, inquit, vterus nō potest repeti, ita nec baptismus. Et lib. 6. quæstionū super Iosue, quæstione 6. ad locum illū: Fac tibi ipsi cultros de petra acutos, vel (sicut habet Græcus) de petra acuta, & sedēs circūcide filios Israel iterū: dicit, Nulla itaq; causa est, cur ij qui putāt rebaptizādos eos qui habēt Christiani baptismi sacramentū, hoc testimonio legis adiuuari se putēt, quia nullus bis numero vnus homo est circūcisus, sed populus qui iā fuerat in quibusdā circūcisus, in quibusdā vero adhuc incircūcisus erat. Et si aliquo modo id fieri possēt, vt bis deus circūcidi hominē iuberet, nūquid possunt dicere ideo fuisse præceptū, quia illi ab Aegyptijs fuerāt circūcisi, aut ab aliquibus hæreticis ab Israelitarū societate segregatis? Cū vero satis etiā appareat, quare sit à deo dictū, nullū hic possunt homines erroris sui patrociniū reperire. Et lib. vno Expositionis epistolæ ad Romanos inchoatæ, edisserēs illum Pauli locū ad Hebræos: Voluntarie enim peccātib; nobis post acceptā notitiā veritatis, iam nō relinquunt pro peccatis hostia, siue (vt alij transferūt) sacrificiū, ita loquitur, Qui diligētius illud ad Hebræos pertractāt, sic intelligunt, vt nō de sacrificio cōtribulati per pœnitentiā cordis, accipiendū sit, quod dictū est, nō adhuc pro peccatis relinquuntur sacrificiū, sed de sacrificio de quo tūc loquebatur apostolus, id est holocausto dominicæ passionis, quod eo tēpore offert quisq; pro peccatis suis, quo eiusdē passionis fide dedicatur, & Christianorū fideiū nomine baptizatus imbuitur, vt hoc significaret apostolus, nō posse deinceps eū qui peccauerit iterū baptizando purgari. Et paulo post dicit: Nō enim possunt denuo baptizari, qui semel baptizati sunt, quis etiam post baptismū, per ignorantia veritatis peccauerint. Et lib. 2. cōtra secundā Gaudētij epistolā, explicās illum Petri locū: Charitas cooperit multitudinē peccatorū, inquit, Ecce quāmodū possunt quos nō oportet baptizari ipsa catholicæ vnitatis charitate mūdari, vt nō incipiat eis intus inesse, quod & foris inerat, sed incipiat eis prodesse intus quod foris oberat. Tū lib. vno de hæresibus Ad quod vult deū, cap. siue signo 49. taxat Arianos, quod censuerint & quidē temere, catholicos esse rebaptizādos. Et ca. 69. eiusdem operis insimulās Donatistas impij dogmatis, sic loquitur: Audent etiā rebaptizare catholicos, vbi se amplius hæreticos esse firmarunt, cū ecclesiæ catholicæ vniuersæ placuerit, nec in ipsis hæreticis baptismā cōmune rescindere. Insuper lib. 3. cōtra Donatistas de baptismo, cap. 11. sic disserit de hac re, Catholica vero ppter ea nō debet iterare baptismū, quia apud hæreticos datus est: ne iudicare videatur ipsorū esse quod Christi est, aut eos nō habere, quod intus cū acciperent, amittere vtiq; foras exeundo nō possent. Præterea lib. 5. de baptismo cōtra Donatistas, ca. 5. ostendens naturā exhorre iterationē baptismi, dicit: Quocirca etiā si verè propterea vellēt hæretici correcto errore venire ad ecclesiā, quia putarēt se baptismū nō habere nisi in catholica acciperēt, nec sic eis deberemus ad iterationē baptismi cōsentire, sed potius docēdi essent, nec integritatē baptismi prodesse peruersitati eorū, si corrigi nollent, nec eorū peruersitate violatū fuisse integrū baptismā, quādiu corrigi noluerunt, nec quia corrigi volunt, melius in eis baptismā fieri, sed ipsos à malignitate discedere: illud autē prodesse iam incipere ad salutē, quod prius inerat ad salutem. Et Tractatu 5. in 1. caput Euangelij Ioannis, his inuehitur argumentis in Anabaptistas: Quid ergo vis auferre? vnde tibi displicet, quem vis rebaptizare? Dare non potes quod iam habet, sed facies negare quod habet. Quid acerbius faciebat Paganus, persecutor ecclesiæ? Exerebantur gladij aduersus martyres, emittebantur bestia, ignes admouebātur. Vt quid ista? vt diceret qui ista patiebatur, non

Ioan. 13.

Iosue 5.

Hebr. 10.

1. Petri 4.

sum Christianus. Quid doces tu eum quem vis rebaptizare, nisi vt primo dicat, non sum Christianus? Ad quod aliquando persecutor proferebat flāmam, ad hoc tu producis linguā. Seducendo facis, quod ille occidendo nō fecit. Et quid est quod daturus es? Et cui daturus es? Si tibi verū dicat, & non seductus à te, mentiat: dicitur est, habeo: Interrogas, habes baptismā? Habeo dicit, quādiu habeo: dicit, inquit, non sum daturus, & noli dare: quod enim vis dare, hæere in me non potest, quia quod accepi, auferri à me non potest: sed tamen expecta, videam quid me vis docere: Dic, inquit, primo, nō habeo: sed hoc habeo. Si dixerō non habeo, mentiar: quod enim habeo, habeo. Non habes, inquit: Doce quia non habeo. Malus tibi dedit: si malus Christus, malus mihi dedit. Non, inquit, malus Christus: sed non tibi Christus dedit. Quis ergo mihi dedit? responde. Ego me à Christo scio accepisse. Dedit tibi, inquit, sed traditor nescio quis, non Christus. Videro quis fuerit minister, videro quis fuerit præco. De officiali nō disputo, iudicē attendo: & forte quod obijcis officiali mēris. Et Sermone 11. de verbis domini, Quapropter, inquit, quicunque in schismaticis vel hæreticis cōgregationibus vel potius segregationibus baptizantur, quāuis non sint renati spiritu tanquā Hismaeli similes, qui secundum carnem natus est Abraham, non secundū Isaac qui secundum spiritū, quia per reprobationem, tamen cū ad catholicam fidem veniunt, & societati spiritus aggregantur, quem foris proculdubio non habebant, nō eis repetitur lauacrū carnis. Proferrā & Hieronymū acri iudicio de hac re disputantē aduersus Luciferianos, nostræ tamen subscribentē assertioni: Ad eos, inquit, venio hæreticos, qui Euangelia lanauerunt, Saturninū quēdam, & Ophitas, & Choitam, & Carpocratē, & Cherinthū, & huius successorem Hebionē, & cæteras pestes, quorū plurimi viuente adhuc Ioanne apostolo eruperūt, & tamen nullam eorū legimus rebaptizatum. Quoniam autem talis viri fecimus mentionē, de Apocalypii quoque eius, approbemus Hæreticis sine baptismate debere pœnitentiā concedi, Angelo Ephesi deserta charitas imputatur, in angelo Pergamenæ ecclesiæ, idolothytorū esus, & Nicolaitarū doctrina reprehēditur. Item apud angelū Thiatyrorum Hiezabel prophetissa, & simulacrorum escæ & fornicationes increpātur. Et tamen omnes hos ad pœnitentiā dominus hortatur sub cōminatione quoq; futuræ pœnæ, nisi cōuertantur. Non autē cogeret pœnitere, si nō essēt pœnitentibus veniā concessurus. Nūquid dixit rebaptizentur qui in Nicolaitarū fide baptizati sunt? vel imponātur eis manus, qui eo tēpore apud Pergamenos crediderūt, qui disciplinā tenebant Balaā? Qui potius age, inquit, pœnitentiā: sin autē, ego veniā tibi cito, & pugnabo tecū in iōphea oris mei. Ibidē aduersus quendā Hylarium cōgrediens, ita loquitur: Est præterea aliud quod inferemus, aduersum quod ne mutire quidē audeat Hylarius Deucaliō orbis. Si enim hæretici baptismā nō habent, & ideo rebaptizādi ab ecclesia sunt, quia in ecclesia non fuerūt, ipse quoq; Hylarius non est Christianus: in ea quippe ecclesia baptizatus est, quæ semper ab hæreticis baptismū recepit anteq; Ariminēsis synodus fieret: anteq; Lucifer exularet. Hylarius Romanæ ecclesiæ diaconus ab hæreticis veniētes, in eo quod prius acceperāt baptismate, suscipiebat. Nisi forte tantum Ariani hæretici sunt, & ab his solis baptizatū recipere non licet, ab alijs licet. Diaconus eras o Hylari & à Manicheis baptizatos recipiebas. Diaconus eras & Hebionis baptismā cōprobabas: repente postquā exortus est Arius, totus tibi displicere cepisti, segregas te cum tuis vernulis, & nouum balneū aperis. Si te angelus aliquis aut apostolus rebaptizauit, nō infringo quod sequeris. Si vero in sinu meo natus, si vberū meorum lacte nutritus, aduersum me gladiū leuas, redde quod dedi, & esto si potes aliter Christianus. ¶ At dicet aliquis, fatetur Cyprianus epistola Stephano fratri, eos qui sunt foris extra ecclesiā tincti, & apud hæreticos & schismaticos prophanæ aquæ labe maculati, quādo ad nos atq; ad ecclesiā quæ vna est, venerint, baptizari oportere. Tum etiā ordinatus siue consecratus ab eo quem constat non esse episcopū, aut non constat habuisse ius consecrandi, iterū est consecrāndus:

H. iij.

Gala. 4.

Hieronymus

Apoc. 2. & 3.

Cyprianus

Distin. 68. cap. Presbyteri: ergo & baptizatus ab haeretico est rebaptizandus, vbi potissimum ambigeret an haeticus potestatem habeat baptizandi. ¶ Diluuntur seorsim illa duae rationes. Non consentit hac in re cum Cypriano ecclesia, quod tincti ab haeticis fonte baptismatis, sint rursus in ecclesia baptizandi, & hoc aliubi iam discussum est. Quos enim baptizauit Iudas, baptizauit Christus: nec Iudae erat baptismus, sed Christi, & quos baptizat haeticus, modo id praestet quod contendit & ecclesia, & praescripta obseruet formam, baptizat & Christus: quod si ille qui viuo baptismatis fonte tingitur sit paruulus, gratia spiritus sancti consequitur: si adultus poenitentia afflictus ad tale baptismum accesserit, si neminem offendat praeter haeticum a quo baptizetur, intus repurgatur & animi sordes expiantur. perspice & contemplantur potissimum hac in re, Christi virtutes, & non ministri qualitates. Nititur tamen Augustinus summa cum modestia, vt est doctissimi viri, non conuellere peritissimorum scripta, vbi vtrinq; ambigitur, quouis modo excusare Cyprianum cum ob eximiam vitae sanctimoniam, & solidissimam doctrinam, tum quod in hisce non modicis scrupulis non sibi placuerit, sed paratus fuerit suam emendare & corrigere sententiam, vbi pars illi opposita clare monstraret integerrimam ecclesiae unitatem, laesam & conuulseratam fuisse. Etenim lib. 2. de Baptismo contra Donatistas, ca. 4. sic loquitur in Cypriani defensionem: Satis ostendit facillime se correcturum fuisse sententiam suam, si quis ei demonstraret baptismum Christi sic dari posse ab eis qui foras exierunt, quemadmodum amitti non potuit cum foras exirent. Nam epistola Quirino fratri, dicit eos, quos constat hic esse baptizatos a nobis, & ad haeticos transisse, si postmodum peccato suo cognito, & errore digesto ad veritatem & matricem redeant statim, satis sit in poenitentiam manum imponere, vt quia iam ouis fuerat, hanc ouem alienatam & errantem in ouile suum pastor recipiat. hinc perspicue vides, si intueri velis ex sententia Cypriani eo in loco discussa, haeticos non esse rebaptizandos sed poenitentia discruciatos, in gremium ecclesiae tandem recipiendos. Et subnectit, Si autem qui ab haeticis venit, baptizatus in ecclesia prius non fuit, sed alienus in totum & prophanus venit, baptizandus est vt ouis fiat, quia vna est aqua in ecclesia sancta quae oues facit. Et hic, vt existimo, baptismate abluendus est infidelis adultus, ab haeticis subornatus, & diffusus, ne cum prompte velit baptismatis fonte abstergi, baptizetur. Deinde dicit, Et idcirco quia nihil potest esse commune mendacio & veritati, tenebris & luci, morti & immortalitati, Antichristo & Christo, per omnia debemus ecclesiae catholicae unitatem tenere, nec in aliquo, fidei & veritatis hostibus cedere. Non est autem de consuetudine praescribendum, sed ratione vincendum. Nam nec Petrus quem primum dominus elegit, & super quem aedificauit ecclesiam suam, cum Paulus de Circumcisione postmodum disceptaret, se vindicauit, seu aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit, vt diceret se primatum tenere, & obreperari a nouellis & posteris sibi potius oportere. Nec despicit Paulum quod ecclesiae prius persecutor fuisset, sed consilium veritatis administrationi legitimam quam Paulus vindicabat, facile consensit, documentum scilicet nobis & concordiae & patientiae tribuens, vt non pertinaciter nostra amemus, sed quae aliquando a fratribus & collegis nostris vtiliter & salubriter suggeruntur, si sint vera & legitima ipsa potius amplectamur. Paulus quoque prospiciens, concordiae & paci fideliter consulens in epistola sua posuit dicens: Prophetiae autem duo aut tres loquantur, & caeteri examinent. Si autem alij reuelatum fuerit sedenti, ille prior taceat. Quae parte docuit & ostendit, multa singulis in melius reuelari, & debere vnumquemque pro eo quod semel imbiberat & tenebat, pertinaciter cogredi, sed si quid melius & vtilius extiterit libenter amplecti. Non enim vincimur quando offeruntur nobis meliora, sed instruimur, maxime in his quae ad ecclesiae unitatem pertinent, & spei ac fidei nostrae veritatem. Et nos sacerdotes dei & ecclesiae eius de ipsius dignatione praepositi, sciamus remissionem peccatorum in ecclesia dari posse, nec posse aduersarios Christi quicquam sibi pro eius ecclesia vindicare. Haec ille. Sed quid vides humanius posse ac honestius praestari a Diuo Cypriano? vt sicubi suspicetur quis maledicus aut calunietur

1. Corin. 14.

eum a recta exorbitasse semita, paratus sit se ecclesiasticae submittere ferulae, ac exquisitori censurae. Verum vt plura veritati quam doctissimo amico deferam, non possum approbare quod in exordio eiusdem epistolae dicit, Nescio, inquit, qua praesumptione dicuntur quidam de collegis nostris, vt putent eos qui apud haeticos tincti sunt, quando ad nos venerint baptizari non oportere, eo quod dicant vnum baptismum esse, quod vnum scilicet in ecclesia catholica est. Quae ecclesia si est vna, esse extra ecclesiam baptismum non potest. Nam cum duo baptismata esse non possint, si haetici vere baptizant, ipsi habent baptismum. Et qui illis hoc patrociniū praestat de autoritate sua, cedit illis & consentit, vt hostes & aduersarij Christi habere videantur abluendi, & purificandi, & sanctificandi hominis potestatem. Nos autem dicimus eos qui inde veniunt non baptizari: neque enim accipiunt illic aliquid vbi nihil est, sed veniunt ad nos, vt hic accipiant vbi & gratia & veritas vna est. Porro autem quidam de collegis nostris malunt haeticis honorem dare quam nobis consentire. Et dum vnus baptismi asseueratione baptizari venientes nolunt, sic aut duo aut multa baptismata esse dicunt, aut certe (quod est grauius) haeticorum fordidam & prophanam tinctionem, vero & vniuerso & legitimo ecclesiae catholicae baptismum praepone & praefere contendunt, non considerantes scriptum esse: Qui baptizatur a mortuo, quid proficit lauitio eius? Manifestum est autem eos qui non sunt in ecclesia Christi, inter mortuos computari, nec posse ab eo viuificari alterum, qui ipse viuit in aeternum, & viuificat dei populum. Haec tamen ille. Sed quis recipiet quod ille asseuerat defendit, Extra ecclesiam non esse baptismum? Prius a nobis abunde ostensum est ex accuratissima Augustini censura, posse esse baptismum extra ecclesiam, tamen non possit prodesse nisi in ecclesia: nisi ille velit innuere, baptismum non esse extra ecclesiam quantum ad virtutem sacramenti. Sed quis nisi betho sit ingenio, hoc nescit? Haec tamen propositio: Baptismus non potest esse extra ecclesiam, siue non potest administrari ab haeticis, parit offendiculum siue scandalum. Nec ex eo baptismus ille abluto non prodest, quod haeticus non viuificet, neque huiusmodi hominem sanctificet. Non enim baptismi minister originalem noxam abstergit & mundat, sed Christus: & autoritas illa ex ecclesiastico adducta, solum indicat baptismatum a mortuo, id est ab illo qui est ex ecclesiastico inquinatus, aut haeresi vel schismate infectus, nullum nisi in ecclesia emolumentum spirituale consequuturum: quod si quicquam gratiae adipiscatur, non tamen a mortuo baptizante, sed a Christo. Aut dic cum Lyrano, repetendo tamen particulam a Cypriano suppressam, & iterum tangit mortuum, intelligendum esse locum de illo, qui emundatur a tactu mortui per aquam expiationis, de qua fit mentio Numerorum decimonono, qui cum tangit immundum & mortuum, efficitur immundus sicut ante. Aut quod verius Glossa interlinearis sententiae videtur, cum obedit peccato, non permanet eius mundatio, ideo non illi proficere videtur. ¶ Ad aliam rationem dico locum illum ex distinctione sexagesimo octaua prolatum, non praetendere illum proprie, iterum esse consecrandum, cum nunquam fuerit proprie consecratus. Nam ex hypothesi ille qui praesumebatur esse episcopus, non est episcopus, nec habebat ius consecrandi, quare character ordinis sacerdotij indelebilis, non fuit illius animo infixus. Et vt id ex capite Presbyteri citato probemus, quod illic a Gratiano ex doctrina Gregorij recensetur, proferemus: Iste, inquit, ex olei infusione nil consecrationis accepit, & quia in ipso ordine consecratus non erat, nunc quasi primum ad consecrationem veniens, ab episcopo sacerdotalem benedictionem & consecrationem consequitur. Si autem ius consecrandi habuerit, in prima vnctione consecutus est consecrationem, in secunda vero non reiteratur consecratio, sed sola vnctio: sicut de quo dubium est, an sit baptizatus vel non, debet baptizari. Quod si prius baptizatus non fuerat, consequitur gratiam baptismi: si autem baptizatus erat, nihil accipit in secunda vnctione, nec pertinet hoc ad reiterationem baptismi, sed ad cautelam salutis. Haec ille. Nec sane repetendus erit illi baptismus, quia imprimi characterem indelebilem, vt confirmatio & ordo.

Lyranus.

Glossa interlinearis.

H. iij.

Roma. 11.

Baptizandis non est necessaria poenitentia.] Hanc assertionem in primis ex Paulo suadebo, deinde ex Augustini sententia. Dicit Paulus ad Romanos: Sine poenitentia enim sunt dona & vocatio dei. Et probat de fide gentium. Sicut enim aliquando & vos non credidistis deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum, ita & isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, ut & ipsi misericordiam consequantur. Et ex contextu Pauli sic nec tam argumetur: Sicut donum dei est & gratia, quod hic paruulus fonte baptismatis a noxa originis abluatur, nec meritum in illo infideli proprium inuenitur, alioqui meritum praeceperet fidem & primam gratiam, quod est inauditum & absurdum: nec etiam opus bonum ac meritum proprium, inuenitur in isto paruulo carente usu rationis, nec vlla poenitentia siue interior siue exterior, sed fides fidei uisum, quae huiusmodi adolescentis fidem supplet: & quicquid in hoc lauacro perpenditur, id totum diuinum deferendum est gratiae. Tum etiam dicit Augustinus libro vno de Vera & falsa poenitentia (si liber ille sit Augustini) cap. 8. Poenitentia enim baptizandis non est necessaria, sed baptizatis de maioribus & minoribus peccatis poenitentia est. Per fidem enim ecclesiae sola remittuntur peccata quae contraxit homo in origine: ut sicut a patre peccante damnationem accepit, ita per matris ecclesiae fidem consequatur remissionem. Sed qui per se peccauit, per dolorem proprium, & per fidem ecclesiae indulgentiam acquisiuit. Haec per baptismum reddunt hominem mundum & nouum, ut nihil remaneat, quod deo displiceat. Sine poenitentia nulli profuit baptismus, qui peccauit spontaneus. Si quis autem baptizaretur inuitus, & in falsitate confessus, cum poenituerit saluus erit, adiuuante fide & charitate totius matris ecclesiae per totum orbem diffusa. Ob hoc sunt catechumeni ab ecclesia constituti, ut dum baptismum expectant, unde iure poeniteant, doceantur. Haec restituit hominem in libertatem arbitrii primi parentis, adhuc in abundantia virtutum constituti. ¶ At dicit aliquis, in Actis apostolorum scribitur: Poenitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum uestrorum, & accipietis donum spiritus sancti: illic Petrus docet manifeste opus esse poenitentiae ad baptismum suscipiendum, & ad nanciscendam peccatorum remissionem. Et hoc confirmari potest ex Augustino in libro de Poenitentia: Nemo suae voluntatis arbiter constitutus potest nouam vitam inchoare, nisi poeniteat eum veteris vitae, alioquin fictus ad baptismum accedit. Tum etiam tomo 10. Sermonum 27. de hac re sic differit: Neque ad baptismum Christi, in quo omnia peccata delentur, quisquam bene accedit, nisi agendo poenitentiam de vita pristina. Nemo enim eligit vitam nouam, nisi quem veteris poenitet. Et Sermonem 3. dominicae in ramis palmarum: Si enim, inquit, ille, qui baptizandus est, iracundiam vel odium in corde referuat, nescio si in eo gratia diuina proficiat. Dicitur enim: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. quod si diuina gratia non proficiat in eo, qui gestando in suum proximum rancorem & odium accedit ad baptismi lotionem. Videtur igitur poenitentia esse perquam necessaria baptizandis. Et in eodem Sermone: Si qui agnoscunt se persuadente diabolo furtum, homicidium, aut adulterium commisisse: aut si aliqua mulier competens potiones diabolicas aliquando ad abortum accepit, & filios suos adhuc in utero positos, aut etiam natos occidit: quia satis graue peccatum est, pro omnibus his cum gemitu & compunctione dei misericordiam querant, & ad baptismi sacramentum per poenitentiam mundati perueniant. Et hoc ante omnia quicumque se has culpas habere videt obseruet, ut castitatem & ante baptismum custodiant, & post baptismum non paruo tempore se a voluptate custodiant. Et libro vno de Fide & operibus, capite 17. differens de obstinatis in peccatis, dicit: Quae cum ita sint, quando tales ad baptismum non admittimus, non ante tempus zizania euellere conamur, sed nolimus insuper

Augustinus.

Act. 2.

Matth. 6.

sicut diabolus zizania feminare, nec ad Christum volentem venire prohibemus, sed eos ad Christum venire nolle, ipsa sua professione conuincimus: nec vetamus Christo credere, sed demonstramus eos Christo nolle credere, qui vel adulterium dicunt non esse, quod ille adulterium dicit esse, vel credunt adulteros eius membra posse esse, quos per apostolum dicit, regnum dei non possidere, & sanam doctrinam aduersari, quae est secundum Euangelium gloriae beati dei. Haec ille. Illis igitur obstinatis baptismus quidem quem suscipere volunt, non prodest, quia sua non sunt detestata scelera, quare eos conteri oportet, & dolere se deum tam acerbè offendisse, si baptismi lauacro velint fieri filii dei. ¶ Rationes illae agitatae non indocte probant adultis, antequam accedant ad limpidissimum & purissimum baptismi fontem, opus esse poenitentiam, non tamen paruuli indigent huiusmodi detestatione criminis. Sed te commonere velim duplicem esse poenitentiam: Alteram interiorem, cordis scilicet contritionem, qua quis dolet de peccatis praeteritis, & hac indiget adultus, siue is qui vititur ratione, antequam tingatur baptismate, ut amplissime demonstratum est. Quidam Doctor scholasticus, dicit adultis non esse opus contritione formata gratia, antequam Christi baptismum suscipiat, alioqui adultus baptizandus semper esset ante baptismum iustificatus. Sed sufficit quaedam displicentia peccati commissi. Licet informis & imperfecta, quae dicitur attritio, quae licet non sit sufficiens ad delendum peccatum, est tamen dispositio sufficiens ad suscipiendum baptismum, eo quod tollit fictionem. & de hac poenitentia loquitur Petrus, dicens: Poenitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum. Sed quid prohiberet adultum, antequam contenderet ad baptismum Christi esse iustificatum fide sincera, & contritione informata gratia? Nam dictum est ex Augustini sententia, eos qui commiserunt furtum vel adulterium, mundatos tandem per poenitentiam, gemitum & contritionem, peruenire ad Christi baptismum. Sed diceret ille, nihil sane prohiberet, sed non oportet eum semper esse iustificatum ante baptismum. quod si adultus non habeat contritionem gratia illustratam, videbitur cum cœno & foribus peccati mortalis accedere ad baptismum Christi. nec scrupus est si accedat ad baptismum Christi, sed si accedat ad percipiendum illius baptismi fructum. Cum tamen illa attritio, ut dictum est, non sit sufficiens ad delendum peccatum, nisi dixeris sacramentum illud, vna cum aliquantula displicentia supplere vices contritionis formatæ. Nec est dubium quin sacramentum illud tollat peccatum mortale, modo praecesserit quaedam attritio, quia tollit omnem dispositionem spirituali vitam impossibilem. Sed pergamus ad institutum. Alia est poenitentia exterior, quae consistit in verbis poenitentis, & in absolute sacramento absoluentis, atque in quadam satisfactione exteriori: & haec non est exoptanda poenitentia a baptizato, quia gratia baptismatis liberatur homo, non solum a culpa, sed a tota poena, virtute passionis Christi, qui pro peccatis omnium satisfecit. Nam ad Romanos sexto dicitur: Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Et ad Titum tertio: Per lauacrum regenerationis, & renouationis spiritus sancti, quem effudit in nos abundè per Iesum Christum saluatorem nostrum, ut iustificati gratia ipsius haeredes simus secundum spem vitae aeternae. ¶ Sed obijcies nec immeritò, omnia alia sacramenta, & clauis Ecclesiae vi passionis Christi, suum sortiuntur effectum: pari igitur ratione omnia alia sacramenta absoluunt hominem, & liberant a culpa, & a tota poena. ¶ Dilutio argumenti, obiectio proposita nullius est momenti. Nam passio Christi omnino operatur in baptismo, per modum cuiusdam generationis, quae necessaria est, ut homo omnimode priori vitae moriatur, si velit Christianam & verè nouam auspicari vitam. Ideo aufertur in baptismo totus reatus poenitentiae pertinens ad vetustatem prioris vitae. Sed in alijs sacramentis operatur virtus passionis Christi modo sanationis. Sanatio autem siue sanitas non requirit omnes morbi reliquias depelli. Et potest addi ratiuncula ad persuadendum confessionem auriculariam siue vocalem non requiri, ut adultus baptizetur. Baptismus

1. Timo. 1.

quippe Christi est lauacrum omnium peccatorum: quare baptizatus non indiget aliqua satisfactione pro peccatis praeiatis: quare nulla est confessionis vocalis necessitas. Ex eo enim necessaria est confessio in sacramento poenitentiae, ut sacerdos potestate clauium, opportunè & decenter poenitentem soluat vel liget. Etiam hoc honorabile & suspiciendum poenitentiae exterioris sacramentum, suum habet fulcimentum & initium à ianua omnium sacramentorum, scilicet à baptismo Christi, praesuppositione quadam: ita quòd si fustuleris baptismum, necesse est & alia sacramenta auferri & perire.

CAPVT VI.

Hieronymus

Baptismus Christi licet sit efficax, eo tamen suscepto quis potest delinquere. Hanc depromo assertionem ex sacris Doctoribus. Hieronymus libro tertio Dialogorum, acerrimè oppugnans Pelagianorum deliria & impia dogmata, sic de hac re disserit: Scito baptismum praeterita donare peccata, non futuram seruare iustitiam, quae labore & industria ac diligentia, & super omnia dei clementia custoditur: ut nostrum sit rogare, illius tribuere quod rogatur: nostrum incipere, illius perficere: nostrum offerre quod possumus, illius implere quod non possumus. Nisi enim dominus aedificauerit domum, in vanum laborauerunt qui aedificant eam. Nisi dominus custodierit ciuitatem, in vanum vigilat qui custodit eam. Vnde & Apostolus praecipit: Sic currite ut comprehendatis. Omnes quidè currunt, sed vnus accipit coronam. Et in psalmo scriptum est: Domine ut scuto bonae voluntatis tuae coronasti nos. Nostra enim victoria & corona victoriae, illius protectione & clypeo paratur: & hic currimus, ut in futuro comprehendamus: ibi accipiet coronam, qui in hoc saeculo victor extiterit: nobis quae post baptismum dicitur: Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne quid deterius tibi contingat. Et nescitis, quia templum dei estis, & spiritus dei habitat in vobis? Si quis templum dei violauerit, disperdet eum deus. Et in alio loco: Dominus vobiscum est, quoadiuuauerit: si reliqueritis eum, & vos relinquet. Tum etiam, si fieri posset, ut semper aquae baptismatis mersos teneret, voluntaria nos desuper peccata non tangeret, spiritus sanctus tueretur. Sed impugnat inimicus, nec victus recedit, sed semper in insidijs est, ut sagittet in occulto reos corde. Adde quod cum Petrus sciscitaretur à Christo, quoties fratri delinquenti dimitteret, an septies vsque, dixit illi Iesus: Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies. Sed notissimum est locum illum intelligendum esse de peccatis post baptismum commissis. Sed quis nescit Petrum fonte baptismatis ablutum fuisse, cum ter Christum metu mortis abnegauit? Sed quibus nisi baptizatis dixit Christus: Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum? Et rursus: Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio: qui autem dixerit fratri suo Rhaca, reus erit cocilio: qui autem dixerit fatue, reus erit gehennae ignis. Congerem, si res necessario expositularet, non modicam huiusce rei approbandae sylvam: verum cum negotium, & rei pondus non efflagitet, super se debimus. Haec te moueat ratio, si plerique prophetae, etiam eximij & sanctissimi, postquam vncti sunt spiritu sancto, corruerint, & diuinam quandoque offenderint maiestatem: possunt etiam & Christiani lauacro baptismi renati, quodpiam scelus etiam nephandissimum admittere. Nec vsque adeo faeces & lacunae liberi arbitrij peccato primi hominis oblatae & couulnatae, fonte baptismatis detergantur, quin possit ad bonum & malum flecti, alioqui pro statu viae & peregrinationis non censeretur liberum & voluntarium. Vesanus ille error tollit prorsus merita & demerita. Insuper aut post illam mundissimam baptismi lotionem potest homo peccare si velit, aut potest homo non peccare si velit. non enim dices insane hominem necessario peccare. si enim necessario peccaret, non pollueretur peccato. Etenim peccatum si non sit voluntarium, non est peccatum. Si priorem disunctionem partem concesseris, concludimus in aduersarium. Nec iuuat dicere adiutum diuina gratia non posse peccare. Nam gratia illa non adimit libertati vim

Psal. 126.

1. Corin. 9.

Psal. 5.

Ioan. 5.

1. Corin. 3.

Matth. 18.

Matth. 5.

illam & facultatè ad vtrumlibet deflexilem, imò apostolis gratia confirmatis, non est pro statu viae adempta libertas ad delinquendum, tamen si fuerit sopita ac praepedita quominus decideret in vitium. Si tibi gratuletur posterior disunctiuae particula, laberis in profundum Pelagianorum errorem, qui temeraria audacia asserunt hominem solo adiutum liberi arbitrij praesidio, posse etiam citra diuinam gratiam quoduis peccatum deuitare. Fatere igitur hominem posse post baptismi repurgationem delabi in vitia, & agnosce clementiam, ac misericordiam domini, dicens: In quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum non recordabor. Ezechie. 18. Noscito pariter quantum tibi diuina patrocinetur gratia, te peccatorum laqueos non euasisse, tuo pariter pede te metire. Vereor ne videaris Christum mendacem efficere ex Ioannis sententia, si dixeris te nullum habere peccatum, nec post baptismum deliquisse. Caueto à praecipitijs & lapsu, qui dicis te stare. Nihil tibi velim arroges, nec pro tuis meritis superbiae fastu intumescas. Perpende gloriam, felicitatem, & admirandam Salomonis sapientiam in cineres, fauillas, & deplorandam calamitatem, tandem collapsam esse. Astipulatur & huic assertioni Augustinus, libro vno de Haeresibus, Ad quod vult deum, haeresi 82. vbi dicit Iouinianum omnia peccata sicut Stoicos philosophos paria asseruisse, nec posse peccare hominem lauacro regenerationis accepto, nec aliquid prodesse ieiunia, vel à cibis aliquibus abstinentiam. Et longè sceleratiora in sanctissimam Ecclesiam dogmata euomuit. Et haeresi 88. damnat Pelagianos, quod dixerint vitam iustorum in hoc saeculo nullum omnino habere peccatum, & ex his Ecclesiam Christi in hac mortalitate perfici, ut sit omnino sine macula & ruga, quasi non sit Christi Ecclesia, quae in toto terrarum orbe clamat ad deum, Dimitte nobis debita nostra. Nec ab his dissentit Chrysostomus, homilia 4. in primam cap. Matthaei, ostendens plerisque baptizatos, esse non baptizatis deteriores, quod euenire non posset, nisi baptizati possent decidere in vitia, & ita scribit: Si enim etiam antequam haec caperemus dona, merebamur tamen propter peccata puniri, quanto magis postquam tam ineffabilia sumus beneficia consecuti? Et hoc non frustra, nec absque certa nunc ratione commemoro, sed quod video plerisque desidiosius post acceptum baptismatis viuere sacramentum, quam eos qui nondum sunt illo mysterio consecrati. Et homilia 1. in Acta Apostolorum: Nihil nobis proficit lauacrum ad hoc ut mitius puniamur. Illud verò confidera, Habuit aliquis commissa grauiora, vel homicidio, vel adulterio, vel alio quopiam facinore patrato, haec per lauacrum remissa sunt. Non enim est, non est inquam vllum tam peccatum, vllave impietas, quod non caedat, locumque det dono dei. Nam diuina res est gratia. Denuo moechatus est aliquis, aut homicidium perpetravit, prius quidem adulterium condonatum est, & homicidium illud simul cum adulterio concessit, ac nequaquam reuocatur. Nesciunt enim poenitentiam, dona, & vocatio dei. Caeterum pro his, quae post baptismum commissa sunt, ratam damus poenam, quasi & illa reuocata sint, ac multo etiam grauiorem. Iam enim non simplex peccatum est, sed duplex, aut triplex. Quod autem his grauior poena debeatur, audi quid dicat Paulus: Qui spernit legem Moysi, sub duobus aut tribus testibus, absque misericordia, morte luit poenas. Quanto putatis grauiore vindicta dignus censetur, qui filium dei conculcarit, ac sanguinem testamenti immundum duxerit, ac spiritui gratiae contumeliam fecerit? At dices, Paulus ad Romanos testatur veterem hominem nostrum simul crucifixum esse, ut destruat corpus peccati, ut vltra non seruiamus peccato. Et ibidem: Peccatum vobis non dominabitur. Non enim sub lege estis, sed sub gratia. Deinde liberati à peccato, serui facti estis iustitiae. Quod si homo lorus baptismate, non sit seruus peccati, sed iustitiae: videtur quod post baptismum non possit à recta via exorbitare, alioqui non erit seruus iustitiae, sed peccati. Tum etiam si posset delinquere post baptismum, posset & renouari per poenitentiam, quod videtur inficiari Paulus ad Hebraeos, dicens: Impossibile enim est eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt nihilominus bonum dei verbum, vir-

Ezechie. 18.

1. Ioan. 11.

Augustinus

Iouinianus.

Pelagiani.

Matth. 6.

Chrysostomus.

Hebraeos. 10.

Roma. 6.

Hebre. 6.

tutésque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam. Nec tibi aduersabitur illud Ambrosij, libro tertio de Virginibus: Hoc baptisma est, quo peccata donantur, regna quaeruntur. Et hoc baptisma est, post quod nemo delinquit.

Ambrosius. ¶ Responso ad obiectiones. Non negamus veterem hominem, scilicet reatū aut maculam peccati, virtute passionis Christi, & baptismi, crucifixū esse, & deletū, aut fomitem peccati, nec tamen omnino extinctū, sed sopitum esse & repressum ac diminutū, fonte quidē baptismi, & vi crucis Christi, cōsuetudinē etiam peccati elanguisse, ac remissiore esse. Nam ad Colossenses scriptum est: Delens quod aduersum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud cruci: ex quo animaduertimus impetum illum peccati admodum violentum, & nobis nocentissimum, fuisse euersum & sublatum: vt si diuina adiuti gratia, quam à primo sacramento accepimus, velimus forti & constanti animo aduersari peccato & oblectari, non seruiemus desiderio & concupiscentiæ carnis. Et in hunc modum habitu quidem iustitiæ & gratiæ, nō amplius nostris obtemperantes delictis, facti sumus serui iustitiæ, & Christiana donati libertate. Nemo enim seruus est peccati, nisi is qui facit peccatum. Nec tamen his Christi, & primi sacramēti donis, adempta est nobis potestas & facultas peccandi, quod forsitan prætendebat Ambrosius, dicens hominem post baptismū non peccare, non quod non possit peccare, alioqui toto cælo erraret, sed quod donati sacramēto fidei & baptismi, non sunt serui peccati. quod si sacramentum frangant & violent spontaneo quidem consensu, suis obedientes concupiscentijs, efficiuntur sua culpa serui peccati, & durissimam vitiorum omnium seruitutem sufferunt. Alia Pauli autoritas ad Hebræos, nobis non aduersatur, qua tamen non exactē intellecta lapsus est in hæresim Nouatus quidam presbyter Romanus, asserēs temerē neminem post baptismum posse ad pœnitentiam resurgere, quam etiam hæresim insectatus est Athanasius, Epistola ad Serapionem. Nam Paulus recepit incestuosum Corinthiam, vt patet 2. Corin. 2. & similiter Galathas. Nam dicit: Filioli mei, quos iterum parturio. Sed intellige secundum Augustinum non dictum fuisse, impossibile est pœnitere, sed renouari ad pœnitentiam, id est, baptizari. Pœnitentia enim quodam modo dicitur baptismus, nec posset homo vnquā sic pœnitere, vt posset iterum baptizari.

CAPVT VII.

Baptismus Christi confert gratiam.] Hanc assero Euangelicam veritatem contra Albanenses, Albiginenses, Psallianos, Euchitas, Messalianos, & Lutheranos, qui impudentissimē, & cum execranda blasphemia derogant efficacissimæ virtuti baptismi Christi. Nec potuit Lutherus inter recentiores hæresiarchas antesignanus, & dux primarius, venenum sibi dæmonis arte & astu propinatū oculere, nec suā infantissimā tacere ignorantia. Sed hæc quauis peste pestilentiora in suo opere de Captiuitate Babylonica resperit: vbi sic ait, Hæretica est, sed visitata sententia, Sacramēta nouæ legis cōferre gratiā ijs qui non ponunt obicem. Eandem farinam toxico fermentatam subolet Martinus Bucerus in Euangelium Matthæi. Sed has noxias pestes, & pestilentissimam doctrinā ex facris literis, sacrisq; Doctoribus reuellere conabimur. Marci vltimo scribitur: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. ex quo loco perpendimus ac colligimus manifestissimē, baptismum plurimū conferre ad assequendā iustificationis gratiam. Sine enim gratia iustificante nemo saluatur: baptizatus autem, qui non obstitit huiusmodi immersioni & ablutioni iustificatur, quare gratiam ad salutem præuiam obtinet. Nec solum dixit Christus, Qui crediderit, saluus erit: sed quod salutis æternæ comparandæ foret commodissimum addidit, & baptizatus fuerit. Salus igitur æterna pēdet & à fide, & à baptismo: quod si pendeat à baptismo, non addubito quin baptismus Christi conferat gratiam, gloria, quam Christianus est adepturus priorem. Rem patefaciam longē clarius ac apertius ex illo Ioannis loco: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non

Lutherus.

Bucerus.

Marci 16.

Ioan. 3.

potest introire in regnū dei. talis autem renascentia ex aqua & spiritu sancto non fit, nisi instrumentaria saltem ratione, & dispositione per aquas vitales Christi baptismis repurgatas, quibus vt signis cōfertur gratia spiritus sancti. Et in Actis Apostolicis: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum spiritus sancti. Vides ne Petrum suadentem baptismum ad consequendam peccatorū remissionem, quibus equidē abluris infunditur tandem gratia spiritus sancti? Hunc considera ex Petri doctrina, ordinem: Primum auferitur peccatum originale, etiam & mortale (si modo vt aliubi diximus præcesserit aliquātula displicentia) deinde confertur gratia spiritus sancti, ita quod expulsa originis noxa, introducitur gratia & forma spiritus sancti. nec minus hic ordo naturæ cognosci potest, quam in physicis disciplinis. Tum etiam ad Romanos scribitur: Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem: vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Sed quis non videt Paulum asserere nos induere nouam vitam, nouūmq; hominem reiecto veteri per munditiem baptismi? Ad hoc enim Christus contactu suæ purissimæ carnis, aquas Iordanis cum fuit à Ioanne baptizatus, emundauit, vt aqua sanctificata per verbum baptismi, vim haberet, etsi non primariam, tamen secundariam, instrumentariā, & adminiculatricem ad sordes animi repurgandas & abstergendas. Audi iterū Paulum ad Galatas: Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. & potissimū differit Paulus de his qui in Christo baptizati sunt, per effectum baptismi, sese submittentibus cum humilitate, & religionis cultu, sacra lotioni. Et ad Titum: Cum autem benignitas & humanitas apparuit saluatoris nostri dei, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti, quem effudit in nos abundē, per Iesum Christum saluatorem nostrum, vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ. Nec nobis deest præsidium Hieronymi, gratiam baptismi approbantis in epistola Oceano, vbi sic loquitur: Paulus persecutor Ecclesiæ, & lupus rapax Benjamin, Anania ouis submittit caput. nec antè recuperat aspectum, quam curet baptismus cæcitate. Et ex eodem capite immediate præcedenti demonstrauimus baptismum præterita donare peccata. quod si remittat & deleat peccata, originalia quidem & mortalia, subinde largietur & conferet gratiam, alioqui homo esset absterfus à peccato originis, pariter & à peccato mortali: & tamē diuina careret gratia, quod tamen non est concedendum. Porro Micheas de baptismi gratia varicinatur: Ipse auertet & miserabitur nostri, demerget iniquitates nostras, & proiciet in profundū maris omnia peccata nostra. Audiamus & Ezechielem filium hominis, quomodo de eius virtute pronuntiet, qui hominis futurus est filius: Assumā vos de gentibus, & aspergam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immunditijs vestris, & dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum. Sentit nobiscum Chrysofomus, homilia 2. in 1. caput Matthæi, vbi dicit baptismū Christi habuisse aliquid veteris, & noui: Quod enim baptizatus est à propheta, expressit vetus: quod autem descendit spiritus, adumbravit nouum: nec putes spiritum sanctū forma columbæ ad baptismum Christi descendisse, nisi vt ostenderetur, præter admirationem Christi, & excellentissimam maiestatem, latum discrimen inter baptismum Ioannis, quod non conferebat gratiam, & baptismum Christi, quod forma saltem instrumenti diuini, conferebat gratiā. Augustinus pariter differens in opusculo Sententiarum, de gratia baptismi, sententia quidem 324. ita loquitur: Regenerationis gratiam, ita etiam hi non minuunt, qui eius dona non seruant, sicut lucis nitorem loca immunda non polluant. Qui ergo gaudes baptismi perceptione, viue in noui hominis sanctitate, & tenens fidem, quæ per dilectionem operatur, habebonum quod nondum habes, vt profit tibi bonum quod habes. Tum etiam Augu-

Acto. 22.

Roma. 6.

Gala. 3.

Tit. 3.

Hieronymus.

Act. 9.

Micheas 7.

Ezechie. 36.

Chrysolto.

Augustinus.

Gala. 5.

stinus passim concedit baptismū remittere & delere omnia peccata: concedet igitur subinde baptismū conferre gratiam. Nam hæc propositio, Baptismus confert gratiam, non magis est absurda, quàm ista: Baptismus remittit peccata: nec vna illarū est potius recipienda, quàm altera: qua igitur ratione concedetur vna: & similis, altera. Nec grauior proferre scripturas Augustini, afferentis baptismū remittere peccata, Epistola Bonifacio de moderate coercendis hæreticis dicit, in baptismo cuncta esse dimissa, neque aliquid remanet in baptismo, quod nō dimittatur omnium præteritorū peccatorum, si tamen ipse baptismus non frustra foris habeatur: si autem intus detur, aut si iam foris datus est, non foris cum illo remaneat, & quicquid ab eis, qui post acceptum baptismum hic viuunt infirmitate humana contrahitur quarumcunque culparū, propter ipsum lauacrum dimittitur. Et sermone primo De via trium dierū, feria 5. post tertiā dominicam in quadragesima dicit: Et ne aliquis dubitet & putet non omnia peccata sopiri per baptismū, agnoscat & intelligat, quia quomodo nullus remāsit Aegyptiorum, sic nihil remanet penitus peccatorum. Et libro primo Retractionū, cap. 13. Ideo gratia dei, non solum reatus omnium præteritorum soluitur in omnibus qui baptizantur in Christo, quod fit spiritu regenerationis: verumetiam in grandibus voluntas ipsa sanatur, & præparatur à domino, quod fit spiritu fidei & charitatis. Libro etiam vno Enchiridij ad Laurentium, capite sexagesimoquarto, dicit baptismatis munus contra originale peccatum donatum esse, vt quod generatione attractum est, regeneratione detrahatur: & tamen actiua quoque peccata quæcunque corde, ore, opere, commissā inuenerit, tollit. Et libro primo de Ciuitate dei, capite vigesimo septimo testatur, lauacro sanctæ regenerationis ablutos, vniuersorum peccatorum remissionem accipere. Tunc enim tempus est cauendi omnia futura peccata, cum omnia sunt delata præterita. Et libro primo de Peccatorum meritis, & remissione, contra Pelagianos, capite trigesimo nono ita scribit de hac re: In paruulis certe gratia dei per baptismum eius, qui venit in similitudine carnis peccati id agitur, vt euacuetur caro peccati. Euacuatur autem, non vt in ipsa viuente carne concupiscentia conspersa & innata repente absumatur & nō sit, sed ne oblit mortuo, quæ inerat nato. Nam si post baptismum vixerit, atque ad ætatem capacem præcepti peruenire poterit: ibi habet cum qua pugnet, eamque adiuuante deo superet, si non in vacuum gratiam eius susceperit, si reprobatus esse noluerit. Nam nec grandibus hoc præstatur in baptismo, nisi forte miraculo ineffabili omnipotentissimi creatoris, vt lex peccati, quæ inest in membris repugnans legi mentis, penitus extingatur & non sit, sed vt quicquid mali ab homine factum, dictum, cogitatum est, cum eidem concupiscentiæ subiecta mente seruiret, totum aboleatur, ac velut factum non fuerit, habeatur. Et in psalmo 72. figuratim indicat, in baptismo deleri scelera. Liberatur, inquit, populus ab Aegyptijs per Moysen, liberatur populus à præterita vita peccatorum per dominum nostrum Iesum Christum. Transijt populus ille per mare rubrum, iste per baptismum. Moriuntur in mari rubro omnes inimici populi illius, moriuntur in baptismo omnia peccata nostra. Et ad locum illum 1. Ioan. 3. ca. Omnis qui natus est ex deo, non facit peccatum: dicit in hunc modum: Baptizatus sacramentum habet, & magnum sacramentum, diuinum, sanctum, ineffabile. Considera quale vt nouum hominem faciat, dimissionem omnium peccatorum. Et libro vno de vita Christiana, capite 13. dicit, fidem omnium tenere, baptismum peccata abluere. ¶ At dicit aliquis: Dicit Beda in 2. caput Lucæ ad locum illum: Postquā consummati sunt dies octo vt circūcideretur puer. Idem salutiferæ curationis auxilium, circūcisio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod baptismus agere reuelatæ gratiæ tempore cōsuevit, excepto q̄ regni cælestis ianuam nondū intrare poterant: ita q̄ prædedit dicere, hæc duo sacramenta instituta fuisse ad profligandū & delendū peccatū originale. Sed circūcisio nō cōferebat gratiā, igitur nec baptismus Christi cōfert gratiā. Minorē suadeo: Dicit Paulus, Abraham accepisse signū circūcisionis, signaculū

Roma. 7.

Exodi 14.

1. Ioan. 3.

Beda:

Lucæ 24

signaculum iustitiæ fidei, qui tamen fide iustus erat antequam circūcideretur. Solum attribuit circūcisioni signum iustificationis, non autem vim iustitiæ effectricem. Et aliubi: Circūcisio nihil est, & præputium nihil est, sed obseruatio mandatorum dei. Et si circūcidamini, Christus vobis nihil proderit. Rursus: In Christo enim Iesu, neque circūcisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura. Adde, quod Tertullianus, libro vno aduersus Iudæos, validissimis probat argumētis, Circūcisionem non purgasse hominem: neque contulisse salutem, sed solum fuisse signum fidei iustificantis. Nam, inquit, si circūcisio purgat hominem, Deus Adam incircūcisum cum faceret, cur eum non circūcidit? vel posteaquā deliquit, si purgat circūcisio? Certè in paradiso constituens eum incircūcisum, colonum paradisi præfecit. Igitur cum neque circūcisum, neque sabbatizantē deus, Adam instituerit: consequenter quoque sobolem eius Abel, offerentem sibi sacrificia, incircūcisum, nec sabbatizantē, de hoc mundo transtulit, qui necdum mortem gustauit, vt æternitatis candidatus, iam nobis ostenderet, nos quoque sine legis onere Moysi, deo posse placere. Melchisedec quoque summi dei sacerdos, incircūcisus, & non sabbatizans, ad sacerdotium dei allectus est. Et probatus Loth frater Abraham, quod pro meritis iustitiæ, sine legis obseruatione, de Sodomitarum incendio sit liberatus. Sed Abraham inquit, circūcisus est, sed antè deo placuit, quàm circūcideretur, nec tamen sabbatizauit. Acceperat enim circūcisionem, sed quæ esset in signum temporis illius, non in salutis prærogatiuam. Denique sequētes patriarchæ incircūcisi fuerunt, vt Melchisedec, qui ipsi Abraham iam circūcisio reuertenti de prælio, panem & vinum obtulit incircūcisus. Sed & filius, inquit, Moysi cum ab angelo præfocatus fuisset, si non Sephora mater eius calculo præputiū infantis circūcidisset. Vnde, inquit, circūcisionis maximum periculum est, si præputium carnis quis non circūciderit. Et ideo si salutem circūcisio omni modo adfert, etiam ipse Moyses in filio suo non intermisisset, quo minus octaua die circūcideret eum, quando constet Sephoram coactam ab angelo id fecisse in itinere. Consideremus itaque, quod non potuerit vnus infantis coacta circūcisio omni populo præscribere, & quasi legem huius præcepti condere in salutem. Nam prouidens deus, quod hanc circūcisionem, in signum, non in salutem esset daturus populo Israel: idcirco filium Moysi ducis futuri instigat circūcidi, vt cum cœpisset per eum populo dare præceptum circūcisionis, non aspernaretur populus, videns exemplum istud in iudicis filium celebratum. Dari enim habebat circūcisio, sed in signum: vnde Israel in nouissimo tempore dinosci haberet. ¶ Seorsim & composito ordine obiectiones diluentur. Si tibi ardeat opinio Thomæ ad expositionem illius loci: Accepit Abraham signum circūcisionis, signaculum iustitiæ fidei, dices circūcisionem ex opere operato non habuisse virtutem effectricem, neque quantum ad remouendam culpam, neque quantum ad operationem iustitiæ, sed erat solum iustitiæ signū, quod videtur Paulus subindicare, imò aperte dicere, sed per fidem Christi, cuius circūcisio erat signum, auferebatur peccatum originale, & conferebatur auxilium gratiæ ad rectè agendum. At idem contingere non potest baptismum. Nam circūcisio erat signum futuri baptismi. Nec idem signū conuenit præsentis, præteriti, & futuro. Ideo baptismus, est signū præsentis gratiæ, qui multo copiosior gratiæ effectum & vberiore fortitur. quanto enim agens est propinquius & præsentius, tanto efficacius operatur. Videtur tamen secum pugnare. Nam in tertia parte Summæ, dicit in circūcisione conferri gratiam quantum ad omnes gratiæ effectus, aliter tamen quàm in baptismo. quod si in circūcisione conferatur gratia, & est præcipuè instituta ad repurgandum peccatum originale. videtur igitur, quod remittat peccatum originale. Discrimen assignat inter circūcisionem & baptismum, etiam in conferenda gratia. Quia in baptismo confertur gratia virtute ipsius baptismi, quam habet, vt est instrumentum passionis Christi iam perfectæ & completæ: in circūcisione verò conferebatur gratia, non quidem vir-

1. Corin. 7.
Gala. 5.
Gala. 6.

Tertullianus

Gene. 19.

Gene. 17.

Gene. 14.

Exodi 4.

Thomas.

tute circuncisionis, sed virtute fidei passionis Christi, cuius signum erat circuncisio. Aut circuncisio conferebat gratiam, quatenus erat signum fidei passionis Christi futurae. Baptismus verò operatur instrumentaliter virtute passionis Christi exhibitae, & imprimit characterem connectentem hominem Christo, & yberioiorem gratiam confert, quàm circuncisio. Et licet circuncisio dicatur à Paulo signaculum iustitiae fidei, non tamen sequitur, quòd non conferebat vi tamen instrumentaria gratiam. Sed forsitan componi poterunt, & copulari scripturae beati Thomae. Cum enim dixit in commentarijs Epistolarum Pauli, remitti peccatum originale fide, cuius circuncisio erat signum, & quòd non habebat virtutem effectricem iustitiae, neque remissionis culpae: verum est ex se, sed remittebat culpam, & conferebat gratiam virtute fidei passionis Christi, cuius erat signum: ita quòd nò tam remittebat peccatum originale, nec gratiam conferebat, quàm erat signum remissionis peccati originalis per fidem, & gratiae iustificationis. Baptismus verò longè excellentior circuncisione, sua virtute remittit noxam originale, & confert gratiam. Nec mihi placet magistri Sententiarum opinio, hoc in loco dicentis circuncisionem auferre peccatum originale, non tamen conferre gratiam. Nam priuatiuè oppositorum necesse est alterum inesse subiecto. Si igitur in circuncisio non erat peccatum originale, siue culpa, quae opponitur priuatiuè ipsi gratiae, erat haud dubiè gratia. Tamen Durandus dicat culpam originale vel actualem, non esse priuationem gratiae, formali quidem oppositione & directa. Deus enim posset producere vnum hominem absque culpa originali aut actuali, pariter absque gratia: & quamuis ille homo non esset illustratus illa spiritali qualitate, posset tamen dici gratus deo, quia nihil admisit quo censeatur deum offendisse. differamus etiam vt res habet. Si Socrates non habet culpam originale, aut actualem, qua à deo auertitur, habet sanè gratiam, qua deo coniungitur. Et vt oppugnet magistrum Sententiarum, qui hac in re non defenditur, hoc modo ratiocinatur: Culpam remitti, est eam non imputari ad poenam, sed quandiu gratia non redditur, tandiu culpa imputatur ad poenam. Si igitur circuncisione remissa fuerit culpa, nullam subibit poenam circuncisus illi culpae debitam, & ex consequitio collige gratiam esse redditam. ¶ Deinde cum dicis, Circuncisio nihil est, & praputium nihil est, sed obseruatio mandatorum dei. Non eo inficias circuncisionem nudè consideratam nihil esse, cum scilicet fide non est ornata, nec iuuat quempiam membro circuncisum esse, nisi fidem receperit, qua animo insculpta, velit sanctè & piè viuere, & diuinis obtemperare iussis. Cum tamen iuncta erat fidei, non mediocrem homini frugem adferebat. Nec tamen renatis spiritali fonte baptismatis, & nostrae fidei sacramentis in noua lege addictis, confugiendum est & recurrendum ad Iudaicas ceremonias. Ideo non absurdè dixit Paulus: Si circuncidamini, nihil vobis Christus proderit. Nunc obsita est & antiquata circuncisio, quae ante Christum non habebatur respectui. ¶ Iterum obijcies, Si baptismus Christi conferret gratiam, virtute quidem secundaria, instrumentaria, & adminiculatiua, vt iam dictum est, oporteret dicere in sacramentis nouae legis, esse quandam vim gratiae causatricem, quod tamen est inauditum. Nam virtus spiritalis non potest esse in rebus corporeis. ¶ Dissident Doctores scholastici hac in re. Nam quidam dicunt in sacramentis nouae legis, esse virtutem gratiae causatiuam. Quia dominus tactu suae mundissimae carnis, contulit aquis vim regeneratiuam. Et vix tibi persuadebis baptismum Christi conferre gratiam virtute quidem instrumentaria, nisi deus contulerit sacramento baptismi quandam virtutem gratiae effectricem. Nec pijs gratum est auribus, dicere sacramenta à Christo instituta, solum esse signa: nam qui talia confingunt placita, videntur adblandiri plurimum haereticis, toto studio negantibus sacramenta nouae legis conferre gratiam. Nec absurdum est ijs, qui dicunt sacramenta nouae legis habere vim gratiae effectricem: virtutem spiritalem posse esse in re corporea, quatenus res corporea potest moueri ab aliqua substantia spiritali

Magister
sententiarum.

ad aliquem effectum spirituale induendum. Mouentur enim sacramenta à deo, & ordinantur ad effectum spirituale, licet incommodum videretur virtutem spirituale posse esse in re corporea modo virtutis permanentis & completae. Nec vis haec instrumentaria, operatur nisi quatenus est mota à principali agente, scilicet à deo, per se hunc effectum spirituale producente. Alij dicunt, in sacramentis non esse quandam virtutem causatricem gratiae, characteris vel cuiuscunque dispositionis siue ornatus existentis in anima, sed sunt causa, sine qua non confertur gratia, quia ex diuina ordinatione ac pacto fit vt recipiens sacramentum, simul recipiat gratiam, si non posuerit obicem & praepedimentum. Et recipit gratiam, non quidem à sacramento, sed à deo, qui solus pertingit characterem, gratiam, aut quemuis alium animi ornatum. Hoc similitudine quadam adnituntur probare: Sicut princeps aliquis suo decreto facit, vt quis plumbeo denario recipiat eleemosynam ab ijs quibus imperat, non quòd nummulus ille sit causa eleemosynae, sed solus princeps: numus verò est signum captandae eleemosynae, & causa sine qua ille non reciperet eleemosynam, ita solus deus confert gratiam sacramentalem: sacramentum verò cuiuspiam admotum ex pacto diuino, est nota atque indicium gratiae receptae, & est causa sine qua talis non donaretur gratia dei & munere. Nec potius videtur attingere baptismum Christi gratiam ipsam, quàm circuncisio, quae nihil agebat, nisi ex pacto diuino, & vt causa sine qua non. Sed facilè est has suasunculas interimere & discutere. Nam numus ille sua virtute non largitur eleemosynam, sacramentum tamen nouae legis sua virtute instrumentaria confert gratiam, non quidem ex se & per se, sed vt à primaria virtute inflectitur ad operandum. Et quod de circuncisione ad baptismum collata, adfertur, iam discussum est. plus velim attribuas efficaciae sacramentis nouae legis, quàm antiquae. Dic igitur si voles, nec vllis te velim pedicis intricare, quo velis contendere, & sequere opinionem, quae tibi grata videbitur, in sacramentis non solum esse diuinam virtutem assistentem, sed virtutem illis inhærentem. Est enim sacramentum & potissimum nouae legis, ex doctrina Augustini, libro secundo de doctrina Christiana, capite primo, inuisibilis gratiae visibilis forma.

Augustinus

CAPVT VIII.

Baptizandi sunt paruuli propter peccatum originale. ¶ Satis intelligo protrita ac communi penè omnium sententia, receptissimum esse paruulos vtero materno egressos, noxa originis ob prauaricationem & delictum primi parentis infectos esse, nec me diligenti studio debere vires mei ingenij explicare, vt assertionem illam redderem certissimam, nisi me insanus Pelagianorum, & huiusce inauditae haereseos error, quòd paruuli non contraxerunt peccatum originale, impelleret ad instruendam aciem aduersus fautores illius perditissimi dogmatis, qui suis nimium confidentes ingenijs, & non satis exactè sacrarum literarum sententias expendent, ac quid de hac re sacri Doctores sentiant, vehementer hallucinati sunt. Et vt pugnem acrius, firmissimo vtar Pauli munimento, planè monstrantis ad Romanos, omnes homines ratione seminali ac sexus commixtione propagatos scelere primi parentis contaminatos esse, nisi diuina praeseruentur gratia. Christum imprimis excludo, qui non descendit ab Adam per rationem feminalem, nec etiam purus est homo, sed deus & homo. Excludimus & virginem Mariam, quae fuit illaesa & immunis à peccato originali, diuina quidem gratia, à tali tabe & macula praeseruata, quamuis commixtione sexus propagata fuerit. Ita loquitur Paulus ad Romanos: Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Nec particularim loquitur, quòd vitium primi hominis quosdam vulnerauerit & labefactauerit, quosdam verò intactos reliquerit: sed apertè declarat hoc venenum in omnes illi vitio obnoxios, & non praeseruatos, serpsisse. Nec hic

Roma. 5.

I. j.

in Adam peccauit: ille verò non, sed omnes, qui mortem effugere non possunt ab illo scelere contractam. Et regnum huiusce mortis tam latè patet, vt attigerit, & suis telis confoderit eos, qui non deliquerunt proprio scelere: similitudo tamen prauaricationis Adæ ad illos peruenit. deliquerunt etiam peccato primi hominis. Nec peccatum illorum esset peccatum, nisi esset voluntarium: non quidem à proprio consensu, propriæque voluntate, sed illius consensu spontaneo & voluntate, qui naturam humanam inquinauit. Nec iustificantur paruuli gratia Christi, & fonte baptismatis, nisi prius ob delictum Adæ fuerint condemnati, & cælesti priuati gloria. Nec mitissima ac humanissima obeditione Christi constituti sunt iusti, nisi prius inobedientia Adæ constituti fuissent peccatores. Ad tuendam illam assertionem plurimum conferunt præclara Doctorum monumenta. Hieronymus libro tertio aduersus Pelagianos, dicit infantulos baptizari, vt eis peccata in baptismate dimittantur. Sed Critobulus in illo dialogo interrogat Atticum: Quid enim commeruere peccati? Quisquã ne soluitur non ligatus? Atti. Me interrogas? Respondebit tibi Euangelica tuba, Doctor gentium, vas aureum in toto orbe resplendens. Regnauit mors ab Adam vsque ad Moysem, etiam in eos, qui non peccauerunt in similitudinem prauaricationis Adam, qui est forma futuri. Quod si obieceris dici, esse aliquos qui non peccauerunt, intellige eos illud non peccasse peccatum, quod peccauit Adam, prauaricando in paradiso præceptum dei. Cæterum omnes homines, aut antiqui propagatoris Adam, aut suo nomine tenentur obnoxij. Qui paruulus est, parentis in baptismate vinculo soluitur. Qui eius ætatis est, quæ potest sapere, & alieno, & suo, Christi sanguine liberatur. beatus Cyprianus, Epistola ad Fidum presbyterum, qui censebat infantes intra secundum vel tertium diem, quo nati sunt, non debere baptizari, sed expectandum octauum diem, vti in circuncisione, apertè indicat paruulos recenter in lucem hominum emissos, ob noxam originalem omni hora posse baptizari, nullique hominum nato misericordiam dei, & gratiam denegandam. Nam cum dominus in Euangelio dicat, Filius hominis non venit animas hominum perdere, sed saluare: quantum in nobis est, si fieri potest, nulla anima perdenda est. Quid enim ei deest, qui semel in vtero dei manibus formatus est? Nobis enim atque oculis nostris secundum dierum secularium cursum accipere, qui nati sunt, incrementum videntur, cæterum quæcunque à deo fiunt, dei factoris maiestate & opere perfecta sunt. Esse denique apud omnes, siue infantes, siue maiores natu vnam diuini muneris æqualitatem, declarat nobis scripturæ diuinæ fides, cum Helisæus super infantem viduæ filium qui mortuus iacebat, ita se deum deprecans superstrauit: vt capiti caput, & faciei facies applicaretur, & superfusi Helisæi membra singulis paruuli membris, & pedes pedibus iungerentur. Quæ res si secundum natiuitatis nostræ & corporis qualitatem cogitetur, adulto & prouecto infans non posset æquari, nec coherere, & sufficere possent parua membra maioribus. Sed illic æqualitas diuina & spiritalis exprimitur, quod pares atque æquales sint omnes homines, quando à deo semel facti sunt, & possit ætatis nostræ incrementis corporum secundum sæculum, non secundum deum haberi discrimen, nisi & gratia ipsa, quæ & baptizatis datur pro ætate accipientium, vel minor, vel maior tribuitur, cum spiritus sanctus non de mensura, sed de pietate atque indulgentia paterna æqualis omnibus præbeat. Nam deus vt personam non accipit, sic nec ætatem, cum se omnibus ad cælestis gratiæ consequutionem æqualitate librata præbeat patrem. Porrò autem si etiam grauissimis delictoribus, & in deum multum antè peccantibus cum postea crediderint, remissio peccatorum datur, & à baptismate atque gratia nemo prohibetur, quanto magis prohiberi non debet infans, qui recès natus nihil peccauit, nisi quòd secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima natiuitate contraxit? Qui ad remissionem peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quòd illi remittuntur, non propria, sed aliena peccata. Et idcirco frater charif

Hieronymus

Roma. 5.

Cyprianus.

Luca 9.

4. Regū 4.

Coloss. 3.

sine hæc fuit in concilio nostra sententia, à baptismate atque à gratia dei (qui omnibus misericors & benignus & pius est) neminem per nos debere prohiberi. Quod cum circa vniuersos obseruandum sit atque retinendum, tum magis circa infantes ipsos & recens natos obseruandum putamus, qui hoc ipso de ope nostra, ac de diuina misericordia plus merentur, quòd in primo statim natiuitatis suæ ortu plorantes ac flentes, nil aliud faciunt, quàm deprecantur. Et Sermone de ablutione pedum amplè docet originalem maculam abluui baptismate. Hinc, inquit, egredientia quatuor Euangelij flumina, per vniuersum mundum secum regenerationis euehunt lauacrum, & de abdito ac secretissimo spiritus sancti munere huius gratiæ liquor emanat, sic lauans quos parentalis labes infecerat, vt nec actualis nec originalis macula, aliqua sui post ablutionem illam vestigia derelinquat. Præteritis lotis vita deinceps arbitrio est proprio deducenda, ita tamen vt actualibus aliquando recrudescens iam nõ imputentur originalia, nec propter illa damnationi obnoxius sit, cui semel illa sunt in baptismate indulta. In originalibus enim corruptio naturæ abijci & exterminari meruerat, sed quia non erat voluntas in culpa, prouidit deus generali damnationi remedium, & suæ sententiam iustitiæ temperauit, hæreditarium onus à sobole remouens, & misericorditer ablutione & vnctione medicinali, corruptionis primitiæ fermentum expurgans. Sed in eos qui post indulgentiæ huius gratiam, voluntarij per peccata euagati sunt, qui proprio abutuntur arbitrio & voluntate, non necessitate ducuntur, indignatio & ira non immeritò redit, nec in morte Christi aliquis eis superest questus, sed iustissimè eos beneficia contempta condemnant. Tum etiam Chrysostramus Christianè sentiens de baptismate infantium, dicit homilia vigesima quinta ad Neophytos: Hac de causa & iam infantulos baptizamus, vt non sint coinquinati peccato, vt eis addatur sanctitas, iustitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, vt eius membra sint omnes, vt spiritus habitatio fiat. Et homilia prima de Adam & Eua, dicit: Ideo prædicat Ecclesia catholica vbique diffusa, debere paruulos baptizari, propter originale peccatum, quia filios procreare ex præcepto dei venit: cupiditas verò, quæ facit filios procreare, ex pœna peccati venit. Ideoque ille clamabat sanctissimus, & bene clamabat: In iniquitatibus conceptus sum, quia sine cupiditate nullus hominum concipitur. Bona sunt ergo coniugia, & sancta, & à deo ordinata, vt crescant homines, & multiplicentur, & impleant terram. Sed quia ipsa conceptio sine carnis cupiditate non fit, ideo dixi de transgressionem peccati, venio in originale cupiditatis, vt baptismus paruulorum abluat omne originale peccatum. Accepta ergo gratia crescit cum hominibus compunctus, demonstrante gratia ex lumine sapientiæ efficitur homo castus, pugnat contra cupiditates carnis, pugnat contra transgressionem Adæ: quia spiritus concupiscit aduersus carnem, caro aduersus spiritum. Hæc enim inuicem aduersantur. Nec nobis aduersatur Augustinus, qui multis in locis, rem istam ad exquisitam limam examinatur, Epistola Dardano ita disserit: Ad templum dei pertinent paruuli sanctificati sacramento Christi, regenerati spiritu sancto, qui certè regenerati, per ætatem nondum possunt cognoscere deum. Et epistola Hylario contra Pelagianos & Manichæos, quæstione tertia de Baptismo originis, ita philosophatur: Quòd autem dicunt infantem morte præuentum, non baptizatum perire non posse, quoniam sine peccato nascitur: non hoc dicit Apostolus, & arbitror esse melius vt Apostolo potius, quàm istis credamus. Dicit enim ille Doctor gentium, in quo Christus loquebatur: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Et paulò post dicit: Nam iudiciū quidem ex vno delicto in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Proinde isti quem fortè inuenerint infantem, non ex illius vnus hominis concupiscentia procreatum, ipsum dicant illi damnationi non esse obnoxium, nec per Christi gratiam ab illa damnatione esse liberandum. Quid est

Chrysosto.

Psal. 50.

Gala. 5.

Augustinus

Roma. 5.

I. ij.

enim ex vno delicto in condemnationem, nisi illo delicto quo deliquit Adam? Et quid est ex multis delictis in iustificationem, nisi quia Christi gratia non solum illud delictum soluit, quo obstringuntur infantes, ex illo vno homine procreati: sed etiam multa delicta, quae cum creuerint homines, addunt malis moribus suis? Tamen & illud vnum, quo est obligata propago carnalis, quae ab illo primo homine originem ducit, sufficere dicit ad condemnationem. Ideo non est superfluum baptismus paruulorum, ut qui per generationem illi condemnationi obligati sunt, per regenerationem ab illa condemnatione liberentur. Et libro quarto de Baptismo contra Donatistas, capite vigesimotertio: Quod traditum tenet vniuersitas Ecclesiae cum paruuli infantes baptizantur, qui certe nondum possunt corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem, quod latro potuit: quinetiam flendo & vagiendo cum in eis mysterium celebratur, ipsis mysticis vocibus obstrepunt, & tamen nullus Christianorum dixerit eos inaniter baptizari. Et libro vno de Haeresibus, Ad quod vult deum, haeresi octuagesimaoctaua, damnat Pelagianos, quod negent paruulos secundum Adam carnaliter natos, contagium mortis antiquae prima natiuitate contrahere. Sic enim eos sine villo peccati originalis vinculo asserunt nasci, ut prorsus non sit quod eis oporteat secunda natiuitate dimitti, sed eos propterea baptizari, ut regeneratione adoptati admittantur ad regnum dei de bono in melius translati, non ista renouatione ab aliquo malo obligationis vereris absoluti. Nam etiam si non baptizentur, promittunt eis extra regnum quidem dei, sed tamen aeternam & beatam quandam vitam suam. Et libro vno Enchiridij ad Laurentium, capite quadragiesimotertio, assignans discrimen inter baptismum infantium, & senum, ita loquitur: A paruulo enim recens nato vsque ad decrepitem senem, sicut nullus prohibendus est a baptismo, ita nullus est, qui non peccato moriatur in baptismo, sed paruuli tantum originali, maiores autem etiam ijs omnibus moriuntur peccatis, quaecumque male viuendo addiderunt ad illud, quod nascendo traxerunt. Insuper libro vno de Ecclesiasticis dogmatibus, capite trigesimoquarto: Quicumque, inquit, paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod lauacro regenerationis expietur: vnde sit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur, anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum est, quod ait Apostolus: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt, nisi quemadmodum Ecclesia catholica vbique diffusa, semper intellexit. Propter hanc enim fidei regulam etiam paruuli, qui nihil peccatorum in seipsis adhuc committere potuerunt: ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt. Et libro decimo de Genesi ad literam, capite decimosexto, ostendit infantes indigere baptismi sacramento, sine quo non possunt hinc ad caelum emigrare: quod si sacramento mediatoris in hac vita expiati non fuerint, eis plurimum oberit post mortem. Damascenus etiam huic plaudit sententiae, libro quarto suae Theologiae, capite decimo, dicens: Peccatorum igitur remissio, omnibus aequae per baptismum donata est: gratia vero spiritus sancti, secundum proportionem fidei & puritatis.

CAPVT IX.

Baptismus figurabatur circuncisione, diluuiio, nube, & mari rubro.] Hanc in primis assertionem ex Augustino particulatim comprobabimus. Ostendit ille, libro sexto contra Iulianum Pelagianum, capite tertio, baptismum Christi fuisse circuncisione adumbratum. Quod sacramentum, inquit, circuncisionis, in figura praecesserit baptismatis, quis vel mediocriter sacris literis eruditus ignoret: cum apertissime de Christo dicat Apostolus: Qui est caput omnis principatus & potestatis, in quo etiam circuncisi estis cir-

cuncisione non manufacta, in expoliatione corporis carnis, sed in circuncisione Christi, consepulti ei in baptismo, in quo & consurrexistis per fidem operationis dei, qui suscitauit illum a mortuis. & vos cum esetis mortui in delictis & praepotio carnis vestrae, viuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta. Huius ergo circuncisionis non manufacta, quae nunc fit in Christo similitudo, praemissa est illa circuncisio manufacta, quae data est Abrahae. Non enim dici potest, praepotio corpus est: hoc autem quod trahitur in origine vitium, & illo quidem absciso vim eius tamen nequaquam tolli potuisse de femine: hoc vero vitium, quod non est corpus, sed accidens cum indulgentia sit remissum in femine non potuisse residere: hoc inquam a quouis callidissimo dici non potest, cum autoritate diuina superetur, quae ipsa pars corporis ob hoc iussa est amputari, ut hoc vitium purgaretur. Quod nisi esset in femine ad paruulos, quibus circuncisione illa corporis auferendum est, nullatenus perueniret. Neque si numine peruenisset, indigeret nullatenus hac corporis circuncisione semoueri. Cum autem paruulus prorsus nullum habeat omnino peccatum, restat ut nullum eidem aliud auferatur, nisi originale illo remedio, sine quo perit anima eius de populo suo, quod sub iusto deo non fieret, nisi esset culpa qua fieret. Quae quoniam propria nulla est, restat ut sola originis vitia sit culpa. Quod autem figuratus sit baptismus diluuiio, indicat libro duodecimo contra Faustum Manichaeum, capite decimoquarto, vbi dicit: Noe cum suis, per aquam & lignum liberatur, sicut familia Christi per baptismum, crucis passione signatur. Vltimae assertionis particula, ab eodem capite vigesimo nono eiusdem operis, ex Pauli doctrina approbantur. Nolo, inquit Paulus, vos ignorare fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes per mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari, & omnes eandem escam spiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt. Bibebant enim de spiritali, consequente eos petra: petra autem erat Christus. Beatus Chrysostomus huic ad blandiendum assertioni, quantum ad typum baptismi ex diluuiio, ita scribit, Sermo ne in illud dictum Pauli: Nolo vos ignorare, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes per mare transierunt. Transitus ille, futuri baptismi typus erat. oportebat igitur primum figuram illam bene omnia figurare, quod omnes ipsam tenerent, sicut & hic omnes ex aequo participes sunt: & quomodo ipse ait illud figuram praesentium? Si didiceris primum quid sit figura, & quid veritas, tunc & huius tibi rationes reddemus. Quid igitur est umbra, & quid veritas? age, similitudinem ab imaginibus sumamus, quas pictores pingunt. Vidisti saepe imaginem regiam veneto colore coloratam, deinde pictorem circumducere candidas lineas, & facere regem, & seruum regium, & equos circumstantes, & lancearios, & vinctos hostes, & subditos: & cum haec vides delineata & adumbrata, neque scis totum, neque ignores totum, sed quod homo pingitur & equus, obscure cognoscis: qualis autem sit rex, & qualis hostis, non valde perspicue cognoscis, donec colorum veritas adueniens, certiores reddat visum. Sicut igitur in hac imagine non exigitur ante veritatem, colorem, sed & si obscuram quandam accipias cognitionem eorum, quae fiunt, satis tamen picturam absolutam putas. Sic & de veteri & nouo senti, ut non omnem veritatis diligentiam in typo exquiras. Et poterimus te docere quomodo vetus ad nouum testamentum habeat cognitionem, & ille transitus ad nostrum baptismum. Nam ibi aqua & hic aqua, lauacrum hic, & ibi pelagus. Omnes hic in aquam ingrediuntur, & ibi omnes: iuxta hoc similitudo est. Postea vis cognoscere colorum veritatem: ibi quidem liberati sunt ex Aegypto per mare, hic autem ab idololatria. Et ibi quidem Pharaon submersus est, hic autem diabolus: ibi Aegyptij submersi, hic autem vetus homo peccatis defoditur. Et vide cognitionem figuram ad veritatem & veritatis excellentiam. Neque enim omnino alienum oportet esse typum a veritate, alioqui non esset typus: neque omnino adaequari veritati, quia alioqui & veritas ipsa foret: sed oportet manere in suo modo, & neque comprehendere omnem veritatem.

Gene. 7.

1. Corin. 10.

Chrysosto.

Roma. 5.

Damascen.

Augustinus.

Coloss. 2.

Iiij.

neque omni veritate destitui. Nam si totum contingat, iterum ipsa est veritas: si autem à toto destituatur, & nulla sit similitudo, consequenter non poterit esse figura. Sed oportet vt partem quidem teneat, partem autem veritatis referuet. Igitur ne in veteri totum à me requiras, etiam si parua quædam & obscura accipis ænigmata, boni hoc consulas. Vbi igitur est affinitas figuræ ad veritatem? omnes ibi, & hic omnes: per aquam sunt ibi, & hic per aquam: à seruitute liberati sunt illi, & nos à seruitute liberati sumus: sed non ab eadem omnes. Nam illi quidem à seruitute Aegyptiorum, nos verò à seruitute dæmonum: illi quidem à seruitute Barbarorum, nos verò à seruitute peccati. Ad libertatem venerunt illi, & nos: sed non ad eandem. Nam nos ad multo clariorem. Quod si maiora sunt nostra, & illis excellentiora, ne mouearis: hoc enim à veritate est, quod sit aliqua excellentia, sed non pugna vel diuersitas cum figura. Quid autem est, omnes in Mosem baptizati sunt? & fortè manifestum est, quod dicit: tentabimus tamen id notius reddere. Mare ante oculos tunc effusum erat, & præceptum illis vt transirent per aridam & admirabilem quandam viam, quam nullus hominum vnquam transuerat. Cum credidissent Mosis, ipsum habentes ducem itineris, fidenter aquas transferunt: hoc & in Christo effectum est. Nam vbi nos eduxit ab errore, & liberauit ab idololatria, ad regnum inducens, ipse primus hanc viam ire cœpit, quoniam primus in cælos ascēdit. Sicut igitur illi Mosis credidere, & iter audacter susceperunt, sic & nos in Christo confidimus, & audacter hanc peregrinationem perficimus. Et hoc quod in Mose baptizati sumus, manifestum ex historia est. Non enim in nomine Mosis baptizati sunt. Cum autem nos, non solum sortiti sumus ducem Iesum, sed in nomine eius baptizati sumus: & illi in nomine Mosis non sunt baptizati. Ne etiam hic turberis: dixi enim quod oportet veritatem habere excellentiam quandam supra figuram. Adde quod Damascenus dinumeras octo baptismata, libro quarto suæ Theologiae, capite decimo, sentit cum illis sacris Doctores, vbi dicit: Primum baptismum fuit diluuij in abscissionem peccati. Secundum quod per mare & nubem. Signum enim erat nubes, spiritus: mare verò præferebat aquam. Tertium, quod legale: omnis enim immundus abluebatur aqua, lauabat vestimenta, & sic ingrediebatur castra. Quartum Ioannis introductorium existens, & ad poenitentiam adducens baptizatos, vt in Christum credat. Ego enim (inquit) vos baptizo in aqua, qui autem post me veniet, ipse vos in spiritu sancto & igni baptizabit. Præpurificabat igitur Ioannes per aquam ad spiritum. Quintum, quod est domini baptismum, quo & ipse baptizatus est. Baptizatur autem, non quod ipse egeret purificationem, sed nostram sibi approprians purificationem, vt contereret capita draconum in aqua, vt dilueret peccatum, & omnem veterem Adam sepeliret. In aqua, vt sanctificaret baptismum, & impleret legem, vt trinitatis reuelaret mysterium, vt forma & exemplum nobis ad baptizandum fieret. Baptizamur enim & nos perfectio Christi baptismate, quod est per aquam & spiritum. Igne autem dicitur baptizare Christus. nam in specie ignearum linguarum super sanctos apostolos spiritus sancti gratiam effudit, vt inquit ipse dominus: Quoniam Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini in spiritu sancto & igni, non post multos hos dies: aut propter futuri ignis punitorium baptismum. Sextum, quod per poenitentiam & lachrymas verè laboriosum. Septimum, quod per martyrium & sanguinem, quo & ipse pro nobis Christus baptizatus est, valde venerandum & beatum, quatenus succedentibus non coinquinatur fordibus. Octauum, quod & vltimum, non salutare, sed malitiæ exitiosum (nam non amplius prauitas & peccatum dominantur) punit enim sine fine. Tum etiam Clichoueus in additionibus ad Cyrilli commentarios in Ioannem, ad locum illum: Hæc cum dixisset, expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius, & dixit ei: vade laua in Natatoria Siloe: quod interpretatur missus. abijt ergo & lauit. Eruditè declarat & venustè baptismi sacramentum multis antè figuris fuisse præfiguratum & prænuntiatum, atque in Euangelica lege

cum multa virtute exhibitum. Aquis, inquit, diluuij, totius mundi expiata sunt peccata: & qui in arca reconditi erant, per aquam salui facti sunt. Id baptismi typum gessit, per quem sordes omnes peccatorum deponuntur, & vitæ vetustas tollitur. Audi Petrum apostolum huius rei grauissimū testem: In diebus (inquit) Noe, cum fabricaretur arca, in qua pauci, id est, octo animæ saluæ factæ sunt per aquam, quod & nos nunc similibus formæ saluos facit baptismum: non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonæ interrogatio in deum. Insuper populus Israel duce Mose, mare rubrum sicco pedepertransijt, submersis ibidem Aegyptijs, quod per baptismi suspensionem, totam diabolicæ prauitatis cohortem, à nobis dimoueri, & expelli in sinuat, nosque in Christo regeneratos à durissima eius tyrannide, dei gratia liberari. Testem huius mysterij accipe diuino loquum Paulum ad Corinthios scribentem: Nolo vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Mose baptizati sunt in nube, & in mari. Quid præterea populus Israeliticus, Iosue ductu, Iordane traiecto, vbi etiam aquæ hinc atque hinc immotæ confiterant, & medium præbuerant iter, in terram promissionis perducti, significant: nisi Christo authore quicumque baptizati sacramentum ritè susceperint, in terram viuentium tandem peruenturos? Quid Naaman Syrus septies in Iordane ablutus, & à lepra mundatus nobis innuit, nisi baptismum Christi lotos, ab omni prorsus animæ lepra, peccatoque purgari? Quid denique aqua expiationis & lustrationis secundum veteris legis ritum tollens immunditiam ex contactu morticinorum contractam denotat: nisi aquam baptismi, omnem penitus animi impuritatem abstergere? Hanc planè aquam dominus per Ezechielem pollicitus est, dicens: Et effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab vniuersis idolis vestris mundabo vos. Hanc quoque baptismi aquam vidit propheta, cum ait: Vidi aquam egredientem de templo à latere dextro, & omnes ad quos peruenit aqua ista, salui facti sunt. Denique hanc effudit latus Christi, lancea militis in cruce transfixum, in remissionem peccatorum, qua sanctificata est Ecclesia, à maculisque suis emundata. Postremum hanc baptismi gratiam præsignauit probatica piscina, in quam post aquæ ab angelo motionem descendens, quacunque tenebatur ægritudine languidus, illico sanabatur. Volens enim deus homines propinquius adducere ad baptismi donum, per hanc piscinam, quam per aquam lustrationis, non adhuc inquinamēta solum mundat, sed & corporis lāguores tollit, & ægritudines sanat, quo designetur baptismus, omnem animi morbum depellere, & peccata detergere. Sicut enim ministri, qui prope regem sunt, ijs qui sunt à longe clariores sunt, ita & in figuris sit: vt quæ propinquior est veritati, eam clarius & manifestius exprimat atque referat. Non autem simpliciter sanabat aquarum natura (semper enim hoc fieret) sed in angeli descensione. Sic & in baptizatis non simpliciter aqua operatur, sed cum spiritu sancti acceperit gratiam, tunc omnia soluit peccata. Angelus enim descendens, turbabat aquam, & sanatiuam imponebat virtutem, vt discant Iudæi, quoniam multo magis angelorum dominus, omnes ægritudines animæ per baptismum sanare potest. Præterea beatus Ambrosius, libro primo de Sacramētis, capite sexto, dicit typum baptismatis, præfiguratum fuisse per transitum rubri maris, & hoc probat ex citato Pauli testimonio. Et in eodē cap. testatur figuram baptismatis in diluuiopræcessisse. Et capite 1. libri 2. etiam de Sacramētis, exprimens diluuij signū, dicit: Nonne hoc est diluuium, quod est baptismum, quo peccata omnia diluuntur, sola iusti mens & gratia resuscitantur? Multa sunt genera baptismatum, sed vnum baptismum clamat Apostolus. Quare? Sunt baptismata gentium, sed non sunt baptismata, lauacra sunt, baptismata esse non possunt: caro lauatur, non culpa diluitur, immò in illo lauacro contrahitur. Erant autem baptismata Iudæorum, alia superflua, alia in figura. Et figura ipsa nobis proficit, quia veritatis est nuntia. Recenset & 3. cap. eiusdem libri 4. baptismatum genera, quibus verus baptismus præfiguratus est. Astipulatur & no-

Cyprianus. *stræ assertioni Cyprianus Epistola Magno filio, vbi probat ex eodem Pauli testimonio, mare fuisse sacramentum baptismi.*

CAPVT X.

Augustinus

Baptismi sacramentum simpliciter non est necessarium ad salutem, neque cordis conuersio. Vtrique huiusce assertionis parti, arripet Augustinus, libro quarto de Baptismo contra Donatistas, capite vigesimo quinto, vbi ita philosophatur: Quibus rebus omnibus ostenditur, aliud esse sacramentum baptismi, aliud conuersionem cordis, sed salutem hominis ex utroque compleri: nec si vnum horum defuerit, ideo putare debemus consequens esse, vt & alterum desit: quia & illud sine isto potest esse in infante, & hoc sine illo potuit esse in latrone, complente deo, siue in isto, quod non ex voluntate defuisset. Cum verò ex voluntate alterum horum defuerit, reatu hominem inuolui, & baptismus quidem potest inesse, vbi conuersio cordis defuerit. Conuersio autem cordis, potest quidem inesse, non percepto baptismi, sed contempto baptismi non potest. Neque enim vilo modo dicenda est conuersio cordis ad deum, cum dei sacramentum contemnitur. Iustè igitur reprehendimus, anathematizamus, detestamur, abominamur peruersitatis cordis hæreticorum, sacramentum tamen Evangelicum non ideo non habent: quia per quod vtile est, non habent. Prospicis clarè ex Augustino, quempiam posse æternam consequi salutem, absque baptismi sacramento, vt bonum latronem, qui sincero ad Christum affectu conuersus, cælesti gloria potitus est. Etiam si Cornelius, cuius acceptæ sunt elemosynæ, & exauditæ orationes, non fuisset tinctus fonte baptismatis, non addubito quin cum spiritu sancto quem receperat, hinc ad cælum demigrasset. Paruulus etiam recenter natus & baptizatus, absque cordis conuersione potest ad cælestem prouehi gloriam. Est tamen baptismi sacramentum secundum quid necessarium ad salutem: sic quòd non debet contemni. quòd si superbo fastu, & tumida arrogantia despiciatur, is qui illud contemnet, diuino lumine priuabitur. Nam vt dictum est, alterum istorum est ad salutem necessarium, aut baptismus, aut cordis conuersio. Nec vera est cordis conuersio, vt dictum est, cum dei sacramentum contemnitur. quare qui contemnit dei sacramentum, priuatur utroque, & vera cordis conuersione, & sacramenti perceptione: idcirco indignus est vt saluetur. Beatus Ambrosius à nobis minimè dissentiens, ostendit in oratione funebri de obitu Valentiniani imperatoris, votum baptismi suscipiendi, sufficere ad salutem consequendam, vbi sic loquitur de prompto illius imperatoris animo ad recipiendum baptismi sacramentum: Sed audiui vos dolere, quòd non acceperit sacramenta baptismatis. Dicite mihi quid aliud in nobis est, nisi voluntas, nisi petitio? Atqui etiam dudum hoc votum habuit, vt antequam in Italiam venisset, initiaretur, & proximè baptizari se à me velle significauit. Et ideo præ cæteris causis me accipiendum putauit. Non habet ergo gratiam, quam desiderauit? Non habet quam poposcit? Et quia poposcit, accepit. Et vbi illud est: Iustus autem quacunque morte præuentus fuerit, in refrigerio erit. Solue igitur pater sancte munus seruo tuo, quod Moyses dum in spiritu vidit, accepit: quod Dauid, quia ex reuelatione cognouit, emeruit. Solue inquam seruo tuo Valentiniano munus quod concupiuit: munus quod poposcit sanus, robustus, incolumis. ¶ At dicet aliquis: Dicit dominus in Euangelio Ioannis: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum dei. videtur igitur baptismus simpliciter ad salutem necessarius. Communis ad hanc diluendam obiectionem solutio hæc est: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, scilicet baptismi Christi, vel eo quod gerit vices baptismi, non potest ingredi regnum dei: modo baptismus fluminis siue penitentiae, cum quodam spontaneo proposito suscipiendi baptismi sacramentum, si temporis opportunitas detur, similiter baptismus sanguinis, quo

Lucæ 23.
Acto. 10.

Ambrosius.

Sapient. 4.

Ioan. 3.

quis confitendo nomen Christi in acerrimis tormentis intingitur, subit vices baptismi: quod suadeo ex Augustino libro quarto, de baptismo contra Donatistas, capite vigesimo secundo, vbi dicit, baptismi sanè vicem aliquando implere passionem, de latrone illo cui non baptizato dictum est: Hodie mecum eris in paradiso. non leue documentum idem beatus Cyprianus assumit, quod etiam atque etiam considerans, inuenio non tantum passionem pro nomine Christi id quod ex baptismo deerat posse supplere, sed etiam fidem conuersionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustijs temporum succurri nõ potest. Neque enim latro ille pro nomine Christi crucifixus est, sed pro meritis facinorũ suorum: nec quia credidit passus est, sed dum patitur, credidit. Quærum itaque valeat etiam sine visibili sacramento baptismi, quod ait apostolus: Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem: in illo latrone declaratum est: sed tunc impletur inuisibiliter, cum mysterium baptismi, non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit. Nã multo magis in Cornelio & in amicis eius, quàm in latrone posset videri superfluum, vt aqua etiam tingeretur, in quibus iam donum spiritus sancti, quod non nisi baptizatos alios accepisse sancta scriptura testatur, certo quoque indicio quod illis temporibus congruebat, cum linguis loquerentur, enumerat. Baptizati sunt tamè, & in hoc facto apostolica extat autoritas: vsq; adeo nemo debet in quolibet prouectu interioris hominis, si forte ante baptismũ vsque ad spiritale intellectũ pio corde profecerit, contemnere sacramentum, quod ministrorum opere corporaliter adhibetur: sed per hoc deus hominis consecrationẽ spiritualiter operatur. Et capite 21. eiusdem libri ostendit, ne baptizatus quicquã sibi arroget in sacramenti sanctitate, plerosque catechumenos esse baptizatis præferendos, vbi dicit: Nec ego dubito catechumenum catholicum diuina charitate flagrantem, hæretico baptizato antepone, sed etiam in ipsa intus catholica bonum catechumenũ malo baptizato anteponimus: nec ideo tamè sacramento baptismatis quo iste nõdum, ille iam imbutus est, facimus iniuriã, aut catechumenum sacramento baptismi præferendum putamus, cum aliquem catechumenum aliquo baptizato fideliorẽ meliorẽque cognoscimus. Melior enim Centurio Cornelius nondum baptizatus, Simone baptizato. Iste enim & ante baptismum sancto spiritu repletus est, ille & post baptismum immũdo spiritu inflatus est. Verũtamen Cornelius si etiam spiritu sancto iam accepto baptizari noluisse, contempti tanti sacramenti reus fieret: cum autem baptizatus est, non utique melius sacramentum quàm Simon accepit, sed diuersa hominũ merita sub eiusdem sacramenti pari sanctitate distincta sunt: ita non auget aut minuit baptismatis sanctitatem, vel bonũ vel malum hominis meritũ. Et libro 13. de Ciuitate dei, capite 7. ostendit baptismi sanguinis eum purgari ab omnibus peccatis suis, qui tamen non est baptizatus baptismi fluminis, vbi loquitur in hũc modum: Quicumque etiã non percepto regenerationis lauacro pro Christi confessione moriuntur: tãtum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si ablueretur sacro fonte baptismatis. Qui enim dixit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto non intrabit in regnũ cælorum: alia sententia istos fecit exceptos, vbi non minus generaliter dixit: Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cælis est. Et alio loco: Qui perdidit animã suã propter me, inueniet eã. Hinc est quod scriptum est: Pretiosã in conspectu domini mors sanctorum eius. Quid enim pretiosius quàm mors, per quam fit vt etiã delicta omnia dimittantur, & merita cumulatiã augeantur? Neque enim tanti sunt meriti, qui cum mortem differre non possent, baptizari sunt, deletisque omnibus peccatis ex hac vita emigrarunt: quãti sunt hi qui mortem differre cum possent, ideo non distulerunt, quia maluerunt Christũ confitendo, finire hanc vitam, quàm eum negãdo, ad eius baptismũ peruenire. Quod utique si fecissent, etiam hoc eis in illo lauacro dimitteretur, quòd timore mortis negauerant Christum, in quo lauacro etiã illis facinus tam immane dimissum est, qui

Roma. 10.

Act. 10. & 8

Matth. 10.

Psal. 115.

occiderant Christum. Idem sentit Epistola Seleuciana, ubi dicit: Quoscumque legimus in corpore Christi (quod est Ecclesia) pertinere ad regnum caelorum, non nisi baptizatos intelligere debemus, nisi forte quos angustia passionis inuenerit, & nolentes negare Christum, antequam baptizarentur, occisi sunt, quibus ipsa passio pro baptismo deputata est. Et libro vno de Ecclesiasticis dogmatibus, capite 74. dicit: Nullum catechumenum quamvis in bonis operibus defunctum, vitam aeternam habere credimus, excepto martyrio, ubi tota baptismi sacramenta complentur. Baptizandus confitetur fidem suam coram sacerdote, & interrogatus respondet, hoc & martyr coram persecutore facit, qui & confitetur fidem suam, & interrogatus respondet. Ille post confessionem vel aspergitur aqua vel intingitur, & hic vel aspergitur sanguine, vel contingitur igne: ille manus impositione pontificis accipit spiritum sanctum, hic habitaculum efficitur spiritus sancti: dum non est ipse qui loquitur, sed spiritus patris qui loquitur in illo: ille communicat Eucharistiam in commemoratione mortis domini, hic ipsi Christo commoritur: ille confitetur se mundi actibus renuntiaturum, hic ipsi renuntiat vitae: illi peccata omnia dimittuntur, in isto extinguuntur. Nec euariat ab Augustino Cyprianus, Sermone de stella & magis, & innocetium nece, ubi differens de innocentibus ab Herode enecatit ait: Hi nuper cruore lacteo loti, primitias baptismi martyrio consecrarent, tradentes posteris formam, ubi necessitatis articulus exclusit moram, non minus ad lauacrum animae sanguinem efficacem, quam sanctificatas verbis solennibus aquas, maxime cum nec sanguis hoc elemento careat, sed aquarum motu per torum corporis alveum fluat. Spiritus vero sanctus & aquis & sanguini superfertur, qui subiectos sibi fouet & abluit: quo baptizante idem occisio quod merito operatur, qua extinctam peccati vitam, virtutemque mortuam vtriusque rei continet sacramentum. Ipse enim est qui vel hoc vel alio modo (quicumque est ille modus) baptizat, & ad idem referatur quod pura fide agitur per Christum dominum nostrum.

CAPVT XI.

Baptismus Christi ante eius passionem, neminem ad sui susceptionem obstringebat. Hanc suadeo Assertionem, Circuncisio antequam Christus pro nobis sufferret mortem, suam adhuc habebat virtutem, cui successit baptismus post passionem & resurrectionem Christi, quantum ad necessitatem utendi hoc sacramento. Non enim peccabant etiam aperto Christi baptismo, qui ante crucem Christi, veterem obseruantes legem, circuncidebantur. Etenim figuratiua sacramenta, ante passionem Christi nondum erant antiquata & termini nata, sed fuerunt abolita post passionem. At dices, Christus ante suam passionem dixit Nicodemo: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest intrare in regnum dei. Videtur igitur Christus ante suam passionem, suum praecipisse baptismum. Dilutio huiusce rationis: Haec Christi verba non tam praesens tempus quam futurum praesignificabant: volebat enim innuere, neminem post suam passionem, posse ingredi regnum dei, nisi renatus fuisset ex aqua & spiritu sancto. Huic plaudit Assertioni beatus Thomas 3. parte suae summae, quaestione 66. articulo 2. Iterum dices: Baptismus Christi ante eius passionem erat institutus, & habebat eam virtutem abluendi scelera & sanctificandi, quam habebat & post passionem: videtur igitur baptismus ille habuisse vim obligandi ante Christi passionem. Dico baptismum illum fuisse institutum quantum ad materiam. Nam aquis conferebat vim sanctificandi & regenerandi, & aliquo modo forma fuit figurata per praesentiam trium personarum in signo visibili, quia pater apparuit in voce, filius in carne, spiritus sanctus in columba, & similiter fructus baptismi ibi praefiguratus fuit, quia caeli aperti sunt super eum: sed eius necessitas fuit declarata Ioannis 3. ubi dictum est a Christo: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto &c. Sed versus fuit inchoatus quando misit discipulos ad praedicandum & baptizandum, ut ex Evangelio Matthaei innotescit, quibus dedit potestatem spirituum immundorum, ut eij-

cerent eos, & curaret omnem languorem, & omnem infirmitatem: sed baptismus ille vim habuit efficacissimam ex passione Christi, quantum ad vltimum effectum, qui est apertio ianuae caelestis: sed eius diuulgatio in omnes nationes fuit praecipua a Christo, cum dixit: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes in nomine patris, & filij & spiritus sancti. Sed ante passionem Christi non fuit illud baptismi institutum ad obligandum, sed ad exercitandum: sed post passionem fuit obligatorium, quando circuncisio fuit mortua, quantum ad omnes, ad quos institutio potuit peruenire. Quod si baptismus Christi vim habuisset obligandi, ante eius passionem, oporteret fieri quidpiam absurdum, videlicet quod effectus praecessisset suam causam. Nam causa huius baptismi, in ratione obstringendi, est passio Christi. Dicit enim Paulus: An ignoratis fratres, quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Cosepulti enim sumus cum illo per baptismum in morte, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitae ambulemus. Rursus certabis, Si baptismus Christi ante eius mortem auferebat peccatum originale, & conferebat gratiam (Nam discipuli Christi baptizabant, ut notum euadit ex Evangelio Ioannis) Circuncisio igitur ad eundem morbum auferendum instituta, non erat necessaria ante mortem Christi, quod videtur falsum, quia nondum Iudaeorum cerimoniae erant sepultae. Sunt qui dicunt circuncisionem antequam Christus adigeretur cruci, fuisse necessariam, tamen si baptismus a Christo institutus largiretur gratiam & adimeret peccatum originale, eo quod durauit circuncisio vsque ad Christi passionem. Verum horum placita displicent Scoto, doctori equidem subtilissimo, qui in 4. sententiarum, distinctione 3. quaestione 4. cetero oppositum. Si enim baptismus tunc temporis auferebat peccatum originale & conferebat gratiam, circuncisio ad depellendum eundem morbum non erat remedium necessarium, suam tamen retinebat virtutem, quamvis non obligaret: quod si obligasset, qui octauo die non circuncidisset puerum, sed baptizasset, non fuisset immunis a peccato. Nec puer ille baptizatus consequutus fuisset salutem, si post ascensionem Christi decessisset a vita, quod non est dicendum. Et licet cerimoniae Iudaeorum & antiquae legis, ante passionem Christi non fuissent instituto baptismi antiquatae, tamen non erant necessariae ad salutem consequendam. Nec ita inficias circuncisionem tunc temporis fuisse licitam, non tamen erat necessaria. Alterum illorum sub conditione obligabat, sed neutrum, tenebatur homo ante passionem Christi oborto baptismate, circuncidi vel baptizari. Sed nec circuncisio obligabat, nec baptismus. Medicamentum enim praesentissimum & efficacissimum aduersum noxam originis, erat a baptismi instituto, qui tunc consuebatur. Nam perfectius remedium erat ex baptismi, quam ex circuncisione, & relaxabat praecipuum prioris remedij. Et virtus illa circuncisionis non eodem tenebat, ut Iudaeum obligaret, quamvis ante institutionem baptismi obstrinxerit, sed detergebat peccatum originale. Nec debuit repente extinguere & repellere circuncisio, sed debuit synagoga cum honore sepeliri. Nec etiam debuit praecipitanter promulgari Euangelica sanctio, sed paulatim asciscendi erant homines & alliacendi ad consilia Euangelica, ut tandem firmioribus & exercitatoribus fierent praecipua. Nec potuisset quispiam citra vitium, continere diuina illa consilia. qui enim diuina despicit consilia, deum subinde contemnit. Beatus Augustinus 2. Parte quaestionum ex nouo testamento, quaestione 22. aperte subindicat circuncisionem habuisse auctoritatem vsque ad Christum, ubi dicit circuncisionem vsque ad Christum indultam esse, Abraham autem circuncisionem in Christo promissa accepit, ut tandiu circuncisio curreret, quamdiu Christus nasceretur promissus Abraham, qui omnes gentes iustificaret per fidem, sicut fuerat iustificatus Abraham, ideo debuit circuncidi, ut ipse probaretur esse qui promissus Abraham esset: ita ut de cetero circuncisio cessaret impleta promissione. Baptismus autem non debuit cessare, quia forma renascibilitatis est a Christo cepta, non prius data, & vsque ad Christum consummata: sed a tempore Christi incipiens, & cur-

Matth. 10.

Cyprianus.

Ioan. 3.

Mat. 28.

Roma. 6.

Ioan. 4.

Scotus.

Augustinus.

sum suum tenens vsque ad consummationem mundi. Agnoscito ex hac Augustini sententia circumcissionem, introducto Christi baptismo, nullum obligasse ad sui susceptionem.

CAPVT XII.

Hieronymus

Act. 8.

Esaia 53.

Rabanus

Baptizare licet laicis si necessitas cogat.] Hanc suffulciam ex sacris doctoribus assertionē. Differens Hieronymus aduersus Luciferianos de ijs qui sua dignitate & autoritate sanctissimum baptismi sacramentū administrāt, ita loquitur: Ecclesiae salus in summi sacerdotis dignitate pēdet, cui si non exors quaedam & ab omnibus eminēs detur potestas, tot in ecclesijs efficiētur schismata, quot sacerdotes: inde venit vt sine chrisinate & Episcopi iussione, neque presbyter, neque diaconus ius habeant baptizandi: quod frequenter, si tamen necessitas cogit, scimus etiam licere laicis. Vt enim accipit quis, ita & dare potest, nisi forte Eunuchus à Philippo diacono baptizatus, sine spiritu factō fuisse credendus est, cuius meminit Lucas in Actis apostolicis, dicens: Et ecce, vir Aethiops Eunuchus, potens Candaces reginae Aethiopum, qui erat super omnes gazas eius, venerat adorare in Hierusalem, & reuertebatur sedēs super currum suū, legēnsque Esaia prophetam. Dixit autem spiritus Philippo, accede & adiuge te ad currum istum. Accurrens autem Philippus, audiuit eum legentem Esaia prophetam: & dixit, putas ne intelligis quae legis? Qui ait, & quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? Rogauitque Philippum vt ascenderet, & sederet secum. Lucas autem scripturam quam legebat, erat hic: Tanquam ouis ad occisionem ductus est: & sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum: in humilitate iudicium eius sublatum est. Generationem eius quis enarrabit? quoniam tolleitur de terra vita eius. Respondens autem Eunuchus Philippo, dixit: Obsecro te, de quo propheta dicit hoc de se, an de alio aliquo? Aperiens autē Philippus os suū, & incipiens à scriptura ista, euāgelizauit illi Iesum. Et dum irent per viam, venerūt ad quandam aquam: & ait Eunuchus, ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus, si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait: Credo filium dei esse Iesum Christum. Et iussit stare currum: & descenderunt vterque in aquam Philippus & Eunuchus, & baptizauit eum. Cum autem ascenderent de aqua, spiritus domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum Eunuchus. Diuersam videtur legere sententiam Hieronymus in fine huiusce lectionis. Dicit enim, & cum ascenderent ab aqua, spiritus sanctus venit in Eunuchum. Idem sentire videtur Rabanus in Glossa ordinaria, vbi ita loquitur ad hunc Lucae locum: Vel spiritus irruit in Eunuchū fortiter, sicut in apostolos venit, quanto fides fortior, tanto spiritalis imperus maior. Ex hoc quod spiritus irruit in Eunuchum, dicitur Philippum apostolū fuisse, à quo tamen nec manus impositione, nec inuocatione spiritus sancti missio nem legimus factam. Vnde apparet in primitias gentium non manus impositione nec inuocatione, sed sponte spiritū sanctum descēdisse, vt apostoli excusationē haberent cōtra Iudaeos accusantes eos, quia gētes baptizabāt. Quis enim posset prohibere spiritū domini? aut quis arceret ab aqua? in quos spiritus descēderat: in Graecis tamen codicibus aut Latinis, non legitur quod spiritus irruerit in Eunuchum. Nec plane docet Hieronymus si nam Eunuchus ille à Philippo diacono baptizatus, sub id tēporis habuerit spiritum sanctū, aut subito post baptismum receperit, sed more hāsītātis aut disputantis loquitur: verum cum ille Eunuchus toto corde ac integro animi affectu, vt scriptura indicat, crediderit, existimo illū nulla simulatione, nec ficto animo properantem ad Christi baptismum, recepisse gratiam spiritus sancti, tamen si sub id temporis signo visibili non receperit. Non enim Philippus erat Episcopus, ideo manus impositione non conferebat spiritū sanctum. Sed putat Hieronymus id magis pertinere ad honorem sacerdotij & Episcopi, quā ad legis necessitatem. Alioqui si ad Episcopi tantum imprecationem spiritus sanctus defluit, lugendi sunt, qui in viculis, aut in castellis, aut in remotioribus locis per

presbyteros & diaconos baptizati antē dormierūt, quā ab Episcopis inuiserentur. Sed obserua velim & diligentissime Ecclesiasticas functiones: nec te huius vel illius hominis ventus huc vel illuc rapiat. ¶ Quod si obijciendum illud putes, quod aliqui sunt vere baptizati baptismo Christi, qui tamen sub id temporis non receperunt spiritum sanctum. Cum audissent apostoli qui erāt Hierosolymis, quod receperisset Samaria verbum dei: miserunt ad eos Petrum & Ioannem. Qui cum venissent, orauerunt pro ipsis, vt acciperent spiritum sanctum. Nōdum enim in quēquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos: & accipiebāt spiritum sanctum. ¶ Nec militat hęc ratio. Non enim illi baptizati nudabantur gratia spiritus sancti, qui eorum praeordia & mentes inuisibiliter pulsauerat, licet ad illos non venisset signo visibili. Ad hunc locum commentandum dicit Lyranus: Philippus tantum erat diaconus, ideo licet baptizare posset, non tamen manus imponere, nec ex consequenti donū spiritus sancti in signo visibili dare. Hoc enim pertinebat ad apostolos. Vnde soli apostoli qui illis successerunt, manus imponunt. Idcirco Philippus significauit apostolis, vt aliqui eorum venirent in Samariam, & supplerent illud, quod ad eius officium nō spectabat. Et cum dicitur quod baptizati tantum erant in nomine domini Iesu, non putes excludi alias personas, quod solū credidissent in Christum & nō in patrem & spiritum sanctum, sed baptizati tantū erant, sed non receperant spiritum impositione manuum. Sed vnum est quod me acerbe torquet. Rabanus (vt paulo ante diximus) fatetur Philippum dictū fuisse apostolum: & eius ratio aliquantula assignata est, & tamen sentiens cum Lyrano dicit ad hunc locum enarrandū, Philippum non fuisse apostolum, alioqui manus potuisset imponere. Nisi prætendat illum fuisse apostolum, quia (vt dicit historia) missus est ab angelo contra meridianum ad viā quae descendit ab Hierusalē in Gazan, vt illic disseminaret Euāgelium Christi, & πρὸς ὁδὸς enim græce, dicitur Latine missus, licet non functus fuerit munere apostolorum, sacerdotum, & episcoporum, vt imponeret insigni quodam munere manus super baptizatos. Hęc coniectamus & diuinamus, nihil tamē asserimus. Assentitur & nostrae assertioni Augustinus lib. 2. contra Epistolam Parmeniani, capite 13. vbi ita loquitur: Et si laicus aliqua pereuntis dederit necessitate compulsus, quod cum ipse acciperet, dādum esse addidit, nescio an pie quisquam dixerit esse repetendū. Nulla enim cogente necessitate si fiat, alieni muneris vsurpatio est: si autem necessitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum est. Sed & si nulla necessitate vsurpetur, & à quolibet cuiuslibet detur, quod datum fuerit, nō potest dici non datum, quāuis recte dici possit illicite datum. Illicitam ergo vsurpationem corrigit reminiscētis & poenitentis affectus. Quod si non correxerit, manebit ad poenam vsurpatoris, quod datum est, vel eius qui illicite accepit: non tamen pro non dato habebitur. Neque vllō modo per deuotum militem quod à priuatis vsurpatum est, signū regale violabitur. Adde etiam quod Lyranus exponēs locum illum Deuteronomij, In cuius campis & montibus erumpūt fluuiorum abyssi, dicit per hoc designari sacramentum baptismi, quod datur à sacerdotibus, qui dicuntur montes propter altitudinem status super populum: datur etiam in necessitate à simplicibus laicis, qui camporum plantie designantur, & sic fluuius baptismatis erumpit de montibus & campis.

CAPVT XIII.

Baptismatis aqua nō solum corpus, sed & animam abluit.] Perfacile est hoc probare. Christus enim (vt dictum est) contactu suae mundissimae carnis sanctificauit aquas Iordanis, illisque contulit vim abstergendi nō solum corpus, quia natura possunt corporis fordes abstergere, sed & animam: vt hac virtute diuinitus illis concessa, ab alijs fecernerentur, quibus diuinitus non accedit verbum. Abluunt igitur vitales aquae instrumentaria quidem purgandi ratione, animum prius noxa originis & sentina à primo parente profluxa conta-

Act. 8.

Lyranus.

Augustinus.

Lyranus.

Deutero. 8.

minatum. Et hanc approbabo assertionem ex Augustino, Sermone de Cataclysmo, Augustinus. (si tamen non nihil spiritus Augustini) dicit enim cap. 3. Ecce dilectissimi veteri estis ad fontem aquae, non dicatis in cordibus vestris, hoc est totum quod pro magno desiderabamus, fons iste visibilis, similitudo est aeterni fontis: renascemini ex aqua & spiritu. Aqua illa non solum corporis fordes mudat, sed animam a peccatis liberat. Debetis autem nosse cur virtus illius aquae & animae proficit & corpori. Non enim omnis aqua mudat: sanctificatur haec per consecrationem verbi. Tolle enim verbum, & quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum. virtus verbi per aquam mundavit nos, quia per aquas ambulavit. Haec ille. Et Epistola ad Bonifacium dicit aquam baptismatis exhibere sacramentum gratiae, spiritum vero operari beneficium gratiae. Quis igitur simpliciter mudat animi maculas in hoc sacro fonte, an deus, an homo? Deus sane, & virtus verbi per aquam tanquam per proprium instrumentum fordes emaculat & detergit. Vnde Hieronymus in illum Esaiam locum: Cum abluerit dominus fordes filiarum syon, dicit, In baptismo, homo tantum tribuit aquam, deus vero spiritum sanctum. Quod autem spiritus vitae, sit in aqua, testatur, idem Hieronymus de septem ordinibus Ecclesiae (si tamen opus illud sit Hieronymi) ubi dicit: Baptismus vero aqua est, quae tempore passionis de latere Christi exiit, & nullum aliud elementum est, quod in hoc mundo purificet uniuersa, quod omnium poculum sit, quod viuificet cuncta. Et ideo spiritus vitae in aqua est, & congregatio aquarum, maria nomen accepit. Christo enim renascitur qui baptizatur in fonte: fons enim origo omnium gratiarum est. Nec desecrat ac discedit Chrysostomus ab illius assertionis veritate, dicit enim homilia 7. expositionis psalmi 22. aquam accipientem spiritum sanctum, fieri sacramentum baptismi. & iam non erit aqua potationis, sed sanctificationis: non erit aqua communis, sed refectionis. Audiatur velim haec sacra mysteria, & sacramenti excellentiam, qui a sinu gaudens sophismate, dicit a sinu, sacramentum baptismi posse bibere, non tamen posse bibere sacramentum baptismi. Nec illis ludat argutiolis & captiuculis, in pertractandis sacris litteris. Non enim sacri doctores ponunt discrimen inter huiusmodi propositiones: Sacramentum baptismi hic potest accipere, Et hic potest sacramentum baptismi accipere. Iam enim dictum est ex sana Augustini doctrina, aquam solum esse aquam cui non aduenit verbum: non igitur aqua communis & prophana, quae a sinu potest bibere, est sacramentum: sed cui aduenit diuinum verbum, & quae spiritu dei sanctificatur. Adde etiam quod Cyprianus scribit Epistola ad Ianuarium & ad alios: Oportet vero mundari & sanctificari aquam prius a sacerdote, ut possit baptismi suo, peccata hominis qui baptizatur, abluere, quia per Ezechielem prophetam dominus dicit: Et aspergam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immunditijs vestris, & ab omnibus simulacris vestris: & mudabo vos, & dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum dabo vobis. Tum etiam Hylarius enarrans psalmum 65. ad locum illum: Qui conuertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede, ita loquitur: Quid ergo mihi ad salutem tanto post genito Iordanis tum arefactus impertit? Impertit planè: huius enim primum aquis, peccatorum ablutio, Ioane poenitentiam praedicante donata est, & per quam populo in repromissionis terram iter fuerat, per eum via nobis caelestis regni, & nouae generationis lauacro possessio aeternorum corporum inchoatur, aquis ipsis baptismate domini consecratis. Insuper Damascenus lib. 4. suae Theologiae cap. 10. nobiscum sentit: Quia enim, inquit, corruptioni obnoxios fecit nos deus, cum salutare eius transgrederemur mandatum, corruptione mortis nos mulctauit. Ut autem non immortale foret malum, descendit ad seruos ut miserator, & homo factus, a corruptione per propriam redemit passionem, & scaturiuit nobis ex sancto & incontaminato latere, fontem remissionis, aquam in regenerationem & abluionem peccati corruptionis: sanguinem vero potum, vitam aeternam causam. Et praecipua nobis dedit per aquam regenerari & spiritum, spiritu sancto per imprecationem & inuocationem, aquam superuenienti. Nam cum & duplex esset ho-

mo, ex anima & corpore: duplicem & nobis indulsit purgationem, per aquam videlicet & spiritum. Spiritu quidem quod secundum imaginem & similitudinem in nobis renouate: aqua vero per spiritum gratiae corpus a peccato purificante, & a corruptione eximete, & imaginem mortis explente aqua, aram vitam tribuente spiritu. In principio enim spiritus domini ferebatur super aquas. Compertum etiam habemus ex Dionysio, aquas sacri baptismatis purissimas Ecclesiastici antistitis precibus sanctificari, ministerialiter quidem. ita enim ait in Ecclesiastica hierarchia capite 2. parte 2. At vero pontifex trino crucis sanctae signaculo inunctionem inchoans inungendum iam sacerdotibus toto corpore hominem tradit, ipse ad adoptionis matrem proficiscitur, eiusque aquas sanctae prece & inuocatione sanctificans, terque in eas ad crucis effigiem, sanctissimum fundens unguentum, illasque hoc ritu perficiens, terque ad numerum sacrae effusionis, carnem quod propheta deo pleni diuinitusque afflati cecinerunt, pronuntians, semel scilicet per singulos sancti unguinis iactus iubet afferri hominem.

CAPVT XIII.

Bellum est licitum, etiam in Evangelica philosophia. Vnicuique veteris instrumenti historiae exacte perspicienti euadit notum, diuino equidem imperio & iustis de causis bellum fuisse licitum. Verum ut disquisitius ac diligentius expedamus causas belli liciti, proferemus in publicam lucem, quae de hac re annotauit Augustinus libro 22. contra Faustum Manichaeum, capite 75. Augustinus ubi ita scribit: Interest enim quibus causis quibusque authoribus homines gerenda bella suscipiant. ordo tamen ille naturalis, mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli authoritas atque consilium, penes principem sit: exequendi autem iusta bellica ministerium, milites debeant paci salutisq; communi. Bellum autem quod gerendum deo authore suscipitur, recte suscipi dubitare fas non est: vel ad terrendam, vel obterendam, vel ad subiugandam mortalium superbiam: quando ne illud quidem, quod humana cupiditate geritur, non solum incorruptibili deo, sed nec sanctis eius obesse aliquid potest: quibus potius ad exercendam patientiam, & ad humiliandam animam, ferendamque paternam disciplinam, etiam prodesse inuenitur. Neque enim habet quisquam in eos ullam potestatem, nisi cui data fuerit desuper. Non enim est potestas nisi a deo. quae autem a deo sunt, ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, dei ordinationi resistit. Qui autem resistit, ipsi sibi damnationem acquirit. Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa: dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in ira, ei qui malum agit. Cum ergo vir iustus, ut ibidem dicit Augustinus, si forte sub rege homine etiam sacrilego militet, recte possit illo iubente bellare, ciuicis pacis ordinem seruare: cui quod iubetur, vel non esse contra dei praecipitum certum est, vel verum sit, certum non est, ita ut fortasse reum regem faciat iniquitas impetrandi: innocentem autem militem ostendat ordo seruendi: quanto magis in administratione bellorum innocentissime diuersatur, qui deo iubere belligerat, quem male aliquid iubere non posse, nemo qui ei seruit, ignorat. Et lib. 6. quaestionum super Iosue quaest. 10. differens de insidijs bellorum & de bellis licitis, dicit: Quod deus iubet loquens ad Iosue, ut constituat sibi retrorsus insidias, id est insidiantes bellatores ad insidiantem hostibus: hinc admonemur non iniuste fieri ab his qui iustum bellum gerunt, ut nihil homo iustus praecipue cogitare debeat in his rebus, nisi ut iustum bellum suscipiat, cui bellare fas est. Non enim omnibus fas est. Cum autem iustum bellum susceperit, vtrum aperta pugna, vtrum insidijs vincat, nihil ad iustitiam interest. Iusta autem bella definiri solent, quae vlciscuntur iniurias, si qua gens vel ciuitas, quae bello perterrita est, vel vindicare neglexerit, quod a suis improbe factum est, vel reddere quod per iniurias ablatum est. Sed etiam hoc genus belli sine dubitatione iustum est, quod deus imperat, apud quem non est iniquitas, & nouit quid cuique fieri debeat. In quo

Gene. 1.
Dionysius.

Augustinus

Roma. 13.

Iosue 8.

bello ductor exercitus vel ipse populus, non ipse tam author belli, quam minister iudicandus est. Et lib. 19. de Ciuitate dei, cap. 7. ostendit quempia mouere bellum pacis studio & intentione, vbi dicit: Quauis enim non defuerint, neque hostes defint, exterarum nationes, contra quas semper bella gesta sunt & geruntur: tamen etiam ipsa imperij latitudo peperit peioris generis bella, socialia scilicet & ciuilia, quibus miserabilius quatur genus humanum, siue cum belligeratur vt aliquando conuiescant, siue cum timetur ne rursus exurgat. Quorum malorum multas & multiplices clades duras, & diras necessitates, si vt dignum est, eloqui velim (quaquam nequaquam sicut res postulat, possim) quis erit prolixae disputationis modus? Sed sapiens, inquit, iusta bella gesturus est. Quasi non, si se hominem meminit, multo magis dolebit iustorum necessitatem sibi extitisse bellorum: quia nisi iusta essent, ei gerenda non essent: ac per hoc sapienti nulla bella essent. Iniquitas enim partis aduersae, iusta bella ingerit gerenda sapienti. Tu etiam lib. 3. de Ciuitate dei, cap. 10. vbi laudat strenuam Romanorum in arte bellica fortitudinem, ostendit bellum opportune geri pro defensione patriae, ac tuenda communi salute & libertate, dicit enim: Sed plane pro tatis bellis susceptis & gestis iusta defensio Romanorum est, quod irruentibus sibi importune inimicis resistere cogebat, non auaritas adipiscendae laudis humanae, sed necessitas tuendae salutis & libertatis. Ita sit plane. Nam postquam res eorum, sicut scribit ipse Salustius, legibus, moribus, agris aucta, satis prospera, satisq; pollens videbatur, licuti pleraque mortaliu habentur, inuidia ex opulenta orta est. Igitur reges populique finitimi bello eos tentare, pauci ex amicis auxilio esse. Nam ceteri metu percussu longe a periculis aberant. At Romani domi militiaeque intenti, festinare, parare, alius alium hortari, hostibus obuia ire, libertatem, patriam, parentisque armis tegere. Post vbi pericula virtute propulerant, socijs atque amicis auxilia portabant, magisque dandis quam accipiendis beneficijs amicitias parabant. Et libro etiam 4. de Ciuitate dei, cap. 15. ostendit pertinere ad viros bonos, gaudere de regni latitudine: & iniquitate eorum cum quibus iusta bella gesta sunt, regnum adiuuare vt cresceret. Proinde, inquit, belligerare, & perdomitis gentibus dilatare regnum, malis videtur felicitas, bonis necessitas. Sed quia peius esset, vt iniuriosi iustioribus dominarentur, ideo non incongrue dicitur etiam ista felicitas. Sed proculdubio felicitas maior est vicinum bonum habere contordem, quam vicinum malum subiugare bellantem. ¶ Quod autem Euangelicam obseruantibus philosophiam, bellum non sit interdictum, suadeo ex eo quod Ioannes dixit militibus: Neminem conculcatis, neque caluniam faciatis: & contenti estote stipendijs vestris, ex hoc contextu perspicimus Ioannem non inhiuuisse bellum, sed concussionem & iniuriam, quam plerumque milites faciunt ijs quorum vires obsident, & castra, & pauperum bona multis partibus laboribus, saeuissimis incursionibus vbiq; grassando depraedantur, sed abire debent ex praescriptis Euangelij legibus, contenti stipendijs, quae illis a principibus designantur, vt strenue & egregie in honesto decertent bello. Ad explicandum illum Euangelij locum, dicit Augustinus, Epistola Marcellino: Si Christiana disciplina omnia bella culparet, hoc potius militibus consilium salutis petentibus, in Euangelio diceretur, vt abijcerent arma, seque militiae omnino subtraherent. Dictum est autem eis: Neminem concusseritis, nulli caluniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum. Quibus proprium stipendium sufficere debere praecipit, militare vtiq; non prohibuit. Proinde qui doctrinam Christi aduersam dicunt esse reipublicae, dent exercitum talem, quales doctrina Christi esse milites iussit: det tales prouinciales, tales maritos, tales coniuges, tales parentes, tales filios, tales dominos, tales seruos, tales reges, tales iudices, tales denique debitorum redditores & exactores ipsius fisci, quales esse praecipit doctrina Christiana, & audeat eam dicere aduersam esse reipublicae, imo vero non dubitent eam confiteri magnam si ei obtemperetur salutem esse reipublicae. Nec diuersa est sententia Ambrosius, Sermone 7. vbi inquit: Non enim militare delictum est, sed propter praedam militare, peccatum est. Nec reipublicam gerere criminofum est, sed ideo gerere reipublicam, vt rem familiarem potius au-

Luca 3.

Ambrosius

geas, videtur esse damnabile. Propterea enim prouidentia quadam, militantibus sunt stipendia constituta, ne dum sumptus quaeritur, praeda grassetur. haec ille. Ideo mihi videntur Manichaei plurimum hallucinati, dicentes nullo modo licere bellum gerere, & ob hanc causam reprehendunt Moysen, quod bella gesserit. Sed non vident quod Moyses dei iussu & permissione bellauerit. Ioannes Oecolampadius bene fatetur quod licuit Moysi belligerari, non tamen Christiano, moris auctoritate Christi, dicens: Ego autem dico vobis non resistere malo: sed errat non mediocriter, non intelligens scripturas, neque conferens adinuicem Euangeliorum locos. Non enim vetuit Christus gerere bellum, neque voluit vt nullo modo obfisteremus inimicis: sed commonefecit vt domaremus igneam vlciscendi affectum, & quantum fieri posset, semper essemus parati ad potius tolerandam iniuriam quam inferendam. Lutherus etiam longe paratior ad suscitandam haesim olim sepultam, quam ad eam extinguendam, asserit temere, non licere Christiano belligerari in Turcas. Sed roto aberrat caelo. Si enim liceat Christiano iusta de causa & sine optimo, in Christianum belligerari, licebit & Christiano citra libidinem vlciscendi & dominandi, gerere bellum in Turcas pro tuenda potissimum Christianorum religione. Sicuti Machabeus laudatur pugnans aduersus Antiochum & alios infideles. Beatus enim Augustinus nostras tuendo partes, confutat & Manichaeos, & eos qui dixerunt quod nullo modo licet Euangelicam imitando doctrinam, belligerari, libro vigesimo secundo contra Faustum Manichaeum, capite septuagesimo quarto. Nec bella per Moysen gesta miretur aut horreat, quia & in illis diuina secutus imperia, non saeuens, sed obediens fuit: nec deus cum iubebat ista, sauebat, sed digna dignis retribuebat, dignosque terrebat. Quid enim culpatur in bello? An quia moriuntur quandoque morituri, vt dominantur in pace victuri? Hoc reprehendere timidorum est, non religiosorum. nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, implacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua similia: haec sunt quae in bellis iure culpantur: quae plerumque ita culpantur, vt etiam iure puniantur. Aduersus violentiam resistentium (siue deo, siue aliquo legitimo imperio iubente) gerenda ipsa bella suscipiuntur a bonis, cum in eo rerum humanarum ordine inueniuntur, vbi eos vel iubere tale aliquid, vel in talibus obedire iuste ordo ipse constringit. Alioquin Ioannes, cum ad eum baptizandi milites venirent, dicens: Et nos quid faciemus? responderet eis, arma abijcite, militiam istam deserite, neminem percutite, vulnerate, prosternite neminem. Sed quia sciebat eos cum hac militando facerent, non esse homicidas, sed ministros legis, & non vltros iniuriarum suarum, sed salutis publicae defensores, respondit eis: Neminem concusseritis, nulli caluniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum. Sed quia Manichaei Ioannem aperte blasphemare consueverunt, ipsum dominum Iesum Christum audiant, hoc stipendium iubentem reddi Caesari, quod Ioannes dicit debere sufficere militi. Reddite, inquit, Caesari quae Caesaris sunt, & deo quae dei sunt. Ad hoc enim tributa praestantur, vt propter bella, necessario militi stipendium praebatur. Merito & illius Centurionis dicens: Et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic vade, & vadit, & alij veni, & venit: & seruo meo fac hoc & facit: fidem laudauit, non illius militiae desertionem imperauit. Et capite septuagesimo octauo eiusdem libri dicit: Calumniosa ergo imperitia reprehenditur quod bella gesserit, qui minus reprehendi debuit, si sua sponte gereret, quam si deo iubente non gereret. At vero capite 76. in eos pugnat, qui hoc Euangelij loco moti: Dico vobis non resistere malo: in eam inciderunt stultitiam, & ingenij amentiam, vt arbitrati sint bellum omnino esse inhibendum in Christiana doctrina. Ita enim scribit: Si autem propterea putant non potuisse deum, bellum gerendum iubere, quia dominus postea Iesus Christus: Ego, inquit, dico vobis non resistere aduersus malum, sed si quis te percusserit in maxillam tuam dexteram, praebere illi & aliam, intelligant haec praeparationem non

Oecolampadius.

Matth. 5.

Lutherus.

Mat. 23.

Matth. 5.

K.j.

esse in corpore, sed in corde: ibi est enim sanctum cubile virtutis, quae in illis quoque antiquis iustis nostris patribus habitauit. sed eam rerum dispensationem ac distributionem, temporum ordo poscebat, ut prius apparerent etiam ipsa bona terrena, quibus, & humana regna & ex hostibus victoria deputatur, propter quae maxime ciuitas impiorum diffusa per mundum supplicare idolis & daemionibus solet, non nisi ad vnius dei veri potestatem atque arbitrium pertinere. Hoc multo clarius declaratur ab eodem Augustino Epistola Marcellino, vbi dicit hanc esse illius verbi Euangelici intelligentiam: si quis in te meliora fuerit persequutus, & inferiora ei praebe, ne vindictae potius quam patientiae studens, contenas aeterna pro temporalibus, cum potius temporalia pro aeternis contemnenda sint, tanquam sinistra pro dextris. Nec minus aperte exprimit hanc ex Euangelio depromptam difficultatem, libro primo de Sermone domini in monte, vbi fatetur Christianum debere eo esse parato animo, ut dexteram ferienti maxillam, praebere velit & sinistram. Nec dixit Christus: si quis te percussit, noli tu percutere, sed para te adhuc percutienti. Sed quid opus est repentino timore percussum, leuiter praebere alteram maxillam cum ictus est dextera? Non enim Christus qui utique praecipit quae docuit, primus impleuit, percutienti se in maxillam ministro sacerdotis, praebuit alteram, sed insuper dixit: si male loquutus sum, exprobra de malo: si bene, cur me caedis? Non tamen ideo paratus corde non fuit, non solum in alteram maxillam caedi pro salute omnium, sed etiam toto corpore crucifigi. Nec Paulus pontificis iussu, palma percussus, obrulit subito reliqua corporis membra mutilanda, sed dixit equidem acerbè & in modum dolentis: percutiet te dominus paries dealbate. ¶ At pugnabit quisquam contra secundam nostrae assertionis partem, Dixit Christus Petro, conuerte gladium tuum in locum suum. Omnes qui gladium acceperint, gladio peribunt. Et Paulus similiter inquit: Non vos ipsos defendentes charissimi, sed date locum irae. Scriptum est enim, mihi vindictam, & ego retribuam, dicit dominus. Tum etiam Hieronymus Epistola ad Geruntiam dicit: Illo tempore bellatoribus dicebatur: Accingere gladio tuo super femur tuum potestissime: modo audit Petrus, conde gladium tuum in vaginam. Qui enim gladio percussus, gladio morietur. Conferendo igitur nouum testamentum veteri, videtur innuere Hieronymus ex verbis Christi, non licere Christiano belligerari. Adde quod Ambrosius exponens illum Lucae locum: Sed nunc qui habet sacculum, tollat, similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam & emat gladium, inquit, O domine cur emere me iubes gladium, qui ferire me prohibes? cur haberi praecipis, quem vetas promi? Insuper Tertullianus libro tertio aduersus Martionem de vitandis à Christiano bellorum tumultibus, quibus multi infaniunt, ita loquitur: Quis enim ense operabitur, & non contraria potius dolum & asperitatem & iniustitiam, propria scilicet negotia praeriorum? Videamus ergo an alius sit ensis ille, cuius alius est actus. Nam & apostolus Ioannes in Apocalypsi enses describit ex ore dei prodeuntem bis acutum, praecutum, quem intelligi oportet sermonem diuinum, bis acutum duobus testamentis, legis & Euangelij, acutum sapientia, infestum diabolo, armantem nos aduersus hostes spirituales nequitiae & concupiscentiae omnis, amputantem etiam à charissimis ob dei nomen. Quod si Ioannem agnitum non vis, habes communem magistrum Paulum, praecingentem lumbos nostros veritate, & lorica iustitiae, & calciatam nos praeparatione Euangelij pacis non belli: assumere iubentem scutum fidei, in quo possimus omnia diaboli ignita tela extinguere, & galeam salutis & gladium spiritus, quod est (inquit) dei sermo. Et libro de Corona militis, disquirens an in totum Christianis militia conuenit, dicit: Licebit in gladio conuersari, domino pronuntiante gladio periturum, qui gladio fuerit usus? Et praelio operabitur filius pacis, cui necligare conuenit? Et vincula & carcerem, & tormenta, supplicia ministrabit, nec suarum vltor iniuriarum? Iam & stationes aut alij magis faciet, quam Christo? Cernis nisi plana in luce caecitias, Tertullianum velle ex Euangelicis literis persuadere, non licere Christiano ar-

Ioan. 18.

Act. 23.

Matth. 26.

Roma. 12.

Deuter. 32.

Hieronymus

Psal. 44.

Luca 22.

Ambrosius.

Tertullianus

Apocalypsis

1. & 19.

Ephes. 6.

mis decertare, & in gladio conuersari. ¶ Diluendae sunt rationes propositae. Prima, tamen si non nihil habeat roboris & momenti, non tamen concludit. Nec mihi videtur haec pugnare inuicem, licitum est bellum, & non licet gladium accipere, saltim ad mentem & intentionem Christi. Ille dicitur accipere gladium, qui nulla superiori ac legitima potestate vel iubente vel concedente in sanguinem alicuius armatur: ut habetur 23. quaestione 4. capite Ille, ex sententia Augustini lib. vt dicit Gratianus 2. con- 23. quaest. 4. tra Manicheos. Quod si quis autoritate principis vel iudicis, si sit persona priuata, vel zelo iustitiae quasi autoritate dei, si sit persona publica, gladio utatur, non ipse accipit gladium, sed utitur gladio ab alio sibi commisso, ut dicit sanctus Thomas 2. 2. quaestione 40. Articuli. Hinc agnoscito accipere gladium, in malam accipi partem, non autem vti gladio. Late tamen sumendo voces, pro eadem re sumi possent, sed Christi sequere veritatem & intelligentiam. Lyranus enarrans illum Marthaei locum: Omnes qui acceperint gladium &c. dicit, illum accipere gladium, qui eo utitur ad vindictam propria autoritate, & hoc est illicitum: gladio autem utitur sibi tradito, qui eo utitur ad punitionem malorum zelo iustitiae, sicuti principes qui auctoritatem habent à deo, quia in hoc princeps minister dei est, & portat gladium non sine causa. Grata mihi est ad eundem locum enarrandum, Origenis interpretatio, homilia in Matthaeum 35. vbi dicit, Aduersus neminem uti gladio debemus, concitando bellum & affectando. Dicere posset quispiam, Christum in illa autoritate, Petro vniuersalis ecclesiae Christianae futuro pastori, & subinde reliquis ecclesiasticis viris loquutum, quibus non conuenit si suum diuinum nouerint officium, tractare arma, enses in maleuolum distringere, & gerere bellum: non tamen quod non possint virgenter necessitate defensionis forma, pugnare in bello, vbi potissimum euerteretur ab hostibus ciuitas, nisi configerent, & se intrepido animo exponerent periculis: etiam vbi absque illorum subsidio victoria obtineri non posset, sed communiter non conuenit sacerdotibus pugnare, & hoc propter spirituale illorum officium & excellentissimam dignitatem. Etenim libro 5. Decretalium, titulo 14. habetur, quod clericus non debet pugnare etiam contra inimicos fidei, quod si secus fecerit, & quēpiam interfecerit, & habeat remorsum conscientiae, ablineat à ministerio altaris. Non enim arma ecclesiasticorum sunt carnalia, sed spiritualia. Quia tamen haec solutio patere posset calumnijs, eo quod Christus in vniuersum dixit: Omnes qui gladium acceperint, gladio peribunt, ideo tutius tibi consulo, vt ad primam confugas solutionem. ¶ Ad secundam rationem ex Paulo desumptam, iam patuit responsio, dissoluendo illum Euangelij locum, Dico vobis non resistere malo. nec sanè voluit Paulus, vt nunquam nos ipsos nostraque membra tueremur: hoc enim iuri naturae aduersatur: sed quod praeparatione animi sumus prompti & parati, ad non propulsandam iniuriam, nec optemus studio odij in proximum, & maleuolo animo, vindictam. Licet tamen vlcisci iniuriam amore iustitiae, & vt improbi terreantur aut puniantur, non tamen optanda est vlciscendi libido. Nec quod ex Hieronymo subnectitur, vincit. Non enim voluit innuere Hieronymus, vt quidam arbitrati sunt, inhibendum esse omnino in Euangelica doctrina bellum. Etenim non latuit Hieronymum quod dixit Christus militibus: Neminem concutatis, sed contenti estote stipendijs vestris. Sed conferendo iustitiam veteris testamenti, patientiae & benignitati noui testamenti, nemini dubium est si praecellere velimus virtute Phariseos, quod magis debemus tolerare iniuriam & iacturam bonorum fortunae, quam vlcisci, & saeuissima bellorum rabie irruere in hostes. Maxime commendatur in Christianis tolerantia, & aequabilitas, & prompta inimici dilectio. Absque summo reipublicae dispendio, non est ad arma ac bellicos conflictus profiliendum. Quaecumque enim auctoritates, aut à Hieronymo, aut Tertulliano, aut à quouis alio doctissimo sacrarum literarum interprete, adductae, aut quae adduci possunt, quod non licet Christiano belligerari, dissolui possent ea respondentis arte qua respondimus: aut dic cum Augustino quod non licet belligerari, affo- K. ij.

23. quaest. 4.

Lyranus.

Roma. 13.

Origenes.

2. Corin. 10.

ctu dominandi, & libidine vlciscendi. Infantissimi tamen est dicere quòd nullo modo licet Christianis gerere bellum. Ad Ambrosium accedo dicentem, domine cur emere me iubet gladium, qui ferire me prohibes? cuius auctoritate fulti dixerunt nonnulli omnino esse prohibitum in Evangelio bellum, sed vehementer hallucinantur. Non enim intellexit Ambrosius, neque nobis intelligendum reliquit, Christum simpliciter & absolute prohibuisse ne feriamus, cum dixit: dico vobis non resistere malo. Et omnis qui gladio percusserit, gladio peribit. sed prohibuit affectionem vlciscendi: quod suadere possum ex his quæ subnectit Ambrosius: Nisi forte vt sit parata defensio, non vltio necessaria: & videat potuisse vindicari, sed noluisse. Tria, si rem attente perceperis, dicit. Primum, licet ferire, corpus defendendo, citra vllam furiosam occidendi cupiditatem. Nullus enim tam est deiecto animo, quin si agnouerit aut præfagierit se ab hoste impetitum, velit toto ingenij conatu, suum ab iniurijs & periculis mortis, protegere corpus. Secundum, vbi arctissima non sum adactus necessitate & compulsus: nec mihi (vt clarius loquar) nec reipublicæ, insigne imminet damnum, non debeo quempiam ferire. Nec omnem (vt perspicuum euadit) damnat vltionem, sed illam duntaxat quæ non est necessaria, atque ardente ac incompósito vlciscendi studio præuifa est, & subinde accensa magnopere. Tertium, laudandus est qui cum potuerit vlcisci, equidem vt exposcebat negotium, non tamen voluit, sciens se istis nõ carere affectibus nec perturbationibus. Et vbi non retaliando, maius sequetur commodum, quàm retaliando. Nec possum probare censuram Erasmi, qui hac Annotationibus ad illum Lucæ locum: Emat gladium, toto studio dānat bella quæ à Christianis geruntur. debebat perpendere quod dicit Ambrosius: Parata sit defensio, & non vltio necessaria. Quòd si possum absque vlla reprehensionis nota, in priuato congressu me ab istibus inimici defendere, potero & principem Christianum aduersus alterum principem Christianum, pro libertate patriæ & vtilitate reipublicæ tuenda decertantem, iusto in bello & publico conflictu defendere: non tamen inquieto nocendi affectu vlcisci iniuriam. Nec illi patrocinator quod subiungit Ambrosius: Lex tamen referre non vetat, & ideo fortasse Petro duos gladios referenti, sat est, dicit: quasi licuerit vsque ad Evangelium. vt sit in lege æquitatis eruditio, in Evangelio bonitatis perfectio. Alioqui non dixisset Ambrosius Sermone septimo, Non enim militare, delictum est. Nec quisquam in philosophicis literis optime versatus, & liberalibus disciplinis educatus, hac scilicet veteratur ratione: Licuit vsque ad euangelium belligerari, ergo exorto & inclarescente euāgelio, non licet belligerari. Simili enim argumento retorquere poteris: Omnes propheta & lex vsque ad Ioannē, igitur Ioanne nato & ipso prædicante, deserunt esse propheta, & perijt lex. Si tamen astringeretur consequens, vt Evangelicum illud dictum Christus voluit intelligi, non addubito quin recto consequio posses colligere. Quòd si Christiani se prætarent adinuicem tales, quales Euangelica philosophia desiderat, nullique fieret iniuria, & domiti essent omnino affectus, & subiugati, omnes feriantur à bellorū tumultibus, & conuiescerent, & perpetuo aperta esset pacis ianua. fateor tamen syncere Christianum potius debere inire cœdus cum suis inimicis, à quibus forsitan acerbe læsus est, quàm hostili eruptione illos persequi, & condonare veniam, quàm armis iniuriam vindicare. Mihi quoque vehementer displicet, quòd nimis aperte visus sit Erasmus conuellere sententiam Augustini approbantis bella iusta, quæ fiunt inter Christianos. Ita enim loquitur in suis Annotationibus in tertium caput Lucæ, ad locum illum: Neminem conculiat, nec calumniam faciat: Neque vero me fugit, quid hic disputet Augustinus, cum alijs, tum aduersus Faustum. sed fas esse puto Christi & apostolorum doctrinam anteponere Augustini sententiæ. Sed quis nescit doctrinam Christi, & apostolorum, longe præferendam esse Augustini censuris? Vide tamen &

Erasmus.

Matth. 11.

agnoscito quo actu, & quānam occulta reprehendendi ansa id dixerit. Nec id dixisset nisi vt reprobaret opinionem Augustini docte sentientis licita esse inter Christianos bella. Arbitratur Augustini sententiā Euangelicæ doctrinæ aduersari, quòd si secus opinetur, ridicule id scripsit. Verum cum ibi refragetur Augustino, suffragatur eidem in Annotationibus ad vigesimūsecundum caput Lucæ, vbi de duobus gladijs disputat. Et in eadem annotatione dicit: Mihi vero non admodum probatur, quòd quidam ex hoc loco probare nituntur bellum. quasi verò Ioannes hæc dixerit Christianis, ac non potius ethnicis, aut certe prophanissimis Iudæis. Duo hic inferuntur, quæ non satis approbo. Primum, quòd non probet hac in re Augustini iudicium, & aliorum doctissimorum interpretum, quibus suum præfert. Augustinus (vt iam dictum est) Epistola Marcellino dicit: Si Christiana doctrina omnia bella culparet, militibus consilium salutis petentibus, in Evangelio diceretur, vt abijcerent arma. Secundum, quòd Ioannes hæc non dixerit Christianis, sed Paganis & Iudæis. Tametsi Ioannes loqueretur turbæ & prophanis viris, qui ab eo sciscitabantur quid facerent, vt ad regnum dei peruenirent, tamen cum talia dixit militibus: Neminem conculiat &c. omnibus militibus siue Christianis siue ethnicis accommodanda sunt sacra illa verba, vt qui authoramētum & sacramentum fecerunt militandi sub illustrissimo quodam principe, non studeant rapinis, prædis, & expilationibus, sed sint contenti suis stipendijs. Vellem lubenter discere ab Erasmo, de quibusnam militibus loquatur Paulus, cum dicit: Quis militat suis stipendijs vnquam? existimo Paulū loqui & differere de militibus cuiuscunq; militia. Et pugnat pro nobis Euangelicus ille Christi Sermo, suis discipulis dicentis: Quādo misit vos sine sacco, & pera, & calceamētis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt, nihil. Dixit ergo eis: sed nunc qui habet sacculū tollat, similiter & peram, & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus est. Etenim ea quæ sunt de me, finem habent. At illi dixerunt: Domine ecce duo gladij hic. At ille dixit eis: satis est. Nec vsquequaque arridendum puto Erasmicæ interpretationi, tametsi non indoctis suffulciri videatur authoribus. Reclamat ille eorum opinioni, qui existimant Christum de gladio ferreo ac materiali loquutum. Et priusquam proferat quidnam de hac abstrusissima difficultate sentiat, arguit nec sine risu Lyrannum, qui (vt inquit) monet apostolos vt ingrante procella persecutionum, muniant se duabus rebus, nempe comæatu & armorum præsidio, ne vel desit quod edant, vel à persecutoribus opprimantur. Hæc verba sunt Erasmi & non Lyrani: licet forsitan à mente Lyrani non discedant. Sed vt apertius cognoscant studiosissimi quique sententiam Lyrani, ipsius ad singula huiusce disputationis argumenta, proferam verba, ad locum illum, tollat similiter & peram, ita loquitur: Non solum erat eis licitum talia portare, sacculum scilicet & peram, sed etiā seipsos à persecutoribus moderate defendere, saltem pro tunc siue sub id temporis (vt purius loquamur) ad locum illum: Emat gladium, dicit: Per hoc innuit Christus, quòd licita esset eis defensio moderata tēpore persecutionis. Et ad illa discipulorum verba: Domine ecce duo gladij, inquit: Non curauerunt apostoli loqui de sacculis vel peris, sed tantum de gladijs, quia erant animati ad defensionem sui magistri, licet postea fugerunt timore humano percussī. Dicit autem Chrysostomus quòd illi duo gladij, erāt duo magni cultelli ad secandum carnes agni. Deinde ad locum illum: Satis est, dicit: Quia vnus euaginat, sufficienter ostendit licentiā se defendēdi, & audaciam Petri, ad defendēdum suum magistrum, & volūtariam passionem Christi, qui cum haberet qui pro se pugnaret, ipse tamen hoc prohibuit. Alius nõ euaginat, ostendit apostolos non fuisse permisos facere quantum poterant ad defensionem sui & magistri, vt per hoc ostenderetur quòd perfectior est patientia quàm defensio etiā licita. Sed Erasmus huc detorquet verba Christi, vt putet Christū instruxisse suos

1. Corin. 9.

Lucæ 22.

Esaie 53.

Lyrannus.

K. iij.

discipulos ad tolerandas aequo animo omnium persecutionum procellas: Quem admodum, inquit, his verbis preparauit animos apostolorum ad fortiter perpendendam saeuitiam persecutorum, ita sacculi tollendi mentione, preparauit illos ad tolerantiam famis, & omnium incommodorum, quae solent in bellis accidere. Malorum enim praedictio, non hortatur ad prouisionem commeatu ac munimentorum, sed ad tolerantiam malorum, quae citius profertur hominem si veniant improuisa. Nec illi deesse videtur Chrysoptomi sententia in vigesimū sextum Matthaei caput, exponentis locum illum: Emite gladios: Non, inquit, ut percutiant, animat, sed ut praedictionem hanc re ante oculos poneret. Theophylactus testatur ad hunc locum, multa aduersa gladio indicari. Nec voluit Christus ut eius discipuli essent omnino accincti gladijs, sed significauit bella & pericula, & docuit ut ad omnia preparati essent. Quod si voluisset Christus suos ut gladijs ferreis, aduersus omnium malorum insultus & impetus, nequaquam duo sufficissent, innitendo solum humanis praesidijs contra homicidas, imò nec ceterum gladij sufficissent. Si autem hoc noluisse, & diuiniore subsidio opus erat, superflui fuissent & duo. Sed argumentum istud nullius est vigoris. Nihil putes superfluum & superuacaneum quod a deo est institutum & praecipuum: debebant apostoli obedire Christo praecipienti ut emerent gladium etiam materiale, quo tamen absque praeproprii iussu uti non debebant. Si enim recipienda non esset illa Euangelica historia, nec ad litteram intelligendum esset quod illic praecipit Christus, importune praecipisset diuendi tunicam ad emendum gladium. Arguitur Erasmus, ab argutijs tamē abhorrens. Si, inquit, tunica diuendita iubet emi gladium, num illos nudos, ensibus accinctos, mittit in bellum? Nouum vero copiarum genus. Illis igitur gladijs arbitratur Christum solum innuisse imminentes Iudaeorum insidias. Scurrilia eius in Scholasticos doctores dictoria & scommata omitto. Vtinam solū seria tractasset, & quae communiori coherent sententiae. Nec mordacissima censura leuissime taxasset illos, qui arbitratur Christum de gladio materiali differuisse. Nec damno Erasmus siue dixerit cum Theophylacto, Basilio, & Origene, locum illum forsitan intelligendum de tolerandis prompto animo quibuslibet aduersitatibus, siue censuerit cum Ambrosio gladios illos, esse vtriusque testamenti doctrinam. Sed quod grauissimos sacrae scripturae interpretes ludat, & sua mordacitate subsannet eos, qui ad literam non absurde dixerunt Christum de gladio ferreo ac materiali locutum esse: & aegide Augustini, eius impetus ac insultus sustinebimus, tamen si sibi arroget omnes sacros doctores nusquam a sua discessisse sententia. Ita enim ample & docte scribit libro vigesimo secundo, contra Faustum Manichaeum, capite septuagesimo septimo: Si autem hoc mirum istis vanis videtur quod aliud tunc deus praecipit dispensatoribus veteris testamenti, vbi noui gratia velabatur, aliud praedicatoribus noui testamenti, vbi veteris obscuritas reuelabatur, attendant ipsum dominum Christum mutantem quae dixerat, & aliud dicentem: Quando misisti vos, inquit, sine sacculo & pera & calciamentis, nūquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt, nihil. Dicit ergo eis, sed nunc qui habet sacculum, tollat, similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam & emat gladium. Isti certe si ista diuersa in testamentis singulis inuenirent veteri & nouo, etiam hoc clamarent, duo sibi testamenta esse contraria. Quid ergo nunc respondebunt, cum idem ipse dicit, antea misisti vos sine sacculo & pera & calciamentis, & nihil vobis defuit: nūc autem, qui habet sacculum, tollat, similiter & peram: & qui habet tunicam vendat, & emat gladium. Iam ne intelligunt quemadmodum nulla inconstancia praecipientis, sed ratione dispensantis, pro temporum diuersitate praepcepta vel consilia vel permissa mutantur? Nam si dicunt certi mysterij gratia, hoc de tollendo sacculo, & pera, & emendo gladio, locutum fuisse: cur non admittunt certi mysterij gratia, eundem vnum deum, tunc prophetas bella gerere iussisse, nunc apostolos prohibuisse? Neque enim in eo quod ex Euangelio commemorauimus, verba tantum

Chrysoptos

Theophyla.

Erasmus.

Ambrosius.

domini fuerunt, sed obtemperantium quoque discipulorum facta secuta sunt. Nam & tunc sine sacculo & pera ierunt, & nihil eis defuit, sicut eius interrogatio, & eorum responsio declarauit. Et nunc dixerunt ei cum de gladio emendo iussisset: Ecce sunt hic duo gladij. Et ille respondit, sufficit. Hinc & Petrus armatus inuentus est, cum aurem persecutoris abscedit: vbi spontanea eius coeretur audacia, quia non ut iussus fuerat ferrum tollere, ita iussus fuerat & ferire. Latebat certe domini voluntas, cur arma portare praecipisset, quibus eos uti noluisse. Verū tamen ad illum cum ratione praecipere, ad istos autem sine retractatione praepcepta facere pertinebat. Ex hac Augustini sententia exploratum est Christū suis aliquando praecipisse discipulis ut portarent gladium ferreū & arma. Nec reprehenditur a Christo Petrus quod gestauerit gladium, sed quod districto gladio propria autoritate & absque Christi imperio, in persecutorem irruere voluerit. Tum etiam de Maioritate & obedientia dicitur, In potestate ecclesiae duos esse gladios: spiritalem videlicet, & temporalem, euangelicis dictis instruimur. Nam dicentibus apostolis: Ecce gladij duo hic, in ecclesia scilicet, cum apostoli loquerentur, non respondit dominus nimis esse, sed satis. Certe qui in potestate Petri temporalem gladium esse negat, male verbum attendit domini proferentis: Conuerte gladium tuum in vaginam. Vterque ergo est in potestate ecclesiae: spiritalis scilicet gladius, & materialis. Sed is quidem pro ecclesia, ille vero ab ecclesia exercendus: Ille sacerdotis, is manu regum & militum: sed ad nutum & patientiam sacerdotis. Scribit ad hanc Glossā ex Bernardo ad Eugenium quartum, hos duos gladios esse in potestate ecclesiae: aliter tamen & aliter: vnum ad vsum manu ecclesiae & ab ecclesia, alium ad nutum & pro ecclesia manu militis.

Ioan. 18.

Bernardus.

CAPVT XV.

Rasphe-mia spiritus, veniam nō meretur, quae etiam longe peior est per-
iurio.] Priorem huiusce assertionis partem cum ex sacris literis, tum ex
ecclesiasticis doctoribus suadere conabimur: Posteriorē vero ex Augu-
stino. Christus (ut Euangelium Matthaei indicat) dicebat Phariseis eius
opera calūniantibus, & principi dāmoniorū ascribentibus: Omne peccatum & blas-
phemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemia nō remittetur. Et quicū-
que dixerit verbū contra filium hominis, remittetur ei: qui autē dixerit contra spi-
ritum sanctū, non remittetur ei, neq; in hoc seculo neq; in futuro. Ex hoc cōtextu
ita ratiocinaberis, Blasphemia spiritus (quae dicitur maledictū in spiritum) non re-
mittetur, nec verbū aduersus spiritum sanctū prolatum. Blasphemia igitur spiritus
veniam non meretur. Nam ex aduerso, si veniā mereretur, & remitti posset, quod
tamen negat Euangeliū, saltem quod nō remittetur neq; in hoc seculo neque in fu-
turo. Quem locū enarrans Hieronymus dicit: Quomodo quidam nostrorū reci-
piūt Episcopos atq; presbyteros post blasphemiam spiritus sancti in suum gradū,
eum saluator dicat omne peccatū & blasphemiam dimitti hominibus, qui autē in
spiritum sanctū blasphemauerit, nō dimitti ei neq; in praesenti tempore neq; in fu-
turo? Nisi forte illud de Marco Euāgelista sumamus exemplū, qui causas tantae irae
manifestius expressit, dicēs: Quia dicebāt, spiritū immundū habet. Ergo quicunq;
opera saluatoris Beelzebub principi dāmoniorū deputarit, & dixerit filiū dei habe-
re spiritum immundū, huic nullo tēpore blasphemia remittetur. Vel ita locus iste
intelligendus est: Qui verbū dixerit contra filiū hominis scandalizatus carne sua,
& me hominem tantū arbitrans, quod filius sim fabri, & fratres habeam Iacobū,
& Ioseph, & Iudā, & homo vorator & vini potator sim: talis opinio absq; blasphe-
mia, quāquam culpa non careat erroris, tamen habet veniam propter corporis vi-
litate. Qui autem manifeste intelligens opera dei, cum de virtute negare non
possit, eadem stimulus inuidia, calumniatur & Christum deique verbū, & opera
spiritus sancti dicit esse Beelzebub: isti non dimittetur neque in praesenti seculo ne-
que in futuro. Ratio igitur ex Hieronymo desumpta, similiter ex Euangelio, quare
K. iij.

Matth. 12.

Hieronymus.

Mar. 3.

blasphemia spiritus ex se non remittitur. Est, quia is qui tam insana impudentia blasphemat, sanctissima filij dei & spiritus sancti opera, attribuit principi demoniorum. Et Apologia aduersus Ruffinum dicit Hieronymus: Simultas reintegrari potest, blasphemia veniam non meretur. Ad eundem Euangelij locum commentandum dicit Chrysostomus: Multa calumniati estis aduersus me, quod essem seductor, & deo aduersarius, & hæc est in me blasphemia: si tamen poenitentiam egeritis, dimitto. Spiritus vero blasphemia, non dimittetur, quia gratia spiritus sancti se manifestauit, magnis & paruulis, imò omnibus. Facit plurimum quod ad eandem rem explicandam scribit Theophylactus: Dicit hoc in loco Christus, omne aliud peccatum quantumvis inexcusabile sit: utpote scortatione, furtum, & similia, tale esse, ut confugere liceat ad humanam infirmitatem, & sit venie locus. Quādo autem quis viderit miracula spiritus sancti fieri, & accusauerit ea quasi à diabolo facta, qualem habiturus est ille excusationem? Beatus Hylarius Canone 12. in Matthæum, constantem & firmissimam assignat rationem, quare blasphemia spiritus, non relaxatur liberali venia: Caret, inquit, misericordia si deus negetur in Christo. Quid enim tam extra veniam est, quam in Christo negare quod dei sit, & consistentem in eo paterni spiritus substantiam adimere, cum in spiritu dei opus omne consummet. Idem penè sentit Ambrosius in 12. cap. Lucæ, ad diluendum hunc scrupulum, vbi dicit: Quicumq; non confitetur in Christo deū & ex deo, atque in deo Christum, veniam non merebitur. Adde quod Augustinus Sermone 11. de verbis domini, disserens de hac questione, quam putat omnium forsitā, quæ in sanctis scripturis discutiuntur, difficillimam esse & maximam, dicit indefinite dictum à Christo, spiritus blasphemiam non remitti, nec omnem blasphemiam spiritus, nec aliquā: & eam putat spiritus esse blasphemiam, cū quis spiritu blasphemat. Et multo clarius aperiens quid sentiat de hac abstrusa difficultate, testatur spiritus blasphemiam, esse impoententiā, quæ nec in hoc seculo nec in futuro remittetur: cōtra quam clamabat præco ille Euangelicus: Poenitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum. Nec aspernor hanc interpretationem, nec omnino illi adhæreo. Si sincera hæc esset literæ interpretatio, asserendum esset scortatorē, aut ebriosum, aut arrogantiam fastu elatum, quem nunquam sui delicti poeniteret, spiritus blasphemiam committere: quod tamen non præten dit Euangelium. Vitia enim in Christum secundum ea quæ illi ut homini competunt admittā, ut dicere Christum esse voracem & bibonem, & ventri & gulæ deditissimum, quadam in filium dei & hominis blasphemiam, peccatorem polluūt, etiam si pertinax esset in illis vitijs, nec tamen huiuscemodi blasphemiam, est spiritus blasphemiam, sed (ut dictum est) talis est, cum negat homo deum esse in Christo, & miracula deo & spiritui sancto attribuenta, Beelzebub attribuit. Et hinc truncata & implicita disputatio, quæ suboriri posset in contextum, dissoluitur. Quomodo blasphemiam, cuius meminit Euangelium, remittetur, & tamen spiritus blasphemiam non remittetur: cum tamen sit blasphemiam, quæ (ut autumo) non solum est blasphemiam, sed plusquam blasphemiam sanctissimo trinitatis spiritui inimica. Idem ostendit Epistola Bonifacio, de moderate coercendis hæreticis, & Christianos, & ethnicos delinquere in spiritum sanctum, nec tamen illorum peccatum esse inexpiabile, sed late dicitur esse in spiritum sanctum, quia offendit spiritum sanctum. Quis enim, inquit, non loquitur aduersus spiritum sanctum, & peccat in eum, siue qui nondū est Christianus, siue qui est hæreticus Arrianus, aut Eunomianus, aut Macedonianus, qui eum dicunt esse creaturam: aut Phorinianus, qui eius omnino negat aliquam esse substantiam, sed vnū tantummodo esse deum patrem: siue alij hæretici, quos commemorare longum est. Non vtique omne quod in spiritum sanctum peccatur facto siue dicto, sed aliquod certum & proprium voluit intelligi: hoc est autem duritia cordis vsque ad finem huius vitæ, qua homo recusat in vnitatem corporis Christi, quod viuificat spiritus sanctus, remissionem accipere peccatorum. Et paulo post, Huic ergo dono gra-

tia dei quicumque resisterit & repugnauerit, vel quoquo modo fuerit ab eo alienus, vsque in finem huius temporalis vitæ non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro: hoc scilicet tam grande peccatum, ut eo teneantur cuncta peccata, quod non probatur ab aliquo esse commissum, nisi cum de corpore exierit. Quādiu verò hic viuit, eum (sicut dicit Apostolus) patientia dei ad poenitentiam adducit. Sed nescio an hæc, Matthæi mentem spirent. Non me præterit Phariseos in spiritum blasphemasse, etiam antequam ex hac vita discederent. Sed ille de finali impoententia loquitur, nec tamen nimis syncerè ad literā. Insuper libro vno Enchiridij ad Laurentium, cap. 93. ita loquitur, sed ad eandem intelligentiam: Qui verò in Ecclesia remitti peccata non credens, contemnit tantam diuini muneris largitatem, & in hac obstinatione mentis, diem claudit extremum, reus est illo remissibili peccato in spiritum sanctum, in quo Christus peccata dimittit. Idem sentit libro vno de Fide ad Petrum diaconum, cap. 3. vbi dicit obduratos peccare in spiritum sanctum. Et libro vno inchoatæ expositionis epistolæ ad Romanos, dicit illum peccare in spiritum sanctum, qui desperans vel irridens atque contemnens prædicationem gratiæ, per quam peccata diluuntur, & pacis per quam reconciliamur deo, detractat agere poenitentiam de peccatis suis, & in eorum impia atque mortifera quadam suauitate perdurandum sibi esse decernit, & in finem vsque perdurat. Item libro vno de Vera & falsa poenitentia, cap. 4. non inanem assignat rationem peccati in spiritum sanctum irremissibilis, quod is scilicet, qui illo impio facinore delinquit pertinaciter, contemnit charitatem & gratiam, quæ est principium & ratio remittendi peccatum mortiferum. Spiritus sanctus (inquit) charitas est deitatis, amor est genitoris, & genitæ veritatis, qui suam gratiam nobis tribuit sui ipsius arram. Qui igitur peccat, & gratiam suam recuperare non amat, & nunquam curat ab eo diligi, qui totus est amor & charitas, nec ad eum tendit, vnde sumpsit arram, in spiritum sanctum peccat, & nunquam post mortem, sicut nec viuens consequetur veniam. Explicans Lyranus illum Matthæi locum, dicit omne peccatum ex ignorantia & infirmitate procedēs, & blasphemiam pariter ex talibus profectam, posse remitti, quia non est contrarium remissionis principio, uti est peccatum in spiritum sanctum, cuius sex sunt species: Desperatio, Præsumptio, Obstinatio, Finalis impoententia, Inuidentia fraternæ gratiæ, Impugnatio veritatis agnitæ. ¶ Sciscitabitur quispiam An qui negauerunt Christum in persecutione, peccauerint in spiritum sanctum. Ita enim apparet. Nam (ut dictum est ex Hylario) qui negat deum in Christo, peccat in spiritum sanctum. sed qui negat Christum imminente mortis etiam acerbæ periculo, negat deum esse in Christo: igitur. At pugna est in aduersum de peccato Petri, cum abnegauit Christum, quod tamen fuit expiatum, & ob hanc causam non videbatur esse in spiritum sanctum. Nam infirmitas, & timor mortis, impediēbat quominus illud peccatum esset in spiritum sanctum. ¶ Dicit ad dirimendum hunc scrupulum Hieronymus Epistola ad Marcellam, peccatum fuisse in filium hominis, his qui Christum in persecutione negauerunt, & illi in spiritum sanctum non blasphemauerunt. Si quis à quopiam sciscitaretur an sit Christianus, & diceret se non esse Christianum, peccaret solum in filium hominis, & non inferret blasphemiam spiritui sancto. Si autem negando Christum, simul negaret spiritum sanctum, faceret blasphemiam spiritui sancto. Et ex eo peccatum in spiritum sanctum remitti non potest, quia habet blasphemiam & quidem spiritus, ne quis cauilletur. Cum verò obiectabas, eum delinquere in spiritum sanctum, cum negat deum in Christo, id verum esse existimo, cum & negat deum in Christo similiter & Christum, peruersa malitia, maleuolo animo, & dedita opera. Qui tamen attonita mente & terrore non modico percussus negat Christum, quem ingenuè & prompta voluntate extra pericula confiteretur, quamuis peccet, non tamen peccato in spiritum sanctum. Et peccatum in spiritum sanctum, est blasphemiam cōtra diuinitatem dei patris, filij, & spiritus sancti. Pater enim & filius, cōmuniter dicuntur spiritus sanctus. Deus enim,

Roma. 2.

Lyranus.

Hieronymus.

vt in Euangelio Ioannis scriptum est, spiritus est: & hanc puto esse rectam Euangelij intelligentiam. Dicunt Scholastici Doctores peccatum in spiritum sanctum, esse contra bonitatem spiritui sancto attributam, & illud est peccatum ex certa malitia, nec tamen mihi suadere possum omne peccatum ex certa malitia perpetratum, esse in spiritum sanctum, sic quod sit irremissibile, vt etiam præterdit Euangelica doctrina. Nam furtum vel fornicatio, potest ex certa malitia committi: quod si quis repente furti commissi poenitentia afficiatur, tale peccatum dignum erit venia. Sed forsitan dices: Illud peccatum ex certa malitia admissum, ex se non esset remissibile, sed magis ex dei misericordia, qui etiam morbos incurabiles curat. Nec his reclamo dictis. Addendum tamen censerem ex Augustino, si modo illi malitiae annexa sit obstinatio, aut duritia, nisi illi loquantur de certa malitia, vt indicet specialem contemptum effectus spiritus sancti in nobis. vt dicit Thomas 2. 2. quaestione 14. Arti. 1. Et quia patri accommodatur potentia, peccatum ex infirmitate, est contra patrem. Filio attribuitur scientia, siue sapientia: idcirco peccatum ex ignorantia, est in filium. ¶ Secunda assertionis parti, astipulatur Augustinus, libro vno contra mendacium ad Consensum, cap. 19. vbi dicit, Peius est blasphemare, quam peierare: quoniam peierando falsa rei adhibetur testis deus: blasphemando autem, de ipso falsa dicuntur deo. Tanto est autem quisque inexcusabilior, siue periurus, siue blasphemus: quanto magis ea, quae peierando, vel blasphemando asserunt, falsa nouerunt esse, vel credunt. Et nobis momentum adfert Glossa ordinaria, exponens illum Esaiæ locum, Ad populum terribilem, post quem non est alius: Omne enim peccatum, inquit, comparatum blasphemiae, leuius est. Et ex eo blasphemia, scelus omnium est maximum, eo quod cum aduersetur spontaneae fidei confessioni, inuoluit in se grauitatem infidelitatis, & peccatum illud sit grauius, si illi detestatio voluntatis superuenerit: & magis, si prorumpat in verba.

CAPVT XVI.

Bigamus reputatur, qui ante baptismum habuerit vnam vxorem, & post baptismum alteram. ¶ Hæc suffulciatur assertio ex doctrina Ambrosij, quam refert Gratianus, distinctione 26. capite Vna. Dicit enim Ambrosius, libro primo Officiorum, capite 50. De castimonia autem quid loquar (vbi differit de continentia eorum, qui sacris addicti sunt officijs) quando vna tantum, nec repetita permittitur copula? Et in ipso ergo coniugio lex est, non iterare coniugium, nec secundae coniugis fortiri coniunctionem. Quod plerisque mirum videtur, cur etiam ante baptismum, iterato coniugio ad electionem muneris, & ordinationis prerogatiuam, impedimenta generentur, cum etiam delicta obesse non soleant, si lauacri remissa fuerint sacramento. Sed intelligere debemus, quia in baptismo culpa dimitti potest, lex aboleri non potest: in coniugio non culpa, sed lex est. Quod culpæ est igitur, in baptismo relaxatur: quod legis est, in coniugio non soluitur. Hoc memoria dignum existimauit Innocentius, Rufus, & Eusebio, & ceteris Episcopis Macedonibus, capite Deinde, eiusdem distinctionis. Confirmat propositionem eandem Gratianus ex Augustino (vt dicit) capite Acutius, quod etiam habetur 29. quaestione 3. eodem capite. Acutius intelligunt, qui nec eum qui catechumenus vel paganus habuerit vnam ante baptismum, & post baptismum habuerit alteram, ordinandum censuerunt: quia de sacramento agitur, non de peccato propter sanctitatem sacramenti. Sicut si foemina catechumena vitata est, non potest post baptismum inter dei virgines consecrari: ita non absurde visum est, bigatum non peccasse, sed normam sacramenti amisisse, non ad vitæ meritum, sed ad ordinationis signaculum. Vnius vxoris vir Episcopus, significat ex omnibus gentibus vnitatem vni viro Christo subditam. Sicut duobus dominis seruire, sic ab vno domino apostatare, atque in alterius superstitionem ire non licet. Assignat Glossa in eadem distin. 4. rationes quare Bigamus non potest ordinari: Vna propter defectum sacramenti, quia non est ibi sacramentum vnitatis, cum carnem suam diuiserit in plures.

Augustinus

Glossa ordi.
Esaiæ 18.

Ambrosius.

29. quaest. 3.

Item propter prerogatiuam ordinum: Tum propter signum incontinentiae, ex eo quod de vna tranfuit ad alteram: Insuper, quod negligit hortari viduitatem.

¶ At decertabit quispiam, Beatus Hieronymus in epistola Oceano, non inhihet quempiam posse episcopi dignitatem assequi, qui vnam habuit vxorem ante baptismum, & alteram post baptismum. Et insultat in aduersarios, & exemplo, & argumentis. Nosti, inquit, problema: Carterius Hispaniae Episcopus, homo & aetate vetus, & sacerdotio, vnam antequam baptizaretur, alteram post lauacrum priore mortua duxit vxorem. Et arbitraris eum contra apostoli fecisse sententiam, qui in catalogo virtutum, Episcopum vnius vxoris virum præcepit ordinandum? Ratione ita contendit. Si baptismus nouum hominem facit, & ex toto nouum creat, nihilque in eo veteris hominis reseruatur, non potest nouo imputari, quod in veteri fuit. Tum etiam, si Apostolus non catechumenos in clerum elegit, sed fideles: fidelis autem est, qui Episcopus ordinatur, vitia catechumeni non imputabuntur fidei. Nec quis dubitat Apostolum de baptizatis sermonem fecisse, cum dixit: Oportet enim Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, &c. Et aliubi: Si quis sine crimine est, vnius vxoris vir. Quod si dixeris hanc bigamiam non esse peccatum, sed impedire quo minus quispiam possit ad sacros promoueri ordines: retorquet Hieronymus, Quomodo quod peccatum non fuit, in peccatum reputabitur? Omnia scorta, & publicæ colluionis sordes, impietas in deum, parricidium, & incestus in parentes, atque in extraordinarias voluptates vtriusque sexus mutata natura, Christi fonte purgantur, vxoris inhærebunt macula, & lupanaria thalamis præferentur? Ad argumentum illius Epistolæ, dicit Erasmus, Hieronymum appellasse illorum opinionem, qui dicebant neminem posse creari in Episcopum, qui ante baptismum habuisset vxorem, & ea mortua, post susceptum, alteram duxisset, Cainam hæresim. pace tamen Erasmi dixerim, illa non erat Caina hæresis, vt ex illa Hieronymi Epistola possum colligere. Sed illi dicebant esse aliqua peccata, quæ Christus non possit purgare suo sanguine, & tam profundas scelerum pristinorum inhærere corporibus atque animis cicatrices, vt medicina illius attenuari non queant. Nemo autem dicit Digamiam esse peccatum, sed efficit, vt qui iterauit coniugium, licet non habeat culpam coinquinati, prerogatiua exuat sacerdotis (vt dicit Ambrosius, Epistola ad Vercellenses) & recensetur distinctione 26. capite, Qui sine crimine. Tum etiam Hieronymus in Epistola ad Titum, ad locum illum: Vnius vxoris vir: suas validissime tuetur partes, vbi ita loquitur: Multi superstitiosius magis, quam verius, etiam eos qui cum gentiles fuerint, & vnam vxorem habuerint, qua amissa post baptismum Christi alteram duxerint, putant in sacerdotio non legendos: cum vti que si hoc obseruandum sit, illi magis ab Episcopatu arceri debeant, qui vagam per meretrices antè exercentes libidinem, vnam regenerati vxorem acceperint, & multo detestabilius sit fornicatum esse cum pluribus, quam digamum reperiri, quia in alio infelicitas matrimonij est, in alio ad peccandum prona lasciuiam. ¶ Diluendæ sunt Hieronymi rationes in nostram assertionem obiectæ. Cum ille profert Carterium quendam fuisse Episcopum, tamen si vnam habuerit ante baptismum vxorem, & ea mortua alteram post sanctissimum lauacrum: Dico, id illi ex prudenti quadam & honesta dispensatione concessum fuisse, sicut Lucius Papa dispensauit cum Episcopo Panormitano bigamo. Nec sine vrgenti negotio, & maxima vtilitate, non solum eius cui tale munus confertur, sed etiam ipsius Ecclesiae, debet fieri dispensatio. Forsitan præter debet Hieronymus (vt dicit Thomas) eum non esse bigamum, si quis vnam habuerit vxorem ante baptismum, & ea mortua, alteram post baptismum, quantum ad sanctiorem superioris dispensationem. Aut dic aliter, & rectius (vt idem dicit Thomas) Ecclesiam hac in re non sequi sententiam Hieronymi. Et cum dicit Hieronymus baptismum, nouum efficere hominem, fatemur in discussa & abstetia peccatorum macula, & poena ex originali scelere consequuta, nec tamen tollit omnem

1. Timot. 3.

Ad Titum 1.

Erasmus.

Ambrosius.
Distin. 26.

Thomas.

poenam. Non enim aliquis fonte baptismatis lotus, virginitatē recuperat, nec carnis indiuisiōnem: idcirco non dirimit irregularitatem bigamiæ annexam, quæ tollit significationem sacramenti matrimonij, quæ est coniunctio Christi ad Ecclesiam, vnius scilicet ad vnam: bigamus autem carnē suam diuisit in plures, & pluribus vxoribus se commiscuit. Contendit Hieronymus de peccato, quod diluitur baptisate, nec id negant qui sectantur Ambrosium, & Augustinum. Illi autem de bigamia, quæ non est peccatum, sed inducit quandam irregularitatem, nec reputatur in peccatū, quod tamen videtur sentire Hieronymus: nec est poena inflicta, sed defectus sacramenti matrimonij. Et licet fœdere nuptiarum copulatus alicui vxori, sectaretur fœdissimas meretricum libidines, & spurcissimam scortorū cloacam, & longè maiora, & sceleratiora admitteret vitia, quàm bigamus: non tamen in illa monogamia obscenè & turpiter fœdata, est defectus sacramenti, sed in digamia, ex qua contrahitur irregularitas, quæ baptismō non auferitur, sed culpa.

¶ Diuersæ sunt inter Doctores scholasticos, de dispensatione bigamiæ opiniones. Quidā dicūt (vt Thomas, & Durādus, quibus adhæreo) Papam posse cum bigamo dispensare, vt ad sacros promoueat ordines. Nam in defectibus, qui non sunt de iure naturali, nec diuino, sed solum ex decretis, & statutis iuris positui, potest Romanus pontifex dispensare. Sed irregularitas bigamiæ annexa, non est iuris diuini, nec naturalis, sed solum iuris positui: igitur in illa potest Romanus pontifex dispensare. Maior suadet, quod bigamus ordinetur, non aduersatur rationi naturali, nec articulis fidei. Nec dicendum est illam irregularitatem esse ex his, quæ attinent essentiam ordinis, & quæ sunt illi intrinseca. Nam bigamus ad sacros ordines accedens, characterem recipit. ¶ At dices: Non potest Romanus pontifex dispensare in his quæ continentur in canonicis scripturis, quia canonicæ literæ sunt iuris diuini, sed in canonicis scripturis continetur Episcopū non esse bigamum, sed monogamum. Nam (vt dictum est) inquit Paulus: Oportet Episcopum esse vnius vxoris virum. Tum etiam nullus potest dispensare in his, quæ sunt sacramento necessaria, sed non esse irregularem, est necessarium sacramento ordinis, cum desit signifikatio essentialis sacramento: igitur. Insuper, Extra de bigamis dicitur, quod cum clericis, qui quantum est in ipsis, secundas mulieres matrimonialiter sibi coniunxerunt, tanquam cum bigamis dispensare non licet. ¶ Velim singulis obiectionibus eam sanè adhiberi solutionem, vt nulli displiceat, quod dicturi sumus. Cum igitur primo obijcis, neminem posse dispensare in canonicis scripturis, non inficiamur hoc verum esse in his, quæ concernūt ius naturæ, & diuinum, & necessitatē fidei, & sacramentorū. Sed potest Papa, Apostolica interpretari statuta, & in illis dispensare. Quis enim negabit Ecclesiam ea nunc præcellere autoritate & maiestate, qua & olim excelluit: potuit autem temporibus apostolorum multa instituere, & destituere. potest igitur & modo, multa instituere, & destituere. Addemus & alteram solutionem nequaquā aspernandam. Cum dicit Paulus: Oportet Episcopum esse vnius vxoris virum: non huiusmodi præscribit sancita, vt non liceat Episcopum fieri absque vxore, sed eius rei modum constituit. Iudæis quippe licitum erat etiam secundo matrimonio iungi, & duas itidem habere simul vxores: honorabiles enim sunt nuptiæ. Quidam verò hoc ita intelligunt, vt scilicet ad Episcopatū is assumatur, qui vnius fuerit vxoris vir. Itaque qui vnam habuerit vxorem, non sit habiturus secundam, si velit in sacerdotum ordinem ascribi. Hæc habemus partim ex Chrystostomo, homilia 10. in 3. caput primæ Epistolæ Pauli ad Timotheum. Aut illa ferebāt tempora, vt qui nō poterat abstinere à voluptatibus venereis, sic vnam permissione quadam, haberet vxorem, quasi nullam haberet. Satis intelligo, quàm propensa sit Glossa ordinaria Hieronymo, exponēs locum illum: Vnius vxoris virum, id est (vt inquit) monogamum post baptismum. Si enim & antè, coniugem habuit, quæ obierit: non ei imputatur, cui prorsus nouo, nec supra, nec alia, quæ antè fuerunt, iam obsunt. Fauet & eidem Lyranus, Vnius scilicet vxoris post baptismū.

Chrystosto:

Glossa ordi:

Lyranus:

Si enim ante baptismum habuit vxorem, & mortua fuerit, nō præiudicat ei, quin post baptismum possit accipere vnam aliam, quia baptismus tollit illam irregularitatem. Sed his minus adhæreo, quàm receptissimis Ecclesiæ sanctionibus. ¶ Ad illud quod secundo obijcitur, respōdeo: Nullus potest dispensare in his, quæ sunt necessaria sacramento. Concedimus. Sed non qualibet significatio, est necessaria sacramento, & de eius essentia, sed solum illa, quæ spectat ad officium sacramenti, & hæc non tollitur per irregularitatē. Est enim quædam significatio huius sacramenti, repræsentantis coniunctionem Christi ad animam fidelem. Ad tertiam dico obiectionem, ex illa Decretali, posse colligi difficultatem dispensandi in illis, qui ipso facto cum pluribus contraxerunt, ac si iure contraxissent: non tamen quod subtrahatur Papæ potestas dispensandi in talibus. Adnotes velim per transennam & cursim, Sex modis cōtrahi Bigamiam. Primus, quando quis diuersis temporibus, diuersas habet vxores legitimas, & quamlibet illarum cognoscit, 28. quæstione vltima, capite Accursius. Secundus, quando diuersis temporibus habet plures vxores, alteram de iure, alterā de facto, extra de Bigamis, Nuper. Tertius, quando eodem tempore habet plures vxores, alteram de iure, alteram de facto, & cognoscit omnes. Quartus, quando cōtrahit cum vidua, vel corrupta ab aliquo, distin. 38. capite Maritum, & extra de Bigamis, capitulo Debitum. Quintus, quādo cognoscit vxorem propriam, postquam ab altero fuerit cognita, distin. 34. Si cuius. Sextus, quādo post solenne votum continentiæ, contrahit de facto, licet de iure non possit, 21. quæstione 1. Quotquot. Bigamus, vt habetur 6. decretalium, libro 1. de Bigamis, nudatus est omni priuilegio clericali, & est coercionem fori secularis addictus, & sub anathemate ei prohibetur tōsuram deferre. ¶ Sed admirabitur quispiam, quare bigamus, siue ante baptismum, siue post, est irregularis: homicida tamen ante baptismū, non est irregularis post baptismum: vt habetur distin. 50. Si quis viduam. Hunc dirimit scrupulum Scotus in 4. distin. 33. quæstione 2. dicens illam poenam homicidij perpetrati, remitti in baptisate: non autem bigamiam, ex statuto Ecclesiæ, volētis istam poenam non remitti, bene tamen illam. Congrua & rationabilis videtur hæc Ecclesiæ institutio, quia homicida ille non est inhabilis ad ordines, nisi propter horrorem sanguinis effusi, quo præpeditus fuit Dauid adificare templum domino, 2. Regum 7. capite. Iste autem horror auferitur in baptisate, quia præsupponitur, quod de lupo factus sit agnus. Sicut & Paulus ante baptismum persecutor, post baptismum factus est agnus & pastor. Aliter contingit in bigamo. Nam illa inhabilitas (vt sic loquar) non cessat in baptisate, quia semper remanet defectus sacramenti, qui non tollitur, nisi per specialem dispensationem. ¶ Alij dicunt Romanum pontificem non posse dispensare in bigamia, nec tollere illum defectum, qui bigamiæ est annexus. Nam irregularitas bigamiæ annexa, nō solū est ex iure humano, sed etiam ex iure diuino, in quo Papa non potest dispensare. Quia inferior non potest dispensare in statutis sui superioris, vt Episcopus non potest dispensare in statutis Romani pontificis. Et suam muniunt opinionem rationibus aduersus communem opinionem adductis, quibus satisfecimus. Negandum est, quod isti asseuerant, irregularitatem Digamiæ annexam, esse ex iure diuino, vt præmonstrauimus.

CAPVT XVII.

Beatitudinem cælestem non esse æternam, hæresis est Origenis: si & Augustino, & plerisque alijs non vulgaribus sacræ scripturæ interpretibus crediderimus. ¶ Posuit enim Origenes quasdam cōtinuas alternationes beatitudinis & miseræ, ita vt transactis aliquot annorum curriculis, animas dicat esse beatas, iterum tamen in mortalia corpora reuersuras: in quibus perdifficiles corporis molestias sufferent, & inde ad beatitudinem reuocabuntur, & à beatitudine rursus ad miseriam deflectent. Et eodem modo sentit de miserijs. Vnde euenit, vt dicat dæmones aliquando fore saluandos. cuius sententias aliquot in locis libri 3. Peri Archon, siue de principijs, in nostrā linguam verfas, huc non pige-

Scotus:

2. Regū. 7.

Origenes.

bit accersere. Possibile nanque est, inquit capite 1. vt vas hoc, quod ex priorib⁹ caufis in hoc mundo ad honorem factum est, si negligentius egerit, pro conuersationis suae meritis, in alio saeculo efficiatur vas ad contumeliam: & quod vas ad contumeliam à creatore formatum est, vt emendauerit se, atque ab omnibus fordibus vitiosisq; purgauerit, illo nouo saeculo potest effici vas ad honorem sacrificatū, & vtile ad omne opus bonū paratū. Denique, qui in hoc saeculo vt Israelitae essent, à deo formati sunt, & indignam vitam generis sui nobilitate gesserunt, atque ab omni familiae suae generositate deciderunt, isti quodam modo ex vasis honoris pro incredulitate sua in saeculo venturo, in vasa contumeliae conuertentur: & multi rursus, qui in hac vita inter Aegyptia, vel Idumaea deputati sunt vasa, Israelitarum fide ac conuersatione suscepta, cum opera Israelitarum fecerint, Ecclesiam domini ingressi in reuelatione filiorum dei, vasa honoris existent. Ex quo magis conuenit regulae pietatis, vt credamus vnumquenque rationabiliū, secundum propositum & conuersationem suam, aliquando ex malis ad bonum conuerti, aliquando à bonis ad mala decidere: nonnullos manere in bonis: alios verò etiam ad meliora proficere, & semper ad superiora conscendere, vsquequo ad summū omnium perueniant gradum: alios verò manere in malis, vel si diffundere se vltra in eis malitia coeperit, proficere in peius, & vsque ad vltimum profundum malitiae demergi. Vnde & arbitrandum est possibile esse aliquos, qui primo quidem à paruis peccatis coeperint, in tantam malitiam diffundi, & in tantum malorum venire profectum, vt nequitiae modo & aduersarijs potestatibus exequentur: & rursus, si per multas poenarū graues animaduersiones respiscere aliquando potuerint, & paulatim medelam vulneribus suis requirere tentauerint, cessante malitia reparari posse ad bonum. Ex quo opinamur quoniam quidem (sicut frequenter diximus) immortalis est anima & aeterna, quod in multis & sine fine spatijs, per immensa & diuersa saecula possibile est, vt à summo bono ad infinita mala descendat, & ab vltimis malis ad summa bona reparatur. Et capite 6. eiusdem libri, differens quomodo dicatur deus esse in omnibus omnia, dicit: Per singulos autem erit hoc modo, vt quicquid rationabilis mens, expurgata omnium vitiorum face, atque omni penitus absterfa nube malitiae, vel sentire, vel intelligere, vel cogitare potest, omnia deus sit, nec vltra iam aliud aliquid, nisi deum videat, deum teneat, omnis motus eius deus, modus & mensura sit, & ita erit omnia deus. Non enim vltra mali, bonique discretio, quia nusquam malum: omnia enim ei deus, cui iam non adiacet malum, nec vltra ex arbore sciendi bonum & malum manducare concupiscet, qui semper in bono est, & cui omnia deus est. Sic ergo finis ad principium reparatus, & rerum exitus collatus in initijs, restituet illum statum, quem tunc habuit natura rationabilis, cum de ligno sciendi bonum & malum comedere non egebat, vt amoto omni malitiae sensu, & ad sincerū, purūque deterfo, solus qui est vnus bonus deus, hic ei fiat omnia, cum nusquam mors, nusquam aculeus mortis, nusquam omnino malum, tunc verè deus omnia in omnibus erit. Verum istam perfectionem ac beatitudinem rationabiliū creaturarum vel naturarum, ita demum quidam permanere in eodem statu, quo supra diximus putant, id est, vt deum omnia habeant, & deus eis sit omnia: si nullatenus eas societas naturae corporali admoueat. Alioqui existimant gloriam summam beatitudinis impediri, si materialis substantiae interseratur admixtio. Et in eodem capite, dicit omnia restituenda in vnum, cum deus fuerit omnia in omnibus: quod tamen non subito fieri, sed paulatim & per partes intelligendum est. In finitis & imensis labentibus saeculis, cum sensim & per singulos emendatio fuerit, & correctio profecuta, praecurrentibus alijs, & velociori cursu ad summa tendentibus, alijs verò proximo spatio insequentibus, tum deinde alijs longè posterius, & sic per multos & innumeros ordines proficientium, ac deo se ex inimicis reconciliantium peruenitur ad nouissimum inimicum, qui dicitur mors, vt etiam ipse destruat, ne vltra sit inimicus. Cum ergo restituta fuerint omnes rationabiles animae in hu-

iuscemodi statum, tunc natura etiam huius corporis in gloriam perducetur. Et hoc insanam sapere haesim, & periculosissimam existimo. Toto enim caelo hac in re aberrat Origenes. Primo labitur, quod dicat omnes animas in pristinum statum reparandas, ita quod illae, quae in inferis cruciantur, aeterna aliquando beatitudine fruuntur. Secundo periclitatur, quod dicat naturam huius corporis non perducere ad gloriam, nisi prius omnes rationabiles animae fuerint in felicissimum suae dignitatis statum restituta. Nec Origenes negauit animas aliquando cum deo in aeterna beatitudine permanuras. Nam recipit sententiam Pauli dicentis: Domū habemus non manufactā, aeternā in caelis. Sed hoc non putat futurū, donec vasa indignitatis, cōtumeliae, & dedecoris, facta fuerint post repurgationem, vasa honoris, & beatitudinis habitaculū. Sed aduersus Origenem ostendemus ex propheticis oraculis, à beatitudine diuina ad miseriam non esse prolapsū. Scribit Daniel, In tempore illo saluabitur populus tuus, omnis qui inuētus fuerit scriptus in libro. Et multi de his qui dormiunt in terra puluere euigilabunt, alij in vitam aeternam, alij in opprobrium, vt videant semper. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iusticiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates. Et aliubi idem propheta: Et accipient regnum sancti altissimi, & obtinebūt illud vsque in saeculum, & vsque in saecula saeculorum. Et paulò post: Regnum eius regnum sempiternum. Et haec Danielis testimonia adfert Augustinus, libro 22. de Ciuitate dei, capite 31. vbi differit de promissione aeternae beatitudinis sanctorū, & perpetuis supplicij impiorū. Nec addubitandum est, Daniele loquutum de promissa illis aeterna beatitudine, qui gratia dei exornati hinc ad caelum erant commigraturi, & de aeternis pariter poenis, quae illis destinatae erant, qui peccato mortali onerati, ex hoc corporis domicilio erāt discessuri. Et hanc veritatē firmissimè tenendam nos docent Euangelicae literae. Cum enim Christus demiratus fuisset fidē Centurionis, dixit sequentibus se: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel. Dico autem vobis, quod multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno caelorum. Filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium. Nec illic loquitur Christus de regno temporaneo, quod qui incolit securus non est, si in eo permanebit. Neque de tenebris momento quodam duraturis, sed de illis, quae diuino nunquam lumine ac caelesti gratia illustrantur. Tum etiam vbi Christus extremum comminatur supplicium illi ciuitati, quae non recepit apostolos, dicit: Amen dico vobis, tolerabilis erit terra Sodomorum, & Gomorrhoeorum in die iudicij, quàm illi ciuitati. Nec contendendum est eo in loco de iudicio humano, quod plerunque amicis, fauore, & pecunijs labefactatur: sed de diuino, quod optimis est suauissimum, & iucundissimum: pessimis verò, amarissimum, & asperrimum, in quo Christus aeternum Euangelicae religionis obseruantissimis praemium rependet: his verò, qui nephandissimam & maximè execrandam daemorum vitam sectantur, perpetua irrogabit tormenta. Sed perpende quae so, & attentius considera, quàm atrocem, nec vllò finiendam tempore impreceur maledictionem illis ciuitatibus, in quibus cum multa & praecleara adidisset miracula, non tamen egerūt poenitentiam: Vae tibi Chorozaim, vae tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sydone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio & cinere poenitentiam egressent. Veruntamen dico vobis, Tyro, & Sydoni remissius erit in die iudicij, quàm vobis. Et tu Capharnaum, nunquid vsque in caelum exaltaberis: vsque in infernum descendes. Quia si in Sodomis factae fuissent virtutes, quae factae sunt in te, fortè remansissent vsque in hanc diem. Veruntamen dico vobis, quia terrae Sodomorum remissius erit in die iudicij, quàm tibi. Et aliubi: Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & stridor dentium. Tum etiam dicit Christus de vitando membrorum scandalo: Melius est tibi ad vitam ingredi debilem, vel claudum: quàm duas manus, vel

2. Corin. 5.

Danic. 12.

Danic. 7.

Augustinus

Matth. 8.

Matth. 10.

Matth. 11.

Matth. 13.

Matth. 18.

duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Insuper dicit Christus de his qui se præstiterunt admodum liberales erga egenos, & præclara eleemosynæ officia exer-
 Matth. 25. cuerunt: Ibunt ij in vitam æternam: qui verò non pauperunt famelicos, ibunt in ignem æternum. Et apud Lucam dicit angelus de filio dei, cum ex virgine Maria nasciturus erat: Dabit illi dominus deus sedem David patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. frequens est vitæ æternæ mentio in Euangelio Ioannis. Hæc illic loquitur Christus: Sic enim deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Et aliubi: Qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam. Tum etiam de perpetuo cibi spiritalis fructu, dicit Christus: Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Insuper, Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Quod si quis hæsitet de vita æterna, si nam perpetuò ea fruatur, iam non est beatus, nec summe felix, qui non est certus se perenni gaudio victurum cum deo. Dicit enim Augustinus, libro 10. de Ciuitate dei, capite 30. vitam beatissimam esse non posse, nisi de sua fuerit æternitate certissima. Et libro 12. eiusdem operis, capite 13. vbi reprehendit Platonicos, qui crediderunt quadam sæculorum reuolutione, & temporum circuitu, vniuersa semper in eundem ordinem, eandemque speciem reditura, ita loquitur: Quomodo enim vera beatitudo est, de cuius nunquam æternitate confiditur, dum anima venturam miseriam, aut imperitissimè in veritate nescit, aut infelicissimè in beatitudine pertimescit? At si ad miseriam nunquam vltius reditura, ex his ad beatitudinem pergit, sit ergo aliquid noui in tempore, quod finem non habet temporis. Cur non ergo & mundus? Cur non & homo factus in mundo? Vt illi nescio qui falsi circuitus à falsis sapientibus, fallacibusque comperti, in doctrina sana tramite recti itineris euitentur. Nam quidam & illud quod legitur in libro Salomonis, qui vocatur Ecclesiastes: Quid est, quod fuit? Ipsum quod erit. Et quid est quod factum est? ipsum quod fiet, & non est omne reces sub sole, nec quisquam loquitur, & dicit: Ecce hoc nouum est: iam fuit in sæculis, quæ fuerant ante nos. Propter hos circuitus in eadem redeunt, & in eadem cuncta reuocantes, dictum intelligi volunt, quod ille, aut de his rebus dixit, de quibus superius loquebatur, hoc est, de generationibus alijs euntibus, alijs venientibus: de solis anfractibus, de torrentium lapsibus, aut certè de omnium rerum generibus, quæ oriuntur atque occidunt. Et paulò post ait: Absit autem à recta fide, vt his Salomonis verbis, illos circuitus significatos esse credamus. Nec Plato mortuus ad hæc aliquando redibit tempora, vt iterum Athenis philosophetur, vbi aliquando doctè philosophatus est. Semel enim Christus mortuus est pro peccatis nostris, resurgens autem à mortuis iam non moritur, & mors illi vltra non dominabitur. At nos post resurrectionem semper cum domino erimus, cui modo dicimus, quod facer admonet psalmus: Tu domine seruabis nos, & custodies nos à generatione hac in æternum. Satis autem existimo istis conuenire, quod sequitur: In circuitu impij ambulant, non quia per circulos, quos opinantur, eorum vita est recursura: sed quia modo talis est erroris eorum via, id est, falsa doctrina. Taxat latenter Origenem & eius assertores, cum dicit: Nam quidam & illud quod legitur in libro Salomonis, &c. Placuit quippe Origeni, libro 2. Peri Archon, ante hunc alium fuisse mundum, & post istum alium futurum. Vis discere, inquit, quod post corruptionem huius mundi, alius sit futurus? Audi Esaiam loquentem: Erit cælum nouum, & terra noua, quæ ego facio permanere in conspectu meo. Vis nosse, quod ante fabricam huius mundi, alij mundi in præterito fuerint? ausculta Ecclesiasten: Quid est quod fuit? ipsum quod erit: & quid est quod factum est? ipsum quod futurum est: & non est omne nouum sub sole, quod loquatur & dicat, ecce hoc nouum est. Iam enim fuit in sæculis pristinis, quæ fuerunt ante nos. Hæc ille. Edisserens Hieronymus locum illum: Quid est quod fuit? ipsum quod erit, dicit: Videtur mihi de his, quæ supra enume-

rauit, generatione & generatione: mole terrarum: ortu solis & occasu: cursu fluminum: magnitudine Oceani, omnibusque quæ aut cogitatione, aut visu vel auribus discimus, nunc communiter loqui, quod nihil nouum sit in natura rerum, quod non antè iam fuerit. Ab initio enim mundi, & homines nati, & mortui sunt, & terra super aquas constitit librata: & sol ortus occubuit. Et ne plura percurram, & aurbus volare, & natate piscibus, & terrestribus ingredi, & serpentibus labi, deo artifice concessum est. Et cum luculenta & graui interpretatione, explicat locum illum: Est ne verbum, de quo dicatur, vide hoc nouum est? Iam fuit in sæculis, quæ fuerunt ante nos. Apertius hoc Symmachus transtulit: Putasne est qui possit dicere: Vide hoc nouum est, & iam factum est in sæculo, quod fuit ante nos? Cum superioribus autem congruit, quod nihil nouum in mundo fiat, nec sit aliquis qui possit existere, & dicere, Ecce hoc nouum est: siquidem omne quod se putauerit nouum ostendere, iam in prioribus sæculis fuit. Nec putemus signa atque prodigia, & multa quæ arbitrio dei noua in mundo fiunt, in prioribus sæculis iam esse facta, & locum inuenire Epicurum, qui asserit per innumerabiles periodos, eadem & eisdem in locis, & per eosdem fieri. Alioquin & Iudas crebro prodidit, & Christus passus est sæpe pro nobis, & cætera quæ facta sunt, & futura, in easdem similiter periodos reuoluentur. Sed est dicendum, quod ex præscientia & prædestinatione dei iam ea facta sunt, quæ futura sunt. Qui enim electi sunt in Christo ante constitutionem mundi, in prioribus sæculis iam fuerunt. Hæc ille. Sed semper intellige illos fuisse, non quidem simpliciter, sed secundum diuinam præscientiam & prædestinationem. Sicut dicit Paulus: Elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius, in charitate. Contendit vna ratione non infirma Alphonfus à Castro, libro tertio aduersus hæreses, tertia hæresi, in Origenem, sed percontationis forma: Vtrum anima, quæ iam beatitudinem adepta est, sciat suam beatitudinem aliquando finiendam: an prorsus ignoret. Si penitus nescit suam beatitudinē aliquando finiendam: oportebit tunc Origenem fateri nos in huius sæculi miseria existentes, peritiores esse quàm beati sint in illa futura beatitudine. quoniam in hoc sæculo existentes, noscimus futuram esse aliquando beatitudinem, beati autem ignorat futuram miseriam. Nos etiam in hoc sæculo vitam agentes, scimus iuxta Origenis sententiā beatorum felicitatē aliquando desiturā, quod cum ipsi ignorent, consequens est vt peritiores simus illis. Si autē finem suæ felicitatis scit anima beata, hac sola ratione misera esse cōuincitur, quoniā semper erit cum metu amittēdi quod amat. At metus passio quædam est animæ, & qui timet quodam modo patitur, & quandā miseriam sustinet. Præterea metus ille quodam modo vim amoris remittit. Tepidius enim quisque amat id quod scit se aliquando deserturum: quapropter fiet vt beatus sciēs suam beatitudinē aliquando finiendā, remissè ac tepidè amet eandē. Hoc enim vnico & fortissimo argumento Christus ab amore diuitiarum separare nos voluit, quod aliquando peritura essent. Nolite, inquit, thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi erugo & tinea demolitur: & vbi fures effodiunt atque furantur. Rursum si beatus scit suam felicitatem desiturā: multo beatius & quærius viuet hic anima in hoc sæculo, quàm illic in illa beatitudine: & tanto beatius, quanto melior est spes certa boni acquirendi, quàm metus mali imminētis. Miser siquidē in hoc sæculo viuens, spem habet futuræ beatitudinis: beatus autem metum patitur futuræ miserie, ad quam (iuxta Origenem) post aliquot annorum curricula est reuocandus. ¶ Taceo quid sentiant quidam Scholastici Doctores de illa beatitudine cælesti, quæ existimant non includere in se perpetuitatem, quia est forma accidentaria & extrinseca beato. Licet enim lege dei posita & ordinata, beatitudo cælestium spirituum sit æterna, hoc tamen ex sola dei gratuita voluntate ita ordinante, contingit. Si enim beatus ad hæc rediret sæcula, & iterum peregrinaretur, posset labi, & de illa beatitudine in miseriam decidere. Et ita beatus, potest esse miser: & miser, beatus: & potest rursus beatus, suam mereri beatitudinem. Nec negant

Ephe. vi
Alphonfus à Castro

Matth. 6.

potentia dei absoluta, esse commigrationem de beatitudine ad miseriam, & ediuerso. Sed illi mihi videntur immortalitati (quæ beatitudini copulata est) connectere mortalitatem, & asserere hominem mortuum non omnino esse à iugo mortis, & imperio liberum. quod tamen oppugnat Augustinus, libro nono de Ciuitate dei, capite decimoquarto, vbi dicit: Quidam extulerunt se, & ausi sunt dicere, sapientia compotes, beatos esse posse mortales. Quod si ita est, cur non ipsi potius medij constituuntur inter mortales miseros, & immortales beatos: beatitudinem habentes cum immortalibus beatis, mortalitatem cum mortalibus miseris? Profecto enim si beati sunt, inuident nemini. Nam quid miserius inuidencia? Et ideo mortalibus miseris quantum possunt, ad consequendam beatitudinem consulant: vt etiam immortales valeant esse post mortem, & angelis immortalibus, beatisq; coniungi. Difficile tamen est illorum subuertere opinionem & eluctari, loquendo de potentia dei absoluta, qua potest Iudam eripiendo ab inferis saluare. Alij syncerius & rectius dicere videntur: Hæc adinuicem pugnare & obuoluere contradictionem: Socrates est beatus æterna beatitudine, & Socrates potest esse miser. Si enim fiat miser, & ad horrendas dæmonum tenebras deiciatur, nunquam fuit simpliciter æterna beatitudine beatus, intellige postquam decessit à vita. Nam hæc propositio, Socrates est summè & perpetuò beatus: Hanc includit, Socrates fixè & permanenter perseuerabit in gratia dei & gloria. Adde, quòd si concedas copulationem illam, necesse erit vt hanc propositionem cõcedas: Deus potest reuelare summè & perpetuò beatis, suam futuram damnationem, quod non cõcederet August. Si enim aliquis est perfectè & summè beatus, habet quicquid vult, & nihil mali vult, nec aliqua futuri supplicij apprehensione & cogitatione torquetur: quòd si resciret se deiciendum à sedibus beatorum (quibus nihil est optabilis) ad sedes damnatorum, & miserorum carceres, vehementer discrucietur. Sed satis sit nobis disputasse, nec quicquam asseruisse. ¶ Percõtabitur quispiam, An beatitudo æterna spectanda sit penes visionem & cognitionem diuinæ essentia, an penes delectationem. Et an primario consideretur penes operationem intellectus, & non voluntatis. Nos docet Euāgelium Ioannis quidnam dicere debeamus ad agitatum percontationem. Hæc est, inquit Christus, vita æterna, vt cognoscãt te esse solum deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Dicebat etiam Philippus Christo: Domine, ostēde nobis patrem, & sufficit nobis. Tum etiam dicit Augustinus, libro vno De beata vita: Illa est igitur plena satietas animorum: hæc est beata vita, piè, perfectèque cognoscere à quo inducaris in veritatem, qua veritate perfruaris, per quid connectaris summo bono. Quòd autem perpendenda sit præsertim summa beatitudo penes operationem intellectus, suadeo: Operatio illa, quæ maximè propter se expetenda est, & in qua conquiescit ipsa ratio, est finis optimus: imò ipsum bonum nobis optimum: non autem illa, quæ ratione alterius expetitur, & ad aliud contendit: sed operatio intellectus, qualis est visio atque cognitio diuinæ essentia, maximè propter se expetenda est (alioqui in immensum atque infinitum esset ambitio) & in illa conquiescit ipsa ratio. operatio autem voluntatis, non propter se expetitur, sed propter aliud, scilicet propter operationem intellectus: quare operatio intellectus, qualis est illa beatitudo, erit finis optimus, & optimum nobis bonum: non autem operatio voluntatis, quæ est delectatio illius summi boni. delectatur enim voluntas, & proximè fruitur illa beatitudine. Nec putēs charitatem, habitum quidem voluntatis, esse simpliciter quouis habitu perfectiorem, tamen si habituum vitæ sit perfectissimus. nam lumen gloriæ nobilius est charitate. Velim tamen felicitatem ex operatione intellectus & voluntatis consummari, tamen si primario prospiciat intellectus operationem. Nec hoc obscurum erit ex Ambrosio comprobare, qui huiusce rei fidem facit cum ex euangelicis, tum ex prophetis scripturis. Ita enim loquitur, libro secundo Officiorum, capite secundo: Scriptura diuina vitam beatam in cognitione posuit diuinitatis, & fructu bonæ operationis. Denique vtri-

Ioan. 17:

Ioan. 14.
Augustinus

Ambrosius.

usque assertiois euāgelicum suppetit testimonium. Nam & de scientia ita dicit dominus Iesus: Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Et de operibus ita respondit: Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Ex Regio propheta profert testimonium: primum quidem pro cognitione dei, in qua consistit beatitudo: Beatus homo quem tu erudieris domine, & de lege tua docueris eum. De operibus quidem in alijs psalmis subiunguntur vitæ æternæ præmia, quæ suppetunt viro iusto: Beatus vir qui miseretur & commodat: vbi vulgata æditio habet, locudus homo disponit sermones suos in iudicio, quia in sæculum non commouebitur, in memoria æterna erit iustus. Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in æternum. Multa considerat Ambrosius, quæ habent vitam æternam: illam sibi comparat fides, vbi que locorum Euangelij à Christo commendata, quia fundamentum est bonum. Habent & bona facta, quia vir iustus, & dictis, & rebus probatur. Nam & si exercitatus sit in sermone, & desidiosus in operibus, prudentiam suam factis repellit: & grauius est scire quid facias, nec fecisse quod faciendum cognoueris. Contra quoque strenuum esse in operibus, affectu infidum, ita est, ac si vitioso fundamento pulchra culminum velis eleuare fastigia, quod quo plus struxeris, plus corrui: quia sine munimento fidei, bona opera non possunt manere. Infida statio in portu nauem perforat, & arenosum solum cito cædit, nec potest impositæ adificationis sustinere onera. Ibi ergo plenitudo præmij, vbi virtutum perfectio, & quædam in factis atque dictis æqualitas est sobrietatis. Studuit, vt vides, maximopere Ambrosius, vt præclara bonorum operum officia extolleret, nosque ad sectandam virtutum semitam extimulauit, & accendit, vt cum deo optimo & maximo (cui acceptum referimus quicquid in nobis est, & doctrinæ, & virtutis) beatè viuamus.

Ioan. 17:

Mat. 19:

Psal. 97:

Psal. 112:

SECUNDI LIBRI FINIS.

L. ij.

Theosophiæ Ioannis Arborei LAVDVNENSIS LIBER III.

CAPVT I.



Reata sunt omnia simul.] Hæc desumo Assertionem ex his quæ scribit Ecclesiasticus: Qui viuunt in æternū, creauit omnia simul. Nec præfert naturam spiritalem corporeæ, in forma & ratione creationis, & licet angelica natura longè præcellat humanā, non tamen creatione præcessit hominis conditionem: hoc vnum & idem beneficium à deo cum angelis, tum hominibus collatum est. Hoc artificio nulli contulit præminentiam, nullum altero despecto, extulit. Hoc creandi amore si bi: cælum, & elementa, & quæ subnectuntur elementis, deuinxit. Ad hunc locum edisserendū non nihil adnotat Lyranus, bifariam scilicet intelligi omnia creata simul, aut quòd cælum empyreum angelis repletum, creatum sit cum informi materia, quæ tandem formata est, cum distinctæ sunt formæ substantiales in opere sex dierum: aut quòd partes principales mundi, simul productæ fuerint in suis formis substantialibus, & sequens formatio intelligēda est in formis accidentarijs. Ex Augustino tamen probabimus materiam non fuisse conditam informem, sed formatam: imò non potest ferre materia, vt sit informis re ipsa, quamuis animo perceperis ipsam formis denudatam. Nec re ipsa existit materia, si exuatur omnino formis. Nostræ astipulatur assertioni Augustinus, libro 4. de Genesi ad literam, capite 33. vbi disserens in vtrāque scrupi partem, propendit ad certiore, quòd scilicet omnia creata sunt simul: & firmamentum, & aquarum congregatio, & species terrarum nudata, velut fruticum & arborum germinatio: luminarium & syderum confirmatio, aquatilia, terrestriæque animantia, simul omnia facta sunt. Sed forma disceptantis inquit, an etiam per interualla temporum secundum præfinitos dies? Verum suam proferēs opinionem, dicit postmodum, an fortè non sicut ea secundum motus eorum naturales nunc experimur: ita etiam cum primitus instituta sunt cogitare debemus? sed secundum mirabilem atque ineffabilem virtutem sapientiæ dei, quæ attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Neque enim & ipsa gradibus attingit, aut tanquam gressibus peruenit. Quapropter quàm facilis ei efficacissimus motus est, tam facile deus condidit omnia, quæ per illum sunt cõdita: vt hoc quod nunc tēporalibus interuallis ea moueri videmus ad peragenda, quæ suo cuique generi competunt, ex illis infitis rationibus veniat, quas tanquam seminaliter sparsit deus in ic̄tu condendi, cum dixit & facta sunt: mādauit, & creata sunt. Non itaque tardè institutum est, vt essent tarda, quæ tarda sunt: nec ea mora condita sunt sæcula, qua transcurrunt. Hos enim numeros tempora peragunt, quos cum crearentur non temporaliter acceperunt: alioquin si rerum naturales motiones, dierumq; istorum, quos nouimus v̄sitata spatia, cum hæc primitus verbo dei facta sunt, cogitemus: non vno die opus erat, sed pluribus; vt ea quæ radicitus pullulant, terramq; vestiunt, subter primitus germinarent: deinde certo numero dierum pro suo quæque genere in auras erumperent, etiam si hoc vsque fieret, quod de creata natura eorum die vno, id est, tertio factum, scriptura narrauit. Et cap. 34. eiusdem libri dicit vniuersam creaturā simul factam esse, in primis quidem atque incõmutabilibus rationibus, per quas cõdita est: hanc autem vniuersalem rerū creationem contemplantur angelus propter diem, vt innuere videtur, & in eius ipsius natura

Eccle. 1. 8.

Lyranus.

Augustinus

Sapient. 8.

cognoscebat propter vesperam, & creatorem ex ipsa etiam inferiore cognitione propter mane laudabat. Adde, quòd libro sexto in Genesim, capite primo, non approbat illorum opinionem, qui dixerunt elementa, & res omnis sensiles, in quibusdam primordijs iam facta latuisse, ac deinde in hanc faciem, qua mūdus exstructus est, accessu temporis tāquam exorta claruisse. Et capite quinto eiusdem libri, dicit omnia simul esse creata, potentialiter atque causaliter, & secundum potentiam per verbum dei, tanquam seminaliter mundo inditam. Nunc autem res fiunt per sæculorum ordinem, secundum operationem præbendam temporibus, qua vsque nunc operatur filius cum patre. Et sexto capite, dicit distributionem operum dei, partim ad illos dies inuisibiles pertinere, in quibus creauit omnia simul: partim ad istos appositos, in quibus operatur quotidie, quicquid ex illis, tanquam inuolucris primordialibus in tempore euoluitur. Et in eodem capite, dicit non ita fuisse hominem in illa prima rerum conditione, qua creauit deus omnia simul, sicuti est, non tantum perfectæ ætatis homo, sed ne infans quidem, nec tantum infans, sed ne puerperium quidem in vtero matris, nec tantum hoc, sed ne semen quidem visibile hominis. nec propterea quis putet, hominem omnino non fuisse: fuit quidem inuisibiliter, potentialiter, & causaliter, quando condita sunt omnia simul, & visibiliter factus est sexto die, ad imaginem quidem dei. Et libro septimo in Genesim, capite vigesimo octauo, asserit deum ab exordio sæculi primum simul omnia creauisse, quædam conditis iam ipsis naturis, quædam præconditis causis, sic vt non solum præsentia, verum etiam futura fecerit omnia potens, & ab eis factis requierit, & eorū deinceps administratione atque regimine, crearet etiam ordines temporum & temporalium, qui & consummauerit ea, propter omnium generum terminationem, & inchoauerit propter sæculorum propagationem, vt propter consummata requiesceret, propter inchoata vsque nunc operetur. Ad hæc, Ambrosius libro sexto Epistolarum, Epistola trigesima nona, dicit deum non indignisse tempore ad constitutionem mundi, cui intra momentum suppetit facere quæ velit (dixit enim & facta sunt) sed quia ea quæ sunt, ordinem quærunt: ordo autem, tempus, & numerum, plerumque exigit, illud quoque præcipue: quoniam nobis ad operandum, formam daturus, numerum dierum seruauit & tempora. Et libro primo Hexameron, capite septimo, edisserens eundem Genesios locum inquit: Et fortasse dicant, Cur enim deus, sicut dixit, & facta sunt: non simul ornatus congruos rebus assurgentibus donauit elementis, quasi non potuerit cælum insignitum stellis subito vt creatum est, resurgere, & floribus ac fructibus terra vestiri? Potuit utique, sed ideo primo facta, postea composita declarantur, ne verè increata, & sine principio crederentur, si species rerum velut ingenerata ab initio, non postea addita videretur. incomposita terra legitur, & iisdem à philosophis æternitatis, quibus deus, priuilegijs honoratur. Quid dicerent, si ab initio eius pulchritudo vernasset? Demersa aquis describitur, velut euidam principiorum suorum addicta naufragio, & adhuc à nonnullis facta non creditur. quid si decorem primogenitum vendicaret? Accedit illud, quòd imitatores nos sui deus esse voluit, vt primo faciamus aliqua, postea venustemus: ne dum simul vtrunque adorimur, neutrum possimus implere. fides autem nostra, quodam gradu crescit: Ideo primum fecit deus, postea venustauit, vt eundem credamus ornasse qui fecit, & fecisse qui ornauerit: ne alterum putemus ornasse, alterum creauisse, sed eundem vtrunque esse operatum: vt primo faceret, postea componeret, ne alterum sine altero crederetur.

¶ Sed dicet quispiam: Cohærere hæc non possunt adinque, creata sunt omnia simul, & tamen prius materia fuit condita, quàm res suam sortirentur naturam. Secundam huiusce copulationis partem probat ex historia Genesios: In principio creauit deus cælum & terram. Terra autem erat inanis & vacua: & tenebræ erant super faciem abyssi, & spiritus domini ferebatur super aquas. Dixitque deus, Fiat lux, & facta est lux. Et vidit deus lucem quòd esset bona: diuisit lucem à

Ambrosius.

Gene. 1.

Gene. 1.

L. iij.

tenebris, appellauitque lucem diem, & tenebras noctem. factumque est vesper & mane dies vnus. Locus ille videtur apertissime indicare, deum prius creasse materiam informem, impolitam & rudem, quam firmamentum, & elementa, & quae subternuntur elementis. Imò antequam deus infudisset orbi lucem, densata erant tenebris omnia. at vbi depulsa est tam obscura, tamque densa aeris caligo, lux splendidissima illuxit mundo, & ex nocte & luce, aut matutino tempore, factus est dies vnus. ¶ Si adhibenda sit fides Ambrosio (nec hæsito illi adhibendam) diceres ex his, quae paulò antè ex eius doctrina deprompsimus, deum simul omnia prius condidisse: deinde excellenti nescio quonam splendore, & ornamento omnia illustrasse, & venustam formam singulis rebus pro earum modulo exhibuisse: & licet materia forsitan, vbi primum condita est, fuerit insignita forma. non tamen propter atras confusaneis cuiusdam spatij tenebras, apparebat. Aut dic, quòd Augustinus arbitratu est dicendum esse, materiam informem non præcessisse tempore formas rerum, bene tamen origine. Sic enim scribit libro 1. de Genesi ad literam, capite 15. ad intelligentiam illius loci, dixit deus fiat terra & aqua, & sic factum est, vt deinceps formatarum rerum ordo consequeretur: Non quia informis materia formatis rebus tempore prior est, cum sit vtrunque simul concreatum, & vnde factum est, & quod factum est. Sicut enim vox materia est verborum, verba verò formatam vocem indicant: non autem qui loquitur, prius emittit informem vocem, quam possit postea colligere, atque in verba formare: ita creator deus non priorem tempore fecit informem materiam, & eam postea per ordinem quarumcunque naturarum, quasi secunda consideratione formauit: formatam quippe creauit materiam. Sed quia illud vnde fit aliquid, etsi non tempore, tamen quadam origine prius est, quam illud quod inde fit, potuit diuidere scriptura loquendi temporibus, quod deus faciendi temporibus non diuisit. Hæc ille. Et tardioribus atque rudioribus distinctio istorum elementorum facilius inclarescere potuit. Habet & idem author huic sententiae consentanea, libro vno in Genesim imperfecto, cap. 9. vbi dicit morarum intervalla non esse in operatione dei, bene tamen in operibus. ¶ Iterum obijcies, Hæc coherere non possunt: Deus simul omnia creauit, & tamen sex diebus diuersis condidit res, tum spirituales, tum sensiles & corporeas. primo enim die, quo creauit lucem, nondum firmamentum erat productum, nec secundo die, quo firmamentum erat creatum, creata erant elementa, & homines. ¶ Dico illa optime coherere, nec abinuiem dissidere. Deus enim simul tempore condidit omnia, tamen si natura res fuerint distinctæ. Et Moses distinguens opera sex dierum, loquebatur rudi populo, vt creationem rerum facilius intelligere posset. Nec diuersis temporum spatijs, & morarum intervallis opus est in operatione dei, bene tamen in operibus. Et nobis astipulatur Augustinus, libro 4. in Genesim, capite 33. vbi dicit: Per istos dies sex, vel septem, vel potius vnum sexies, septiesve repetitum simul fecit, qui fecit omnia simul. Quid ergo opus erat sex dies tam distinctè, dispositèque narrari? Quia scilicet ij qui non possunt videre quod dictum est, creauit omnia simul: nisi cum eis sermo tardius incedat, ad id quo eos ducit, peruenire non possunt. ¶ Rursum decertabis, Creauit deus Adam 6. die, & post illius creationem, condidit Euam. Et cum planctavit dominus deus paradysum voluptatis à principio, posuit in optatissimis illius loci delicijs, hominem quem formauerat. Nec dicit historia deum collocasse in paradiso Euam, vnà cum ipso Adam. Et postquam à suo opere quieuit dominus, dixit: Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi: & cum immisisset dominus deus soporem in Adam, & cum obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea, & edificauit dominus deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam. ¶ Huic satisfacit rationi Augustinus, libro 6. in Genesim, cap. 2. & 3. & 6. Sic enim scribit cap. 2. Neque enim sexto die factus est masculus, & accessu temporis postea facta femina: sed fecit eum inquit, masculum & feminam fecit eos, & benedixit eis. Quomodo ergo iam homine

Gene. 1.

Gene. 2.

Ibidem.

Gene. 1.

in paradiso constituto mulier ei facta est: an & hoc prætermisum scriptura reco-
luit? Nam sexto illo die etiam paradysus plantatus est, & ibi homo collocatus est,
& soporatus est vt Eua formaretur, & ea formata euigilauit, eique nomen impo-
suit. Sed hæc nisi per temporales moras fieri nõ possent. Non itaque ita facta sunt,
sicut creata sunt omnia simul. Et capite tertio ita scribit: Non est dubium, quòd
homo de limo terræ factus est, eique formata vxor ex latere, iam non ad conditionem,
qua simul omnia facta sunt pertinere, quibus perfectis requieuit deus, sed ad
eam operationem, quæ fit iam per volumina sæculorum, qua vsque nunc operatur.
Huc accedit, quòd ipsa etiã verba, quibus narratur quomodo deus paradysum
plantauerit, in eoque hominem quem fecerat, collocauerit, ad eumque adduxerit ani-
malia, quibus nomina imponeret, in quibus cum adiutorium simile illi non fuisset:
inuentum, tunc ei mulierem costa eius detracta formauerit, satis nos admonet hæc,
non ad illam operationem dei pertinere: vnde requieuit in die septimo, sed ad istam
potius, qua per temporum cursus vsque nunc operatur. Et sexto capite dicit: Re-
deat ergo ad scripturam, inueniet sexto die hominem factum ad imaginem dei, fa-
ctos autem masculum & feminam. Item quærat quado facta sit femina, inueniet
extra illos sex dies: tunc enim facta est, quando deus de terra finxit adhuc bestias
agri, & volatilia cæli: non quando volatilia produxerunt aquæ, & animam viuam
in qua bestia sunt, produxit terra. Tunc autem factus est homo, & masculus & fe-
mina, ergo & tunc & postea. Neque enim tunc & non postea, aut verò postea & nõ
tunc: nec alij postea, sed idem ipsi aliter tunc, aliter postea. quæret ex me, quomo-
do? Respondebo postea visibiliter, sicut species humanæ constitutionis nota nobis
est: non tamen parentibus generantibus, sed ille de limo, illa de costa eius. Quæret
tunc, quomodo? Respondebo inuisibiliter, potentialiter, causaliter, quomodo fiunt
futura non facta. hic fortè nõ intelliget. Substrahuntur enim ei cuncta quæ noue-
rat vsque ad ipsam seminum corpulentiam. Neque enim vel tale aliquid homo
iam erat, cum in prima illa sex dierum conditione factus erat. Datur quidem de
feminibus ad hanc rem nonnulla similitudo propter illa, quæ in eis futura confer-
ta sunt, veruntamen ante omnia visibilia semina sunt illæ causæ, sed non intelli-
git: quid ergo faciam, nisi quantum possum salubriter moneam, vt scripturæ dei
credat: & tunc hominem factum, quando deus cum factus est dies, fecit cælum &
terram: de quo alibi scriptura dicit: Qui viuus in æternum, creauit omnia simul: &
tunc quando iam non simul, sed suis quæque temporibus creans, finxit eum de li-
mo terræ, & ex eius ossè mulierem, cum nec isto modo eos illo sexto die factos,
nec tamen eos illo sexto die non factos intelligere scriptura permittat. Simili ra-
tione discuties scrupulum illum, Deus creauit omnia simul, & tamen sexto die, terra
produxit animam viuentem in genere suo, iumenta, & reptilia, & bestias terræ se-
cundum species suas. Aliter tunc (inquit Augustinus in eodem libro, capite quinto)
id est, potentialiter atque causaliter, sicut illi operi competeat, quo creauit om-
nia simul, à quibus in die septimo requieuit: aliter autem nunc, sicut ea videmus,
quæ per temporalia spatia creat, sicut vsque nunc operatur, ac per hoc iam per istos
notissimos lucis corporalis dies, qui in circuitu solis fiunt, Eua facta est de latere vi-
ri sui. ¶ Adhuc differes: Dicit Ambrosius, libro primo Hexameron, capite quinto:
In principio fecit deus cælum & terram. Est factus ergo mundus, & cœpit esse, qui non
erat. Verbum autè dei in principio erat, & erat semper. Sed etiã angeli, dominationes,
& potestates, etsi aliquando cœperint, erant tamen iam quando hic mundus est fa-
ctus. Quibus verbis planè videtur astruere, spirituum procreationem mundo hoc
priorem fuisse. Et asserit Hylarius, libro duodecimo de Trinitate, angelorum origi-
nem terræ creatione reperiri antiquiorem. ¶ Volunt illi (vt conijcio) innuere an-
gelorum originem dignitate & natura priorem creatione mundi & elementorum,
non tamen tempore: simul enim Deus creauit omnia.

Eccle. 18.

Ambrosius.

Hylarius.

L. iij.



Hristus fuit æquè promissus gentibus atque Iudæis, licet peculiariter, & primo fuerit promissus Iudæis.] Ex secretioribus Bibliorum locis eruda est huiusce assertionis veritas. Et in primis priorem nitetur persuadere partem: Deus Abrahamæ offerenti suum filium vt immolaretur, necnon paratissimo ad mysticum sacrificium deo optimo exhibendum, dixit: Per memetipsum iuravi, dicit dominus, quia fecisti hanc rem, & non peperisti filio tuo vnigenito, benedicā tibi & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cæli & velut arenam, quæ est in littore maris. Possidebit semen tuum portas inimicorū suorū, & benedicentur in femine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ. Expende quæ felici promissione à deo dicta sunt. Abrahamæ, In tuo femine natio omnis, cælestē & perquā diuinā consequutura est benedictionē. Licet eximia pollicitationes factæ fuerint femini Abrahamæ. Quid cupit Iudæus à deo obtinere, quod gentilis non possit aut efflagitando extorquere: aut non extorquendo, animi tamen summisione sibi demereri? Quid Iudæus deo offerre potest, quod nō possit & gentilis duce ratione, & diuino adiutus subsidio, eidem offerre? Et cū deus omnium iudex æquissimus, nullius sit acceptor personæ, sed omnibus velit suū præstare præsidium, nulliq; ex se reclamet, sed amet omnium salutem, omniumq; exoptet tenebras illustrare: colligere possumus, ipsum ex æquo promississe omnibus æternæ felicitatis præmia. Locum illum Genesios explicās Chrysofomus, dicit deum suis promissis (vt more hominū stabilior esset promissio) iuramēta adhibentē, suam propter obedientiā Abrahamæ cumulasse benedictionē. vsque adeo enim propagatū est Abrahamæ semen, vt stellas & arenæ maris adæquatū, in omnium gentium nationes, & regiones diffusum fuerit. Tum etiā cum deus singulari benedictione prosperè fauisset Iacob, dixit: Non vocaberis vltra Iacob, sed Israel erit nomen tuum. Et appellauit eum Israel, dixitq; ei: Ego deus omnipotens, Cresce, & multiplicare. gentes & populi nationum ex te erūt, reges de lūbis tuis egrediētur, terramq; quā dedi Abrahamæ, & Isaac, dabo tibi, & femini tuo post te. Sed quid hac promissione felicius, præstātius, ac maius dici potuit? In illo arctissimo nectūtur vinculo, non solū Iudæi, sed qui ex omni terrarū orbe sub vexillis dei & Christi sunt militaturi, ac sacramentū facturi sub eo, à quo pendet & vita & salus omnium, ac certissima summi boni promissio. Nihil enim pollicetur, quod non velit præstare, modo eius voluntati ac iussis ab vnoquoque sanæ mentis recipiendis: nec solum recipiendis, sed suauissimè exosculandis obtemperando, totum animi nostri famulatum, omnēsq; ingenij nostri vires & conatus illi addixerimus. Nec vsque adeo attollit Iudæum, vt Ethnicum contemnat, nec gentile despicit, vt semen Abrahamæ in cælū vsque euehat. Idem omnibus deus, eadem omnibus eius pollicitatio. Nec ita gaudet de rebus à Iudæo. præclare gestis, vt de ijs, quæ à gentili non in feliciter gesta sunt, tristetur: felicissimo omnium successu exhilarescit, omnibus sui exoptatissimi regni fores aperit. Sed audi libenter, quod dicit oraculū de pollicitatione beneficiorū, quæ gentilis populus à Christo accepturus erat: Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est: & ipse erit expectatio gentium. Quod autem præuiderit deus Gentiles sibi credituros, & ad eius misericordiam cōcururos, ostendit Esaias: Verbum quod vidit Esaias filius Amos super Iudam, & Hierusalem: Et erit in nouissimis diebus preparatus mons domus domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gētes, & ibūt populi multi, & dicēt: Venite ascendamus ad montē domini, & ad domū dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius. quia de Sion exhibit lex, & verbū domini de Hierusalē. Ad intelligentiā illius prophetiæ, dicit Hiero. deū ex illo prophetico vaticinio Iudæis cōminantē, ad gentium venire salutē, vt punito Israel ex vtraque vocatione credētes in Christi Ecclesiam cōgreget. Et aliubi: In die illa radix Iesse, qui stat in signū populorum, ipsum gentes deprecabūtur, & erit sepulchrū eius gloriosum. Et erit in die illa

Gene. 22.

Acto. 10.

Chrysofom.

Gene. 35.

Gene. 49.

Esaia 2.

Hieronymus

Esaia 11.

adijciat dominus secundo manū suam ad possidendum residuū populi sui, quod relinquetur ab Assyrijs, & ab Aegypto, & à Phetros, & ab Aethiopia, & ab Elam, & à Sennaar, & ab Emath, & ab insulis maris. Locum hunc explicans Hieronymus, inquit: In tempore igitur illo quando Christi in toto mundo Euangelium coruscavit, & repleta fuerit omnis terra scientia domini, sicut aquæ maris terram operientes, erit radix Iesse, & qui de eius stirpe concēdet in signum omnium populorum, vt videant populi signum filij hominis in celo. Qui habet cornua in manibus suis, in quibus absconditur fortitudo eius, vt exaltatus omnia trahat ad se: siue (vt 70. trāsulerunt) resurget à mortuis, vt princeps sit omnium nationum, & vniuersæ gentes sperent in eo. Amplius de vocatione gentium ad sectandam iustitiam dicit propheta: Quis suscitauit ab oriente iustum, vocauit eū vt sequeretur se: dabit in conspectu eius gentes, & reges obtinebit. Ad cuius loci explanationem dicit Hieronymus: Neque enim Iudæorum tantum deus, sed & gentium, qui vocauit Christum dominum saluatorem, qui factus est nobis sapientia à deo, iustitia & sanctitas & redemptio. In quo iuxta apostolum, dei iustitia reuelatur. Vocauit autē eum vt se in omnibus sequeretur, & opera patris faceret, & illud impleret, dicens: deus vt facere voluntatem tuā volui. In huius conspectu reges, & gentes colla submittent, & gladio illius ac sagittis, aduersariæ potestates, quasi stipula subijcientur & puluis. Insuper alloquens deus Israellem quem tātoperē dilexit, inquit: Noli timere, quoniam tecum ego sum, ab oriente adducam semen tuum, & ab occidente congregabo te: dicam aquiloni da, & austro, noli prohibere, adduc filios meos de longinquo, & filias meas ab extremo terræ. Et omnem qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creauit eum, & formauit eum, & feci eum. Educ foras populum cæcum & oculos habentem, surdum, & aures ei sunt. Omnes gentes congregatæ sunt simul: & collectæ sunt tribus. Ad locum illum dicit Hieronymus: Quāobrem honorabilis factus est apostolorum chorus in conspectu dei, & dilectus ab eo: & cunctorum hominum salus atque populorum, qui per eos ad Euangelium sunt vocati, & reputabuntur in salutem animarum eorum. Ab oriente enim & occidente adducam filios tuos, qui requiescant in sinu Abrahamæ, & de cunctis mundi partibus, filiorum meorum & filiarum populus congregabitur, qui vel inuocent nomen meum, vel meo vocentur nomine, vt appellentur Christiani in gloriam conditoris sui. Et gentes collectæ sunt cū populo qui credidit ex Iudæis, vt duplex vocatio sit, circumcisionis & præputij. Tum etiam vbi propheta differit de cognitione nostri saluatoris, quam natio omnis est, & consecutura, inquit: Parauit dominus brachium sanctū suum in oculis omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ salutare dei nostri. Docta est ad hūc locum Hieronymi expositio: cum enim expendit vim brachij domini per reuelationem, inquit: Ex quo perspicuum est, extracta per apostolos spiritali Hierusalem, id est ecclesia, quæ à Iudæis fuerat derelicta, reuelari brachiū domini cunctis gētibus & videre salutare eius omnes fines terræ. Quod dupliciter intelligitur. Aut enim reuelat pater brachium suum cunctis gentibus, aut filius reuelat fortitudinem suam, de quo scriptū est: Virtus enim ab eo egrediebatur, & sanabat omnes. Et iterum: Sensi virtutem exisse de me, quæ sanauit Hæmorrhosiam. Quod autem filius dei, patris dextera appelleretur & brachiū, multa sunt testimonia, e quibus pauca dicemus: Saluabit sibi dextera eius, & brachium sanctū illius. Et alibi: In brachio meo gentes sperabunt. Et, tuum brachium, cum potentia. Et ad locum illū: videbunt omnes fines terræ salutare dei nostri: dicit Hieronymus: Vt non solū varietas gentium singularum, sed & omnes mundi cardines credituri prænuntiantur in Christo, iuxta id quod ipse loquitur: Cum autem prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, tunc erit finis. Item ostēdit propheta longe plures ex ordine gentilium suscepturos fidem Christi quàm ex ordine Iudæorum, Latere sterilis quæ non parit, erumpe & clama quæ non parturit: quia plures filij desertæ, magis quàm eius quæ habet virum. Adde quòd gloriari debent gentiles & gestire quòd il-

Esaia 41.

1. Corint. 1.
Psal. 39.

Esa. 43.

Esa. 52.

Lucæ 6.
Mar. 5.

Psal. 97.

Psal. 88.

Matth. 24.

Esa. 54.

Eia. 57. lis deus pater, dederit Christum ducem optimum, atque præceptorem doctissi-
 mum. Ita loquitur per prophetam deus: Ecce testem populis dedi eum, ducem ac
 præceptorem gentibus. Ecce gentem quam nesciebas, vocabis: & gentes quæ te nõ
 cognouerunt, ad te currēt propter dominum deum tuum, & sanctum Israel, quia
 glorificauit te. Quærite dominum, dum inueniri potest: inuocate eum, dum pro-
 pter prædicari Euangelium istud in omni orbe, in testimonium cunctis gentibus, Mat-
 thæi. 24. Et Paulus 1. Timot. 2. Vnus mediator dei & hominū, homo Christus Iesus,
 qui dedit se redemptionem pro omnibus, testimonium temporibus proprijs, in quo
 ego positus sum præco & apostolus. Allicit & ad iustitiā gentiles, cum dicit per eum
 Eia. 62. dem prophetam: Propter Syon non tacebo, & propter Hierusalem non quiescā, do-
 nec egrediar ut splendor iustus eius, & saluator eius ut lampas accendatur. Et vi-
 debunt gentes iustum tuū, & cuncti reges inclytū tuum. Ad commentandum hūc
 locum dicit Hieronymus: O Hierusalem & Syon, qui de tua stirpe generatus est,
 qui in te exaltatus patibulo, omnes traxit ad se, ita ut gentes videant iustitiā eius.
 Quia cunctorū creator misertus est gentibus, & reges gloriā illius, qua glorificatus
 Eia. 65. in cruce est, & omnia sua imperio regna subiecit. Dicit etiā deus gentem ad se cōfu-
 gisse, quem tamen prius non quæsierunt. Quæsierūt me qui ante non interroga-
 bant, inuenerunt qui non quæsierunt me. Dixi ecce ego, ecce ego ad gentem quæ
 non inuocabat nomen meū. Illius loci sensum hunc refert Hieronymus, ut prius
 dei notitiā non habentes, postea quærant dominum, & eū reuelatione cognoscant,
 qui & Paulo dum ecclesiam credentiū persequitur reuelatus est. Adferemus nonni-
 hil ex Hieremia quod spero fore priorī nostræ assertionis parti commodissimū, ita
 Hier. 37. loquitur deus in excellentissimis illius prophetæ scripturis, de gentibus in nomine
 domini in Hierusalem congregandis: In tempore illo vocabunt Hierusalem solium
 domini, & congregabuntur ad eū omnes gentes in nomine domini in Hierusalem,
 & non ambulabūt post prauitatem cordis sui pessimi. Locum illū explicans Hiero-
 nymus, dicit: Hæc de ecclesia intelligenda, quando congregantur omnes gentes in
 nomine domini in Hierusalem, in qua est visio pacis, & nequaquam ambulāt post
 prauitatem cordis sui pessimi, ut faciant quæ desiderant, nec suos sequuntur erro-
 res, sed dicunt cum propheta: Adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua.
 Psal. 62. Aliubi in contemptū Iudæorum quod ingratitude vitio obtenebrati, deseruerūt
 Hier. 6. dominum deū suum, & in exaltationem gentiū, dicitur: Constitui super vos specu-
 latores. Audite vocem tubæ. Et dixerūt, non audiemus. Ideo audite gentes, & cogno-
 sce congregatio, quanta ego faciam eis. Insuper de respiciētia gentiū quæ à tene-
 bris liberali dei munere ad lucem educuntur, dicit dominus: Ecce dies veniūt, & nõ
 Hier. 16. dicetur ultra, viuit dominus qui eduxit filios Israel de terra Aegypti, sed viuit do-
 minus qui eduxit filios Israel de terra Aquilonis, & de vniuersis terris ad quas eieci
 eos, & reducam eos in terram suā, quam dedi patribus eorū. Ecce ego mittam pisca-
 tores multos, dicit dominus, & piscabūt eos. Nec diuersum est ab hoc vaticinio
 Roma. 11. quod dicit Paulus: Postquam subintrauerit plenitudo gentiū, tunc omnis Israel sal-
 Ibidem. uus fiet. In eodem Hieremiæ vaticinio scriptū est: Domine fortitudo mea, & robur
 meum, & refugium meum in die tribulationis: ad te gentes venient ab extremis ter-
 ræ, & dicent: verè mendacium possederunt patres nostri, vanitatem quæ eis non pro-
 fuit. Ad illū locum dicit Hieronymus: Omnis hominū fortitudo sine dei virtute,
 quæ Christus est, imbecilla reputatur, & nihili. Vnde confugiendū est ad dominum
 Psal. 89. atque dicendū: Domine refugium factus es nobis in generatione & generationē. Et
 Psal. 90. in alio loco: Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione dei cæli commorabi-
 tur. Et enarrans quod dicit propheta: Ad te gentes venient, inquit: Postquā eiectus
 est Israel, & à piscatoribus venatoribusque translatus consequenter vocatur ad fi-
 dem gentiū multitudo, & confitetur se siue patres suos in priori errore versatos.
 Qui autem dicunt: quomodo falsa possederunt patres nostri idola in quibus nulla

est vtilitas? confitentur vera esse ad quæ transeunt, & omni subnixæ præsidio. Tum
 etiam deus in omnes propensissimus, pollicetur se largiturū etiam minimo sui co-
 gnitionem. Cognoscite, inquit scriptura, dominum: omnes enim cognoscēt me à
 Hier. 31. minimo eorū vsque ad maximum, ait dominus. quia propitiabor iniquitati eorū, &
 peccati eorū non memorabor amplius. Paucula proferā ex Ezechiele, vbi fit men-
 tio de misericordia domini & cohortatione ad gentiles, ut viā iniquitatis & impios
 Ezech. 36. mores deserant & aspersionem, scriptū est: Et scient gētes quæ derelictæ fuerint in
 circuitu vestro, quia ego dominus ædificauī dissipata, & plantaui inculta: ego domi-
 nus locutus sum, & fecerim. Præterea dimissis inter Iudæos & gentiles rixis & con-
 tentionibus vnū fiet ouile, dux vnus & imperiū vnicum, quo amplexentur omnes
 singulare vnus fidei & saluatoris sacramentum, quod indicat scriptura, in qua ita
 loquitur dominus: Ecce ego assumam filios Israel de medio nationū, ad quas abie-
 Ezech. 37. runt, & congregabo eos vndiq; & adducam eos ad humū suam, & faciam eos gen-
 tem vnā in terra, in montibus Israel: & rex vnus erit omnibus imperans: & non
 erūt ultra duæ gentes, nec diuidentur amplius in duo regna, neque polluentur vl-
 tra in idolis suis, & in abominationibus, & in cūctis iniquitatibus suis, & saluos eos
 faciam de vniuersis sedibus suis in quibus peccauerūt, & mundabo eos, & erūt mi-
 hi populus, & ego ero eis deus. Et in fine capitis dicitur: & scient gētes, quia ego do-
 minus sanctificator Israel, cū fuerit sanctificatio mea in medio eorū in perpetuū.
 Ad hæc explicāda dicit Hieronymus: Vere enim in aduētū domini saluatoris duæ
 virgæ, & (vt in Hebraico positū est) duo ligna, in vnum iuncta sunt sceptrum, & in
 baptisate Christi dudū separata sociantur, ut fiant in vnū nouum hominem, &
 in vnā gentē, neq; polluantur ultra in idolis & abominationibus, sed mūdi laua-
 cro sint populus dei, & imperet eis Christus. Et aliubi pollicetur dominus deus se da-
 turum gloriam suā gentibus, dicens: Et ponam siue dabo gloriam meam in gen-
 Ezech. 39. tibus, & videbūt omnes gentes iudiciū meum quod fecerim, & manū meam quam
 posuerim super eos. Et scient domus Israel, quia ego sum dominus deus eorū à die
 illa. Et deinceps: Et scient omnes gētes, quoniam propter iniquitates suas capta sit
 domus Israel, eo quod reliquerint me, & absconderim faciē meam ab eis, & tradi-
 derim eos in manu hostium eorum, & ceciderint in gladio vniuersi. Fecit etiam do-
 minus deus sua clementia & benignitate ex non populo suo filios regni æterni, si-
 cut scriptū est in Osee vaticinijs: Et erit in loco vbi dicitur eis, non populus meus
 Osee. 14. vos, dicitur eis, filij dei viuentis. Et iterū: Miserebor eius quæ fuit absq; misericor-
 dia: & dicam nõ populo meo, populus meus es tu, & ipse dicet, deus meus es tu. His
 Osee. 2. Paulus ditat testimonijs Euangelicis disciplinas: Quod si deus, inquit, volēs osten-
 dere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ
 Roma. 9. apta in interitū, ut ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præpa-
 rauit in gloriam. Quos & vocauit nos, nõ solum ex Iudæis, sed etiam ex gentibus,
 sicut in Osee dicit: vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam, di-
 lectam: & non misericordiā consecutam, misericordiam consecutam. Et erit in lo-
 co vbi dictū est eis: Non plebs mea vos, ibi vocabūt filij dei viui. Esaias autem
 Esai. 10. clamat pro Israel: Si fuerit numerus filiorū Israel tanquam arena maris, reliquæ
 saluæ fient. Verbum autem consummans & abbrevians in æquitate, quia verbū bre-
 uiatū faciet dominus super terram. Et sicut prædixit Esaias: Nisi dominus Sabaoth
 Esai. 1. reliquisset nobis semē, sicut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorra similes fuif-
 semus. Quid ergo dicemus? Quod gentes quæ non sectabātur iustitiā, apprehen-
 derūt iustitiā: iustitiā autem quæ ex fide est: Israel vero sectando legem iustitiæ,
 in legem iustitiæ non peruenit. Quare? quia non ex fide, sed quasi ex operibus. Of-
 fenderūt enim in lapidem offensionis, sicut scriptū est: Ecce pono in Syon lapidem
 Esai. 8. & 28. offensionis, & petram scandali: & omnis qui credit in eū, non confundetur. Adde
 1. Petri 2. quod ex æquo pollicitus est ihs dominus salutem æternā qui certissimam spem in
 inuocatione diuini nominis collocabunt. Scriptū est enim: Omnis qui inuocauerit

Roma. 10. nomen domini saluus erit: quia in monte Sion, & in Hierusalem erit saluatio, sicut dixit dominus, & in residuis quos dominus vocauerit. Et hæc adfert Paulus ad comprobendam gentiū vocationem, dicens: Non enim est distinctio Iudæi & Græci. Nam idem dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum. Omnis enim quicumque inuocauerit nomen domini, saluus erit. Quomodo ergo inuocabūt eum, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo vero prædicabunt nisi mittantur? Sicut scriptum est: Quam speciosi pedes euāgelizantium pacem, euāgelizantium bona. Sed non omnes obediunt Euangelio. Esaias enim dicit: Domine quis credidit auditui nostro? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbū Christi. Sed dico, nūquid non audierunt? Et quidē in omnem terram exiuit sonus eorū, & in fines orbis terræ verba eorū. Sed dico nunquid Israel non cognouit? Primus Moyses dixit: Ego ad æmulationē vos adducam in non gentē, in gentem insipientē, in iram vos mittam. Esaias autem audet, & dicit: Inuentus sum à non quærentibus me, palam apparui ijs qui me non interrogabant. Ad Israel autem dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & cōtradicentem. Insuper existimat regius propheta gentem illam esse perbeatam & fœlicissimam, quæ vni deo obtemperat. Dicit enim: Beata gens cuius est dominus deus eius, populus quem elegit in hæreditatem sibi. Ad locum illum dicit Augustinus: Hoc ama, hoc posside, hoc cum vis habebis, hoc gratis habebis, noster deus, cuius enim non est deus? Non plane omnium eodem modo. Noster magis, noster qui viuimus ab illo tãquam de pane nostro. Et aliubi dicit propheta de eximio gentium gaudio: Omnes gētes plaudite manibus, iubilare deo in voce exultationis. Hunc edisserens versiculum Augustinus, inquit: Nunquid populus Iudæorum omnes gentes erant? Sed cæcitas ex parte Israel facta est, vt pueri insensati clamarent, Calue calue, atque ita dominus crucifigeretur in Caluarie loco, vt sanguine fuso gētes redimeret, & impleretur quod ait Apostolus: Cæcitas ex parte Israel facta est, vt plenitudo gentium intraret. Ad hæc, dicit rursus propheta: Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes qui habitatis orbē. Ad cuius psalmi expositionē dicit Augustinus: Non ergo vos omnes soli qui hic estis. Nam vox nostra quanta est, vt sic clamemus vt audiant omnes gentes? Clamauit enim per apostolos dominus noster Iesus Christus, clamauit tot linguis in quas misit, & videmus hunc psalmum, qui ante non recitabatur nisi in vna gente in synagoga Iudæorum, recitari per totum orbem terrarū, per omnes ecclesias, impletumque esse quod hic dictum est: Audite hæc omnes gentes. Nūc eandem suffulciamus veritatē ex pulcherrimis noui testamēti scripturis. Scribit Mattheus: Cum autem audisset Iesus quod Ioannes traditus esset, secessit in Galileam, & relicta ciuitate Nazaret, venit & habitauit in ciuitate Capharnaum maritima, in finibus Zabulon & Neptalim, vt adimpleretur quod dictum est per Esaiam prophetam: Terra Zabulō & terra Neptalim, via maris trans Iordanem Galilee gentiū, populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam, & sedentibus in regione vmbra mortis lux orta est eis. Exinde cœpit Iesus prædicare & dicere, pœnitentiã agite, appropinquauit enim regnum cælorum. Et de integritate fidei ipsius Centurionis dicit Christus: Amē dico vobis, non inueni tãtam fidem in Israel. Dico autē vobis quod multi ab oriente & occidente venient, & recumbēt cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cælorum, filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium. Et de pollicitatione æternæ felicitatis omnibus facta, qui prompto animo confitentur Christum, dicitur: Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui in cælis est. Laudauit & Christus fidem Chananeæ, cui & dixit: O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Dicit etiam Christus in Euangelio Ioannis, se habere aliquot oues quæ non sunt ex ouili Iudæorum. Ita enim loquitur: Et alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet

vnum ouile & vni us pastor. Et Petrus in Actis apostolorum ostendit vnumquēque esse deo gratum, qui operatur iustitiam. Aperiens autem Petrus os suū dixit: In veritate comperio, quia non est personarum acceptor deus, sed in omni gente qui timet eū, & operatur iustitiam, acceptus est illi. Verbum misit deus filijs Israel annūtians pacem per Iesum Christum, hic est omnium dominus. Et aliubi dicit Petrus Iudæis cōquerentibus quod gentiles non circuncideret: Deus qui nouit corda, testimonium perhibuit, dans illis spiritum sanctum sicut & nobis, & nihil discreuit inter nos & illos, fide purificans corda eorum. Et Paulus testatur promissionem factā esse omni credenti, dicens: Promissio omni semini, non solū ei qui ex lege est, sed qui est ex fide Abrahæ, qui pater est omnium nostrum, sicut scriptum est: Quia patrē multarum gentium posui te ante deum cui credidisti. Insuper de Iudæis obscuratis, & quorum delicto parata est gentibus salus, dicit: Nunquid sic offenderunt vt caderent? Absit: sed illorum delicto salus gentibus, vt illos æmulentur. Secundam Assertionis partem suadeo: Deus sapissime vocat peculiari quadā nuncupatione filios Israel, suum populum, non autem gentiles. Scriptum est in Exodo: Mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum filios Israel de Aegypto. Etiam insignes illæ promissiones factæ sunt Abrahæ, Isaac, & Iacob, quorum dominus dicit in laudem populi Israelitici, se esse deum. Et apud Esaiam dicit dominus: Et nūc audi Iacob serue meus, & Israel quem elegi: quem locum enarrans Hieronymus inquit: Cum dominus facit sermonem ad apostolorum chorū qui est ex Iudæis, iunguntur & nominum priuilegia. Paulus etiam dicit eloquia dei primum Iudæo credita. Et in Actis apostolorū dicit Petrus: Vobis primum deus suscitās filium suum, misit eū benedicentem vobis, vt conuertat se vnusquisque à nequitia sua. Et aliubi Paulus & Barnabas dixerūt: Vobis oportebat primū loqui verbum dei: sed quoniã repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Nec mireris si Iudæis sacra domini eloquia, erant primū concredēda. Nam summus propheta & omniū diuinitissimus, ex fratribus Iudæorū excitatus est, sicut Moyses dixit: Quoniam prophetam suscitabit vobis dominus deus vester de fratribus vestris tanquam me: ipsum audietis, iuxta omnia quæcūque locutus fuerit vobis. Dicebat etiam Christus suis discipulis, quando eos ad diuulgandum suum Euangelium misit: In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, sed potius ite ad oues quæ perierunt domus Israel. fatebatur etiam se missum præcipue ad eripendas à dæmone Israelitici populi oues, cū apostolis vt Chananeam dimitteret efflagitantibus, respondit: Nō sum missus nisi ad oues quæ perierūt domus Israel. Et rursus Chananeæ summis precibus & toto integerrimæ fidei conatu roganti, vt suam filiam à dæmonio vexatam sanaret, dixit: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. Adde quod Augustinus explicās quod scribit Paulus ad Romanos: Dico enim Christū Iesum ministrum fuisse circuncisionis, propter veritatem dei, ad confirmandas promissiones patrum: gentes autem super misericordia honorare deum, sicut scriptum est: Propterea confitebor tibi in gētibus domine, & nomini tuo cantabo. Et iterū: Latamini gentes cum plebe eius. Et iterum: Laudate omnes gētes dominum, & magnificate eum omnes populi, dicit ad hoc, Paulum illud scripsisse, vt intelligant gentes dominum Christum ad Iudæos esse missum, & non superbiant. Iudæis enim repellentibus quod ad ipsos missum est, factum est vt gentibus Euangelium prædicaretur, & ad hæc suadenda, profert in illo libro expositionis quarūdam propositionū ex Epistola ad Romanos, quæ iã à nobis ex nouo testamēto producta sunt. Nec tamē inficiatur Christū fuisse regem & Iudæorū & gentium. Nā ad illū Euangelij Ioannis locum: Dicebant ergo Pilato pontifices Iudæorum: Noli scribere rex Iudæorum, sed quia ipse dixit, rex sum Iudæorū, probat ex regio propheta, Christum esse regem & dominū, non solum Iudæorum, verſetiam & gentium. Cum enim dixisset Christus in prophetia: Ego autem cōstitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædi-

trans praeceptum eius, ne propter montem Sion, solis Iudaeis eum regem quisquam diceret constitutum, continuo subiunxit, dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me & dabo tibi gentes, hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terra.

CAPVT III.

Christus licet fuerit in lumbis Abraham, non tamen fuit decimatus. Prior rem huiusce assertionis partem suadeo. Christus quatenus homo, ab Abraham duxit originem, nec solum ab Abraham, verum etiam à Dauid, quod testatur Matthaeus dicens: Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid filij Abraham. Fatetur etiam Petrus in Actis apostolorum, Christum è lumbis Dauid prodijisse. Viri fratres, inquit, liceat audèter dicere ad vos de patriarcha Dauid, quoniam & defunctus est, & sepultus est, & sepulchrum eius est apud nos, vsque in hodiernum diem. Propheta igitur cum esset, & sciret quia iureiurando iurasset illi deus de fructu lumbi eius sedere super sedem eius, prauidens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro eius vidit corruptionem. Astipulatur & huic parti Augustinus libro 10. de Genesi ad literam, capite 20. vbi dicit Christum fuisse in lumbis Abraham secundum substantiam corporalem, non autem secundum concupiscentiam carnalem. ¶ Secundam suadeo partem ex eodem Augustino, libro eodem, capite 19. vbi nectit hoc argumentum: Sacerdotium Melchisedec longe excellentius erat sacerdotio Leuitico: per Melchisedec autem praefiguratus est sacerdos Christus: ab illo igitur non fuit decimatus. bene tamen Leui è lumbis Abraham egressus. Alioqui si Christus decimatus fuisset à Melchisedec, sanè fuisset ipso Melchisedec inferior, & Leui nequaquam excellentior & superior, cuius sacerdotium erat minus excellens quam sacerdotium Melchisedec. Quod autem sacerdotium Melchisedec fuerit longe excellentius Leuitico sacerdotio, probat Paulus ad Hebraeos, vbi differendo de praeminentia Melchisedec dicit: Intuemini autem quantus sit hic, cui & decimas dedit de praecipuis Abraham patriarcha, & quidem de filiis Leui sacerdotium accipientes, mandatum habent decimas sumere à populo secundum legem, id est à fratribus suis, quaquam & ipsi exierint de lumbis Abraham: cuius autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham, & hunc qui habebat repromissiones, benedixit. Sine autem vlla contradictione, quod minus est, à meliore benedicatur. Et hic quidem decimas morientes homines accipiunt, ibi autem contestatur quia viuunt. Et (vt ita dictum sit) per Abraham, & Leui qui decimas accipit, decimatus est, adhuc enim in lumbis patris erat, quando obuiauit ei Melchisedec. Si ergo consummatio per sacerdotium Leuiticum erat (populus enim sub ipso legem accepit) quid adhuc necessariū fuit secundum ordinem Melchisedec alium iurgere sacerdotem, & non secundum ordinem Aaron dici? Translato enim sacerdotio, necesse est vt legis traslatio fiat. Fauet & huic parti sanctus Thomas, tertia parte summae, quaestione 3. arti. 8. vbi cum supposuisset ex Paulo sacerdotium secundum ordinem Melchisedec, esse maius sacerdotio Leuitico, ita ratiocinatur ad probandum Christum non fuisse decimatū in lumbis Abraham: Si Christus fuisset decimatus in lumbis Abraham, eius sacerdotium non esset secundum ordinem Melchisedec, sed minus sacerdotio Melchisedec. Adde quod qui decimatus est, siue qui exhibet decimas, nouè sibi retinet, & decimam alteri tribuit, quod est perfectionis signū: quatenus est quodammodo terminus omnium numerorum qui procedunt vsque ad 10. Hinc fit vt qui largitur decimas, protestatur se longe inferiorem esse eo cui porrigit & imperfectiorē. Hæc autem accidit ex peccato imperfectio, quæ repurgata est & detergenda eius perfectione, qui sordes animi abluit, & peccata omnia discutit. Diluere autem & detergere scelera, solius est Christi. Ipse enim est agnus qui tollit peccata mundi. Huius autem typi siue figuram gerebat Melchisedec, vt indicat Paulus ad Hebraeos in capite citato, eo quod Abraham obtulit ipsi Melchisedec decimas, praefigurans se velut noxa originali infectū & in-

Mat. 23.

Act. 23.

3. Reg. 2.

Psal. 131.

Augustinus.

Hebr. 7.

Thomas.

Ioan. 7.

peccato conceptū, & omnes labem originis contracturos, qui ab eo ratione feminali propagarentur, si modo ab ipso deo singulari priuilegio & eximio munere, ab illo squalido fetore praeseruetur immunes, quod dico propter inculpatisimam virginem Mariam, quæ à peccato originali fuit praeseruata. ¶ At aliquis obijciat, Ex eo Leui Abraham pronepos, fuit decimatus, quia fuit in lumbis Abraham, & quidem secundum carnem, sed Christus fuit in lumbis Abraham secundum carnem, ergo fuit decimatus. Tum etiam concludit Augustinus in illo 19. capite, Christum & Leui fuisse pariter decimatos. Et capite 20. dicit Christum fuisse decimatū in Abraham, licet tantum in eo fuerit secundum carnem. ¶ Obiectionibus respondeo, & primæ solutio fit hæc: Non ex eo Leui fuit decimatus, quia fuit in lumbis Abraham secundum carnem, sed quia ex eodem Augustino fuit in lumbis Abraham & secundum carnem, & secundum concupiscentiam carnalem: Christus autem solum fuit in lumbis Abraham, secundum substantiam corporalem, & non secundum rationem virilis feminis. Nam apud Matthaeum dicitur: Inuenta est Maria in vtero habens de spiritu sancto. Et apud Lucam angelus dixit Mariæ: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nasceretur ex te sanctum, vocabitur filius dei. ¶ Cum vero in nos profers Augustinum, scito Augustinum illic disserere, cui si velis dare & annuere ijs quæ ab ipso præmittuntur, non addubito quin ad consequendum vsque deducet argumentum. Sed iam dictum est, nō ex eo Leui fuisse decimatū, quia fuit in Abraham secundum carnem. Et si tibi arridere videatur Augustinus quod fuerit Christus decimatus, intellige vt voluit ratiocinando, tibi quodammodo probare, Christum fuisse decimatū in lumbis Abraham, quia ab Abraham carnem accepit. Quod autem noluerit Augustinus suo iudicio defendere Christum in lumbis Abraham fuisse decimatū, sic probo etiam exquisitissima eiusdem celsura. Nam capite 20. iam prolato, dicit Christum non esse in Abraham decimatū, cuius caro inde, nō feruorem vulneris, sed materiam medicaminis traxit. Huic Augustini doctrinæ consentiunt quæ dicit Thomas nullis à me encomijs satis commendandus, eos in Abraham decimatos, qui praefigurati sunt indigere curatione à Christo facta: & hac ratione, Abraham, Isaac, Iacob & Leui fuerunt decimati. Nec caro Christi fuit peccato obnoxia secundum quadam fomitis & noxæ originalis qualitatem in eo existentem, sed in antiquorum patrum contagione residentem. ¶ Iterum pugnabit aliquis, Christus est ex femine Abraham secundum carnem quam à matre accepit, sed eius mater fuit in lumbis Abraham decimata, ergo & Christus. Minorem probo, praefigurata fuit indigere medicamine, quod Christus sua passione exhibuit omnibus propter delictum primi parentis, quod dilucide ostendit Paulus dicens: Commédât autem charitatem suam deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est. Nec aliquem excipiendum censet. Et ibidem: Propterea sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit: in quo omnes peccauerunt. Tum etiam dicit Augustinus libro 10. in Genesim, capite 18. Corpus Christi quauis ex carne foeminae assumptū sit, quæ de illa carnis peccati propagine cōcepta fuerat: tamen non sic in ea conceptū est, quomodo fuerat illa concepta: nec ipsa erat caro peccati, sed similitudo carnis peccati. Et Epistola Valentino dicit Paulū non discernere hominē de massa illius perditionis, quæ facta est ex Adam. Et libro 20. de Ciuitate dei, capite 6. dicit: Omnes itaque mortui sunt in peccatis, nemine profus excepto, siue originalibus, siue etiam voluntate additis, vel ignorando, vel sciendo, vel faciendo quod iustum est, & pro omnibus mortuis viuus mortuus est vnus, id est nullum habens omnino peccatum: vt qui per remissionem peccatorum viuunt, iam non sibi viuāt, sed ei qui pro omnibus mortuus est, propter peccata nostra. Adde quod solus Christus fuit de spiritu cōceptus: quod si virgo Maria labem originis non contraxisset, dicendum esset conceptionem secundum carnem, æquari cōceptioni secundum spiritum, & quod eius puri-

Mat. 23.

Luca 11.

Thomas.

Roma. 5.

Augustinus.

Concilium
Basilienſe.

tas puritati Chriſti eſſet æqua. ¶ Antequam obiectionibus reſpōdeam, velim præteſtari ſyncero affectu, prompta volūtate, & optimo animo, me mordicus adharere diuinis eccleſiæ ſanctiōibus, determinantis in laudem virginis illibatæ, matrē Chriſti non fuiſſe originis labe inquinatam, nec cōceptam in peccato originali. Indignum videtur incoquinatum, & muſſimum dei filiū, de carne quæ aliquando fuit coquinata, fœda & immunda, prodijſſe. Sancitum fuit in cōcilio Baſilienſi ſeſſione 26. virginem Mariam non fuiſſe in peccato originali conceptam. Non me latet argumentum illud propoſitum, plurimum habere & momenti & virium. Si enim virgo Maria nō ſit decimata in lumbis Abrahæ, ſolum igitur in Abraham fuit ſecundum ſubſtantiam corporalem, & non ſecundum concupiſcentiam carnalem veluti Chriſtus, quod videtur abſurdum. Dicam ego, & iuuet me deus, vt recte dicam, virginem Mariam non fuiſſe decimatam in lumbis Abrahæ, eo dicendi genere quo loquitur Thomas de nomine decimati, vt ſignificet præfigurationē curationis per Chriſtū faciendæ: tamenſi Thomas cōcedat virginem Mariam fuiſſe in lumbis Abrahæ decimatam, & in peccato originali cōceptam. Et hoc velle eſſe à ſcripturis Thomæ diuulſum, hoc etiam ante determinationem eccleſiæ cenſuit: ſi ſuperuiueret, optime cum eccleſia ſentiret. Sed fuit virgo Maria in lumbis Abrahæ decimata, quia concubitu & ratione ſeminali fuit concepta, quòd ſi audeas dicere eam in Abrahæ lumbis fuiſſe per concupiſcentiam carnalem, vt diſſideat conceptio Chriſti à conceptione virginis Mariæ, intellige tamen illā concupiſcentiam carnalē diuinitus præpeditam fuiſſe, ne originis labe in carnem virginis Mariæ ſerperet. Simili ratione dices ad Pauli authoritatem, omnes in Adam peccaſſe, qui à peccato originali præſeruati non fuerunt. Putat quidam Auguſtinum aliquando ſenſiſſe (vt eius ſcripturæ videtur monſtrare) virginem Mariam contraxiſſe labem originis, nec eccleſiam illa tempeſtate oppoſitum deſiniſſe: dicit tamen libro in Geneſim producto, & capite eodem, nihil eſſe incoquinatius vtero virginis: ſed hoc explicat, vt ſcilicet conciperet, quia fuit ſanctificata. Quòd autem videatur Auguſtinus in illa fuiſſe ſententia, præter illa quæ à nobis ex eodem authore adducta ſunt, ex alijs eiufdē locis colligere conatur, libro vno de Fide ad Petrum diaconum, capite vigeſimoſexto, dicit: Firmiſſime tene & nullatenus dubites, omnem hominem qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum peccato originali naſci, impietati ſubditum, mortique ſubiectum, & ob hoc natura iræ filium naſci. Et libro primo, de Nuptijs & concupiſcentia, capite 1. dicit illum trahere originale peccatum, qui per carnalem concupiſcentiam naſcitur. Capite etiam 12. dicit Chriſtū qui futurus erat ſine peccato, non in carne peccati, ſed in ſimilitudine carnis peccati, docuiſſe omnem, quæ de concubitu naſcitur, carnem eſſe peccati, quam doquidem ſola quæ nō inde nata eſt, non fuit caro peccati. Et capite 35. teſtatur ex Ambroſij doctrina, ſeruatū eſſe vt ex viro & muliere, id eſt per illā corporū commixtionem, nemo videatur eſſe expers delicti. Qui autem expers eſt delicti, expers eſt etiam huiusmodi conceptionis. Inſuper tractatu 7. in Euangelium Ioan. hunc explicans locum: Ecce agnus dei, dicit: Agnus ſingulariter ſolus ſine macula, ſine peccato: nō cuius maculæ abſterſæ ſint, ſed cuius macula nulla fuerit. Durādus etiam libro tertio Sententiarū, diſtinctione tertia, quæſtione 1. arbitratu Auguſtinum propter aliquot teſtimonia iam citata, ſenſiſſe virginē Mariam fuiſſe in peccato originali conceptam, & huic cum Thoma adhæſit opinioni. Ad cuius rationē quam exiſtimat indiſſolubilem reſpondeo, fateor ſolum Chriſtum de ſpiritu conceptum fuiſſe, nec tamen concludit conceptionem virginis Mariæ adæquari debere cōceptioni Chriſti, ſi nota originis infecta nō fuerit: quia Chriſtus nullo viri & fœminæ congreſſu ſive cōcubitu fuit conceptus, virgo tamē Maria fuit cōmixtione & cōcubitu viri & fœminæ cōcepta. Ideo longe excellentior eſt, & purior Chriſti conceptio, virginis Mariæ conceptione. Illa diuinitus, hæc humanitus: illi puritas per naturam, huic per gratiā attribuitur. Nec mihi placet quod dicit Durandus,

Ioan. 7.

quòd nō decuit eam præſeruari ab originali peccato, imò maxime, & in honorem Chriſti & virginis Mariæ decuit. Si enim deus poteſt quēpiam in vtero ſanctificare, quare non poteſt & in ipſa conceptione eundem à labe originis reddere immunem? quòd ſi poteſt, nec hoc derogabat dignitati Chriſti, hoc ſanè fecit, cuius tamē contrarium opinatus eſt Thomas, dicens quòd alioqui nō eſſet omnium ſaluator nec redemptor. Non enim inſigni munere, quod virgini Mariæ collatū eſt, vileſcit & imminuitur Chriſti maietas & authoritas. Nec ſolū redemit & ſaluauit eos qui peccauerant, ſed qui in ruinā delicti originalis ac alterius vitij incidiffent, ſi præſeruati non fuiſſent. Quod ex eodē Durando poſſum approbare, qui cum cenſuiſſet cum Thoma, feſtum cōceptionis virginis Mariæ potius debere vocari feſtum ſanctificationis, vocatur tamen feſtū conceptionis, quia certū eſt quando fuit cōcepta, ſed non eſt certū quādo fuit ſanctificata, ſubneſcit in hunc modū: Puto tamen quòd ſi beata virgo peccatū originale non contraxiſſet, potuiſſet tamē vere dici redempta à deo, pro eo quòd in radice ſua ex natura ſuæ conceptionis obligata erat ad incurrendum peccatū, niſi fuiſſet à deo præſeruata. Nec exiſtimo locos illos ex Auguſtino citatos, tamenſi plurimū habeant neruorum & efficaciarū, omnino aſtipulari opinioni & Thomæ & Durandi. Quāuis enim Auguſtinus nullū videatur in illis ſcripturis excipere à peccato originali immunē, qui concubitu viri & vxoris natus eſt, quia tamē non meminit virginis Mariæ in illis locis, poſſe dicere nec abſurde, omnes illas authoritates ex fonte Auguſtini ſcaturientes, intelligendas eſſe de illis qui diuina gratia ab huiusmodi labe præſeruati nō fuerunt. Nolim tamē affirmare Auguſtinum hoc vel illud ſenſiſſe, auſim tamē affirmare quod apud eundē, ſcio me legiſſe libro vno de Natura & gratia cōtra Pelagianos, cap. 36. vbi refert opinionem cuiuſdam, qui aſſeruit virginem Mariam hic vixiſſe ſine peccato. Deinde commemorat ille eos qui non modo non peccaſſe, verumetiam iuſte vixiſſe referuntur, Abel, Enoch, Melchizedec, Abraham, Iſaac, Iacob, Ioseph, Ieſus Naue, Phinees, Samuel, Nathan, Helias, Heliſeus, Micheas, Daniel, Ananias, Azarias, Miſael, Ezechiel, Mardocheus, Simeon, Ioseph, cui deſponſata erat virgo Maria: Ioannem adiungit, etiam feminas, Delboram, Annam Samuelis matrem, Iudith, Heſter, alteram Annā filiam Phanuel, Elizabeth, ipſam etiam domini ac ſaluatoris noſtri matrem, quam dicit ſine peccato conſiteri, neceſſe eſſe pietati. Hæc ille. Sed nunc excipe Auguſtini cenſuram. Excepta itaque ſancta virgine Maria, de qua propter honorem domini, nullam prorsus cum de peccato agitur, habere volo quæſtionē. Vnde enim ſcimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum. Hac ergo virgine excepta, ſi omnes illos ſanctos & ſanctas cum hic viuere congregare poſſemus, & interrogare vtrum eſſent ſine peccato, quid fuiſſe reſponſuros putamus? Vtrum hoc quod iſte dicit, an quod Ioannes apoſtolus? Rogo vos quantalibet fuerint in hoc corpore excellētia ſanctitatis, ſi hoc interrogari potuiſſent, vna voce clamaſſent: Si dixerimus quia peccatum non habemus, noſipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. An illud humilius reſponderent fortaſſe quàm verius? Sed huic iam placet & recte placet, laudem humilitatis in parte non ponere falſitatis. Itaque hoc ſi verum dicerent, haberent peccatum quod humiliter faterentur, quia veritas in eis eſſet: ſi autem hoc mentirentur, nihilominus haberent peccatum, quia veritas in eis non eſſet. Hæc ille. Sed videtur Auguſtinus primo intuitu ſolū oſtendere eam dum hic viuere non peccaſſe, cum pie & Chriſtiane fateatur hanc virginem excellentiſſimā habuiſſe gratiā, qua omnibus obſtitit peccatis. Nec diſſerit de peccato originali, licet in generali loqui videatur, cum nullum velit excitari ſcrupum, nec quemquam in controuerſiā adferre, ſi nam virgo Maria habuerit peccatum. Hæc ſanè authoritas ab aſſertoribus illius veritatis, quòd virgo Maria nullam originis maculam ſibi contraxit, maximopere commendatur, & defenditur.

1. Ioan. 1.

M. j.

Hebre. 7.

Psal. 109.

Chrysofo.

Gene. 14.

Augustinus

Lucæ 2.

Christus iureiuratio factus est sacerdos, & quidē secundū ordinē Melchisedec, & nō Aaron. Vtramq; huiusce assertionis partē, ex Paulo ad Hebræos approbamus. Etenim Paulus sacerdotiū Christi præferens aliorum sacerdotio, ita scribit: Et quantum est nō sine iureiuratio (Alij quidē sine iureiuratio sacerdotes facti sunt, hic autem cū iureiurando per eū qui dixit ad illū: Iurauit dominus & nō pœnitebit eū, tu es sacerdos in æternū) Intantum melioris testamēti spōsor factus est Iesus. Et alij quidē plures facti sunt sacerdotes. Et rursum probat Christi sacerdotiū cæteris longe præcelluisse, dicēs: Idcirco quod morte prohiberetur permanere: hic autē eo quod maneat in æternū, sempiternū habet sacerdotiū. Et iterū: Vnde & saluare in perpetuū potest accedens per semetipsum ad deum: semper viuens, ad interpelladum pro nobis. Sed quis nescit sacerdotē illum eo præstantiorē esse, cuius in signe sacerdotium præscripto tempore viget, nec semper est duraturum. Adde & eminentissimā illius dignitatē, quod nullius fauore ac patrocinio, sed per semetipsum accedit ad deū, semper viuens ad orandum pro nobis. Purus autē homo præclara sacerdotij dignitate donatus, nec semper viuuit, nec absq; diuino subsidio cōfugit ad deum interpellado pro nobis, nec assiduis precationibus postulat pro nobis, quod naturā nostrā & saluti hominū sit necessariū. Apposite Christus summus sacerdos in Melchisedec præfiguratus fuit. Nam sicut Melchisedec (vt dicit Paulus in eodē capite) erat sine patre, sine matre, sine genealogia, neq; initium dierum, neq; finem vitæ habēs: assimilatus autē filio dei manet sacerdos in perpetuum. Ita nec Christus habuit patrē in terris, nec matrē in cælis: & sicut nō recensetur genealogia Melchisedec, ita nec Christi: vt testatur Chrysofomus homilia 35. in 14. caput Geneleos, in quo fit mētio de sacerdotio Melchisedec, qui fuit figura & typus Christi: nec tamē putes omnia in typo requirēda. Et vt Melchisedec obtulit deo panē & vinū, ita & Christus, quādo suos consecrauit apostolos. Nec solum panē & vinum obtulit, sed suum corpus, suūq; sanguinē, vt pro nostris vitijs abstergēdis fieret sacrificium. & homilia 13. in Epistolā ad Hebræos ad illū Pauli locū ex capite citato, Testificatur enim quia tu es sacerdos in æternū secundū ordinē Melchisedec, inquit: Hoc est nō temporalis, neq; finem habens, sed secundum potentiā, hoc est per vitam, per potentiā insolubilem. Tum etiam Augustinus enarrās locum illū prophetæ: Iurauit dominus & nō pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundū ordinē Melchisedec, dicit: Ad hoc enim natus ex vtero ante luciferū, vt essēs sacerdos in æternum secundū ordinē Melchisedec. Si natum ex vtero de virgine intelligimus ante luciferū noctu, sicut Euāgelia continentur, proculdubio inde ex vtero ante luciferū vt esset sacerdos in æternū secundū ordinē Melchisedec. Nam secundum id quod natus est de patre deus apud deū, coæternus gignēti, nō sacerdos, sed sacerdos propter carnē assumptā, propter victimam, quā pro nobis offerret à nobis acceptā. Et huic pollicitationi deus adhibuit iuramētum, vt domini iuramentū, esset promissionis firmamentū. Siue (vt dicit Chrysofomus) iurauit dominus, ad multā nostram satisfactiōnē. Et de eodem Christi sacerdotio cōmendatissimo, dicit idē Augustinus libro vno 83. quæstionū, quæstio. 61. Ipse est etiā sacerdos noster in æternū secundū ordinē Melchisedec, qui seipsum obtulit holocaustū pro peccatis nostris, & eius sacrificij similitudinē celebrandā in suā passionis memoriā commēdauit: vt illud quod Melchisedec obtulit deo, iā per totū orbē terrarū in Christi ecclesia videamus offerri. Insuper cū loquitur lib. 16. de Ciuitate dei, cap. 22. de illa benedictione quā recepit Abrahā à Melchisedec dei summi sacerdote, dicit: Ibi quippe primū apparuit sacrificiū, quod nunc à Christianis offertur deo, toto orbe terrarū, impleturq; illud quod longe post hoc factum, per prophetā dicitur ad Christū, qui fuerat vterus in carnē: Tu es sacerdos in æternū secundū ordinē Melchisedec, nō scilicet secundū ordinē Aarō, qui ordo

fuerat auferendus, illucescentibus rebus, quæ illis vmbri prænotabātur. Et Oratio: ne aduersus Iudæos cap. 10. differens de lato sacerdotij secundum ordinē Melchisedec & Aarō diffidio, dicit: Nec secundū ordinē Aaron, sed secundū ordinem Melchisedec. Christo enim dictū est, & de Christo tāto antē prædictū est, Iurauit dominus & non pœnitebit eū, Tu es sacerdos in æternū secundū ordinē Melchisedec. Quid est iurauit dominus, nisi incōcussa veritate firmauit? Et quid est, nō pœnitebit eū: nisi hoc sacerdotiū nulla omnino ratione mutabit? Neque enim sicut hominē, pœnitet deū, sed dei dicitur pœnitētia, quāuis ab illo institutæ rei cuiusq; sit mutatio, quæ credebatur esse māsura. Proinde cū dicit: Non pœnitebit eū, Tu es sacerdos in æternū secundū ordinē Melchisedec, satis ostēdit eū pœnituisse, hoc est eū mutare voluisse sacerdotiū quod cōstituerat secundū ordinē Aarō: sicut de vtroq; videmus impletū. Nā & Aarō sacerdotiū iam nullū est in aliquo tēplo, & Christi sacerdotiū in æternū perseuerat in cælo. ¶ Mouet ambiguitatē Theophyla. in 7. cap. Epist. Pauli ad Hebræos ad locū illum: Neq; initium dierū neque finē vitæ habens, assimilatus autē filio dei manet sacerdos in æternū: Quo pacto Christus poterit esse secundū ordinē Melchisedec sacerdos in æternū, quādoquidē vt cæteri homines, Melchisedec, naturā cōcesserit, nec in æternū sacerdotio sit ille potitus? Sed illam soluit ambiguitatē dicens: Et Christū fatemur cū sit æternus, nec habeat finē, vero hoc fungi & perpetuo sacerdotij munere, & ita vel hoc tēpore pro nobis offerre sacrificiū, pro eius in nos beneficijs, existimetur. Acceditque q̄ apud patrē pro nobis etiā intercedat, & hūc in modū pro nobis ipse sacerdos, lōge magis prodesse arguitur, maiorq; mysterio quodā & mirū in modū & præter omniū intellectū, sese in cibū & potū proponit: Melchisedec autē perpetuo dicitur sacerdotio fungi, nec quidē q̄ perpetuo esset victurus (mortē enim iā multis seculis obiit) sed quia de eius morte nihil habetur in diuinis exploratū codicibus, vt ex his pernoscere liceat quo tēpore sacerdos esse desierit. Datur præterea id vel ex ipsis nominib⁹ planē intelligi. Nā hoc vnici erat Melchisedec cognomentū, q̄ Salē rex vocaretur: Christo vero certiora & vera inerāt cūcta. Vnde nec principiū habet nec finē, cū principio ille & sine idcirco caret, quia nil quicq; de eo scriptū cōstaret, sed Christi dūtaxat figuram hic præferbat: qui vera omnia præ se & propria tulit, nō aliena. Eiusdē est sententiæ Lyranus, exponēs locum illū: Manet sacerdos in æternū, non quia Melchisedec sacerdotiū fuit perpetuū simpliciter, sed quia scriptura nō loquitur de principio & fine sui sacerdotij, nec de successore eius, & per hoc præfigurauit Christi sacerdotiū, quod est simpliciter perpetuū. ¶ Secūda Assertionis particula, est eiusdē Pauli in eodem capite, vbi validissimū hoc textit argumentū: Si ergo cōsummatio per sacerdotiū Leuiticū erat (populus enim sub ipso legē accepit) quid adhuc necessariū fuit secundū ordinē Melchisedec, aliū surgere sacerdotē, & nō secundū ordinē Aarō dici? Trāsflato enim sacerdotio, necesse est vt legis trāsflatio fiat. In quo enim hæc dicuntur, de alia tribu est, de qua nullus altario præsto fuit. Manifestū est enim quod ex Iuda ortus sit dominus noster, in qua tribu nihil de sacerdotibus Moyse locutus est. Et amplius adhuc manifestū est, si secundū multitudinē Melchisedec exurgat alius sacerdos, qui nō secundum legē mādati carnalis factus est, sed secundū virtutē vitæ insolabilis, cōtestatur enim eodē psalmo: Quoniā tu es sacerdos in æternū secundū ordinē Melchisedec. Ex hac Pauli doctrina, colligere potes sacerdotiū Leuiticum fuisse imperfectū, alioqui nō fuisset necessariū aliū surgere sacerdotē secundū ordinē Melchisedec: huic Christi sacerdotio cessit illud, tanquā imperfectum perfectū, & vmbra veritati, & lex Euangelio. ¶ Cōtendit aliquis, probādo sacerdotium Aaron non discrepasse à sacerdotio Melchisedec, quod istud sit sempiternū, illud vero non. Nam sacerdotium Aaron erat in sempiternū, quod Exodus subindicat. Ita enim loquitur dominus ad Moysē: Applicabisq; Aaron & filios eius ad fores tabernaculi testimonij, & lotis aqua indues sanctis vestibus vt ministrent mihi, & vnctio eorum in sacerdotium sempiternum proficiat. Huic respōdit difficultati Maij.


Theophyla.

Lyranus.

Exodi 4.01

Pfal. 109. Augustinus lib. 2. quaestionū super Exodū, quaest. 124. vbi inquit, Dictū est psal. 109. de sacerdotio Christi: Iuravit dominus & nō poenitebit eū, Tu es sacerdos in aeternum secundū ordinem Melchisedec. Ibi & iuratio & nulla dei poenitudo, qua significetur mutatio. De ordine autē Aaron dictū est quidē in sempiternū, vel propter tempus non praecipuum quousque obseruaretur, vel quo res significaret aeternas: nusquā tamen dictū est de sacerdotio Aarō, quia iuravit dominus, & nō poenitebit eū. Poenituit autē eum de sacerdotio Aarō, id est mutauit illud. Nec ab his diffentanea sunt quae ex eodē August. paulō antea diximus, cum primā partē probauimus.

CAPVT V.

Pfal. 131.  Hristus quāuis fuerit rex Iudaeorū, non tamē regiam fluxu honore dignitatem exerceuit.] Vtraq; huiusce Assertionis pars ex sacris eruitur literis. Etenim deus iuramēto firmavit pollicitationē Dauid, quod de regia ipsius sobole egrederetur Christus secundū humanitatem de virgine Maria nasciturus. Scriptū est enim: Iuravit dominus Dauid veritatem, & nō frustrabitur eū, De fructu ventris tui ponā super sedem tuā. Et hoc promisit per Nathā prophetā 2. Regū 7. vbi dicitur: Cūq; cōpleti fuerint dies tui, & dormieris cū patribus tuis, suscitabo semen tuū post te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnū eius. Hoc tamen promissum primo fuit impletū in Salomone filio Dauid, qui in regno ei succcessit, & multo perfectius in Christo descendēte à Dauid secundum carnē, cuius Salomō figura fuit, & in quo Dauid regni accepit perpetuitatē, vt dicit Lyranus exponens locū illius prophetae. Angelus etiā dixit virgini Mariae, cū eam exoptatissima benedictione salutasset: Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiā apud deū. Ecce cōcipies in ytero, & paries filiū, & vocabis nomē eius Iesum. Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur. Et dabit illi dominus deus sedē Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in aeternū, & regni eius non erit finis. Enarrans Theophylactus locum illū: Sedem Dauid, inquit, ne putes sensibile regnū, sed diuinū, quo regnauit super omnes gētes per praedicationē. Domus enim Iacob sunt ij, qui ex Hebrais crediderunt, atque etiā qui ex alijs gentibus. Illi tamē proprie Iacob & Israel, & ex eo sedet super sedē Dauid. quia sicut Dauid per mansuetudinē vicit & regnauit, ita dominus per mansuetudinē suscepta cruce regnauit. Et sicut Dauid sensibile regnū suscepit, ita & dominus spirituale. Astipulatur & Theophylacto venerabilis Beda, eundē locum explicās, vbi dicit dominum deū dedisse Christo Israeliticā plebem, cui Dauid & filij eius, tēporalis regni gubernacula praebuerūt. Huius regnū spirituale datū est Christo, quādo dispositum est à deo, vt de femine Dauid incarnaretur, qui illā gentem in perpetuū vocaret regnum. Et non solū in vna gente Iudaeorum, sed regnabit in domo Iacob in aeternū: hoc est in tota ecclesia, quae per fidem & confessionē Christi ad patriarcharū pertinet sortē. Nec diuersa est sententia Lyranus, dicens Christū non sedisse tēporali regno super thronū Dauid, nec regnum Christi habiturū est finē: quia Christus non solū quatenus deus, sed quatenus homo regnabit in aeternum: non solū super homines, sed etiā super angelos. Nam cū resurrexit accepit etiā quatenus homo, potestātē & imperium super omnē creaturam. Dicit enim in Euāgelio Matthaei: Data est mihi omnis potestas in caelo & in terra. Adde quod regia eius stēmata apud eundem Matthaeū expressa, mōstrant eū ex antiquissima & nobilissima Dauid regis prosapia prodijisse. Sic enim scribit Euāgelista: Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham. Ad huiusce loci enarrationē dicit Augustinus libro primo, de cōsensu Euangelistarum capite secūdo, Matthaeū suscepisse munus interpretandi incarnationē domini secundum stirpem regiam, Lucam vero fuisse occupatum circa sacerdotalem domini stirpem. Nam ad ipsum Dauid non regium stemma secutus ascendit, sed per eos qui reges non fuerunt, exijt ad Nathan filium Dauid, qui nec ipse rex fuit. Non sicut Matthaeus qui per Salomonem regem descendens, ceteros etiā reges, ex ordine profecutus est. Et cap. 3. eiusdē libri: Dominus, inquit, Iesus Christus, vnus verus rex, &

vnus verus sacerdos, illud ad regendos nos, istud ad expiandos: has duas personas, apud antiquos patres sigillatim cōmendatas, suam figurā egisse declarauit: Siue titulo illo qui cruci eius superfixus erat, rex Iudaeorū. Vnde arcano instinctu Pilatus respōdit: Quod scripsi, scripsi. Prædictū quippe erat in psalmis: Ne corrūpas tituli inscriptionē. Siue quod ad personā sacerdotis attinet in eo quod nos offerre atq; accipere docuit, vnde prophetiā de se præmisit dicētem: Tu es sacerdos in aeternū secundū ordinē Melchisedec. Multisq; alijs documentis diuinarū scripturarum, rex & sacerdos Christus apparet. Hinc & ipse Dauid, cuius non frustra crebrius filius dictus est quā Abrahā, & quē communiter tenuerūt Matthaeus & Lucas: Ille à quo per Salomonē descenderet, iste ad quē per Nathā ascēderet: quāquam aperte rex fuit, figurauit tamē & sacerdotis personā, quādo panes ppositionis māducauit, quos nō licebat māducare, nisi solis sacerdotibus. Et quae scribit libro vno 83. quaestionū, quaestione 61. hisce verbis opportune consentiunt. Quoniā, inquit, rex nolter peccata nostra suscepit, vt nobis pugnādi & vincendi demonstraret exemplum, eorundem peccatorū susceptionem, regiamq; personam Matthaeus Euangelista significans, generationē eius quae est secundū carnem, ab Abrahā suscipiens, qui pater est populi fidelis, & successionē prolis deorsum versus enumerās, peruenit ad Dauid, in quo regni stabilitū manifestissimum apparet: atq; inde per Salomonem, natum de illa in qua pater eius peccauerat, stirpē regiam profecutus, vsque ad generationē domini perducit. Tum etiā 2. partē quaestionum ex nouo testamento, quaestione 3. dicit Christū specialiter esse filiū Dauid, propter regnum, vt sicut deus de deo, ita & rex de rege ortum caperet iuxta carnem: sic enim dictū est ad Dauid: De fructu ventris tui ponā super sedem tuā. Quomodo autem Christus dictus sit rex Iudaeorū, exprimit in psalmos, vbi ad locum illū, Partes vulpium erūt, inquit: Vulpes dicit reges saeculi, qui tunc fuerunt, quādo debellata est Iudaea. Audite vt noueritis & intelligatis, quia ipsos dicit vulpes. Herodem regē ipse dominus vulpem appellauit. Ite, inquit, & dicite vulpi illi. Videte & attendite fratres mei, Christum regē habere noluerūt, & partes vulpiū facti sunt. Quādo enim Pilatus praeses in Iudaea legatus, occidit Christū ex vocibus Iudaeorū: dixit ipsis Iudaeis, Regē vestrum crucifigā? Quia dicebatur rex Iudaeorū, & verus rex ipse. Et illi repellentes Christum, dixerūt: Nos non habemus regem nisi Caesare: repulerunt agnū, elegerunt vulpē, merito partes vulpiū facti sunt. Rex vero, ideo ita positum est, quia illi vulpem elegerunt, regē vero noluerunt. Rex vero, id est verus rex, cui titulus inscriptus est, quādo passus est. Nā Pilatus hunc titulū super caput eius inscriptū posuit, rex Iudaeorum Hebraea lingua, Graeca & Latina, vt omnes qui trāsirent, legerent gloriā regis, & ad ignominia ipsorum Iudaeorū, qui reijcientes verum regē, elegerunt vulpē Caesarem. Vnū te velim scire etiam ex Augustini sententia, eam esse excellentiā Christi Iudaeorū regis ac virtutē, cum appellatur filius Dauid, vt caeci sincere cōfitemo Christum filiū Dauid, illuminari meruerint. Dicit enim in psal. mū illū: Dixit dominus domino meo &c. caecos illos domino transeunti acclamasse, Miserere nostri fili Dauid, tanquā dicerent, filiū Dauid trāsēuntē cognoscimus, filiū Dauid in trāsitu fictū discimus. Agnoscamus ergo & nos, & filiū Dauid confiteamur, vt illuminari mereamur. Sentimus enim transeuntē filium Dauid, & illuminamur à domino Dauid. Et in eodē psalmo tantum attribuit dignitati & augustissimā maiestati Dauid, vt eū puret Euāgelio aduersari, qui negat Christū fuisse filiū Dauid. Prospicimus sanē beatū Augustinum dixisse lōge commēdarius & expressius, Christū fuisse filiū Dauid quā Abrahā. Accedit maximo opere ad Augustini censurā, quod scribit Chrysostomus homilia 2. in Euāgelium Matthaei, vbi dicit Iudaeos nominasse Christum filium Dauid, & nō Abrahā: propterea Matthaeus initium sui Euāgelij à notiore interim & celebratiore persona sumpsit, nō quod vellet asserere Christū non fuisse filiū Abrahā, sed quod Iudaei propētius suspiciebant ac magis reuerēbatur nomē Dauid quā Abrahā. Quāobrem haud quāquā mihi

adblandiri potest, quod dicit Faber Stapulensis, vir tamen non vulgaris disciplinae, in exordium Euangelij Matthaei, quod scilicet Christus non est filius Abraham. Nam cum legitur in Matthaeo, Liber generationis Iesu Christi filij David, filij Abraham, hic casus, inquit, postremus filij, ad viciniam scilicet David, referendus est: quod adniti-
Baruch 1. tur suadere ex consuetudine sacrae scripturae. Sic enim in Baruch: Et haec verba libri quae scripsit Baruch filius Neriae, filij Maasiae, filij Sedeciae &c. Et primo Sopho, simile legitur. Nec Hebraei soliti sunt dicere Christum Messiam filium Abraham, sed
Hierem. 23. David peculiari nomine, ut patet ex Hieremia: Ecce dies veniunt, dicit dominus, & suscitabo David germen iustum, & regnabit rex, & sapiens erit, & faciet iudicium, & iustitiam in terra: in diebus illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter. Et
Hieronymus hoc est nomen quod vocabunt eum, dominus iustus noster. Hieronymus explicans locum illum, dicit Christum esse germen iustum, principem principum, & regem regum.
Mat. 22. Ad haec, cum dominus Iudaeos percotaretur: Quid vobis videtur de Christo, cuius filius est? Incunctate dixerunt ei, David. Porro quos in initio sui Euangelij nomina uit Matthaeus, finiuntur in David, prima implentes testarum decadem. Tu etiam (si plura desideres) populus Iudaeorum ut honorificentius ac excellentius reciperet Christum Hierusalem ingredientem, clamabat, dicens: Hosanna filio David, benedictus qui venit in nomine domini, Hosanna in altissimis. Multis mihi argumentis videtur Faber vir doctissimus, suadere aperte & copiose Christum potius & peculiariter dici filium David quam Abraham, quod sane non addubito. Nec tamen dicendum erat casum illum filij, postremum, ad David referendum esse & non ad Christum. Et licet plerisque in locis sacrae scripturae reperitur, quod cupit & praetedit, non tamen in omnibus. Nec Hieronymus in diuinis & sanctis Hebraeorum literis optime versatus, putat casum illum postremum, ad David referendum esse, sed ad Christum. Quod haud dubie vult & Augustinus, qui (ut praemisimus) vere existimat Christum fuisse filium & David & Abraham. Expende igitur exactissimum Hieronymi iudicium, ad haec
Hieronymus Matthaei verba, filij David, filij Abraham. Ordo, inquit, praeposterus, sed necessario commutatus. Si enim primum posuisset Abraham, & postea David, rursus ei repetendus fuerat Abraham, ut generationis series texeretur. Ideo autem ceteris praetermissis, horum filium nuncupavit, quia ad hos tantum est facta de Christo repromissio. Intellige, praesertim ad hos factam fuisse repromissionem, aut sub nomine Abraham, complectere eius sobolem. Illud enim de repromissione Hieronymi dictum, non omnino a Fabro receptum est. Nam Iacob, facta est de Christo promissio, ut patet in Numeris: Orietur stella ex Iacob. Et in Genesi: Non auferetur sceptrum de Iuda &c. Sed nosti quid nam ad haec addiderim? Quod autem ad illos peculiariter facta sit promissio quantum ad regiam & prophetica dignitatem, ac sacerdotalem quodammodo adumbrationem, testantur scripturae. Ad Abraham quidem ut typus esset benedictionis omnium gentium, dicitur: In semine tuo benedicentur omnes gentes, quod est Christus: ad David autem, De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Adferam quae ex ditissimo Thomae promptuario de promissis, quae bona ex parte sumpsit ille ex penu Hieronymi selectissima. Etenim edisseres Thomas 3. parte summae, quaestione 31. arti. 2. quaestionem illam, An caro Christi fuerit sumpta de David, dicit in adnotamentis, Christum specialiter duorum antiquorum patrum dictum esse filium, Abraham scilicet & David, multiplici quidem ratione. Prima, quod ad illos specialiter de Christo facta est promissio: cuius probationem, quoniam iam innotuit, omitto. Secunda, quod Christus futurus erat rex, propheta, & sacerdos. Abraham autem sacerdos fuit, dominus enim ad eum dixit, Sume tibi vaccam triennem &c. Fuit etiam & propheta. Tertia ratio est, quia in Abraham incepta est prima circumcisio, in David autem maxime manifestata est dei electio. Nam in libris regum de eius electione scriptum est: Quasiuit sibi dominus virum iuxta cor suum. Ideo Christus vtriusque filius specialiter dicitur, ut id ostendatur esse in salutem circumcisionis, & electio-

nem gentium. Sed Faber a modestia meretur veniam: cum enim dixit Christum non esse filium Abraham, addidit, saluo tamen insignium interpretum iudicio. Videbitur quispiam oppugnare priorem assertionis partem, testimonio Hieremiae, & praesertim quod Christus non fuerit rex Iudaeorum ex stirpe David, ubi dicitur: Scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur. Nec enim erit de femine eius vir qui sedeat super solium David, & potestatem habeat ultra in Iuda. Adde quod Chrysostomus homilia 6. in Matthaeum, dicit ad 2. caput, Christum huius regni regem non fuisse. Cuius suasio haec est: Nihil quippe tale monstravit, quale mundi huius reges habere conspiciamus. Neque enim hastatas atque clypeatas ostendit militum cateruas, non equos regalibus phaleris insignes, non currus auro, ostrisque fulgentes. Proferam ad diluendum rationem ex Hieremia desumptam, quod dicit Hieronymus, asserens quod in diebus Iechoniae non successerit ei vir qui sederit super thronum eius, sed multo post tempore de femine eius natus sit qui solium eius obtinuerit. Potest autem & sic solui: Non sedebit quidem super thronum David vir & homo, sed sedebit deus, regnumque eius non erit terrenum & breue ut fuit David, sed perpetuum atque caeleste, dicente scriptura: regnabit super domum Iacob in aeternum, & regni eius non erit finis. Natus est ergo, de Iochim Iechonias, de Iechonia Salathiel, de Salathiel Zorobabel, & per ordinem venit ad Christum. Sed & in diebus Iochim non successit ei rex filius, sicut ipse patri successerat, sed fuit in captivitate, & Salathiel, & Zorobabel, & usque ad Christum nullus regiam obtinuit potestatem. Illa Hieremiae auctoritate exponit Lyranus pro sui ingenij modulo, in 1. caput Lucae ad locum illum: Dabit illi dominus deus sedem David patris eius, quae tamen cum verbis ipsius Lucae discrepare videtur, ideo in controuersiam adducta est. Hieremias, inquit, loquitur de regno temporali ipsius David, in quo nullus postea regnavit de femine Iechoniae, quia Iohannes Hircanus & alij alij, qui resumpserunt regium nomen in Iudaea ante Herodem aescalonitam, non fuerunt de tribu regia, sed de tribu sacerdotali. Christus etiam qui descendit de Iechonia secundum carnem per virginem Mariam, non sedit super thronum David, loquendo de temporali regno. Nec nobis aduersatur quod dicit Chrysostomus: non enim cupit inuere Christum non fuisse regem Iudaeorum, & quod non obtinuerit ius & proprietatem illius regni, sed quod munus illius regni non exercuerit, quia non regnavit mundano imperio & honore caduco. Secunda assertionis pars, facile ex dilutione argumentorum ad priorem partem colligi potest ac probari. Dixit enim Christus: Regnum meum non est de hoc mundo. Quod si hominibus temporaneo optasset praesesse imperio, nullis Iudaeorum insidijs circumueniri potuisset, ut appenderetur cruci: sed suis imperasset ministris, ut hostiles Iudaeorum impetus fregissent ac propulsaissent. non enim diuinum illi defuisset subsidium, quo suorum inimicorum copias deleuisset ac prorsus expugnasset. victa tamen morte, superato demone, victisque Iudaeis, victor euasit.

CA PV T V I.

Christus factus est sub lege, licet sub lege non fuerit. Vtraque assertio Propositio, ex sana Pauli doctrina suadebitur. Scribit Paulus ad Galatas: At ubi venit plenitudo temporis, misit deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege: ut eos qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Et hac auctoritate, utraque pars proposita suffulcitur. Fatetur Paulus ubi primum venit plenitudo temporis: non (ut quidam exponit) gratiae plenitudo, sed tempus completum & exactum quod a patre erat praefinitum, Deum humanae naturae miserum, misisse suum filium, factum quidem ex muliere, factum sub lege: cui spontaneè se submisit, ut eos qui austeritate legis & oneribus diuexabantur, in qua deliquerant, redimeret, & eorum morbis mederetur. Satis explicat Paulus eos qui erant sub lege, indignasse gratia Christi & redemptione, qua non indiguit Christus. Porro qui Moysa lege obuiuebantur, nunquam potuerunt ex se obseruare legem, nec viribus humanis implere: qua non iustificabantur, tamen si lex illos pel-

lexit ad sancte & iuste viuendū, cuius obseruatione disponebantur ad assequendam per Iesum Christū iustificationem. Diuina factū est prouidentia vt Christus legis minime contemptor, circumcideretur, & omnia (vt dicit Theophylactus ad illum Pauli locum) adimpleret. Aperte indicat Christus in Euāgelio Matthæi, se nō eo sine humanam induisse carnem, vt legis sancita, & præscripta disrumperet: sed quod in lege erat imbecillum, infirmum & imperfectū, adimpleret, & suo absolutissimo Euāgelio consummaret. Dicit enim: Nolite putare quoniam veni soluere legem aut prophetas: non veni soluere, sed adimplere. Tum etiam ne præbuisset offendiculum siue scandalum ijs qui soliti erant dependere tributum, ac soluere didrachma, tamen si liber esset à solutione census, eo quod filius est regis omnium optimi & excellentissimi, dixit tamen Petro, vt non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius, inuenies staterem: illum sumens, da eis pro me & te. Ne etiam auerfari videretur legem Mosaycam, & aspernari omnino, impletis suæ purgationis diebus, voluit vt à suis parentibus deferretur in Hierusalem, vt eum sisterent domino, sicut scriptum est in lege domini. Quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum domino vocabitur. Et vt darent hostiam secundum quod dictum est in lege domini: par turturum, aut duos pullos columbarum. Nō possum non gratulari doctrinæ Lyrani exponentis illum Pauli locum: vt eos qui sub lege erant redimeret. Vbi explicat clare qui nam dicebātur esse sub lege. Qui legalibus, inquit, obseruatijs erant obligati. Et licet destinauerit Christus se ad tempus, antiquas legis ceremonias obseruaturum, ne videretur vetustis patrum sanctionibus aduerfari & derogare, tamen non erat obnoxius legi Mosaycæ, sed illa superior. Insuper qui sunt sub lege, sunt ex operibus legis: qui autem operibus legis astringuntur, sub male dicto sunt. cum igitur hæc non conueniant Christo, neque illi conueniet esse sub lege. Præterea ductus spiritu, nō est sub lege. Nā dicit Paulus in eadem epistola: Si spiritu ducimini, non estis sub lege, id est nullo legis timore estis oppressi. Christus autem quatenus homo, ducebatur spiritu, & quatenus deus, verus est spiritus: quare absurdum est dicere Christum fuisse sub lege. Ad hæc facit plurimū, quod dicit idem Paulus ad Romanos: Peccatum enim vobis nō dominabitur. Non enim sub lege estis, sed sub gratia. Quod si syncere Christianus non sit sub lege, neque durissimo legis iugo coerceatur, sed sit sub gratia: multominus Christus gratiæ largitor, erit sub lege. Sed probat Paulus fonte baptismatis locum, non esse sub lege, neque villo legis pauore opprimi, quia est sub gratia: vt putet hæc esse pugnacissima, esse sub lege, & esse sub gratia. Ex eodem Paulo eos colliges esse sub lege, quibus peccatum dominatur, nec sunt mortui peccato, sed adhuc seruiūt vitijs. Christus autem sua benignitate nos liberauit à tyrannide peccati & seruitute, vt seruiremus iustitiæ. Peccatū autem ijs qui erant sub lege dominabatur, non tamen quod vitijs carnis & animæ obistere non potuissent, sed detestando peccatū non poterant absque Christi gratia spiritaliter viuere, nec iustificari. Etiam viuendo sancte, secundum legem Mosaycam, nisi Christus fuisset incarnatus, nunquā ad æternas beatorū sedes euecti fuissent. Etiam apposite dicebantur plerique esse sub lege, quia non voluntariè neque sincero affectu obseruabant legem, sed timore poenæ & supplicij. Nobis etiam patrocinatur Augustinus in plerisque suæ doctrinæ locis, licet abunde tibi sufficere deberet Paulina eruditio pro secundæ partis stabilimento. Ille epistola ad Hieronymum, de Petro à Paulo reprehenso, explicans quod dicit Paulus de eo qui est sub lege, inquit: Hos ergo damnabiliter dicit esse sub lege, quos reos facit lex, non implentes legem, dum non intelligendo gratiæ beneficium, ad faciendam dei præcepta, quasi de suis viribus, superba elatione præsumunt. Plenitudo enim legis est charitas. Charitas vero dei diffusa est in cordibus nostris, nō per nos ipsos, sed per spiritum sanctum qui datus est nobis. Nec putes illius loci esse intelligentiam: Vt eos qui sub lege erant, redimeret, sed illius: Si spiritu ducimini,

non estis sub lege. Et in primi psalmi enarrationem, ad locum illum: Sed in lege domini voluntas eius: dicit proferendo Pauli testimonium ad Timotheum: Iusto non est lex posita. Aliud est esse in lege, aliud sub lege. Qui est in lege, secundum legem agit: qui est sub lege, secundum legem agitur. Ille ergo liber est, iste seruus. Et in primum caput Euāgelij Ioannis, ad locum illum: Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est: dicit eos sub lege factos, qui non implebāt legem. qui enim legem implet, non est sub lege, sed cum lege: qui autem sub lege est, non subleuatur, sed premitur lege. Deinde in vniuersum, ita loquitur: Omnes itaque homines sub lege constitutos, reos facit lex: & ad hoc illis super caput est, vt ostendat peccata, non tollat. ¶ Sed pugnabit quispiam in probationem prioris partis: Si ex eo Christus factus est sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret: quod videlicet impossibile erat eos redimi qui sub lege erant, nisi factus fuisset sub lege. Igitur non redemit eos, qui sub lege non fuerant. quod si sine lege factus est, vt eos qui sub lege non erant, redimeret: non igitur factus est sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret. Hanc Hieronymus dissoluit rationem in commentarijs ad quartū caput Pauli ad Galatas, ad locum citatum, dicens (sub nomine illius quem introducit respondentem) illos significari redemptos, qui primū de dei parte fuerint, & postea esse cessauerint: illos verò qui sub lege non fuerint, non tam redimi, quam emi. Vnde & ad Corinthios, in quibus audiebatur fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gētes quidē, scribitur: Pretio empti, estis, nō redēpti, sub lege quippe non fuerant. Sed non vsque adeo virget argumentatio illa, vt ad hæc sit recurrendum, tamen si hæc sint seria. Hæc ratio nullius est momenti, Christus factus est sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret, ergo non redemit eos qui non erāt sub lege. Nam licet potissimum venerit, vt Iudæos redimeret, sicut dicit in Euāgelio Matthæi: Non sum missus, nisi ad oues quæ perierant domus Isracl. & vt illis suum propensissimum detegeret amorem, quorum salutem sitiebat, factus sit sub lege. Ex consequo tamen, cum omnium sit redemptor, vt ostensum est primo capite tertij libri, redemit Gentiles, qui Mosaycis legibus non obstringebātur, modo fidei sacramentum velint recipere. Beatus Ambrosius in 4. cap. Epistolæ Pauli ad Galatas, ad locum nuper citatum, testatur Christum se subiecisse legi, vsque ad tempus baptismi, vt formam daret quomodo peccatores abluti, & à iugo legis erepti, dignatione dei filij ei adoprarentur, sicut promiserat, redempti sanguine filij eius. Saluatorē autem necesse erat fieri sub lege, quasi filium Abrahæ iuxta carnem, vt circumcisus appareret esse, qui promissus Abrahæ, venerat gentes iustificare per fidem, signum habens eius, cui promissus fuerat. ideo vltra neminem oportuit circumcidi, quia tandiu cucurrit signum, quoad usque veniret qui promissus fuerat, restaurare fidem, in qua iustificatus est Abraham in præputio, vt credentibus non opus sit circumcisio. Abraham autem ideo circumcisus est, quia filium se credit habiturum, in quo omnes gentes benedicerentur. Ideo tandiu cucurrit signum, donec veniret qui erat promissus. Si autem hoc crederetur, quod credidit Abraham, non stetit circumcisio, ne fortè opponeretur: quia si Abraham credidit & circumcisus est, quare non circumciantur credentes? ¶ Dicit quis hæc non videri coherere: Christus factus est sub lege, & tamen sub lege non fuit. Nōne ille censendus est esse sub lege, qui legem obseruat? Si igitur Christus obseruauerit legem, legesq; ceremonias, videtur fuisse sub lege. Iam dictum est vtramque assertionis partem ex doctrina Pauli desumptam esse. Idcirco adime ab animo si quem habes scrupulum, quod partes illæ non coherent. Nec dicitur ex sententia Pauli, & Augustini, quispiam ex eo esse sub lege, quia legem obseruat. Sed quia lex statuit eum esse reum non implendo præcepta legis. Etiam, quod seruitute & timore legis opprimatur. Nec ex eo Christus factus est sub lege, quod natura, lege obstringeretur, sed quod pro nostra salute voluntariè se legi subdiderit. Nos autem natura eramus sub lege & quidem peccati, quia natura eramus filij iræ, & quasi inuitè ferebamus imperiū legis.

Psal. r.
1. Timot. r.

Ioan. r.

Hieronymus

1. Corin. 5.

1. Corin. 6.

Mat. r. 5.

Ambrosius.

Eph. 2.



Hristus, quatenus deus, est creator: quatenus homo siue secundum humanitatem, est creatura: vna tamē persona deus & homo.]Priori assertionis parti astipulatur Euangelica Ioannis doctrina, dicētis: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, per ipsum autem omnia condere, & quidem ex nihilo, nullo præsупposito materia subternicuo, peculiariter deo tribuendū est: igitur Christus quatenus deus, est creator. Etiam dixit Paulus ad Corinthios: Nam et si sunt, qui dicuntur Dij, siue in caelo, siue in terra (siquidem sunt Dij multi, & domini multi) nobis tamen vnus deus pater, ex quo omnia, & nos in illum: & vnus dominus Iesus Christus, per quē sunt omnia, & nos per ipsum. Posteriorem suadeo partem: Christus factus est ex semine Dauid secundum carnem, & in similitudinem hominum factus, & eius humanitas à deo ex nihilo creata est, quam ex purissimo virginis Mariae sanguine accepit. Nec quis potest intelligere patrem esse filio maiorem secundum diuinitatem. Nam pater & filius, vnum sunt deitate & essentia. Etiam verbum est apud deum, & deus verbum. Et pater est in filio, & filius in patre, identitate substantiae perfectissimae & simplicissimae: quare intelligendum est secundum humanitatem, quam pater in filio creauit. Cum enim dicit Christus: Pater maior me est, planè indicat suum patrem non induisse vestem humanitatis, nec formam serui accepisse: quam tamen accepit cum factus est ex muliere, & factus sub lege. Non sum tamen nescius diuum Hylarium dixisse, libro nono de Trinitate, patrem esse maiorem filio: non quidem respiciendo solum ad humanitatem Christi, sed ad aeternam generationē, qua filius solum à patre processit: sed explicat quomodo dicatur maior, donantis scilicet autoritate; cui tantum dedit pater, quantus ipse est. Nec tamen filius, qui in gloria dei est, & patri coequalis, minor est patre. Et in hoc pondus non haberent, neque momentū dialecticorū leges. Nec euariat à sententia Hylarij Damascenus, asserens libro primo suae Theologiae, capite nono, Patrem diuinum esse maiorem filio, quia est causa filij, & quia filius est à patre genitus, non pater à filio, sicut ignis est causa sui luminis. Origenes etiam in primum caput Euangelij Ioannis, dicit patrem in diuinis praecedere filium causaliter, quia dicit Christus: Pater maior me est. Adde, quòd Chrysostomus, exponēs illum Ioannis locum: Pater maior me est: idem sentire videtur. Si quis (inquit) maiorem filio patrem, in quantum principium diceret, neque hoc contradiceremus: non tamen hoc alterius facit filium esse substantiae. Nec tamen illis grauissimis sacrarum literarum interpretibus tantum tribuo (tametsi plurimum doctrinae in eis fuisse non addubitem) quin audeam illis reclamare. Nec recipitur illa Hylarij assertio. Licet enim pater dederit filio esse, non tamen plus est substantiae & diuinitatis in patre, quam in filio, & id ipsum esse est tribus personis omnino idem & aequale. Nec imitari velim Damascenum, & Origenem, quòd pater sit causa filij. Licet enim sit principium filij, non tamen causa. Causa enim & id cuius est causa, distinguuntur essentialiter: modo nephas esset dicere patrem in diuinis distinguere essentia, siue substantialiter à filio. quomodo enim haec cohaerebunt? Ego & pater vnum sumus. Et pater secundum diuinitatis rationem, est maior filio, licet pater (vt dicit Dionysius, libro vno de Diuinis nominibus, capite secundo) solus sit fons super substantialis deitatis, primordialis, & fontana deitas: filius verò & spiritus sanctus foecundae deitatis germina plantata diuinitus, & veluti flores ac super substantialia lumina. Haec solum monstrant eam esse attribuendam patri dignitatem ac maiestatem, vt ex eius substantia prodierit filius. Nec Chrysostomi autoritas me vrget ad ita ratiocinio colligendū, patre esse maiore filio, quia pater est principium filij: nec tamen ille testatur ac profert ex sua sententia, sed astipulatur corū opinioni, qui dixerūt idcirco patre esse filio maiore, quia est principium filij. Ficulneū agnoscito argumentū. Hac in re plura defero Latinis interpretibus, quam Graecis. Tantū

Ioan. i.

1. Corint. 8.

Ioan. 10.

Ioan. 14.
Gala. 4.
Hylarius.Damascen⁹Origenes.
Chrysostom.

Dionysius.

scias dignitatis me attribuere patri, vt non tamen maiorem illi attribuam, quam filio. Doctè probat Cyrillus in primum caput Ioānis, filium non esse minorem patre, & latent in eius scripturis argumenta non exigua, quibus probare poteris, patre non esse maiorem filio. Quaecunque, inquit, eiusdem naturae & substantiae sunt, nullo modo maius & minus suscipiunt. Atqui pater in diuinis & filius, sunt eiusdem naturae & substantiae: non igitur suscipiunt maius & minus. Ad haec, si filius, inquit, esset minor patre, in eo minor esset dignitas. Ergo ex eiusdem sententia possum colligere, si pater esset maior filio, quòd in patre esset maior dignitas, quam in filio. Insuper, in substantia diuinitatis, non est maius neque minus: igitur pater non est maior filio, prospiciendo semper ad magnitudinem (vt sic loquar) substantiae ac essentiae. Nec mensuratio maioris, est in diuinitate patris: quia inmensa est eius dignitas, substantia, ac potentia. Vellem lubenter scire, si nam in infinita dei potentia ac bonitate, sit maius aut minus. Quòd si, inquit Cyrillus, pater sit natura deus, pariter & filius: maius & minus in patre ac filio, reperiri non potest. Lapsus profecto videtur esse haereticorum, qui dicunt patrem esse filio maiorem ac excellentiorem secundum aeternam generationem. Arriani totis viribus conixi sunt probare patrem esse filio maiorem, & filium patre minorem, secundum ea quae in diuinis confiderantur. Promptè Cyrillus suam aperit sententiam in 14. caput Ioannis, nunquam se in ea fuisse opinione, vt tutari velit patrem secundum diuinitatem esse filio maiorem, imò ceteris pugnat argumentis in aduersum, & quidem contra haereticos, vbi distringendo in quendam, veritatis gladium, inquit: Valde autem miror, quomodo non erubescit, deitate, filio maiorem esse patrem dicere: idcirco quòd confiteri nobis necesse est, quia sola quae sunt eiusdem generis, alterum alteri possit comparari. explicat autem quid hoc sibi velit, eiusdem generis, id est, eiusdem naturae. quòd si filius dei, eiusdem sit naturae cum patre, imò omnimode, qui fieri potest, vt pater sit, maior filio: aut concedere cogere, velis, nolis, substantiam dei, esse maiorem dei substantia, hinc absurdus, deum esse deo maiorem. Quòd si nihil in patre substantialiter perfectius inueniri possit, quam in filio, euidentissimum est, patrem secundum illas aeternas rationes, siue secundum diuinitatem, non esse filio maiorem. Imò existimo plurimum detrahi filio, attestari patrem esse filio secundum diuinitatem, praestantiorē ac maiorem. Sed syncerè, dilucidè, ac apertè explicat Cyrillus illam Ioannis assertionem: Pater maior me est, dicens: Sed illud vnusquisque non demens cogitabit, oportuisse magis dexterum, & nullius imminutionis suspectum locum non patri, sed filio propter exinanitionem attribui, ne qui minor humanitate est, minor etiam deitate ijs videretur, qui mysterium incarnationis intelligere nequeunt. Deinde apertius suam explicans mentem, dicit: Maior igitur pater, quoniam adhuc in seruitute filius erat. Propterea deum quoque suum patrem appellabat, humanitati suae id etiam attribuens. Patet enim, quòd à suprema excellentia, ad seruilem descendit naturam, & ab aequalitate patris ad nostrum habitum, quorum nihil à patre factum esse credimus. Quare hac ratione maior est filio, qui se humiliavit, donec ad primam gloriam, humilitatem suam reduxerit. Insuper firmissima fide idem tuetur August. enarrās eundem Ioannis locum, vbi dicit patrem ipsa deitatis ratione, non esse filio maiore, sed eo, quòd Christus humanam assumpsit naturam, seruilem quidem formam, non autem patrem. Per quod ergo filius, nō est aequalis patri: per hoc iturus erat ad patrem, à quo venturus est, viuos iudicaturus & mortuos. Per illud autem in quo aequalis est gignenti vnigenitus, nunquam recedit à patre, sed cum illo est vbique totus, pari diuinitate, quam nullus continet locus. Cum enim in forma dei esset, sicut Apostolus loquitur, non rapinam arbitratu est, se esse aequalem deo. quomodo enim rapina possit esse natura, quae non erat vsurpata, sed nata? Semetipsum autem exinaniuit, formā serui accipiens, non ergo amittens illam, sed accipiens istam: seo modo se exinaniens, quo hic minor apparebat, quam apud patre manebat: forma quippe serui accessit, non forma dei recessit.

Cyrillus.

Augustinus

Philip. 24

hæc est assumpta, non illa consumpta: propter hanc dicit, Pater maior me est: propter illam verò, Ego & pater vnum sumus. Hoc attendat Arrianus, & hac attentione sit sanus, ne contèrione sit vanus, aut quod est peius, insanus. Hæc est enim forma dei, in qua dei filius minor est, non patre solo; sed etiam spiritu sancto: neque id tantum, sed etiam seipso: quia idem ipse in forma dei, maior est seipso. Et in Epistola Volusiano idem sentit, dicens virtutem dei ac sapientiam fecisse vnum Iesum Christum, mediatorem dei & hominum, æqualem patri secundum diuinitatem, minorem patre secundum carnem, hoc est secundum hominem incommutabiliter immortalem, secundum diuinitatem æqualem patri, eundemque mutabilem, atque mortalem secundum cognitam nobis infirmitatem, in quo Christo eo tempore, quod oportunissimum ipse nouerat, & ante sæcula disposuerat, venit hominibus magisterium & adiutorium ac capeffendam sempiternam salutem. Insuper libro vno de Trinitate & vnitatem dei capite sexto, disserens de susceptione carnis à Christo, probat ex sacris literis Christum secundum humanitatem, factum fuisse angelo minorem. Scribitur enim ad Hebræos: Minorasti eum paulominus ab angelis: & ob hanc carnis humanæ infirmitatē, quā ipse suo corpore circunuoluit, factus est suo patre minor, dicit enim: Pater maior me est. Non ad diuersitatem naturæ patris & filij, illud valet dici, inquit Augustinus, sed ad illud potius quòd in forma ferui propter infirmitatem, in qua & pati & mori potuit, minor etiam angelis factus est. Cum venit plenitudo temporis, misit deus filium suum factum ex muliere, ipse qui voluntate patris carnem suscepit, ipse & voluntate & præcepto ipsius, in corpore conuersatus est, sicut & ipse ait: Descendi de celo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Ipse & voluntate patris triginta annorum baptizatus, voce & testimonijs patris manifestatus, voluntate & præcepto patris Euangelium regni cælorum prædicabat, sicut ipse ait: Et alijs ciuitatibus oportet me Euangelium prædicare. In hoc enim missus sum, & ipse mādatum dedit mihi. Ipse etiam voluntate & præcepto patris ad passionē & mortem properauit, sicut & ipse ait: Pater transeat à me calix iste, non tamē quod ego volo, sed quod tu vis. & Apostolo afferente & dicente: Christus obediens factus patri vsque ad mortem, mortem autem crucis. Tum etiam libro vno de fide & simbolo, capite 4. dicit: Quoniam verbum caro factum est, & habitauit in nobis, eadem sapiētia quæ de deo genita est, dignata est etiā in hominibus creari. Quo per tinet illud? Dominus creauit me in principio viarum suarum. Viarum enim eius principium & caput ecclesiæ, est Christus homine indutus, per quem viuendi exemplum nobis daretur, Hæc est via certa qua peruenerimus ad Deum. In eodem capite eos reprehendit qui dixerunt filium dei esse creaturam, quòd si sit creatura, & quælibet creatura est facta, filius igitur dei est factus, quod aduersatur simbolo. Est enim filius dei genitus, non factus, quare hæc propositio non est simpliciter cōcedenda, Christus est creatura. Nam si Christus sit creatura, verbū igitur diuinum est creatura: quòd si verbum diuinum sit creatura, Deus igitur est creatura, & ex absurditate, colligeres creatorem esse creaturam. Astringe igitur & determina vt solet Augustinus, cum additione dicere, Christus quatenus homo, est creatura, siue humanitas Christi est creatura. Nam Christus quatenus homo passus est, atrocissima perpeffus est supplicia, habuit verum corpus & quidem mortale, comedit, bibit: hæc autem creaturæ attribuuntur. Præterea libro vno de fide ad Petrum diaconum, capite 45. dicit Christum secundum humanitatem verè creatum esse. Sed sicut diuinitati eius cum patre & spiritu sancto, est diuina natura communis: sic animæ eius & corpori naturalis est communio cum animabus & corporibus nostris. Adde, quòd Hieronymus cursim verba Christi in Euangelio Ioannis recepta, attinens in Ecclesiasten, ad locum illum: Quid est quod futurum est? iam vocatum est nomen eius & cognitum, quia homo est & non poterit iudicare cum fortiore se. communiori attamen certiori assentitur opinioni, quòd cum dicat Christus: Pater

1. Timot. 2

Hebr. 2.

Galat. 4.

Ioan. 6.

Matth. 3.

Luc. 4.

Matth. 26.

Philip. 2.

Ioan. 1.

Prouer. 8.

Hieronymus

Ecclesia. 6.

maior me est: intelligendum est eum maiorem esse filio vt incarnato, illic dicit: Aperte de saluatoris prædicatur aduentu, quòd qui futurus est, antequā in corpore cerneretur, iam vocatum est in scripturis nomen eius, & cognitū prophetis & sanctis dei quia homo sit, & iuxta hoc quod homo est, non possit se conferre cū patre. Et in euangelio dicit: Qui me misit, maior me est. Suffragatur & huic sententiæ Chrysofostomus, Sermonem de trinitate, exponens locū illum: Nullus scit diem illum vel horam, neque angeli, neque filius, nisi pater. Et quomodo ergo, inquit, æqualis est patri qui nescit diem illum? Qui fecit illum, ignorabitne illum? Et quare igitur dicit, Neque filius? Vide Theoriam exquisitiorem. Duas quis scientias & notitias in scriptura inueniet. Vnam quidem, quæ ex opere sumitur: alteram vero, ex cognitione. Cognouit enim, inquit, Adam, Euam vxorem suam, non quòd prius ignorauerit, aut quomodo ignorasset qui dixerat: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro ex carne mea? Et, Cognouit Abraham Saram vxorē suam: & Iacob, Lian & Rachel. num ignorabat illas, qui propter illas annos quatuordecim seruierat? Sciebat quidem illas agnoscendo, opere autem postea cognouit. Itaque pater qui non iudicat quenquā, sed omne iudicium dedit filio, scit diem tam cognitione quā opere. Filius autem qui venit vt saluet mundum, & non vt iudicet, scit eam speculatiua notitia: quia autem nōdum iudicauit, ideo dixit: Ignorat diem. notitiam operatiua significans. At Paulus dicit: Considerate apostolū & pontificem confessionis nostræ Christum Iesum, quòd fidelis sit ei, qui fecit ipsum. Et alio loco: Dominum & Christum illum deus fecit. Et Salomon dicit: Dominus creauit me ab initio viarū suarum in operibus suis. Vides quomodo creaturā & facturam suam eum scriptura significat. Verum arguēt te aduersarie dei, ea quæ sequuntur. Omnis enim, inquit, sacerdos, qui ex hominibus assumitur, pro hominibus constituitur vt offerat dona & sacrificia. Accepit enim ex nobis carnē absq; peccato, quā pro nobis patri obtulit sacrificium. Itaq; intellige quòd secundum carnem fecerit eum, & non secundū diuinitatē. Non igitur concedit Chrysofostomus Christum esse facturam siue creaturam, licet fateatur ingenuē Christum secundum carnem esse factum. Et Sermonem de euangelio, Nuptiæ factæ sunt, contra Iudæos, Gentiles, & hæreticos, dicit Paulum contra Gentiles & Iudæos sermonem vertisse, cum dixit: Vnus dominus noster Iesus Christus per quē omnia. Quia omnia tam visibilia quā inuisibilia, de quo audi Ioānem dicentem: In principio erat verbum, & verbū erat apud deum, & deus erat verbū. Hoc erat in principio apud deum. Omnia per ipsum facta sunt. & sine ipso factum est nihil quod factum est. Vides quòd ipse omnium est opifex. Non audebis, inquit, mihi ostendere quòd filius cum patre numeretur. Increduli, quousque non cessatis contradicere, peruertentes scripturas, vt filium simplicem dicamus creaturam vel facturam? Agnosce Chrysofostomum sobriè & temperatè de hac re loqui, vt nunquam fateatur Christum esse creaturam. nec idem est gignere & creare. Si enim omnis qui gignit, creat: & omnis qui creat, gignit: colligemus omnes creaturas, filios & genitos esse dei, quia omnia per filium facta sunt: hæc planè indicant Christum secundum diuinitatem esse creatorem. Nec ab hac assertionem digreditur Ambrosius præfatione in psalmi 35. enarrationē, dicens Christum in scripturis vocari seruum & dominum. De seruitute sic dicit dominus: Qui finxit me seruum ex vtero sibi ad congregandū Iacob & Israel ad eum. Aduertimus ergo quòd propter congregationem populi formam suscepit seruitutis. Ex quo vtero? Ex vtero, inquit, matris meæ vocauit dominus nomen meum. Quod nomen eius sit, audiamus, quo eum pater vocauit: Ecce virgo in vtero concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, quod interpretatur nobiscū deus. Quod enim aliud nisi filius dei, nomen est Christi? Accipe aliud: dixerat quidem & Gabriel ad Ioseph de Maria: Pariet filium. accipe dei vocem: Et tu Bethleem Iudææ non es minima inter principes Iuda: ex te enim exiet princeps qui regat populum meum. Aduerte mysterium: ex vtero virginis idem & seruus exiit & dominus.

Chrysofostomus
Mat. 2. 4.

Gene. 4.

Gene. 2.

Gene. 29.

Ioan. 5.

Hebr. 3.

Prouer. 8.

Hebr. 5.

Ioan. 2.

Ioan. 1.

Ambrosius.

Esaia. 49.

Esaia. 7.

Matth. 1.

Mich. 5.

Seruus, ad operandum dominus, ad imperandum: vt regnum deo in hominū membris radicaret. vtrinque vnus, non alter ex patre, alter ex virgine: sed idem qui ante secula ex patre, ipse postea carnem suscepit ex virgine: hinc cognoscis deum & hominem, vnum esse suppositum & vnam personam. deinde dicit, Ideo ergo & seruus vocatur & dominus. Propter nos seruus, sed in vnitae diuinæ substantiæ: deus ex deo, princeps ex principe, æqualis ex æquali. Et lib. 5. de Fide, cap. 7. proferes illud

1. Corint. 15. Pauli: Cum autem subiecta illi fuerint omnia, tunc & ipse filius subiectus erit illi, qui sibi subiecit omnia, vt sit deus omnia in omnibus, ostēdit, quoniam pacto Christus est patri subiectus, in susceptione scilicet carnis, per quā subiecit sibi omnia, dum in ipsa, patri deo est subiectus. Consideremus itaque eius subiectionem. Pater, inquit, si vis transfer calicem hunc à me, verum non mea voluntas, sed tua fiat. Ergo secundū humanæ naturæ assumptionem, erit illa subiectio. quia sicut legimus, Specie inuentus vt homo, humiliavit semetipsum factus obediens vsq; ad mortē. Approbatur Tertullianus libro aduersus Praxeā, quæ paulo antea dicta sunt de Christo, qui deus est & homo, vnaque persona in duabus naturis arctissimo vinculo cōnexis. Quoniam, inquit ex psalmo, deus & homo natus est in illa, & ædificat eam voluntate patris. Certe inuenimus vsquequaque filiū dei, & filiū hominis, cum deū & hominē sine dubio secundum vtranque substantiam in sua proprietate distantem: quia neque sermo aliud quā deus, neque caro aliud quā homo. Sic & Apostolus de vtraque eius substantia docet: Qui factus est, inquit, ex semine Dauid, hic erit homo & filius hominis: qui definitus est filius dei secundum spiritum, hic erit deus & sermo dei filius. Videmus duplicem statum non confusum, sed coniunctum in vna persona deum & hominem Iesum. De Christo autem differo, & adeo salua est vtriusque proprietates substantiæ, vt & spiritus res suas egerit in illo, id est virtutes & opera & signa, & caro passiones suas functa sit, efuriens sub diabolo, sitiens sub Samaritide, flens Lazarum, anxia vsque ad mortem, denique & mortua est. Adde quod Cyprianus libro 2. aduersus Iudæos, cap. 9. probat ex prophetis vaticinijs hominē & deum Christum, esse ex vtroque genere concretum, vt mediator esset inter nos & patrem. Scribit Hieremias: Et homo est, & quis cognoscet eum? Item in Numeris: Orietur stella ex Iacob, & exurgit homo ex Israel. Item illic: Procedet homo ex semine eius, & dominabitur multarum gentium, & exaltabitur ipsum regnum, & augebitur regnum eius, & deus duxit eum in Aegyptum, quasi claritas vniformis ei, & edet carnes inimicorum suorum, & crassitudines illorum emedullabit, & balistis suis configet inimicum. Item apud Esaiam: Spiritus domini super me, propter quod vnxit me, bene nuntiare pauperibus misit me, curare contribulatos corde, prædicare captiuis remissionem, & cæcis visum, vocare annum domino acceptabilem & diem retributionis. Item in epistola Pauli ad Corinthios priore: Primus homo de terræ limo, secundus homo de cælo, qualis ille è limo, tales & qui de limo: & qualis cælestis, tales & cælestes. quomodo portauimus imaginem eius qui de limo est, portemus, & imaginem eius qui de cælo est. Explicat Cyrillus libro de recta fide, quoniam pacto Christus dicatur deus & homo. Deus, inquit, natura, homo autē dispensatiue similis nobis quando factus est ex muliere secundum carnem. Nec negat Hylarius lib. 12. de Trinitate, Christum dici creaturam saltem secundū carnem assumptam. Ita enim scribit: Beatam autē illam & veram conceptam intra virginem carnis natiuitatem, qua tum creaturæ nostræ & natura & species nascebatur, creaturam & facturam Apostolus nominauit. Et certe cum eo vere secundum hominem natiuitatis hoc nomen est, cum ait: At vbi venit adimpletio temporis, misit deus filium suum factum de muliere, factū sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorū consequeremur. Filius itaque suus est, qui est in homine, & ex homine factura, neque factura tantum sed etiā creatura, vt dicitur: Sicut est veritas in Iesu deponere vos secundum priorem cōuersationem veterem hominem eum qui corrumpitur, secundum cōcupiscentias eius deceptionis. Innouat

mini autem spiritu sensus vestri, & induite nouum hominem, eum qui secundum deū creatus est. Qui enim erat filius dei, natus erat & filius hominis: quia nō diuinitatis erat natiuitas, sed creatura carnis significationē sui generis accepit, nouus homo secundū natū ante secula deū, creatus. Nostras tuetur partes Lyranus Tractatu Lyranus cōtra quendam Iudæum, quod scilicet hæc propositio est vera: Christus quatenus homo est creatura. Omnis autē creatura si relicta fuerit, in nihilum cadet, sicut est de nihilo, & ita potest ista concedi cum reduplicatione, vt inquit: Christus quatenus homo nihil est ex se, sed omnino deficiens. Nec tamen velim ego concedere Christū etiam humanitate vestitum, posse peccare, propter humanitatē diuinitati coniunctam, & supposito infinitæ perfectionis, & illa vnio siue nexus hominis deificati ad essentiam diuinam & secundam personam, vetat quominus Christus possit in seculo collabi. Et hæc opinio quæ est Thomæ & communis applausus, est longe turior & moderatior illa, quam audent defendit Durandus, Christum vt hominem posse peccare, ex quo absurde sequitur Christum vt hominem posse damnari. Sed quis negare auderet voluntatem Christi hominis rationalem, semper fuisse diuinam voluntati cōsentaneam, & nihilo ab illa discrepasse? Sed forsitan præterit Lyranus dicere Christū vt hominē si derelinqueretur suæ naturæ esse deficientem, sed si exiret diuinitate, non esset Christus. Nam nomen istud, vt solet à Scholasticis doctoribus sumi, designat suppositum diuinum sibi vnians naturam humanam diuinæ coniunctam. Quod si quis dicat, inquit Lyranus, sequi etiam Christum quatenus deum, esse deficientem, quia quicquid habet filius quatenus deus, habet nascendo & per genus habet illud à patre, & sic ex se nihil est, sed est omnino deficiens. Diluit obiectionem, illud non posse sequi, quia filius habet à patre idem esse cum eo. Nam diuinum esse diffundi non potest, nec multiplicari. Et sicut pater est necessē esse, sic & filius, ideo non potest dici deficiens. Nam eandem prorsus deitatem, potentiam & sapientiam habet cum patre. Sed satis decertatum est à nobis de hoc negotio. Licet igitur pie credendum sit Christum quatenus hominem esse creaturam, periculosum tamen esset dicere absque vlla astrictione, Christū simpliciter esse creaturam, quod non puduit Arrium nescio quoniam amētix morbo correptum, dicere: qui in hoc errore pertinax, misere vitam finiuit: crepuit enim, & eius diffusa sunt viscera. Quod vero deus & homo, vna sit persona (vt semel absoluamus caput) indicat Symbolum Athanasij, dicentis: Qui licet deus sit & homo, non duo tamen sed vnus est Christus. Vnus autem non conuersione diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in deū. Vnus omnino non confusione substantiæ, sed vnitae personæ. Confirmat eandem partem Augustinus in epistola ad Dardanū: Nam sicut vnus homo est anima rationalis & caro, sic & vnus Christus est verbū & homo. Cū igitur humanitas supposito vnita, per essentiam non sit persona, clare constat deum & hominem, vnam esse personam. Et epistola Euodio, fustus rem eandem pertractando, dicit: Non enim homine assumpto personarum numerus auctus est, sed eadem trinitas mansit. Nam sicut in homine quolibet præter vnum illum qui singulariter susceptus est, anima & corpus vna persona est, ita in Christo verbū & homo vna persona est. Et sicut homo (verbi gratia) philosophus, non vti que nisi secundū animam dicitur, nec ideo tamē absurdē, sed congruentissima & vtitatissima locutione dicimus, philosophū cæsum, philosophum mortuum, philosophum sepultum, cum totū, secundum carnem accidat, non secundū illud quod est philosophus, ita Christus deus dei filius, dominus gloriæ, & si quid huiusmodi secundū verbum dicitur, & tamen recte dicitur deus crucifixus, cum hoc secundum carnem passum esse, non secundum illud quo dominus gloriæ est, non habeatur incertū. Insuper libro 13. de Trinitate, cap. 17. dicit: Sic deo coniungi potuit humana natura, vt ex duabus substantijs fieret vna persona. Et libro vno cōtra sermonem Arrianorum, cap. 7. dicit vnam esse personam dei & hominis, ne si duas quis faciat, quaternitas incipiat esse, non trinitas. Adde quod docte ostendit lib. 3. cōtra Maximianum

Arrianorum episcopum (ne quis præcipitium faciat) Deum non esse partem huiusce personæ, & ita scribit: Porro autem Christus vna persona est geminæ substantiæ, quia & deus & homo est. Nec tamen deus pars huius personæ dici potest, alioquin filius dei deus, antequam suscipere formam serui, non erat totus, & creuit cum homo diuinitati eius accessit. Quod si in vna persona absurdissime dicitur, quia pars rei vilius esse non potest deus, quanto magis pars trinitatis esse non potest quicumque vnus in tribus. Et in 5. caput euangelij Ioannis, ad locum illum: Quia filius hominis est, inquit: Sicut anima habens corpus, non facit duas personas, sed vnum hominem: sic verbum habens hominem, non facit duas personas, sed vnum Christum. Suffragatur & huic veritati Damascenus libro 3. suæ Theologiæ, cap. 9. dicens: Non enim in propria substantia, sustentata est dei verbi caro, neque in alia hypostasi facta est, quam in dei verbi hypostasi, sed in ipsa sustentata, & subsistens potius, neque secundum propriam subsistens hypostasin, facta est. Quapropter neque insubsistens est, neque trinitati superaddit hypostasin. Exponens Clithoueus illum Damasceni locum, assignat rationem quare Christus vt homo, non est persona. Nempe cum assumens differat ab assumpto (nihil enim seipsum assumere potest) si illud quod assumptum est à verbo, est persona, & qui illud assumpsit similiter est persona, duæ in Christo erunt personæ: vna assumens, & altera assumpta, sicut & duæ in eo sunt naturæ, & per consequens nulla ibi est vnio, quare neque verbi incarnatio. Ecce in quantum erroris barathrum deciderent, qui humanam naturam in Christo ponerent in propria & humana subsistere hypostasi, ipsamque cum Nestorio in duo supposita diuiderent, vnum diuinum, & alterum humanum, cum ipse vnicum sit suppositum, & vnica hypostasis scilicet diuina, duas tamen naturas complectens. At dicit quispiam: Nonne in Christo integræ sunt & geminæ partes hominis substantiales, scilicet anima & corpus, cum naturalibus vtriusque proprietatibus, quibus discernitur ab alio quouis homine? Quare igitur Christus quatenus homo non est persona, Petrus vero aut Ioannes est persona? Nemo inficiatur Christo vt homini adesse partes substanticas & vtriusque earum proprietates, haud minus quam cuius aliorum hominum. Id tamen non sufficit ad completam personæ rationem illi ascribendam sicut alijs. Nempe in perfecta ratione sua, persona importat fundamentum totius existentia naturalis, in quo vltimate stabilietur natura, insuper & proprietatem dignitatis, quod sit eorum quæ in illa sunt vnione dignissimum & præstantissimum. Vtrunque autem horum deest humanæ naturæ in Christo. Non enim ipsa basis est & præcipuum stabilimentum existentia illius, cum seipsa non subsistat, sed sustentetur in hypostasi diuina, quæ vnica est vtriusque naturæ hypostasis & sustentaculum. Non habet itidem natura humana in Christo præcipuam nobilitatem, & dignitatem potiore inter cætera illius vnionis extrema, sed digniori vnitur naturæ, scilicet diuinæ, à qua tanquam principale & excellentiore illius vnionis parte, merito sumitur hypostaseos ratio & nomenclatio. Conueniunt etenim ipsi hypostasi verbi, duæ supradictæ conditiones personæ, tum quod principale est illius existentia fulcimentum, sustentans in se modo quodam ineloquibili naturam humanam. Tum quod excellentia & dignitatis vltra cætera illius vnionis membra, manifestam habet præminentiam. Adde quod ipsa verbi dei hypostasis, ante carnis susceptionem, habuit veram & completam rationem hypostaseos, quam quidem per vnionem cum carne, nequaquam deperdidit, aut vllum illius passa est detrimentum atque iacturam. quocirca & post assumptionem carnis eadem mansit diuina hypostasis, non demutata à suæ existentia veritate, neque destituta ipsius personæ integritate aut nomenclatione. Ex quo facile deprehendas causam, quare cum duæ sint in Christo vnita naturæ, ab vna earum sumitur hypostaseos nomen & ratio, non autem ab altera. Enimvero Christus quatenus deus, persona est, sed vt homo, nequaquam persona dici debet. Dilucide etiam dignoscas, quod obiectio superior inquisiuit, quare scilicet quisque cate-

rorum hominum, humana recte dicitur persona, non autem Christus. Nam in vno quoque aliorum hominum, natura humana est primarium existentia ipsorum fundamentum, & dignissimum quid eorum quæ in ipso coniuncta sunt, quorum vtrunque ostentum est naturæ humanæ in Christo deesse. Nec tamē protinus colligere debes minorem dignitatem esse in Christo quatenus homo est, quàm in cæteris hominibus: quia licet illa personalis habitudo & dignitas quæ adest cæteris hominibus, Christo ratione humanæ naturæ non adsit, illa tamen compensatur longe excellentiori ac nobiliori dignitate, scilicet quod proprietatem personæ (qua per se & sua solius ratione caret) habet in eminentiori, scilicet in assumente persona diuina. Certe dignius est naturam humanam assumptam esse in vnitatem diuinæ personæ, quàm si ipsa permanisset duntaxat more aliorum hominum intra metas suæ sortis, & personam constituisset humanam. Nec putes hominem alia ratione, aliâque diffinitione substantiali dici de Christo & nobis, licet id nonnulli dixerint. Nam Christus dicitur homo quia est substantia animata ex corpore & anima rationali, & vnusquisque cæterorum hominum non aliam ob rationem dicitur homo. Rursum instabis: Christus vt homo, est substantiale indiuiduum, ratione, intellectu, mente ve præditum, & singulari proprietate humana ab alijs discretum, igitur est persona. Dico Christum vt hominem, esse indiuiduum, id est vnicum & singulare, atque vnum solum, non tamen indiuiduum, id est in se & per se subsistens, oporteret autem Christum vt hominem siue humanitatem Christi per se subsistere, vt esset persona: modo humanitas illa non per se subsistit, sed subsistit in supposito diuino, & quidem ratione essentia diuinæ, quæ causa est, vt suppositum diuinum in se & per se subsistat, & non ratione proprietatis relatiuæ, à qua denominatur suppositum. Hinc quidam doctores dicunt humanitatem primo vniri essentia, licet non sit incarnata. Nam incarnatio præcipue respicit suppositum à proprietate relatiua nuncupatum, & ab alio eadem distinctum, quod naturam humanam per essentiam sibi vnuit, & mediate ac secundario vnitur talis natura, supposito. Et hac alluciantur ratione, eo suppositum primo sibi vnit & connectit naturam humanam, quo terminat siue concludit dependentiam naturæ assumptæ: sed suppositum essentia diuina, primo terminat dependentiam naturæ humanæ: igitur, & licet natura humana assumpta amiserit personalem habitudinem, persona tamen assumens per essentiam diuinam supplet vices illius habitudinis. Nec Christus vt homo, dici potest suppositum, quia non per se & in se subsistit. Ratio autem suppositi exoptulat vt res illa quæ dicenda est suppositum, per se & in se subsistat: & licet apte dici non possit, Christus est suppositum humanum. Dicit tamē potest cum additione, Christus est suppositum humani diuinum, vbi adiectum, diuinum indicat hypostasin: vel Christus est suppositum diuini humanum.

CAPVT VIII.



Christus incarnatus non fuisset, si Adam non peccasset.] Hanc probabo assertionem ex multis sacrae scripturae locis. Scribit Paulus ad Romanos: Omnes peccauerunt, & egent gloria dei, iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu, quem proposuit deus propiciatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum. Si igitur remittenda non fuissent præcedentia delicta, Christus non fuisset incarnatus. Et in alio eiusdem epistolæ loco dicit: Qui traditus est propter nostra delicta, & resurrexit propter iustificationem nostram, ergo si nullum admissemus delictum, non fuisset traditus. Et alibi: Vt sicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam per Iesum Christum dominum nostrum. igitur si non regnasset peccatum in mortem, non regnasset gratia per iustitiam in vitam æternam per Iesum Christum. Item: Nam quod impossibile erat legi in quo infirmabatur per carnem, deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis. Igitur ex Paulina doctrina, missus est in similitudinem peccati, vt de peccato dānaret peccatum. Et ad Timotheum: Christus venit in hunc mundum, vt peccatores saluos faceret. Glossa ad illum locum in.

Nj.

quit ex Augustino Serm. 9. de verbis Apostoli, Nulla causa veniendi fuit Christo domino, nisi peccatores saluos facere. Tolle morbum, tolle vulnera, & nulla est causa medicinae. Et in eadē epistola: Vnus enim deus, vnus & mediator dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Et ad Titum: Qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & munderet sibi populū acceptabile, sectatorē bonorum operū. Et in eadē epistola: Cū autem benignitas & humanitas apparuit saluatoris nostri dei, non ex operibus iustitiā quā fecimus nos, sed secundū suam misericordiā saluos nos fecit. Recte sequitur: Cū apparuit humanitas saluatoris, secundū suā misericordiā saluos nos fecit, ergo si nō apparuisset humanitas Christi, nō essemus adepti salutē aternā, vt deo clare fruermur. Adde q̄ in Euang. Matth. dicit Christus: Non est opus valētibus medico, sed male habētibus. Euntēs autē discite quid est, Misericordiā volo & nō sacrificium. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores. ex eo igitur potissimū venit, vt nos à nostris ablueret sordibus. Insuper Matth. 15. Non sum missus nisi ad oues quā perierūt domus Israel, potissimū quidem, quāuis delicto Iudæorū, parta sit gētibz salus. igitur lege quidē posita, & destinata dei volūrate, si non periissent oues domus Israel, nō fuisset missus. & aliubi: Venit filius hominis saluare quod perierat. igitur si nihil periisset, verisimile est Christū non venisse. Et alio in loco dicit Christus: Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animā suam in redemptionē pro multis. Adde q̄ scriptū est in euāgelio Lucæ, non tamē his quā diximus, dissimile: Venit filius hominis quarere & saluū facere quod perierat. Adde q̄ August. Serm. 8. de verb. Apost. ostēdit ad explicandū illū beati Lucæ locū: Christū non alio sine potissimū venisse, q̄ vt saluaret quod perierat. Humanus sermo, & omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in mundum. Quare venit in mundū? Peccatores saluos facere. Alia causa nō fuit quare veniret in mundū. Non enim de cælo ad terrā merita nostra bona, sed peccata duxerūt. Hæc est causa cur veniret peccatores saluos facere. Vocatū est etiam nomen eius Iesus, vt saluū faceret populū à peccatis eorū. Iesus enim saluator dicitur. Et in eodem sermone dicit: Si homo non perisset, filius hominis non venisset: ergo perierat homo? venit deus homo, & inuētus est homo. Perierat homo per liberā voluntatē, venit deus homo per gratiā liberatricem. Et Sermone 10. vt expressius & lōge apertius mentē Pauli explicet dicentis, Christū venisse in hunc mundū vt peccatores saluos faceret, inquit: Christus Iesus venit in mundū nullam aliā ob causam, nisi peccatores saluos facere. Qui venit ad Christū, habet quod in eo sanetur: qui non habet, non est causa quare medico offeratur. Et Serm. 4. de tēpore, in Natali domini, dicit duplicē esse principaliter causam ob quā dei filius, factus est filius hominis. Vna est, vt secundū hominē omnia patiēdo pro nobis, à peccatorum nos vinculis liberaret. Sic enim Esaias propheta prædixerat: Hic peccata nostra portauit, & pro nobis dolet. Et rursus: Ipse autē vulneratus est propter iniquitates nostras, & infirmatus est propter peccata nostra. Eruditio pacis nostræ in eo. Liuore enim eius nos sanati sumus. Altera vero causa est dominicæ passionis, vt nos (quos sanguine suo redemit à vitijs atque criminibus) non solum doctrinæ auxilio & gratiæ, sed etiam exemplo suo ad studiū sanctitatis accenderet, vt nos non modo præcipiētem dominum, sed etiam exemplo suo ad virtutis fastigia prouocantē, maiore alacritate sequeremur, & iustissimū dominū ac piū patrē, secundū sententiā beati Petri, filij imitatione coleremus. Sic enim beatus Petrus ait: Christus passus est pro nobis, vobis relinquēs exemplum, vt sequamini vestigia eius, qui peccatū nō fecit, nec dolus inuētus est in ore eius. Qui cū malediceretur, nō maledicebat: cū pateretur, nō cōminabatur. Tradebat autē iudicanti se iniuste, qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignū, vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus. Hæc autem causa, vt cernis, innitur primæ, nā abluti sanguine Christi, ad honesta sanctitatis ac virtutū omniū studia accēdūt. Insuper docet Christus in Euang. Ioan. se missum à deo patre nō vt quenquā

1. Timot. 2.

Tit. 2.

Tit. 3.

Matth. 9.
Osee. 6.

Matth. 15.

Roma. 11.

Matth. 18.

Matth. 20.

Lucæ 19.
Augustinus.

1. Timot. 1.

Lucæ 2.

Esaiæ 53.

1. pet. 2.

primo & principaliter iudicet, sed vt saluet mundū, qui absq; clemētia Christi, & misericordia periisset omnino. Sic enim loquitur: Non enim misit deus filiū suum in mundū vt iudicet mundū, sed vt saluetur mundus per ipsum. Quē locum edificerēs Augustinus, dicit: Ergo quātum in medico est, sanare venit agrotū, venit saluator ad mundū. Quare saluator dictus est mūdi, nisi vt saluet mundū? non vt iudicet mundū. Et locum illum cōnectens cū his verbis: Ego non iudico quēquam, dicit: Venit Christus, sed primo saluare, postea iudicare: eos iudicare in pōnā qui saluari noluerunt, eos perducendo ad vitā, qui credendo, salutē non respuerūt. Prima ergo dispensatio domini nostri Iesu Christi medicinalis est, non iudicialis. Nam si primo venisset iudicaturus, neminē inuenisset cui præmia iustitiæ redderet. Quia ergo vidit omnes peccatores & omnino neminē esse immunē à morte peccati, prius erat eius misericordia præroganda, & post exerendū iudiciū: quia de illo cātauerat Psalmus: Misericordiā & iudiciū cantabo tibi domine. Non enim iudiciū ait & misericordiā. Nā si primo esset iudiciū, nulla esset misericordia: sed primo misericordia, postea iudiciū. Quare est primo misericordia? Creator hominis, homo esse dignatus est, factus est quod fecerat, ne periret quē fecerat. Adde etiam q̄ Cyrillus exponēs illud Ioanis: Non enim misit deus filiū suum in mundū vt iudicet mundū, sed vt saluetur mundus pro ipso, dicit in persona Christi: Non enim missus sum vt lege orbē terrarū quemadmodū Moses, dānem, nec vt mandata in redargutionē peccatorum tradā, nec vt seruili ministerio fungar, verū vt per misericordiā deo conuenientem, tanquā filius ac hæres patris à seruitute homines vendicē, damnante lege in iustificantē gratiā cōmutata, & sic à peccatorū vinculis genus humanū eripiā. Ad saluandū ergo, nō ad dānandū veni. Enarrās etiā Chrysostrōmus eundē locū, assentitur interpretationi Augustini, ita enim loquitur: Duo sunt Christi aduētus: & præteritus & futurus, sed non iisdē de causis: sed præteritus non vt iudicaret, sed vt dimitteret: futurus cōtra, nō vt dimitteret, sed iudicaret. Propterea de præterito inquit: Non veni vt iudicē mundū, sed vt saluū faciam mundū. De futuro: Cū venerit filius in gloria patris sui, statuet oues quidem à dextris, hædos autē à sinistris. Idē sentit Theophylactus, dicēs ad eiusdē loci explicationē: Christus primū ad hoc venit, vt mūdum seruariet, atq; hæc intentio eius fuit: per accidens autē iudicat eos qui non crediderunt. Nostras tuetur partes sanctus Thomas 3. parte sum. quæst. 1. ar. 3. Et hac nititur ratio: Quare à diuina pendent volūrate, & nullo modo ab arbitrio hominū, nobis innotescere non possunt, nisi quatenus in sacris traduntur literis, quibus dei voluntas patet. Sed sacræ literæ indicant apertissime Christū naturā hominis assumpsisse, vt nostra expiaret scelera, & delicto primi parentis mēderetur. dicendū est igitur Christum incarnatum non fuisse, si Adam non peccasset. Quod si dixeris, Prædestinatus est filius dei in virtute, quare necessarium est Christum carnē hominis assumpsisse etiam ante scelus primi parentis, vt dā prædestinatio adimpleretur. Dico prædestinationem illam præsupponere præscientiam futurorum. Sicut enim deus prædestinat salutē hominis, præsciēdo eam præcationibus alicuius sancti adimplēdam, ita prædestinauit opus incarnationis, quod præsciuit esse destinatum ad expiandam primi parentis maculam. Non tamen velim inficiari Christū potuisse humanitatē assumere, quāuis primus parens non deliquisset, quia diuina volūtas ac potentia, non erat præscripta & prædeterminata ijs limitibus, vt non potuisset efficere filij dei incarnationem. Nec conuiuere possum opinioni Scoti, dicentis libro 3. sententiarum, distinctione 7. quæst. 3. quod filius dei fuisset incarnatus, si homo non cecidisset: quia deus prius voluit elargiri gratiā animæ Christi, quā præuiderit Adam casurum. Hoc si denegatū illi fuerit, facit vt hæreat luto. Apertissimis sacræ scripturæ testimonijs & doctrina potissimum Augustini, sua sumus deum patrem, eo sine eaq; intentione & præuisione, suum ad nos misisse filium, vt saluaret quod perierat. Nec tamen vtget argumentū istud, Deus prius natura præuiderit se daturum gloriam animæ Christi, quā præuiderit Adam

Ioan. 3.

Augustinus:

Ioan. 8.

Psal. 100.

Cyrillus.

Chrysostrō:

Mat. 25.

Theophyl.

Thomas:

Rom. 1.

Scotus:

lapsurū: ergo Christus incarnatus fuisset, si Adā nō peccasset. quis nō intorqueret? Sol natura prior est luce, aut lux lumine: ergo sol exiit sine luce, aut lux sine lumine. Nec possēt ille nobis fidem facere q̄ deus prius prauiderit se daturum gloriā animæ Christi, q̄ præsauerit Adam collapsurum. Non enim deus prius prauiderit se daturum gloriā animæ Christi, q̄ præsauerit incarnationem sui filij: sed non prius prauiderit aut præsauerit incarnationē sui filij, q̄ prauiderit ruinā primi hominis: cū vtrunq; ab æterno præsauerit: igitur non prius simpliciter prauiderit se daturū gloriā animæ Christi, quā præsauerit Adam lapsurum. Nec etiam illud natura prius, quod prætendit ille, efficit hanc copulationem veram esse, Christus incarnatus est, & tamen Adam non fecit vllum delicti præcipitium.

CAPVT IX.



Christus 14. luna fecit pascha, cōsecrauit in azymo pane, 15. crucifixus est, 17. resurrexit.] Ex sacris veteris instrumēti scripturis, singulas assertionis partes probabimus. Nos iuuabunt doctorum monimēta, vt plenius & absolutius assertionem itabiliamus. In primis typus augustissimi Eucharistiæ sacramenti, in agno quidem paschali, præmonitrat Christum suam cū discipulis cœnam fecisse 14. luna, ita enim scriptū est in Exodo: Dixit quoque dominus ad Moysen & Aaron in terra Aegypti, Mēsis iste vobis principii mēsum, primus erit in mēsisbus anni. Loquimini ad vniuersum cœtū filiorum Israel, & dicite eis, Decima die mēsis huius tollat vnusquisq; agnū per familias & domos suas. Sin autē minor est numerus vt sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinū suum qui coniunctus est domui eius, iuxta numerū animarum quæ sufficere possunt ad esum agni. Erit autē agnus absq; macula, masculus anniculus, iuxta quem ritū tolletis & hœdū, & seruabitis eum vsq; ad quartadecimā diem mēsis huius, immolabitq; eum vniuersa multitudo filiorū Israel ad vesperā, & sumēt de sanguine eius: ac ponent super vtrunq; postē, & insuper liminaribus domorū in quibus comedēt illum. Et edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus. Ex hac historia exploratū habemus, ludæos Moyſi iussis obtemperantes, consueuisse tollere agnum 10. die mēsis, & 14. immolare, cum vescebantur carnibus assis & pane azymo. Hunc Christus ludæorum ritum ne subuerteret, ac legē legiſq; ædicta antiquaret, cum agnū in cœna cum suis apostolis comedit, obseruare voluit. Eam enim legi reuerentiā exhibuit, vt illi nihil detrudere voluerit, sed ex animo dum vitā egit in terris, adimpleuit. quod si 15. luna suum peregiſſet conuiuium, agno illo typico ad tempus vescendo, in eum obmurmurassent ludæi tanquā in perditissimum legis Moſaycæ violatorem & impium euerforem. Narrat & eadē historia ludæos primo mēse quartadecima die mēsis inceptasse ad vesperam edere azymos panes, vsq; ad vigesimū primū diem mēsis, ad vesperā: quare eadem 14. luna, facta agni immolatione carnibus assis vescebantur, & azymis. erat enim vetitum ludæis quidpiam fermentatum comedere in vespera immolationis agni. Hæc porro difficultas clarius explicatur in Leuitico, vbi scriptum est: Mense primo, quartadecima die mēsis ad vesperum phase domini est, & quintadecima die mēsis huius solennitas azymorum domini est. Hunc explicans locū Glos. ordinaria dicit, interrogemus ludæos quare 14. die festiuitatem agere non iussit, in qua figurale pascha constituit, sed memoriā eius faciens prima die azymorum quæ post illam erat, fieri definiuit. Vult enim sciri quid sit inter figuram & veritatem. Memorat ergo quartadecimā, quæ figurā habebat, sed festū agere præcipit 15. in qua pascha nostrū immolatus est Christus. Animaduerte interim solennitatē paschæ à ludæis celebratā esse in memoriā beneficij, quo erepti sunt filij Israel à durissimo Aegyptiorū iugo: & quia educti sunt de illa sæuissima tyrānide 15. die mēsis primi, ideo tunc illa peragebatur festiuitas. Eam autē auspicabantur à vespera præcedentis diei in quo maçtabatur agnus paschalis. Nec scripturis Leuitici dissentaneum est quod memoriæ proditum est in Numeris: Mēse autem primo decima-

Exodi 12.

Leuit. 23.

Glos. ordin.

1. Corint. 5.

quarta die mēsis Phase domini erit, & decimaquinta die solennitas. Phase domini, vt exponit Lyranus, id est immolatio agni paschalis, & eodem die (vt iam deduximus) fecit Christus cœnam cum suis discipulis, volens illis, figura & adumbratione agni terreni, exhibere verum agnum caelestem. Adde quod beatus Ambrosius libro 10. Epistolarum, epistola ad episcopos per Emiliam constitutos, omnibus penè nostræ assertionis partibus suffragatur. Duo, inquit, sunt obseruanda in solennitate paschæ: Quartadecima luna, & primus mēsis, qui dicitur Nouorum. Itaque ne à veteri testamēto videamur discedere, ipsum de paschæ celebrandæ die capitulum recensemus. Monet Moyses populum, dicens custodiendum mēsem Nouorum, eum primum esse mēsem prædicans: ait enim, Hic mēsis vobis principium mēsum, primus in mēsisbus anni, & facies pascha domino deo tuo decimaquarta die mēsis primi. Lex nempe per Moysen data est, gratia autem & veritas per Iesum Christum facta est. Ipse ergo qui legem locutus est, postea veniens per virginem nouissimis temporibus plenitudinem legis consummauit, quia venit non legem soluere, sed implere, & celebrauit pascha hebdomade in qua fuit decimaquarta luna, quinta feria. Denique ipsa die pascha cum discipulis manducauit. Sequenti autem die, hoc est, sexta feria crucifixus, luna decimaquinta. Sabbato quoque magno illo, sextadecima fuit, ac per hoc septimadecima luna resurrexit à mortuis. Adferam & Hieronymi sententiam, ad eandem primam assertionis partem suffulciendam, qui exponens illum Matthæi locum, Prima autem die azymorum, accesserunt discipuli ad Iesum: dicit, Prima azymorum, quartadecima dies mēsis primi est, quando agnus immolatur, & luna plenissima est, & fermentum abijcitur. Fatetur etiam Augustinus ad Moſaycæ legis intelligentiam accedens, decimam quartam lunam secundum legem, primā fuisse. Sic enim scribit 2. parte quaestionum ex nouo testamento, quaestione 84. Nos numerum lunæ custodimus, non illam ipsam excolimus vt à decimaquarta luna (quæ nobis secundum legem prima est) rationem paschæ obseruemus. Omnia enim plena deus instituit, ideoq; à decimaquarta vsq; ad vigesimā primam, his septem diebus pascha nobis celebrare concessum est: vt de his septem aliqui dies à paraſceue vsq; ad resurrectionem domini concludantur, vt, neque tertiadecima in passione sit, neque quartadecima in resurrectione, aut quintadecima. Nam ante vigesimam primam secundum nos lunam, passio Christi sit & resurrectio eius. Idem dicit epistola Ianuario, capite 9. Insuper Chrysostomus homilia de prodicione Iudæ, edisserens quod discipuli dicebāt Christo, vbi vis paremus tibi comedere paschā? dicit: Illud Iudaicum fuit pascha, illud in Aegypto sumpsit exordium. Et cur illud Christus manducauit? scilicet quia omnia quæ sunt legis, adimpleuit. Nam quando baptizabatur, dicebat: Sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Veni, inquit, de legis maledictione eximere homines. Pascha autem Iudaicum, quantum ad immolationem & esum agni, fiebat 14. luna, vt ostēsum est, quia eodem die immolabatur quo licebat eis primum vesci azymis. Licebat autem illis primum vesci illis azymis 14. luna in vespera immolationis, & septem diebus illo pane fruebantur: quare non hæſito nec addubito quin Chrysostomus in ea fuerit sententia, vt Christus pascha comederit cū discipulis, 14. luna, alioqui non comedisset Iudaicum pascha, quod verum pascha adumbrabat. Et clarius multo suam exerit sententiam, Sermone de natiuitate sancti Ioannis Baptiste, vbi in hunc loquitur modum: Quæ enim die conceptus est dominus, eadem die & passus est. Eadem ipsa dies cœna pura fuit, in qua & luna decimaquarta occurrit. Conceptus est enim mense Martio, octauo Calendarum Aprilium die, luna decimaquinta fuit. momentissime propter horam passionis suæ sustinebat. Si passus fuerit luna decimaquinta, & prius pascha ederat, secundum morem Iudæorum, suamque absoluerat cœnam in azymis, & in esu agni, luna scilicet 14. vt ille scite testatur. Non audiendi igitur sunt sed explodendi, qui dicunt Christum passum mortem eodem die, quo consecrauit suum corpus, licet ad interitū

Ambrosius:

Ioan. 1.

Matt. 5.

Hieronymus

Matth. 26.

Augustinus

Chrysostomus

Matth. 26.

Matth. 31

Cyprianus. properaret. Si perconteris, cur Christus voluerit sibi parari pascha: Tibi respondebit Cyprianus, Sermone de coena domini, vt finem legalibus ceremonijs imponeret, & ex consuetudine legis ea vellet quæri, quæ solennitas exigebat, agnum assum, panes azymos, & lactucas agrestes. ¶ Tamen si secunda assertionis pars, aliquantum ex probatione primæ partis innotuerit, vbi veteris instrumeti historiam de immolatione agni proferedo, diximus Iudæos id moris obseruasse, vt decimaquarta die auspicaretur à vespera festum azymorum, illisq; vesceretur & non ante immolationem agni: plenius tamen ex sacris & literis & doctoribus, nitetur ad idem.

Matth. 26. Scribit Matthæus: Prima autem die azymorum, accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes, Vbi vis paremus tibi comedere pascha? At Iesus dixit, Ite in ciuitatem ad quendam, & dicite ei: Magister dicit, Tēpus meum propè est, apud te facio pascha cū discipulis meis. Et fecerūt discipuli sicut cōstituit illis Iesus, & parauerūt pascha. Vesperè autē factō discūbebat cum duodecim discipulis suis. Et infra: Cœnantibus autem eis accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite & comedite: hoc est corpus meum. Prima autem dies azymorum ex doctrina Matthæi sanè intelligenda, erat vespera subsequēntis proxime azymorum solennitatis, à qua Iudæi festiuitatem (vt dictum est) auspicabantur: quare cum sit compertum saluatorem nostrum eadem vespera agnum paschalem comedisē, & suum confecisse preciosissimum corpus, in qua nihil fermentatum audebat Iudæi comedere, colligere debemus Christum in azymis confecisse. Nec eò prorūpas amentia & amentissimæ stultitiæ, vt dicas Christum non eodem tempore consecrassē suum corpus quo edit agnum. Nam planè aduersarieris euangelio. Cum enim discipuli peragerent cœnam, accepit panem non quidem fermentatum, quia nihil erat fermēti (quo tunc temporis licuisset Iudæis vesci) sed azymum: & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Luculentissime explicat Chrysostomus, quid hoc sibi velit, Prima die azymorum. Primam, inquit, azymorum, eam diem vocat, quæ ante azyma erat. Consequenter enim à vesperè semper dies numerare, & eius mentionem facere in vesperè, cuius pascha erat immolandum. Quinta enim sabbati accesserūt, quam hic quidem primam azymorum, id est ante azyma, vocat, tempus designans quo accesserunt. Alius autē, Venit, inquit, dies azymorum, in qua oportebat immolari pascha. Nam venit istud, prope & in ianuis erat, significat vesperā videlicet illā à qua incipiebāt cōmemorās. Reddit Lucas locū Matthæi apertiorē, dicēs: Venit dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha. In illa ergo die azymorum aduētante occidebatur pascha, id est, agnus paschalis. & nisi cæcutiat quis, fatebitur Christū eodē primo die vicitasse azymis, & in iisdē suum consecrassē corpus, ac instituisse nobilissimū Eucharistiæ sacramentū. Nec lato vngue discedit Augustinus à sentētia Chrysostomi. Ita enim loquit̃ epistola, Casulano presbytero de ieiunijs priscorum: Quarta Sabbati, quam vulgo quartā feriam vocant, cōcilium reperiuntur ad occidentū dominum fecisse Iudæi. Intermissō autem vno die, cuius vespera dominus pascha cum discipulis manducauit, qui finis fuit eius diei quem vocamus quintā sabbati, deinde traditus est ea nocte quæ iam ad sextā sabbati, qui dies passionis eius manifestus est, pertinebat. Hic dies primus azymorum fuit à vesperā incipiēs. Sed Matthæus euangelista quintam sabbati, dicit fuisse primam diem azymorum, quia eius vesperā sequente, futura erat cœna paschalis, qua cœna incipiebat azymum, & omnis immolatio manducari. Ex quo colligitur quartam sabbati fuisse, quando ait dominus: Scitis quia post biduum pascha fiet, & filius hominis tradetur vt crucifigatur. Nec diuersus est ab illis doctoribus Theophylactus, edisserēs illum Matthæi locum: Prima die azymorum, vbi dicit, Primam diem azymorum vocat, quæ diem præcedit, vt sic dicam, quinta feria manducatur erant pascha, post quam sequitur parasceue. Prima azymorum vocabatur in lege, eo quod festum incipiebat à vesperā, qua vescebantur azymis. Satis etiam ex Marco perpendere possumus pri-

Marc. 14.

mam diem azymorum, eam esse, quando agnus paschalis immolabatur. Sic enim scribit: Et primo die azymorum quando pascha immolabāt. ¶ At decertabit quispianam, scriptum est in Euangelio Ioannis: Ante diem festum paschæ, sed prima paschæ dies erat decimaquarta luna, nam tunc incipiebat pascha: ergo si ante diem festum paschæ fecerit Christus cœnam cum suis discipulis, videtur quod eam fecerit decimatertia luna, & tunc licebat Iudæis vesci pane fermentato, eo quod tunc tēporis non fiebat agni immolatio, & per cōsequens quod non cōfecerit in pane azymo sed fermentato. Adde etiam quod aliubi scribit Ioannes: Iudæi non intrauerunt prætorium Pilati vt non contaminarentur, sed manducarent pascha: ergo in vesperè illius diei quo passus est Christus, manducauerunt agnum paschalem, ipsi autē tenebantur illum comedere decimaquarta luna: ergo cum cœna absoluta fuerit in vesperè præcedentis diei, videtur quod Christus fecerit suam cœnam luna decimatertia, & per consequēs confecerat suum corpus in pane fermēta to. ¶ Ad primam respondeo obiectionem, cum dixit Ioannes: Ante diem festum paschæ, nominat illic pascha solennitatem paschalem, siue primum diem simpliciter festiuitatis paschalis, qui 15. luna celebrandus erat. Festum enim paschatis (vt præmonuimus) apud Iudæos incipiebat à vesperè diei, in quo luna erat decimaquarta, & durabat vsque ad vesperā diei subsequēntis, vt Leuiticus ostendit: Phase domini erat ad vesperum 14. die mensis, & decimaquinta die mensis, erat solennitas azymorum domini. Hinc eundem diem quem Ioannes nominauit Ante diem festum paschæ, propter distinctionē naturalium dierum, Marcus nominat primum diem azymorum, authore Lyrano in 13. caput Ioannis, vbi hæc dissoluit argumenta, Quia à vesperā præcedentis diei, incipiebant Iudæi comedere azyma: ideo non recte dicitur, quod luna 14. erat simpliciter primus dies solennitatis paschalis, sed in fine illius diei, incipiebat primus dies, & durabat vsque ad vesperam diei sequentis. ¶ Secunda diluitur obiectio, Pascha quod debebant comedere Iudæi in die passionis Christi, non erat agnus paschalis, quia comederant illud pascha in vesperā præcedentis diei, sed erat panis azymus. Septem enim diebus continuis Iudæi comedebant, panes azymos, nec immundis & cōtaminatis licebat illis vesci: ideo non introierunt domum Pilati, ne præpedirentur ab esu azymorum. Quare non debet impij ac blasphemij Græci, calūniari verba Matthæi, Marci, & Lucæ, dicentes summa cum impudentia, illos aduersari Ioanni, & ab eodem correctos esse. Nam si semel ad sacras literas (vt Augustinus dicit) vel minimum admittatur mendacium, nihil amplius in eis solidæ veritatis manebit, qua possit aduersarij cōuinci. Præterea Euangeliorum sicut & cuiuslibet alterius scripturæ sacræ, author est spiritus sanctus. ipse autem Euangelista fuit velut calamus, quo mediante spiritus sanctus scripturam sacram in ordinē rededit. Toto errant cælo, suggillates Romanam ecclesiam, à qua discesserunt, quod conficiat in pane azymo, & Latinos omnes hac de re azymitas vocant, & eos anathematizant, vt testatur beatus Anselmus in quadam epistola de Fermētato & azymo. Nec ex eo Græci sunt hæretici, quod conficiant in fermento, quis enim nescit posse confici in fermento. cum panis azymus & fermentatus non differant substantialiter, sicut nec homo nouus ante peccatum, & fermento peccati inueteratus. Sed ex eo censendi sunt hæretici, vt doctissime ostendit Alphonfus à Castro, libro sexto aduersus hæreses, hæresis 2. de Eucharistia, quia sic conficientes in fermento, asserunt pertinaciter non posse confici in azymo. Christus enim, vt ample discussum est, confecit in azymis, ideo commodius ecclesia Romana obseruans modum quo Christus consecrauit, consecrat in azymis. Et licet Græci vere conficiant in fermento, tamen sic cōficiētes, peccant propter schismata & sectiones, quas in ecclesia moliantur, à cuius vnitatis & consortio & obediētia se abduxerūt. Et licet cognosceret ecclesia in vtroq; legitime posse confici, quibusdam tamē iustis causis, ad vnam certā materiam nēpe ad azymum omnes fideles arctauit. Primum quod Christus in ea confecerit, quod efficiens non

N. iij.

Ioan. 13.

Ioan. 18.

Leui. 23.


Lyrano.

Anselmus.

Alphonfus à Castro.

solum non prohibuit vt in azymo non conficeremus, imò potius inuitauit. Deinde, quia in azymo synceritas, & in fermento malitia designatur, iuxta Apostolum dicentem: Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiae & nequitiae, sed in azymis synceritatis & veritatis. Et dominus in Euangelio: Caute à fermento Pharisaeorum, quod est hypocrisis. Quapropter in lege praeceptum erat: Omnis oblatio quae offertur domino absque fermento fiet, nec quicquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio domini. Cum igitur in humanitate Christi nulla prorsus sit macula, ecclesia merito censuit in azymo esse celebrandum, vt signum exterius, scilicet panis accidentia, esset signato conformius.

CAPVT X.

Roma, 5.  Hristi fides est necessaria ad salutem. Paulus multis in locis suarum epistolarum huiusce assertionis veritatem ostendit. Iustificati, inquit, ex fide, pacem habeamus ad deum per dominum nostrum Iesum Christum, per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam. Hæc ergo suffulcus autoritate, nec tō ratiocinium: Ex fide est iustificatio, & quidem vnus mediatoris, & omnium clementissimi propiciatoris, vt perspicuum euadit, doctrinam Pauli excutienti. Ad salutem autem omnibus necessaria est iustificatio: nam omnes fuerunt sub peccato: omnes declinauerunt, simul facti sunt inutiles: omnes egent gloria dei, iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quae est in Christo Iesu, quem proposuit propiciatorem per fidem in sanguine ipsius: ergo & ad salutem necessaria est Christi fides, ex qua est iustificatio. Et licet sine lege, iustitia dei fuerit manifestata, & testificata à lege & prophetis. Hæc tamen iustitia dei, est per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes qui credunt in eum. Non enim est distinctio personarum. Edisserens autem Theophylactus de iustitia dei per fidem Iesu Christi, inquit: Eiusmodi iustitia, qua scilicet nos iustos deus efficit, ad vniuersos per fidem peruenit. Fide enim illata, iusti omnes redduntur, Iudaei simul & Graeci. Ad eundem locum enarrandum dicit Origenes, eos qui iustificantur, siue ex Iudaeis veniant, siue ex Gentibus, iustificari quidem ex gratia dei in redemptionem eis, effecto ipso Iesu Christo. Et aliubi Paulus suam exploratiuam mentem aperit: Si confitearis in ore dominum Iesum, & in corde tuo credideris quod deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem. ex aduerso colliges, Qui igitur non fuerit confessus in ore suo dominum Iesum, nec corde crediderit quod deus illum suscitauit à mortuis, non erit saluus. Sic enim ratiocinatur Christus: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. Ratiocinatur tamen Paulus aduersus nostram assertionem, sed argumentis solidissimam assertionis veritatem concludit. Assumendo igitur hanc propositionem: Quicumque inuocauerit nomen domini, saluus erit: admirantis personam induens, sic disputat: Quomodo ergo inuocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? quomodo vero prædicabunt nisi mittantur? Sicut scriptum est: Quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Sed non omnes obediunt Euangelio. Esaias enim dicit: Domine quis credidit auditui nostro? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Sed dico (& nunc scrupū dirimit Paulus) Nunquid non audierunt? Et quidem: In omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Quis igitur sibi prætexet excusationem, quod nusquam audierit verbum domini, nec quicquam de fide Christi perceperit, cum late per delegatos disseminatum fuerit euangelium? Nec oportet sanctam illam Euangelicam philosophiam doctrinam, omnibus oppidulis speciatim innotuisse. Satis enim fuit vt apostolorum præconio, & sincera prædicatione, promulgatū fuerit illis regionibus, & insignioribus mundi partibus & clymatibus, à quibus euangelici studij sitibundi, didicerunt commodissima aeternae vitae assequendae praecepta. Item ad Corinthios

dicit Paulus: Nobis vnus deus pater, ex quo omnia, & nos in illum: & vnus dominus Iesus Christus per quem omnia, & nos per ipsum. Sed quid hoc sibi vult, per quem sunt omnia, & nos per ipsum, nisi nos per Christum à laqueis demonum & mortis aeternae redemptos esse, & feliciter creptos, & nostra in eum fide destinata, aeternum adepturos præmium? In illo enim anchoram nostrae salutis collocamus, illi cōfidimus, nec spe destituimur. Et ad Galatas dicit Paulus: Sed conclusit scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Vnde igitur promissio? ex fide sanè Iesu Christi. Sed quae nā, dices, promissio? aeternae scilicet felicitatis: nullis tamen datur nisi credētibus. Et ad Ephesios: Propterea audietis fidem vestram quae est in Christo Iesu. in quo igitur sita est fides nostra? in Christo Iesu, nec vlla sine eius præsidio, salus nobis optanda est. Et in eadem Epistola, Deus autem qui diues est in misericordia propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, cōiunificauit nos Christo, cuius gratia estis saluati. Quid hac persuasione suasibilis? quid his optatis verbis? Nihil hac apertius sententia dici potest, quo assertionis nostrae veritas fulciri possit. Insuper dicit Paulus: In quo habemus fiduciam, & accessum in confidentia per fidem eius. Et ad Timotheum: Qui enim bene ministrarint, gradum bonum sibi acquirēt, & multam fiduciam in fide quae est in Christo Iesu. Et aliubi: Ideo omnia sustineo propter electos, vt & ipsi salutē consequantur quae est in Christo Iesu cum gloria caelesti. Eandem approbamus Assertionem ex Epistolis Petri planè ostēdentis nostram spem esse in Christo Iesu. Benedictus, inquit, deus & pater domini nostri Iesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam, regenerauit nos in spem viuam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatā, & immarcescibilem conseruatā in caelis, in vobis. Item, Deus autem omnis gratia, qui vocauit nos in aeternam suam gloriam in Christo Iesu. Quis igitur nos in aeternam suam gloriam vocauit? Deus, sed cuiusnam patrocinio? Christi & fidei eiusdem. Ioannes etiam in suis Epistolis monstrat, nullum absque Christi fauore & clementia, dimitti peccatū. Ita enim loquitur: Sanguis Iesu Christi filij eius, emundat nos ab omni peccato: hoc autem est perquam necessarium ad indispensandam aeternam salutem. Deinde, Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Et aliubi: Et hoc est mandatum eius, vt credamus in nomine filij eius Iesu Christi, & diligamus alterutrum sicut dedit mandatum nobis. Et in Euangelio Ioannis, nos Christus consolatur, quod eius fide sumus aeternam adepturi beatitudinem: Sic enim deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Et aliubi: In nouissimo autem die magno festiuitatis stabat Iesus, & clamabat dicens: si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de vtre eius fluent aquae viuae. Præterea in eodem Euangelio scriptū est: Hæc est autem vita aeterna vt cognoscant te, solum deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Nemo igitur sperat se regnum dei assequuturum, nisi firmam trinitatis fidem habuerit. Et in Actis apostolorū Petrus nobis fidem facit, in nullo alio quàm in Christo salutem esse constitutam. Notum, inquit, sit omnibus vobis, & omni plebi Israel, quod in nomine domini nostri Iesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem deus suscitauit à mortuis, in hoc istate stat corā vobis sanus. Hic est lapis qui reprobatus est à vobis aedificantibus, qui factus est in caput anguli, & non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomē est sub caelo datum hominibus in quo oporteat nos saluos fieri. Assentitur & nostrae assertioni Augustinus in plerisque suae doctrinae locis, enarrans Psalmū septuagesimūseptimū ad exordium illud: Attendite popule meus legem meam, dicit: Quid est ergo quod eundem populum per prophetam increpat dicens, Israel autem me non agnouit, & populus meus nō intellexit? Sed profecto erant etiam in illo populo qui intelligerent habentes fidem quae postea reuelata est, non ad legis literam, sed ad

gratiam spiritus pertinentem. Non enim sine ipsa fide fuerunt, qui eius in Christo futuram reuelationem praevidere & praenuntiare potuerunt, cum & illa vetera sacramenta significatiua fuerint futurorum. Adde quod libro vno de Correctione & gratia, cap. 2. exponens illud Euangelij locum: Sine me nihil potestis facere, dicit: Intelligenda est enim gratia dei per Iesum Christum dominum nostrum, qua sola homines liberantur a malo, & sine qua nullum prorsus siue cogitando siue volendo & amando, siue agendo faciunt bonum. Et lib. 7. confessionum, cap. 18. solum credit Christum esse viam ad salutem. Quarebam (inquit) viam comparandi roboris quod esset idoneum ad fruendum te, nec inueniebam donec amplecterer mediatorum dei & hominum, hominem Christum Iesum, (qui est super omnia deus benedictus in secula,) vocantem & dicentem: Ego sum via, veritas & vita. Et Sermone 14. de verbis apostoli, dicit: Si saluos fieri oportet nos in nomine Iesu, sine hoc nomine proculdubio nec salus erit, nec paruuli sine hoc nomine saluantur. Et hoc contra Pelagianos: illi enim fideiussorum praesidio profitentur fidem Christi. Deinde subnectit, qui cuiquam salutem promittit sine Christo, nescio vtrum ipse salutem habere possit in Christo.

Athanasius. Scriptum est etiam in Symbolo Athanasij: Sed necessarium est ad aeternam salutem, vt incarnatione quoque domini nostri Iesu Christi fideliter credat. Est ergo fides recta, vt credamus & confiteamur quia dominus noster Iesus Christus dei filius, deus & homo est. Fauet & nostrae assertioni Hieronymus enarrans illud Pauli: Sciens autem quod non iustificatur homo ex operibus legis nisi per fidem Iesu Christi, Quidam, inquit, aiunt si verum hoc sit quod Paulus affirmat, ex operibus legis neminem iustificari, sed ex fide Iesu Christi, patriarchas & prophetas & sanctos qui ante Christi aduentum fuerunt, imperfectos fuisse. Quos admonere debemus, eos hic dici iustitiam non consequutos, qui tantum ex operibus iustificari posse se credunt. Sanctos autem, qui antiquitus fuerunt, ex fide Christi iustificatos. Siquidem Abraham vidit diem Christi, & letatus est. Et Moses maiores diuitias aestimauit thesauro Aegyptiorum, improprium Christi. Aspiciebat enim in remuneratione. Et Esaias vidit gloriam Christi. Vnde non tam legis opera danantur, quam hi qui tantum ex operibus iustificari se posse confidunt. Saluatore quoque ad discipulos loquente: Nisi superabundauerit iustitia vestra plusquam scribarum & pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum. Congregandum in hoc loco quanta in lege praecipita sint, quae explere nullus queat. Et e contrario dicendum quaedam legis etiam ab his fieri, qui ignorant eam. Sed ideo non iustificari operatores eius, quia absque fide Christi fiat. Et edisserens illum Pauli locum ad Ephesios: Gratias agentes semper pro omnibus in nomine domini nostri Iesu Christi deo & patri, dicit: Qui gratias agit deo & patri in mediatore dei & hominum, refert eas Christo Iesu, quia nisi per illum accedere non valeamus ad patrem. At dices, qui non receperat olim legem Mosayca, nec Euangelium, quia illis nondum per legatos Christi innotuerat, credentes vnum esse deum qui bonis aeternam largitur praemium, impijs vero & sceleratis aeternam irrogat poenam, saluari poterant absque fide Christi. Nam dicit Christus: Si non venissem, & locutus fuisset eis, peccatum non haberent. Et huius est sententiae Chrysostomus exponens illud Christi dictum: Ite & renuntiate Ioanni quae audistis & vidistis. Caeci vident &c. vbi sic loquitur: Magna, inquit, iniuria illis hac ratione fit, qui ante aduentum Christi naturam concesserunt. Minime inquam, poterant enim homines tunc etiam ipsum non confessi, saluari. Non enim Christi, qui nondum venerat, ab illis cultus petebatur, sed vt idolorum cultu spreto vnum solum deum conditorem omnium noscerent. Dominus enim, inquit, deus tuus, dominus vnus est. Idcirco Machabei qui ne legem traderent, mori maluerunt. Valde admiramur pueros quoque illos, aliosque complures apud Iudaeos qui bene & optime vixerunt, & hanc cognitionis mensuram inuiolatam conseruauerunt, a quibus nihil aliud certum petitum est. Nunc autem non ita est, sed necessaria est ad salutem, Christi cognitio: propterea dicebat: Si non venissem & locutus eis non fuisset, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.

Hac ille. Duo relinquit nobis expendenda: Alterum, quod quis absque cognitione & fide Christi, saluari potuit, modo spurcitiā idololatriae exhorrescēdo, sincere credidisset vnum esse deum omnium conditorem. Alterum, quod fides & cognitio saluatoris nunc est ad salutem necessaria. Ad haec Lyranus in Epistola Pauli ad Hebraeos, ad locum illum: Credere oportet accedentem ad deum, quia est: & inquitur se remunerator, dicit: Credere dei unitate sit, & eius aeternam remunerationem, non plus requirebatur ad salutem gentilium, qui nullam legem receperunt a deo nisi legem naturae. Verum vt respondere possit Augustino dicenti libro de Correctione & gratia (vt ille citat) Illa fides sana est, qua credimus nullum hominem siue maioris siue paruae aetatis, liberari a contagio mortis & obligatione peccati, nisi per mediatorem dei & hominum Iesum Christum, Annotat mysterium incarnationis bifariam credi posse: vno modo explicite, & sic tenebantur credere illi quibus facta est de hoc reuelatio, sicuti Iudaei in veteri lege, tamē sacerdotes scripturas intelligentes, tenebantur magis cognoscere quam alij, & adhuc in noua lege ad haec credenda, magis obstringuntur Christiani, in qua perfecte explicatum est Christi mysterium. Alio modo potest credi mysterium Christi implicite, & hoc credere tenebantur gentiles, quia non erant obligati ad obseruandam Moysi legem. Taliſque fides continetur in illa Pauli autoritate quam nuper protulimus: Quia qui credit vnum deum inquiringentium remuneratorem, credit ipsum providere hominum saluti. Licet modum huius prouidentiae, expresse siue (vt dicitur) explicite, non agnoscat. Conuenientissimus autem modus, quo deus humanae naturae consuluit & prouidit, est incarnationis mysterium. Idem sentit Thomas 2. 2. quaestione 2. art. 7. Et hac institutus adnotatione ac distinctiuncula, poteris cognoscere quidnam Chrysostomus cupiebat innuere, cum dixit ante legem posse esse salutem absque cognitione & fide Christi, expressa scilicet & aperte declarata.

CAPVT XI.

Christi permisso licet de Euangelio viuere.] Euangelica haec est assertio, cum enim Christus couocasset duodecim discipulos, & illis contulisset potestatem, vt immundos profligarent spiritus, ipsique Euangelicam legationem obeuntibus inhibuisset, ne in viam gentium abirent, nec ciuitates Samaritanorum ingrederentur, sed potius cotenderent ad oues domus Israel quae perierant, haec praecipit obseruanda: Euntes autem praedicate, dicentes: Quia appropinquauit regnum caelorum, infirmos curate, mortuos suscite, leprosos mundate, daemones eijcite: gratis accepistis, gratis date. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam, in zonis vestris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calciamenta, neque virgam. Dignus est enim operarius cibo suo. Locum hunc exponens Hieronymus: Dignus est operarius &c. Tantum (inquit) accipite, quantum in victu & vestitu vobis necessarium est. Vnde & Apostolus replicat: Habentes victum & vestitum, his contenti simus. Vult Christus (vt conijcere possum) suos dumtaxat armari aduersus omnia pericula tenui victu & vestitu, quem suppeditare debent qui ab illis spiritaliter accipiunt alimoniam: Ad eundem locum dicit Chrysostomus: Propter praedicationem & miracula quae erant facturi, necessaria vita erat ab alijs eis suppeditanda: nec illis deneganda erat merces, vt res laboribus debita. Nec hoc aduersatur illi sententiae: gratis accepistis, gratis date. Nam gratis dabant, eo quod absque villo pacto ac praefinito pretio, elargiebantur spiritalia nihil exigentes. Non enim venales erant, nec vilissimi negotiatores spe quaestus illecti, nec villo taxabant pretio praedicationem, sed obstringebantur honestatis & charitatis officio, caelesti pabulo educati, illis exoluere debitum. Deinde diligentius ac purius eos instruens, subnectit Christus: In quacunque enim ciuitatem aut castellum intraueritis, interrogate quis in ea dignus sit, & ibi manete donec exeatis. Intrans autem in domum salutate eam, dicentes: Pax huic domui. & si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam: si autem non fuerit digna, pax vestra reuertetur.

Lyranus,
Hebr. 11.

Matth. 10.

Hieronymus
1. Timot. 6.

Chrysostomus

Mat. 10.

tur ad vos. Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, ex-
cuntes foras de domo vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris. Sed quid-
nam hoc sibi vult, excutite puluerem de pedibus vestris? nisi quod excussus puluis,
de vestra inhumanitate & auaritia clamat vindicta, expetit vlcisci iniuriam, quod
dominus illius domus, nullum vobis hospitalitatis & benignitatis, officium praestite-
rit. Puluis (vt inquit Hieronymus) excutitur in testimonium laboris. Et, vt dicit
Theophy. Theophylactus, quod nomine ipsorum, tantum itineris cum graui molestia confe-
cerint. Aut excutitur, ad significandum quod apostoli nihil ab illis ingratis rece-
perint, ne quidem quod ad victum erat necessarium. Adde quod Paulus ostendit ad
i. corint. 9. Corinthios se potuisse & quidem licite & opportune frui temporalibus bonis, serendo
de spiritualia. Nunquid, inquit, non habemus potestatem manducandi & bibendi?
Nunquid non habemus potestatem, sororem mulierculam circumducendi? sicut &
caeteri apostoli, & fratres domini & Cephas? Aut solus ego & Barnabas non habemus
potestatem hoc operandi? Quis militat suis stipendijs vnquam? Quis plantat
vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non mandu-
cat? Nunquid secundum hominem haec dico? An & lex haec non dicit? Scriptum est
Deuter. 25. enim in lege Moyli, Non alligabis os boui trituranti. Nunquid de bobus cura est deo?
An propter nos vtique haec dicit? Nam propter nos vtique scripta sunt. Quonia
debet in spe qui arat, arare: & qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spi-
ritualia seminamus, magnus est si nos carnalia vestra metamus? Si alij potestatis
vestrae participes sunt, quare non potius nos? Sed non vsi sumus hac potestate, sed
omnia sustinemus ne quod offendiculum demus Euangelio Christi. Nescitis quonia
qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt edunt? Et qui altario deseruiunt, cum
altario participant? Ita & dominus ordinauit his qui Euangelium annuntiant, de
Euangelio viuere. Ego autem nullo horum vsus sum. Non autem scripsi haec, vt ita
fiant in me. Et ad Thessalonicenses sinceritatem suae vitae, absque alicuius graua-
mine ostendit. Denuntiamus (inquit) vobis fratres in nomine domini nostri Iesu
Christi vt subtrahatis vos ab omni fratre inquiete ambulante, & non secundum
1. Thef. 3. traditionem quam acceperunt a nobis. Ipsi enim scitis quomodo oporteat imita-
ri nos, quia non fuimus inquieti inter vos, neque panem ab aliquo gratis manduca-
uimus, sed in labore & fatigatione die ac nocte operantes, ne quem vestrum gra-
uaremus: non quia non habuerimus potestatem, sed vt nosmetipsos formam da-
remus vobis, qua nos imitaremur. Nam & cum apud vos essemus, hoc vobis pra-
cipiebamus, quonia si quis non vult operari, non manducet. Audiuimus enim quos-
dam inter vos ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. His autem
qui eiusmodi sunt, praecipimus & obsecramus in domino Iesu Christo, vt cum si-
lento operantes, panem suum manducant. Hanc Pauli sententiam edisserens Au-
Augustinus. gustinus libro vno de Opere monachorum, capite 3. inquit: Quid ad haec dici potest?
quandoquidem ne cuique postea liceret hoc pro voluntate, non pro charitate in-
terpretari, exemplo suo docuit, quid praeeperit. Illi enim tanquam apostolo praedi-
catori Euangelij, militi Christi, plantatori vineae, pastori gregis constituerat domi-
nus, vt de Euangelio viueret, & tamen ipse stipedium sibi debitum non exegit, vt
se formam daret eis qui exigere indebita cupiebant, sicut ad Corinthios dicit: Quis
militat suis stipendijs vnquam? &c. Ergo quod sibi debebatur, noluit accipere, vt ex-
emplo eius coercerentur, qui sibi non ita ordinatis in ecclesia talia deberi arbitraban-
tur. Quid est enim quod ait? Neque panem gratis ab aliquo manducauimus, sed in
labore & fatigatione die ac nocte operantes, ne quem vestrum grauaremus: non quia
non habuerimus potestatem, sed vt nos formam daremus vobis, qua nos imitare-
mini. Audiatur ergo quibus hoc praecipit, id est qui non habent hanc potestatem quam
ille habebat, vt tantummodo spiritualiter operantes, manducant panem a corpora-
li labore gratuitum, & quemadmodum dicit, praecipimus & obsecramus in Christo,
vt cum silentio operantes panem suum manducant, non disputent contra mani-

festissima verba apostoli, quia & hoc pertinet ad silentium cum quo debent operan-
tes manducare panem suum. Et capite 6. ostendit non solum duodecim permissum
fuisse de Euangelio viuere. Ne quis, inquit, arbitretur solis duodecim hoc fuisse per-
missum, vide etiam quid Lucas narret. Post haec, inquit, designauit dominus & alios
septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam, in omnem ciuitatem & lo-
cum, quo erat ipse venturus. Et dicebat illis, messis quidem multa, operarij autem
pauci. Rogate ergo dominum messis vt mittat operarios in messem suam. Ite, ecce
ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum, neque peram,
neque calciamenta, & neminem per viam salutaueritis, in quacunque domum in-
traueritis, primum dicite: Pax huic domui. & si ibi fuerit filius pacis, requiescat su-
per illam pax vestra: si autem, ad vos reuertetur. In eadem autem domo manete,
edentes & bibentes quae apud illos sunt. Dignus est enim operarius mercede sua.
Hic apparet non esse illa iussa sed permessa, vt quisquis vti vellet, eo vteretur quod
sibi liceret ex domini constitutione: si quis autem vti nollet, non contra iussum fa-
ceret, sed de suo iure cedens misericordius & laboriosius conuersaretur in Euange-
lio, in quo & debitam mercedem nollet accipere. Alioquin contra iussum domini fe-
cit apostolus, qui postea quam ostendit sibi licere, statim subiecit: Sed tamen ego
non sum vsus hac potestate. Sed capite 20. hanc agit quaeestionem: Quid ergo cae-
teri apostoli, & fratres domini, & Cephas, quia non operabantur, peccabant? aut af-
ferebant impedimentum Euangelio? quia dicit beatus Paulus, ideo se non vsu hac
potestate, ne quod impedimentum daret Euangelio Christi. Si enim peccauerunt,
quia non operati sunt, non ergo acceperant potestatem non operandi, nec de Euan-
gelio viuendi. Si autem acceperant hanc potestatem ordinante domino, vt qui Euan-
gelium annuntiant, de Euangelio viuerent, & dicente, dignus est operarius cibo
suo, quia potestatem Paulus amplius aliquid erogare vti noluerit, non vtique peccae-
runt. Si non peccauerunt, nullum impedimentum dederunt. Neque enim nullum
peccatum est, impedire Euangelium. quod si ita est, & nobis inquit, liberum est &
vti & non vti hac potestate. Hanc quaeestionem breuiter soluerem, si dicerem, quia
iuste dicerem, credendum esse apostolo. Ipse enim sciebat cur in ecclesijs gentium
non oporteret portari venale Euangelium, non culpans coapostolos suos, sed di-
stinguens ministerium suum, quia ita inter se distribuerant proculdubio admonen-
te spiritu sancto, euangelizandi prouincias, vt Paulus & Barnabas ad gentes irent,
illi autem in circuncisionem: hoc tamen eum praecipisse ijs qui non habebant eius-
modi potestatem, ea quae iam multa dicta sunt, manifestant. ¶ At dicet quispiam,
si militibus Christi liceat de Euangelio viuere, nonne qui magis sudauerint in se-
minanda Euangelij doctrina, ac continuos laborum aestus portauerint, maius sibi
comparabunt praemium? Vnusquisque enim secundum laborem, propriam reci-
piet mercedem. Et etiam qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam,
sed secundum debitum. reddet & vnique secundum opera eius. Attamen Chri-
stus in Euangelio, aequum reddit praemium diuersis laboribus, & his qui sero colue-
runt vineam iustitiae, & illis qui summo diluculo abierunt ad excolendam domini
vineam. Vt tamen fusius ac multo apertius id perpendere possis, proferam para-
bolam: Simile est regnum caelorum homini patrifamilias, qui exijt primo mane co-
ducere operarios in vineam suam: conuentione autem facta cum operarijs ex de-
nario diurno misit eos in vineam suam. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios
stantes in foro otiosos, & dixit illis: Ite & vos in vineam meam, & quod iustum fue-
rit, dabo vobis. illi autem abierunt. Iterum autem exijt circa sextam & nonam ho-
ram, & fecit similiter. Circa vndecimam vero exijt, & inuenit alios stantes, & dicit
illis: Quid hic statis tota die ociosi? Dicunt ei, quia nemo nos conduxit. Dicit illis,
ite & vos in vineam meam. Cum sero autem factum esset, dicit dominus vineae pro-
curatori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens a nouissimis vsque
ad primos. Cum venissent ergo qui circa vndecimam horam venerat acceperunt

Lucæ 10.

1. Corin. 3.
Roma. 4.1
Matthæi 16.

Matth. 20.

singulos denarios. Venientes autem & primi, arbitrati sunt quòd plus essent accēpturi. Acceperunt autem & ipsi singulos denarios: & accipientes murmurabant aduersus patrem familiās, dicentes: hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & æstus. At ille respōdens, vni eorum dixit: Amice nō facio tibi iniuriam, nōnne denario cōuenisti mecum? Tolle quod tuum est, & vade: volo autē & huic nouissimo dare sicut & tibi. Aut non licet mihi quod volo facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi: multi enim sunt vocati, pauci vero electi. ¶ Diluā scrupum, non inficior deum & clementissimum & æquissimum iudicem, maius rependere prēmium ijs, qui diutius & diligentius in agone fidei & militia huius seculi defudarunt, quàm ijs qui minorem impenderunt operam: de prēmio loquor accidentario, tamen nō obtringat absolute nobis æternā largiri beatitudinē. quicquid enim in nobis est boni, totū deferendum est diuinæ gratiæ acceptū, nec conatus noster ad æquari potest omnino æternæ gloriæ. Nemo enim meretur de cōdigno simpliciter vitam æternā. Nam dicit Paulus: Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriā quæ reuelabitur in nobis. Si igitur quidpiā deus nostris meritis rependat & præstet, magis est ex diuino munere, & vt dicunt, ex acceptatione diuina, quàm ex nostris operibus. Ideo crediderim insanū esse dicere, Christū esse iniustum, nisi ipse æquum nostris meritis refunderet prēmium, quasi vero stolide opinentur gloriā illam æternam ex condigno absolute nostris respondere laboribus. Latius aliquando (si deus mihi dederit vitā) agam de hac re in commentandis Pauli Epistolis. Nec nos ratio proposita vrget, quia pater familiās denario conuenerat, & pactum inierat cū operarijs, idcirco nulli faciebat iniuriam, si æquum penderet denariū nouissimis, & primis: Nouissimis, moralem sectando intelligentiam, id est gentibus: primis, Iudæis: cum quibus Christus fœdus & pactum iniuit, vt passim in Pentateucho declaratur: quibus felici pollicitatione, primo æterna repromisit premia, modo, & mandata dei, & ceremonias obseruaret, & suo non decissent officio. Nec diuturnus ille labor confecto fœdere, efficit, vt opulentior reponatur merces impēius ac magis laboranti quàm minus. Nō addubito quin pater familiās forsitan maius præstitisset prēmium ijs qui circiter horam primam venerant ad excolandam domini vitem, & plus operæ insumpserant, quàm ijs qui circa horam vndecimā aduentauerant ad cultum vineæ si modo illi non obmurmurassent, nec ægre tulissent inuidiā & maleuolentia excæcati, idem repensum omnibus prēmium, nec tamen ad id exhibēdum cogebatur, quia denario conuenierant cū eo. Pespice quantū detrimenti, quantū ve iacturæ adferat obmurmuratio & inuidiā, qua nihil est pestilentius, nihil deniq; exitiusius: si enim illi non inuidissent felicitati aliorum, forsitan maius adepti essent prēmium. Huius videtur esse sententiæ Hieronymus Tomo tertio, ad Damasum papam. Plura lector optime speres in nostris ad Matthæum, commentarijs.

CAPVT XII.

Christus habebat loculos, idcirco nobis nō præcepit, vt venderemus omnia quæ habemus, bene tamē suavit.] Hanc tractabimus assertionē, cum ex sacris literis, tum ex clarissimis rerum diuinarū interpretibus. Et primum facturi sumus fidē primæ propositionis ex Euangelio Ioannis, in quo scriptū est: Venit ergo in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sychar, iuxta prædium quod dedit Iacob, Ioseph filio suo. Erat autem ibi fons Iacob. Iesus autem fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Hora autē erat quasi sexta. Venit mulier de Samaria haurire aquā. Dicit ei Iesus, Da mihi bibere. Discipuli enim eius abierant in ciuitatem, vt cibos emerent. Hæc Ioannes. Nec puto illos sibi cōparaturos commeatum, atque vitæ pernecessaria, nisi paratam habuissent pecuniam, quam solebant matronæ admodū liberales præstare, ne quid illis ad commodius peragēdum Euangelici instituti officium deesset. Insuper in eodem Euangelio dicitur, quòd cum

Roma. 8.

Exodi 3. r.

Ioan. 4.
Gene. 4. 8.

dominus Iudæ proditori dixisset, Quod facis, fac citius: neminem hæc secreta, & imperuia multis verba percepisse: putabant enim apostoli Christum idcirco id Iudæ dixisse, quòd loculos haberet: nā illi dixerat Christus, eme ea quibus nobis opus est, ad festum diem tranfigendum, & etiam vt pauperū inopiam subleuaret. Hunc Ioannis locum pertractans Theophylactus, inquit: Et quomodo qui alios admonet ne portent peram, neque æs, ipse autem marsupium ferebat? ostendit quòd & possessione carentem & crucifixum mundo, magnā oportet eius partis videlicet pauperum, curam habere. Hæc ille, qui aperte sentit verbum Christi de non deferendis pecunijs Matthæi 10. esse inter admonitiones & cōsilia recipiendum, & non absolute & simpliciter inter præcepta. Hac autoritate Christi, dicētis suis discipulis: Nolite possidere aurum, neque argētum, neque pecuniam in zonis vestris, moti & cōpulsū quidam pseudoapostoli, quorū princeps fuit Gerardus Sangarellus à Parma, dixerunt apostolos neque habuisse, neque recepisse pecuniam, perperam profecto intelligentes illum Matthæi locum. Esto demus illis fuisse præceptum, non possidere aurū, illa tamen prohibitio non fuit absoluta, sed temporaria: fuerunt enim apostolis quædam prohibita vno tempore, quæ postea illis licuerunt. Nam in eodē capite dixerat Christus apostolis: In viam gentium ne abieritis, & hoc quidem intelligendum ante eius passionem, quando mittebantur ad prædicandū, & tamen post eius passionem secesserunt in gentilium nationes, vt eos docendo baptizarent. Ex illo Matthæi loco, de non deferenda ab apostolis pecunia, solum Christus volebat ostendere apostolos sua debere cogitata in domino iactare, & in eo collocandam esse spem de cibis sumendis, vt planē agnoscerent dominum habere eorum curam. Hæc sentit Alphonfus à Castro libro 2. aduersus hæreses: feram tamen meam de hac re qualēcunque censuram. Christus tunc temporis præcepit suis discipulis, vt cōmodius vacarent delegatæ functioni, ne peragrandō regiones ad quas missi fuerant, possiderent pecuniam: non tamē prohibuit absolute vt acciperent viaticum, aut nummos ab illis quibus seminabāt spiritalē cibum, vt suā consulere vitæ, nec tamen nummos recipiebant vt pretium laboris, sed solum, vt sustentaculum vitæ & subsidium: quod comprobare possum ex Hieronymo & Augustino. Enarrans itaque Hieronymus illum Matthæi locum: Nolite possidere aurum &c. dicit: Hieronymus cōmodius vacarent delegatæ functioni, ne peragrandō regiones ad quas missi fuerant, possiderent pecuniam: non tamē prohibuit absolute vt acciperent viaticum, aut nummos ab illis quibus seminabāt spiritalē cibum, vt suā consulere vitæ, nec tamen nummos recipiebant vt pretium laboris, sed solum, vt sustentaculum vitæ & subsidium: quod comprobare possum ex Hieronymo & Augustino. Enarrans itaque Hieronymus illum Matthæi locum: Nolite possidere aurum &c. dicit: Hieronymus cōmodius vacarent delegatæ functioni, ne peragrandō regiones ad quas missi fuerant, possiderent pecuniam: non tamē prohibuit absolute vt acciperent viaticum, aut nummos ab illis quibus seminabāt spiritalē cibum, vt suā consulere vitæ, nec tamen nummos recipiebant vt pretium laboris, sed solum, vt sustentaculum vitæ & subsidium: quod comprobare possum ex Hieronymo & Augustino. Enarrans itaque Hieronymus illum Matthæi locum: Nolite possidere aurum &c. dicit: Hieronymus

Theophy.

Mat. 10.
Gerardus
Sangarellus.Alphonfus
à Castro.

Hieronymus

Augustinus.

1. Corint. 9.

1. Thes. 2.

Pfal. 146. ad locum illum: Qui exoriri facit in montibus fœnum & herbam seruituti hominum. Fiscus, faccus est publicus, ipsum habebat dominus hic in terra, quando loculos habebat, & ipsi loculi Iudæ erant commissi: Iudam traditorem patiebatur dominus & furem, & in ipso ostendens vbiq; patientiam suam: tamen illi qui conferebant, in loculos domini cõferebant: nisi forte putatis quia dominus ibat & petebat, aut indigebat, cui angeli seruibant, qui de quinque panibus tot milia hominum paut. Ex hac Augustini sententia agnoscito Christum non mendicasse, quod tamen quidam stolide opinantur. Non enim ostiatim emendicabat cibum, nec eius apostoli, qui cum ingrediebantur domum hospitalis viri, contenti erant cibo illis ad-moto, licet mendicitas illis tribuatur, vt designet quandam spontaneam bonorum huius seculi abdicationem, & voluntariam paupertatem. Et licet Christus habuerit loculos, & portauerit Iudas in loculis pecuniam, noluit tamen Christus rem pauperum in vsus suos conuertere: qui cum diues esset, factus est pauper vt nos ditaret. Vnde Hieronymus exponens illum Matthæi locum: Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit, tolle, dicit: Tãtã dominus fuit paupertatis, vt vnde tributa pro se & apostolo redderet, non habuerit. Quod si quis obijcere voluerit, & quomodo Iudas in loculis portabat pecuniam? Respondebimus, rem pauperum in vsus suos conuertere nefas putauit, nobisque idem tribuit exemplum. Verum clarius ostendit Augustinus in psalmum 103. ad enarrationem illius versiculi: Producens fœnum iumentis, & herbam seruituti hominum, cuiusnam rei gratia, Christus habuerit nummos, dicit enim: Ipse dominus loculos habebat, quo mittebantur necessaria, & possidebantur nummi propter vsus eorum qui cum illo erant, & eius. Non enim cum dicitur: Esuriuit Iesus, Euangelista mentitur. Voluit esurire propter te, ne tu esurias in illo, quia pauper factus est cum diues esset, vt illius paupertate nos ditaremur. Habuit enim loculos, & dictum est de quibusdam fœminis religiosis, quod ambulabãt quæ ibant pedes eius euangelizantes, & ministrabant ei de substantia sua. Et ad illud Ioannis locum: Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad illum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat, sic scribit: Exemplum domini accipe conuersantis in terra, quare habuit loculos cui angeli ministrauerunt, nisi quia ecclesia ipsius, loculos suos habitura erat? quare furem admisit, nisi vt eius ecclesia fures patienter toleret? Sed ille qui consueuerat de loculis pecuniam tollere, non dubitauit accepta pecunia ipsum dominum vendere. Videamus quid ad ista dominus respondeat, videte fratres, non illi ait, propter furta tua dicis ista: furem nouerat, & prodere volebat, sed potius tolerabat, & ad perferendos malos in ecclesia, nobis exemplum patientiæ demonstrabat. Eundem Chrysostramus locum enarrans, dicit: Si quis inquireret, quid tandem cum fur esset, loculi ei pauperum committebantur? Cur auarum fecisset dispensatorem? Illud sanè dicemus, deum arcanam intelligere rationem. Quod si quid & à nobis est coniectandum, vt omnem tolleret proditiõnis materiam: neque enim poterat dicere, pecuniam id cupiditate fecisse, (sufficientes enim loculi esse debebant, qui eius satisfacerent cupiditati) sed sola malitia. Christus autem multa permittebat, ideo furem non arguit, quãuis non ignoraret, & malam eius obstruit cupiditatem, & omnem abstulit excusationem. Et perstringens quod dixit Christus Iudæ, Quod facis, fac citius, hoc autem nemo sciuit discumbentium ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus: Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis aliquid daret, ita loquitur: Multum Iesu curæ erant pauperes, & hoc ad nostram doctrinam. Hic enim loculos habebat & pecuniam. Atqui nemo pecuniam Christo dedisse narratur, sed quod discipulæ victui necessaria præbebant. quomodo enim qui neque peram neque loculum ferri iubet, loculos ferebat? Ad pauperum ministerium, vt intelligas quanta tibi inopum & miserorum, hac etiã parte cura impendeat. Sed percontaberis, si nam deferre pecuniam, non nihil adimebat perfe-

ctionis, ipsis apostolis. Nam apud Matthæum dicitur: Si vis esse perfectus, vade, vende omnia quæ habes & da pauperibus, & sequere me. Nihil tamen detrimenti diuitiæ attulerunt Abraham, qui illis non irretiebatur, nec immodico illarum affectu tanquam spineris præfocabatur: imò sunt plerumque virtutis comparandæ nerui, nec ex se obsunt: imò & nostram, & pauperum famem & sitim extinguunt, & confecta laboribus membra refocillant: nec Christus Iudæ commisit loculos, si pecunia, honestæ vitæ perfectionem læderent. Et ex sacris doctoribus ostendimus duplici fine & quidem optimo, Christum commisisse pecuniarum Iudæ prouinciam, ac sedulã curam: Altero, vt emeret quæ erant necessaria transigendæ vitæ, quãuis sordidissimo auaritiæ studio captus, semoueret ac subtraheret seorsim non nihil ex loculis ad suum proprium vsus, vnde furti datur: Altero, vt pauperibus Christi iussu impartiretur, quod illis foret pernecessarium & commodissimum: licet Christus consuluerit auaro iuueni, vt suas diuenderet fortunas & opes largissimas, quibus obnubilatus auocabatur à pietatis & religionis officio, tamen non semper debemus relinquere nostras possessiones: imò earum patrocinio res præclaræ geruntur, pauperes ditantur ac fouentur, extruuntur xenodochia, Fabricæ ecclesiarum sentiunt commodum, sentiunt & non exiguum vtilitatẽ literarum, & studiosissimi quique: & quod maius est, suffulta illis republica, beneficentiæ & eleemosynarum cultoribus, fœlici benedictione promittit Christus regnum sui patris, dicens: Venite benedicti patris mei, possidete regnum vobis paratum à constitutione mundi. Esuriui enim & dedistis mihi manducare, sitiui & dedistis mihi bibere, hospes erã & collegistis me, nudus & operuistis me, infirmus & visitastis me, in carcere eram & venistis ad me. Quis non videt Christum illos commendasse, qui suas opes prompto animo pauperibus erogauerunt? Quare non omnino adgratulari possum Lyrano, qui sui ordinis institutum maxime pere commendans, quod Franciscani pecuniã non portent, nec ego improbo, dixit ad illum Ioannis locum: Quia fur erat & loculos habes, ea quæ mittebantur, portabat: Sciendum est quod ista portatio pecuniæ in via, non pertinet ad perfectionem, sed Christus hoc faciendo suscepit personam infirmorum, eis condescendens. Attingens Ambrosius cursum & veluti per transennam, rationem, cur Iudæ concrediti erant loculi, dicit libro primo Officiorum, capite decimosexto: Denique de Iuda proditore hæc colligere licet, qui & apostolus inter duodecim electus est, & loculos pecuniarum quas pauperibus erogaret, commissos habebat, ne videretur aut quasi inhonoratus, aut quasi egenus dominum prodidisse. Et ideo vt iustificaretur in eo dominus, hæc ei contulit, vt non quasi iniuria exasperatus, sed quasi præuaricatus gratiam, maiori esset offensæ obnoxius. Tametsi posterior Assertionis particula, prioris veritatem consecetur, & iam suum robur obtinuerit, non nihil tamen addã ex Chrysostramo, vt plenius innotescat. Proferens Chrysostramus illud saluatoris verbum: Si vis esse perfectus, dicit homilia prima, in primum caput Epistolæ Pauli ad Titum: Non iam imperantis vtitur voce, quippe auditorem exequendorum constituit dominum, & quæ agenda sunt in eius arbitrio ac voluntate constituit. Hæc enim & facere & omittere in nostra potestate est: ceterum quæ imperantur, omittere nobis minime tutum est, sed necessario aut ea facienda sunt, vel si non fecerimus, nobis supplicium imminet. Et rursus differens homilia in Priscillam & Aquilam, eundem Matthæi locum: Si vis esse perfectus, inquit: Hic si præcipere voluisset, oportebat hoc principio dicere, & legem in ordine præceptorum ponere, & non tanquam consilium & exhortationem narrare. Enimuero cum dicit non possidere aurum vel argentum, imperando dicit. Cum vero dicit: Si vis perfectus esse, consulendo & admonendo dicit. Non est autem idem, consulere & legem ponere. Nam qui legem statuit, modis omnibus fieri vult quod præcipit. Qui vero consulit & adhortatur, sententiæ & arbitrio auditoris permittit, vt ex dictis quod voluerit eligat, sicque faciendorum dominus auditor relinquitur. Propterea non simpliciter

Matth. 10.

Mat. 25.

Ioan. 12.
Lyranus
Ambrosius.

Chrysostr.

dixit, vade, vède facultates tuas, sed vt discas quòd in arbitrio audientium res fita sint. Vnde manifestum, apostolis solis hæc fuisse præcepta. Sed quæstionem mouet, Si præcepta sunt hæc solis apostolis, quid in causa est, quòd licet præceptum fuerit ne haberent calceos vel geminas vestes, inuenti sunt eos possidentes? Nam alius possedit penulam, alius vero sandalia. Quid igitur ad hæc dicemus? Christus neque apostolos semper huius legis necessitate obstringi voluit, sed eos absoluit ab hac lege, cum iam ad salutarem crucem iturus esset. Et vnde hoc liquet? Ex saluatoris sermonibus. Nam passionem aggressurus, vocatis illis dixit: Cum vos mitterem sine marsupio & pera, aliquid ne deerat? At hi respondentes dixerunt, nihil. Ipse autem dicebat eis, sed nunc qui habet marsupium, tollat & peram, & qui non habet, vendat vestem suam & mercetur gladium. Iam forte dicit aliquis, apostolos quidem his dictis à crimine absolutos. Et in eadem homilia dicit: Itaque cum hæc diligenter consideramus, inuenimus quòd ipsa non sint omnibus imperata, sed solis apostolis: & neque illis in omne, sed ad præscriptum & determinatum tempus. ¶ Sed quis obijciat, videtur Christus contraria præcepisse. Nam interdum dicit, ne possideatis peram: interdum autem, qui non habet marsupium tollat & peram. quare hoc fecit? Sed nec sunt hæc contraria. Nam diuersis temporibus, huiusmodi iussis obtemperarunt apostoli, vt hæc voluit Christus sua prudentissima sapientia ab illis fieri. Hanc tamen diluens obiectionem Chrysostomus in eadem homilia, dicit: Sanè hæc admodum digne fecit, pro sua sapientia curaque, quam pro discipulis gerebat. Ab initio enim vocationis hoc faciebat, vt discipuli periculum virtutis suæ facerent, & posthac in orbem terrarum exituri, hoc exemplo animati magis fiderent. Verum vbi iam potentiam suam agnoscere ceperunt, voluit vt & ipsi domi virtutis specimen aliquod præberent, permisitque ipsosmet suas ferre tentationes, ne scilicet perpetuo otiosi residerent, & ad finem vsque in omnibus quasi pueri gestarentur. Sunt qui dicunt Christum sacculum, peram & tunicam ad parabolam reuocasse, vt sacculus & pera, sint externa bona minus necessaria; tunica & calciamenta, externa etiam necessaria, gladius, verbum dei. Assumite (inquit Paulus) gladium spiritus, quod est verbum dei: ergo gladius est verbum dei, intelligentia euangelica, quam aliqui apostolorum perfectius habebant, alij imperfectius, pro qua sibi optime comparanda, aut ipsi officijs à deo efflagitata, siue velit per se, siue per eos qui perfectissime ab ipso eam adepti sunt, communicatim ire, omnia externa tamen quæ minus, quam quæ magis necessaria sunt, erogari debent, quibus? Illis per quos ea accipitur, si ipsi quæ ad vitam necessaria sunt, egeant.

CAPVT XIII.

Christus sua cruce non solum ea quæ in terra, verum etiam quæ in cælis sunt, instaurauit. Hæc Paulina est Assertio, commendans Paulus magnopere beneficia nobis à deo patre per Iesum Christum collata, quòd suo pretiosissimo sanguine nos redemerit, nostraque, benigne condonando, absterferit scelera, & incomparabiles suæ gratiæ thesauros effuderit, dicit ad Ephesios, deum proposuisse in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cælis & quæ in terra sunt, in ipso. Pro instaurare legit Hieronymus, recapitulare, & miratur cur transfatores non sint vsi illo verbo Græco. Græce enim legitur ἀνακεφαλαιώσασθαι, id est recapitulari. Nam oratores vocant ἀνακεφαλαιώσασθαι, Recapitulationem, cum ea quæ sparsim ac fusius dicta sunt, summam repetunt. Et ita legit Theophylactus, vt Christus fieret & angelorum & hominum caput: quod conuenit ipsi quæ paulo post sequuntur: Et ipsum dedit caput supra omnem ecclesiam. Et ad Colossenses: Qui est caput omnis principatus & potestatis. Atque Græca vox ita sonat vt annotauit Erasmus, quasi dicas ad caput reuocare. Explicans Hieronymus illum Pauli locum, instaurare omnia siue recapitulare, dicit: Omnis dispensatio quæ & ante mundum, & postea esse cœpit in mundo, tam inuisibilem quam visibilem creaturarum, aduentum dei filij pollicebatur. Et paulo post: Vni-

uersa mysteria, & omnis dispensatio vetustatis, non solum quæ in terris, sed etiam quæ in cælis gesta est, in Christi passione completur. Et diligenter attendite, quòd non solum omnes historiæ scripturarum, quas in terra gestas spiritus sanctus enumerat, sed etiam in cælestibus quæ nobis occultæ sunt, in Christi recapitulata passione teneantur. Nec solum fatetur Hieronymus omnia quæ in cælis & in terra sunt, instaurata esse aut recapitulata cruce Christi, sed etiam purgata. Dum enim exponit illum Pauli locum in eodem capite: Et omnia subiecit pedibus eius, & ipsum dedit caput supra omnem ecclesiam, dicit: Vnde & crux saluatoris non solum ea quæ in terra, sed etiam quæ in cælis erant, purgasse perhibetur. Nec tamen puto (ne quis Hieronymi doctrinam calumniatur) eum intellexisse de purgatione à culpa, quia superbos, peruersos, & elatos angelos, à culpa minime purgauit, neque bonos: sed de purgatione à nefecientia, eo loquendi genere quo loquitur Dionysius libro de Cælesti hierarchia, quòd vnus angelus alterum angelum inferioris hierarchiæ purgat. Non enim addubito quin Christus quædam reuelauerit angelis, quæ prius nesciebant: aut dic quòd potest (vt ipsemet fatetur) responderi, quòd absque peccato nullus sit (si deo conferatur, intellige) & sidera ipsa non sint munda coram deo, omnisque creatura pauca creatoris aduentum. Christus autem vere & apposite nobis est saluator: Nam apud Lucam dicit angelus pastoribus, & non angelis: Natus est vobis saluator, angelis autem glorificator. Ibidem enim memoratur cantilena angelorum in partu Christi. Sic enim sancte occinebant, gloria in altissimis deo, & in terra pax hominibus &c. Insuper Hieronymus in Matthæum ad locum illum: Osanna filio Dauid, vbi legendum censet Osanna, dicit aduentum Christi non tantum esse salutem hominum, sed totius mundi, terrena iungentem cælestibus, salutem sumit pro reconciliatione. Explicans Theophylactus eundem Pauli locum: Instaurare scilicet omnia, dicit: Erant cælestia terrenis istis discifsa, ita vt non vnum caput haberent. Nam etsi pro mundi huius creationis ratione, vnus esset omnibus deus, nondum tamen qui charitate nobis coniungeretur, dignoscebatur. Quocirca proposuit deus instaurare cælestia simul & terrena, hoc est vnum caput cunctis imponere Christum. Ad eandem sententiã Pauli exprimentem, dicit Thomas: Quatenus facta sunt propter hominem omnia, instaurari dicuntur. In Amos enim prophetia scriptum est: Suscitabo tabernaculum Dauid quod cecidit, & reedificabo aperturas murorum eius, & ea quæ corruerant, instaurabo. Nec putes ex eo in cælis instaurata omnia, quòd pro angelis mortuus sit Christus, sed quia redimendo hominem, reintegratur & refarcitur angelorum ruina. Nec instaurantur cælestia quantum ad efficaciam, vt nec omnia hoc modo pacificata sunt. Ne delires cum Origene, qui finxit angelos damnatos, per Christum redimendos, & tandem æternam adepturos gloriam: sed instaurata sunt omnia, & pacata, quantum ad sufficientiam. Putarem tamen Hieronymum non negaturum bonos angelos esse redemptos, cum dicat crucem Christi ea quæ sunt in cælis purgasse, pro quibus Christus mortuus est, quia eorum gloria pendebat à mysterio incarnationis, cum diuina omnis dispensatio (vt dicit ille) siue quæ præcessit mundi creationem, siue quæ subsequuta est, aduentum filij dei pollicebatur, licet Christus potissimum venerit vt à saeuissima diaboli & peccati tyrannide humanam naturam eriperet. Nec quid absurdum & inauditum video, dicere Christum quouis modo pro bonis angelis mortuum. Si enim morte Christi reconciliata sunt omnia cum cælestia tum terrena, vt dicit Paulus ad Colossenses. Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt. Et eo ipso, reconciliauit suo sanguine angelos, quo suum sanguinem pro illis fudit, quòd si pro illis suum non fuderit sanguinem, nec illos suo sanguine reconciliauit. Nam hæc sunt eadem & cohærent. Nec dicitur pro angelis quouis modo suum sparsisse sanguinem, nisi pro angelis mortuus sit. vt igitur diuinæ

dispensationes, quæ sanguine Christi illustratae sunt & cognita, sacris Pauli testimonijs nectantur & consentiant, non putandum erit à veritate alienum esse, Christum redemisse bonos angelos & pro illis mortuum esse, praesertim tamè pro peccatoribus sub peccato primi parædis venudatis. communis tamen opinio (quam existimo veram esse) dicit Christum non esse pro angelis mortuum, nec proprie redemisse angelos, quia non eos eripuit à malis, nec pro illis soluit pretium: licet quidam dicant quod eos redemit praeservando à lapsu, & hoc modo redemit suam matrem. Si tamen propriissime & aptissime utamur verbo reconciliari, illi dicuntur hoc modo deo reconciliati, qui postquam deum suis delictis offenderunt, redeunt tandem Christi beneficio in gratiam, à qua exciderant. Theophylactus exponens illum Pauli sermonem: Per eum reconciliare omnia, dicit: Recôciliare hoc est debitum reddere, quod antea debebatur, vel quia adeo esset eiusmodi absoluta reconciliatio, ut nullæ essent in posterum humano generi cum eo inimicitiae. Et modus huiusce reconciliationis fuit Christi passio. Et pacificatae sunt sanguine Christi caelestia, quia olim ingens erat inter caelum & terram dissidium, & angeli aduersus homines depugnabant. quod si Christus hæc non dissoluisset iurgia, nunquam hæc pace frueremur. Ad locum illud: Pacificans per sanguinem crucis eius quæ in caelis sunt, dicit Lyrantus: Per passionem Christi angelorum societas restauratur, eo quod homines sancti per Christum redempti, ibidem assumuntur. Applaudit & nostræ Assertioni Chrysostomus homilia 2. in Matthæum, enarrans exordium: Liber generationis Iesu Christi, ubi dicit: Talis quippe est ciuitas dei, habens ecclesiam primitiuorum, & spiritus iustorum, & frequentias angelorum, & sanguinem aspersions, per quem recôciliatae sunt omnia. Nam & caelum, ea quæ in terra sunt, accepit: & terra quæ in caelo, & desiderata olim angelis, atque sanctis pax aliquando donata est, in hac vrbe trophaeum constituit crucis, clarum scilicet atque conspicuum. Scripsit tamen Augustinus libro vno expositionis Epistolæ ad Galatas, proferens illud Pauli ad Timotheum: Vnus deus, vnus & mediator dei & hominum homo Christus Iesus. Angelos qui non sunt lapsi à conspectu dei, per Iesum Christum non reconciliatos esse, eo quod mediatore non opus habent. Item angeli qui nullo suadente spontanea praeruaricatione sic lapsi sunt, per mediatorum non reconciliantur. Restat ergo ut qui mediatore superbo diabolo, superbia persuadente deiectus est, mediatore humili Christo, humilitate persuadente erigatur. Nec tamen vir ille sacrarum literarum peritissimus, & in Paulinis studijs oppido quam versatus, vellet negare Paulum dixisse, omnia sanguine Christi reconciliata esse. Alterum igitur excogitauit recôciliandi genus ab eo diuersum, quo censemus Christum nos sibi reconciliasse. Ut innuat, eos vere recôciliari Christo, qui passione aut ignorantia ac insidiosis diaboli tetracionibus lapsi, Christi tandem misericordia pristinam recuperant gratiam. Hac dicendi formula boni, ut notum est, angeli non reconciliantur, nec mali, quia nullis demonum astutijs, commentis, ac illusionibus ceciderunt: sed elati superbia, ac superba arrogantia, nullo extrinseco impulsu, ac absque vlla suggestione fecerunt præcipitium. Alium tamen oportet ut fingat, nec finget, sed amplexabitur recôciliationis modum, quod scilicet Christus sua passione contentiones inter homines & angelos subortas, fregerit & coposuerit. Etiam pacificauit (ut interpretis vtar verbis) caelestia & terrestria. Adde quod libro vno Enchiridij ad Laurentium, cap. 61. dicit Christum non esse mortuum pro angelis. Quia ad Romanos dicit Paulus: Pro nobis omnibus tradidit illum. Sed facile est illam sententiam explanare, ut nos liberaret à laqueis demonum, & iugo peccati, nec hoc modo mortuus est pro angelis, sed pro angelis (inquit) sit, quicquid hominum per eius mortem redimitur & liberatur à malo: quoniam cum eis quodammodo redit in gratiam, post inimicitias quas inter homines & sanctos angelos, peccata fecerunt, & ex ipsa hominum redemptione, angelicæ ruinae detrimenta reparantur. Propter quod ait Paulus ad Ephe. inaurari omnia in Christo quæ in caelis & quæ in terra sunt: In caelis, cum id quod inde ex angelis lapsum est, ex hominibus redditur: In terris, cum ipsi homines, qui praedestinati sunt ad aeternam vitam

Theophy.


Lyrantus.

Chrysosto.
Matt. 1.Augustinus
1. Timot. 2.

Rom. 8.

à corruptionis vetustate renouantur. Quod si Christus mox perpetrato primi hominis peccato venisset, maximè attulisset commodum patriarchis. Ideo Augustinus dicit in quaestiones noui testamenti, quaestio. 83. 2. partis quaestionum, Christum non antea venisse quam venit, esse damnum. Nam si ante venisset, post mortem Adæ, liberato Adæ qui prior peccauerat, cæteris ad caelum aperuisset viam, ut quia bene vixerant, agnito creatore, defuncti reciperentur in caelum: sed hoc datum non est iniustum. Solent enim dæna iusta esse, de quibus queri non licet. Hæc ille. Nouerat Deus omnium rerum prouidentissimus, & ab aeterno praesciuerat tempus opportunum, in quo suum ad nos mitteret filium, ut facto in densissimis tenebris nostræ miseriae periculo, & enorme scelus in quod incideramus, exhorrescendo, summam illius erga nos clemenciam & misericordiam agnosceremus, quæ gemina eius cruce nobis explorata, auctore Origene homilia 8. super Iesum Naue, satis innotuit. Ex eo censet Origenes crucem Christi geminam fuisse, quia duplici ratione constat. Visibiliter enim filius dei in carne crucifixus est. Inuisibiliter vero, diabolus in ea cruce cum suis potestatibus, est cruci affixus. Nam ut Paulus dicit, quod erat contrarium nobis, tulit illud de medio, affigens cruci suæ, exuens principatus & potestates tradidit libere, triumphans eas in ligno crucis.

CAPVT XIII.

 Christum in suo Euangelio non inhiuit nobis ne fideremus nostris bonis operibus. Hanc suadeo Assertionem: Scribitur in Euangelio Matthæi de Petro hæc subsequencia dicente, postquam dominus suis dixerat discipulis sciscitantibus, quisnam poterit saluus esse: Apud homines hoc impossibile est, apud deum autem omnia possibilia. Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? In quibus verbis innuit Petrus se maximam habere alicuius premij consequendi fiduciam, ob id ipsum quod cum suis discipulis reliquerit quæ possederat, & Christum vocantem sit consecutus. Ad quem locum explanandum inquit Hieronymus, Petrus loquitur confidenter, cum dicit reliquimus omnia. Nec spectanda est solam hæc grandis Petri fiducia quod dixerit, reliquimus omnia, sed etiam quod calcatis istarum rerum fluxarum affectionibus, & dimissis suis facultatibus, modicisque fortunis, sit Christum sequutus, ideo ut quod perfectum est consilio adderetur, subiunxit, & secuti sumus te, fecimus quod nobis iusseras faciendum, quod igitur nos manebit premium? Nec fraudati sunt premio, quod exanclatis pro tuenda Christi fide laboribus, rependendum erat. Nam Christus illis dixit: Amè dico vobis quod vos qui secuti estis me in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam aeternam possidebit. Nec dissidet Chrysostomus enarrans eundem locum à Hieronymi sententia. Qui, inquit, ipsorum caelorum clauis suscepit, quanto magis de cæteris quæ in caelo sunt, confideret? Tu autem illud diligenter expende, quam exquisite duo illa quæ Christus à diuite petijt, ut scilicet pauperibus substantiam distribueret suam, & Christum sequeretur, breuiter complexus est, dicens: Reliquimus omnia & secuti sumus te. Ambo enim hæc facta iam erant, & eò quod omnia reliquerunt, sequi facilius potuerunt: & quoniam reliquerunt, confidere atque gaudere ipsos admonebat. Adblanditur & illis sacris interpretibus Origenes, pertractans eundem locum, homilia 9. in Matthæum. Et puto, inquit, quod magis confidens Petrus de affectu suo, quam de ipsa quantitate rerum relictarum fiducialiter dixit: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Petrus itaque quasi victor Athleta post luctamen, Agonothetam interrogat, quæ sint premia certaminis, cum dicit: Quid ergo erit nobis? Adde quod beatus Paulus differens ad Timotheum de suo felicissimo certamine, dicit: Bonum certamen certavi, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est

Augustinus.

Galat. 4.

Origenes.

Colo. 2.

Hieronymus.

Ibidem.

Chrysostomus.

Origenes.

2. Timot. 4.

Q. iij.

mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die, iustus iudex. Hic loquitur cum magna fiducia assequendi ob opera bona à se peracta, immarcescibilem coronam. Quod si Paulus pergat ad coronam (vt dicit ad hunc locum enarrandum Chrysofostomus) omnibusque rite peractis præclarum reperiat finem, quis nõ dicet vere Christianum posse præclaris suarum virtutũ officijs confidere? & confidendo æternam sperare coronam? Neque putes Paulum hic magna de se iactare. Non enim hæc iactandi gratia intulit, vt dicit Theophylactus sentiens cum Chrysofostomo, sed vt discipulum confoletur, ne eius ob proximum è vita excessum dolore & mæstitia afficeretur. Et ad huiusce loci enarrationem: Quam reddet mihi dominus in illo die iustus iudex, dicit: Neque enim inquit Paulus, dabit, sed reddet: tanquam debitum aliquod, nõ munus sit recepturus: quippe qui iustior sit, mercedem omnino decernet laboribus. fit itaque vt vel debita corona hæc sit ob iudicis æquitatem. Huic consentaneũ est, quod dicit Paulus ad Romanos: Ei qui operatur merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Et licet nullius iniustitiæ arguendus esset deus, si meritis non decerneret præmium, quoniam nulli est debitor, quia tamen iudex est æquissimus, qui seipsum negare non potest, nec suam iustitiã, vult nostris laboribus & bonis operibus impertiri mercedem, & coronam victorijs debitam. Insuper dicit Paulus ad Corinthios: Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Et Matthæus: Filius enim hominis venturus est in gloria patris sui, cum angelis suis, & tunc reddet unicuique secundũ opera eius. Potest ergo quis confidere per duos labores in agone huius vitæ exantlatos, se accepturum mercedẽ repromissã. Tum etiam Ezechias dum ægrotaret, inquit: Obsecro domine memento quæso, quomodo ambulauerim corã te in veritate & in corde perfecto. Nõne etiam confidenter dixit Dauid? Iudica me domine secundũ iustitiam meam, & secundum innocentiam meam super me. quem locum enarrans Augustinus. Augustinus dicit: In superiori psalmo, infirmus deprecabatur, misericordiã potius implorans dei, quã commemorans vllũ meritum suum. Quoniam filius dei peccatores venit vocare in penitentiam. Itaque ibi dixerat, Saluum me fac domine propter misericordiam tuam, id est non propter meritum meum. Nũc autem quoniam vocatus tenuit, & seruauit præcepta quæ accepit, audeat dicere: Iudica me domine secundum iustitiam meam. Quod si (vt existimo) diuinum desideret iudiciũ explorata eius à domino iustitia, & cognita integerrimæ vitæ sanctimonia, quo iucundius anhelet ad coronã, quis nisi insano iudicio delirans, denegare audebit Christianum posse suis bonis cõfidere operibus? Ad hæc aliubi dicit Dauid: Et retribuet mihi dominus secundum iustitiam meam, & secundũ puritatem manuum mearum retribuet mihi. Quia custodiui vias domini, nec impie gessi à deo meo. Quoniã omnia iudicia eius in cõspectu meo, & iustitias eius non repulsi à me. Ad hæc edisse renda dicit Augustinus: Retribuet mihi dominus secundum iustitiam bonæ voluntatis, qui prior præbuit misericordiam antequam haberem bonam voluntatem. Et secundum puritatem factorum meorum retribuet mihi, qui tribuit vt bene facerẽ, educendo me in latitudinem fidei. Et præfatione in psalmum 31. discutiens difficultatem illam omnium manibus versatam, de iustificatione, An sola fiat dei gratia, an operibus, an potius partim operibus partim fide stabiliat, dicit: Qui vult habere bonã spem, habeat bonã conscientia, credat & operetur. Spes ergo (vt ex eo colliges) nõ est in sola fide sita, nec in solis operibus, sed in iunctissimo vtriusq; fœdere & vinculo arctissimo. Paulo pòst subnectit: Quomodo fide securus fio, si operatus non fuero? hac autem nec spem nec ipsam fidem videor habere bonam, nisi operatus fuero per dilectionem. Operibus igitur fide coniunctis speramus, & bene confidimus nos æternam assecuturos mercedẽ. Adde quod libro de vera innocentia, commendans bona hominis opera postquam fide illustratus, vberissimam domini vitem & feracissimũ fidei agrum excolit, in hũc modum loquitur: Debetur merces bonis operibus si fiant, sed gratia quæ nõ debetur præcedit, vt fiant. ¶ Videntur

Chrysofost.

Theophyl.

Roma. 4.

1. Corint. 3.
Matt. 16.

4. Reg. 20.

Psal. 7.

Augustinus.
Lucæ 5.

Psal. 6.

Psal. 17.

Gala. 5.

tamen complures, sed qui Lutheranæ sunt farinae, aduersari nostræ Assertioni, proferentes ex sacris literis quæ nobiscum pugnare videntur, & solidam illam positæ Assertionis veritatem subuertere: Paulus præfert iustitiam gentiliũ, iustitia Iudæorum, quod hi suis fiderent operibus, illi vero fidei & diuinæ misericordiæ. Sic enim loquitur: Gentes quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam, iustitiã autẽ quæ ex fide est: Israel vero sectando legẽ iustitiæ, in legẽ iustitiæ non peruenit. Quare? quia non ex fide, sed quasi ex operibus. Insuper ad vitandã nostrorum operum gloriam, dicit Paulus: Quod si gloriaris, nõ tu radicem portas, sed radix te. Et in prima ad Corinthios Epistola: Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Etiam dicit Euangelium: Si dixerimus quod fecerimus quæ nobis præcepit dominus, dicamus nos esse seruos inutiles. Et in prima Epistola Ioannis scriptũ est, Et si dixerimus quod peccatum nõ habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. ¶ Facile est has & longe plures quæ adferri possent, obiectiones, ex sacris literis erutas, diluere. Non reprehendit Paulus Iudæos quod suis fiderent operibus, sed quod solũ fiderent operibus legis Mosaycæ, & nõ fidei: quod stolidè suam fixissent iustificationẽ in obseruatione legis Mosaycæ citra fidem: gentiles cõmendantur, quod plus fidei tribuendũ esse censuerint diuinæ misericordiæ, quã suis operibus. Lunge igitur opera fidei, & dignus videberis regno cælesti. Nec secernas alterũ ab altero, si ad æternam velis beatitudinem subuehi: & de adultis loquor, & his qui ratione vtuntur. Deus enim alia liberalitate dat hominibus primã gratiam iustificationis, & alia reddit præmium pro operibus. Vitandum est hac in re, arrogantia spiritus, & elationis in suis operibus supercilium. Et reliquæ authoritates ex sacris literis adductæ, eò tendũt, vt plus tribuamus gratiæ dei per nostrã humilitatem & obedientiam, quã nostris operibus. Scias in solo deo esse nostram primariam & summã fiduciam, tanquam in nostræ salutis auctore. Secundariã vero & accessoriam, esse in nostris bonis operibus, quæ sunt adminicula & subsidiaria quædam media ad assequendum vltimũ finem. De hac difficultate multa doctè & pure tractauit Clichthoueus in Antiluthero, lib. 3. de votis monasticis, capite 13. Quod si alicubi sacræ scripturæ, aut in sacris doctoribus offendas soli deo esse fidendũ (quod dicit Cyprianus ad Quirinũ) & in ipso solũ gloriantur, intelligas primario & maxime. Nã spes in deo sita, non confundit. Et probat ille ex Hieremiã suam Assertionem: Non gloriatur, inquit, sapiens in sapientia sua, nec gloriatur diues in diuitijs suis, & fortis in fortitudine sua: sed in hoc gloriatur, qui gloriatur, intelligere & nosse, quoniam ego sum deus qui facio misericordiã, & iudicium, & iustitiam super terram, quoniã in his est voluntas mea, dicit dominus. Et aliubi dicit Hieremias: Maledictus homo qui confidit in homine, & benedictus homo qui cõfidit in domino, & erit in deũ spes eius. Et in Deuteronomio scriptum est: Dominum tuũ adorabis, & illi soli seruias. Sed duo necit Psalmographus, quæ hæc omnia cum nostra Assertionem componunt: Bonum est, vel melius (vt quidam legunt) confidere in domino, quã confidere in homine. Bonum est sperare in domino, quã sperare in principibus. Quis enim nescit tutius esse anchorã suã cõfidere & spei, defigere in deo, quã in homine? spes hominũ fallit plerumq;, nõ autem spes in deo collocata. Qui dicit melius esse cõfidere in domino quã in homine, non negat quin saltem secundario possimus fidere hominibus, & nostris bonis operibus.

CAPVT XV.



Hristus quatenus homo, non solum orat pro peccatis nostris, sed pro abstergendis totius mundi delictis. ¶ Vtramque primum huiusce assertionis partem simul approbabo ex prima Ioannis Epistola, deinde si exquisitius tractãda fuerit prima pars & fufius, sacra proferemus studia & testimonia. Dicit itaque Ioannes: Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Vult Ioannes no-

Roma. 9.

Roma. 11.
1. Corint. 4.
Lucæ 17.

1. Ioan. 1.

Clichthoueus

Cyprianus
Rom. 5.
Hierem. 9.

Hierem. 17.

Deutero. 6.
Psal. 117.

1. Ioan. 2.

O. iij.

stris infigere animis tam excellens tamque efficax esse Christi mysterium & meritum, vt si squalidissimas totius mundi fordes, & foetidissimas vitiorum omnium lacunas mare vnum reciperet, posset Christus abluere, immo re vera lutulentas omnium scelerum cloacas suo sanguine repurgauit, si modo per ignorantiam aut passionem lapsi, deo bonis operibus adhaerent. Abunde enim satisfecit pro omnibus, nec solum pro apostolis, sed pro illis qui delecti non erant peculiariter ad confectandum Christi comitatum. Si tamen non salueris, hoc tuum admittit scelus: & te poeniteat, sed nescio an opportuno tempore, quod sacramentum militiae Christianae in authoramentum & donarium diaboli commutaueris. sufficientes igitur sunt Christi preces, vt omnium crimina expiantur: efficacia vero istarum precationum electis & Euangelice viuentibus accommodatur. ¶ Amplius & latius multo primam edisseremus partem. Dixit Christus Simoni, ne insidijs diaboli circumuentus & illaqueatus, a suo domino descisceret omnino: Simon ecce satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum, ego autem rogavi pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Hunc locum explicans Theophylactus dicit, humano more dicebat Christus, ego oravi pro te. Nam vt deus non opus habebat, orare aliquem. Rogavi igitur, dicit, vt non deficiat fides tua, quauis enim breui tempore concutiendus sis, sed habes recondita semina fidei: etiam si folia abiecerit spiritus inuadentis, radix tamen viuet, & non deficiet fides tua. Mirum in modum ad hanc Theophylacti expositionem de oratione Christi, & qua ratione orat, accedit Thomas quarto Sententiarum distinctione quadragesima quinta, quaestione tertia, articulo secundo, dicens nos non debere fateri simpliciter, Christe ora pro nobis, cuius persuasio non modica haec est: Oratio est quidam actus, siue actio: actiones autem sunt suppositorum. quare si diceremus Christus orat pro nobis: haec esset intelligentia: Verbum diuinum siue suppositum orat pro nobis: & hoc aut foueret errorem Nestorij dicentis in Christo personam filij hominis esse a persona filij dei distinctam: vel deliramentum Arrii, qui temere censuit personam filij esse minorem patre. Nec inoleuit mos ille precandi in ecclesia, Christe ora pro nobis, sed Christe audi nos: astringendo tamen verbum vt astringendum est, dicendum est Christus quatenus homo, vel secundum humanitatem orat & interpellat pro nobis. Ioanes tamen Euangelista, absque vlla distinctione dicit Christum esse nostrum patronum apud patrem caelestem, eumque pro nobis interpellare: tametsi seria Euangelij studia praetermittant has distinctiones, in illis tamen interpretandis, ne simplices hallucinentur, sunt subintelligenda. Nec haec velim rideas & cachinnis agites, sed obserua etiam ne tibi placendo indulgentissime, in abditissimum erroris & insaniae baratrum corruas. Confirmabo & eandem primam partem ex Euangelio Ioannis, siquidem loquitur in hunc modum Christus in illa Euangelica philosophia: Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt. Et mea omnia tua sunt: & tua, mea sunt: & clarificatus sum in eis. Et iam non sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te venio. Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnū sicut & nos. Cum essem cum eis, ego seruabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, ego custodiui, & nemo ex eis perijt, nisi filius perditionis. Ad enarrandam huiusce loci sententiam, & praesertim ad hunc locum: Ego pro eis rogo, dicit Chrysostomus: Nulla alia causa habet orationem, nisi vt intelligant, quam in ipsos habeat charitatem. Qui enim non suam tantum praebet, sed & alium ad id hortatur, & rogat, multam praese fert dilectionem. Eundem accurate edisserens locum Theophylactus dicit haec Christum velle praeterdere: Non oro te pro promiscuo populo, qui mundana sapit, sed pro his quos dedisti mihi: tui enim sunt. Et audiens continuo eum dicentem dedisti mihi, non existimes nuper datum principatum & potestatem talem, & quando habuit eos pater, ipse non habuerit: & iterum nunc quum eos habet, patri ablatam potestatem: propterea dicit, omnia mea, tua sunt: & tua, mea. Non enim nunc accepi potestatem, sed quando tui fuerunt, &

Luca 22.

Theophyl.

Thomas.

1. Ioan. 2.

Ioan. 17.

Chryso.

Theophyl.

mei fuerunt: tua enim omnia mea. Ad eandem sententiam dicit Cyrillus, Christum quatenus hominem esse pro nobis mediatorem, & pro nobis rogare. Sed adfert ad haec, locum ex epistola Ioannis iam citata, penes dissentientem a dictis saluatoris. Nam fatetur Ioannes Euangelista Christum esse propiciatorem non solum pro peccatis nostris, verum etiam pro vniuerso mundo. Connectens tamen haec adinuicem dicit: Verum beatus Ioannes quoniam erat Iudaeus, ne pro Iudaeis tantum paracletus esse dominus apud patrem videretur, non autem pro alijs gentibus, quae vocatae, obsecratae sunt, necessario pro toto mundo adiecit, id est pro omnibus, qui per fidem vocati, ad iustitiam & sanctificationem perueniunt. Dominus autem noster Iesus Christus, suos a non suis separans, pro eis, inquit, tantummodo, qui verba mea seruant, & iugum meum acceperunt, rogo. Nam quorum mediator atque pontifex est, ipsis tantummodo mediationis bonum non iniuria attribuit, quos etiam datos sibi patet, & patris esse non negat, quum ad patrem nullus accedere queat, nisi per filium. Nemo, inquit, ad patrem venit, nisi per me. Adde quod robur his praestant quae dicit Augustinus, enarrans locum illum: Non pro mundo rogo. Mundum inquit, vult modo intelligi, qui viuunt secundum concupiscentiam mundi, & non sunt in ea sorte gratiae vt ab illo eligantur ex mundo. non itaque pro mundo, sed pro his quos ei pater dedit, rogare se dicit. Per hoc enim quod eos illi pater iam dedit, factum est vt non pertineant ad eum mundum, pro quo non rogat. Et praefatione in enarratione secundae Psalmi 29. differens difficultate illam: Si nam Christus orat, & quomodo orat, dicit: Si diuinitate domini nostri Iesu Christi consideres, quis orat? ad quem orat? quare orat? Orat deus, orat ad aequalem: causam autem orandi quam habet, semper beatus, semper omnipotens, semper incommutabilis, aeternus, & patri coaeternus: Inuenientes ergo quod per Ioannem quasi per quandam nubem suam ipse intonuit, dicens: In principio erat verbum, & verbum erat apud deum, & deus erat verbum. Hoc erat in principio apud deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. In illo vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebrae eam non comprehederunt. Huc vsque dicentes, non inuenimus orationem, nec causam orandi, nec locum orandi, nec affectum orandi. Sed quoniam paulo post dicit: Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis. habes maiestatem ad quam ores, habes humanitatem quae pro te orat. Nam hoc dictum est ab Apostolo etiam post resurrectionem domini nostri Iesu Christi. Qui sedet, inquit, ad dexteram dei, qui etiam interpellat pro nobis. Quare interpellat pro nobis? Quia mediator esse dignatus est. Et in psalmum 34. ad locum illum: Et oratio mea in sinum meum conuertetur, ostendit quoniam pacto oratio Christi in sinum conuertatur. In sinu, inquit, secretum agnoscitur. Et quidem fratres & nos orare sic bene admonemur in sinu nostro, vbi deus videt, vbi deus audit, quo nullus oculus humanus penetrat, quo non videt, nisi qui subuenit. Vbi orauit Susanna, & cum eius vox ab hominibus non audiretur, a deo tamen audita est. Et hoc bene admonemur, sed in domino nostro aliquid plus debemus intelligere, quia & ipse orauit. Et quidem cilicium eius non agnoscimus. Orationem vero eius & de cruce audiuius: Deus meus, deus meus, vt quid me dereliquisti? Sed & ibi oramus. Quando eum dereliquit pater, a quo nunquam discessit? Legimus etiam in monte orasse solum Iesum, legimus pernoctasse in oratione, etiam sub tempus ipsius passionis. Et paulo post dicit, vt quod praetendit probare, demonstrat. Sed quia oratio ad ipsum magis hominem pertinet: secundum enim quod verbum est Christus, non orat, sed exaudit: & non sibi subuenire quaerit, sed cum patre omnibus subuenit. Quid est, Oratio mea in sinum meum conuertetur, nisi in meipso humanitas, in meipso interpellat diuinitatem? Etiam in sinu suo habebat patrem. Deus enim erat in Christo mundum reconcilians sibi. Tum etiam praefatione in psalmum 85. ostendens sacerdotis munus esse ac officium, orare pro nobis, dicit: Christus filius dei, orat pro nobis vt sacerdos noster: orat in nobis vt caput nostrum, oratur a nobis, vt deus noster. Ora-

Cyrillus

Ioan. 14.

Augustinus

Ioan. 17.

Roma. 8.

Psal. 34.

Daniel. 13.

Matth. 27.

Psal. 21.

Luca. 6.

Ibidem 22.

2. corint. 5.

Psal. 108.

Mat. 61

1. Ioan. 2.

Coloss. 4.

Matth. 26.

Hieronymus

Chrysolto.

Lucæ 22.

Hebr. 5.

tur ergo in forma dei, orat in forma serui: ibi creator, hic creatus: creaturam mutandam non mutatus assumens, & secum nos faciens vnum hominem, caput & corpus. Oremus ergo ad illum, per illum, in illo. Nec tibi suadeas orationem esse iustam, nisi fiat per Christum. Dicit enim idem doctor in psalmum 108. ad locum illum: Cum iudicatur, exeat condemnatus, & oratio eius fiat in peccatum. Quoniam non est iusta oratio nisi per Christum, quem Iudas vendidit immanitate peccati. Oratio autem quæ non fit per Christum, non solum non potest delere peccatum, sed etiam ipsa fit in peccatum. Quando autem Iudas ita orare potuerit, ut oratio eius non fieret in peccatum, quæri potest. Credo antequam dominum traderet, & de illo tradendo iam cogitaret. non enim iam poterat orare per Christum. Nam posteaquam illum tradidit, eumque penituit, si per Christum oraret, indulgentiam rogaret, spem haberet: si spem haberet, misericordiam speraret: si misericordiam speraret, non sibi desperatione collum ligaret. Proinde cum dixisset, Cum iudicatur exeat condemnatus, ne ab imminente condemnatione putaretur se potuisse oratione liberari, quam dixerat cum suis condiscipulis, ubi dicitur: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et oratio eius, inquit, fiet in peccatum illi, quia non fit per Christum, quem noluit sequi, sed persequi. **C**æue tamen ne ficulnea & distorta ratione colligas, Christus orat pro nobis quatenus homo, & quidem efficacissime, ergo sancti non orant pro nobis. Nam tibi aduersaretur Augustinus, si in hac pestilentissima doctrina peristeres: enarrans enim illud Ioannis: Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum, &c. dicit, Sed dicit aliquis, Ergo sancti non petunt pro nobis? Ergo episcopi vel præpositi non petunt pro populo? Sed attendite scripturas & videte, quia & præpositi commendant se populo. Nam Apostolus dicit plebi: Orantes simul & pro nobis. Orat Apostolus pro plebe, orat plebs pro Apostolo, Oramus pro vobis fratres, sed & vos orate pro nobis. inuicem pro se omnia membra orant, caput pro omnibus interpellat. Hæc ille. Quod si Paulus optet aliorum preces pro se fundi, tamen si intelligeret abunde Christum pro omnibus interpellare suum patrem, quid prohibebit, quominus sancti orent pro nobis, tamen si Christus ut homo roget pro nobis? An diuina illa præpediet contemplatio, huiusmodi preces fieri à sanctis? An verat dei sapientia & voluntas? vtrūq; absurdum putes. Crede nec hæsites, nos sanctorum adminiculo & patrocinio ad deum subuehi & reuocari. Sed plura alibi. Explicat Hieronymus in Matthæum, ad locum illum: Iterum secundo abiit, & orauit dicens, Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Et venit iterum, & inuenit eos dormientes. Erant enim oculi eorum grauati: Feruentem Christi in suos affectum, & promptam orandi voluntatem, ne quid omitteret quod ad nostram commoditatem, & suæ humanitatis commendationem faceret plurimum. Cum enim suos agnouisset discipulos consternato penè esse animo, & imbecillam suæ naturæ infirmitatem sentire, solus tunc temporis orare voluit. ita enim loquitur Hieronymus: Solus orat pro omnibus, sicut & solus patitur pro vniuersis. Languescebant autem & opprimebantur apostolorum oculi negatione vicina. Quod si quaesieris, cur seorsum dimissis suis à loco discipulis, orauerit: Tibi respondet Chrysostomus in explanationem illius capituli, & præsertim dum præsens agit negotium, ut nos erudiret quietem ac tranquillitatem in orationibus diligenter appetere. Et intentius orat, adeo ut vel sudores vberius defluerint. Ea rursus de causa, ne hypocrisis, res ista videatur, neve possint hæretici dicere, quia sollicitudinè & tristitiam istam simulauerit, idcirco & sudores quasi guttæ sanguinis defluerunt, & angelus confortans eum, & multa signa timoris apparuerunt. Adde quod exponens locum illum Pauli ad Hebræos, Exauditus est pro sua reuerentia, indicat pro quibus orauerit, sic enim loquitur: Erubescant hæretici, filius dei pro reuerentia exaudiebatur. Et quid amplius de prophetis quis dixerit? Qualis autem ordo est quod dixit, exauditus est pro reuerentia? Et quanquam esset filius, didicit ex his quæ passus est obedientiam. Hæc de

deo quis dicat? quis ita infaniet? quis ita demens ista loquatur? Exauditus autem pro reuerentia sua didicit ex his quæ passus est, obedientiam. Qualem obedientiam? Qui usque ad mortem antea fuit obediens, sicut patri filius, quomodo postea didicit? Vides quia de incarnatione dictum est. quod autem dicit tale est: Dic autem mihi, num patrem orabat, ut saluaretur à morte, & propter hoc tristis erat, & dicebat: Si possibile est, transeat à me calix iste? Minime, quia pro resurrectione orabat patrem, sed econtra ipse pronuntiat, dicens: Soluite templum hoc, & in tribus diebus reficabo illud. & potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Nemo auferit eam à me, ego à meipso ponam eam. Quid ergo est quare orabat, & iterum dicebat? Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur pontificibus & scribis, & damnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum & crucifigendum, & tertia die resurget: & non dixit quoniam resuscitatur pater. Quid ergo? Non pro hoc orabat, sed pro aliquibus orabat, qui crediderat in eum. Et in II. caput eiusdem epistolæ, ad locum illum: In occasione gladii mortui sunt, &c. indicans Christum quatenus deum non orare, sed propria autoritate facere. cum oratio sit descensionis & dispensationis indicium, dicit: Deus non opus habens oratione orabat, te volens instituere ut assiduus sis ad orationem, ut sine præmissione, ut sobrie, & cum multa vigilatia ores. Vigilare autem non in hoc dico, ut nocte surgatur, sed etiam in die sobrium esse in oratione. Vigilans quippe vocatur qui talis est. Nam potest quisquam & noctibus orans, dormire: & in die orans, vigilare: quando fuerit anima intenta, quando intelligit cui loquitur, ad quem illi sermo est, quando in mente percipit, quia angeli sunt præsentibus cum timore & tremore: ipse autem accedit oscitans, & scabens seipsum. Hæc ille. Nec putes tuæ orationis pondus verbis tantum inniti. Nam efficacissimæ preces, magis à sincero affectu pendent, quam à verbis ipsis. fido spiritui orationis & non verbis. Sanctificantur enim verba orantis ipso spiritu, & non spiritus verbis. Attende ad institutum preces nobis à Christo præscriptum: Orantes, inquit Christus, nolite multum loqui, sicut Ethnici faciunt: putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. Et alibi, Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui comeditis domos viduarum, oratione longa orantes, propter hoc amplius accipietis iudicium. Sed hæc fustus suo in loco tractabuntur à nobis. Nec verbis tantum Christus, sed & factis orare nos docuit, qui frequenter orauit & deprecatus est quod nobis foret commodissimum, & quid facere nos oporteret, exempli sui contestatione demonstrauit, ut dicit Cyprianus, Sermone de oratione dominica. Nam ut quietius oraret, secedebat in motem, interdum habens in suo comitatu Petrum, Iacobum, & Ioannem, primarios quidem discipulos, & pernoctabat plerumque in oratione dei. Quod si ille orabat qui sine peccato erat, quanto magis peccator es oportet orare? Et si ille per totam noctem iugiter vigilans, continuis precibus orabat, quanto magis in frequentanda oratione debemus nocte vigilare? Orabat autem dominus & rogabat non pro se, quid enim pro se innocens precaretur? sed pro delictis nostris, sicut & ipse declarat cum dicit ad Petrum: Ecce satanas expetiuit, ut vos vexaret quomodo triticum, ego autem rogavi pro te, ne deficiat fides tua. Et postmodum pro omnibus patrem deprecatur, dicens: Non pro his autem solum rogo, sed & pro his qui credituri sunt per verbum ipsorum in me, ut omnes vnum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis sint. Magna domini propter salutem nostram benignitas pariter & pietas, ut non contentus quod nos sanguine suo redimeret, adhuc pro nobis amplius & rogaret. Dicit Tertullianus aduersus Praxean, quod cum Christus suspiciens orabat & postulabat à patre quidpiam, nos erectos docebat orare, Pater noster qui es in cælis.

Hebr. 5.

Matth. 26.

Ioan. 2.

Ioan. 10.

Matth. 201

Hebr. 11.

Matth. 6.

Matth. 23.

Cyprianus.

Lucæ 9.

Lucæ 6.

Lucæ 22.

Ioan. 17.

Tertullianus.

Christi passio fuit per se inuoluntaria, licet fuerit voluntaria propter humani generis vtilitatem. Illa Christi sententia propemodum accedere videtur ad probandam huiusce assertionis priorem partem: Pater, si possibile est, transeat à me calix iste. Nec in effugiendis huiusmodi supplicijs, ac deuitanda morte, loquitur Christus vt deus: quia dictum est in capite præcedenti Christum vt deum non orare: nunc autem Christus precatur suum patrem, ne suffigatur cruci, neve amarum illum calicem bibat, cum natura hominis exhorrescat mortem, & declinet sibi noxia quæque. Rogat igitur quatenus homo, perpessa in se hac dira passione, ne mortem illam probrosam & ignominiosam sufferat. Amplexatur omnino assertionem illam Cyrillus, enarrans illum Ioannis locum: Quia descendi de celo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me patris: vbi dicit, Quid autem erat quod voluntarium & non voluntarium Christo fuisse dicimus? Iudæorum in illum iniuriarum, flagella, sputa, calumnia, mors ipsa: hæc enim propter nos passus est Christus. Nam si potuissimus nos saluari (quod illi studio erat) absque passione omnino sua, nolisset certe opprobria illa pati. Verum, quoniam libera voluntatis potestate vsi Iudæi omnino censuerunt tot tantaque ipsi facere, admittit passionem propter nos, & facit voluntarium sibi quod per se erat inuoluntarium, propter humani generis vtilitatem patre assentiente ac comprobante. Hinc enim maxime immensam diuinæ naturæ bonitatem inspicimus, quæ etiam id propter salutem nostram non recusauerit, quod per se erat abijciendum. Quod autem non voluntarium quodam modo Christo erat crucis patibulum, voluntarium autem propter voluntatem patris, & propter salutem nostram, inde facile disces: Quum enim ad passionem accessurus esset, patrem in orationis habitu alloquitur, dicens: Pater si possibile est, transeat à me calix iste. veruntamen non vt ego volo, sed vt tu. Ea enim ratione, qua verbum dei deus est, & ipsa naturaliter vita, nemo ambiget quod nullo modo mortem formidauit: caro autem factus, permittit carni vt sua patiat: & ideo vt vere homo, præsentem iam in ianuis mortem timefcit, ac dicit: Si possibile pater est, transeat à me calix iste. Verum quoniam aliter fieri non potest, fiat non vt ego volo, sed vt tu. Vides quemadmodum natura humana, etiam in ipso Christo sua patitur & formidat, sed à coniuncto sibi verbo ad conuenientem deo fortitudinem & robur reducit, doceturque ne quod sibi videtur, sed diuinam voluntatem sequatur: & illud semper tendat, quod diuina voluntas dei perducit. Accedit ad secundam partem suffulciendam illud Esaiæ: Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros portauit, & nos putauimus eum tanquam leprosum, & percussum à deo, & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oves errauimus, vnusquisque in via sua declinauit, & dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum. Hæc ille. Nec Christus non mediocres illos languores tulit, nisi propter reparationem naturæ hominum vulneratæ. & quia summum hac misericordia, & clementissima gratia beneficium consecuti sumus, idcirco vltro se obtulit, nec obtulit in cruce suum corpus, nisi quia voluit, vt hoc propheticum indicat oraculum. Hunc edisserens locum Hieronymus, Oblatus est quia voluit, dicit: Non enim necessitate crucem, sed voluntate sustinuit, dicens in Euangelio: Calicem quem mihi dedit pater, non vis vt bibam illum? Et ad Petrum qui scandalizabatur à crucis nomine, quia non nouit mysterium, & humano pauore trepidabat: Vade retro me satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ dei sunt, sed quæ hominum. Alioquin si non propria voluntate esset oblati, qui indicare & prædicere poterat proditorem? & apostolis loquebatur: Omnes vos in hac nocte in me scandalum sustinebitis. Poterat eos qui ad se missi fuerant declinare: quibus occurrit intrepidus, & vltro se obtulit, dicens: Quem queritis? qui statim ceciderunt retrorsum.

Matth. 26.

Cyrillus
Ioan. 6.

Esaiæ 53.

Ibidem

Hieronymus

Ioan. 18.

Marthæ 16.

Matth. 26.

Ioan. 18.

Astipulatur & huic veritati Augustinus libro 4. de Trinit. cap. 13. dicens: Christus non deseruit carnem inuitus, sed quia voluit, quando voluit, quomodo voluit. Quippe dei verbo ad vnitatem comixtus est homo, hinc ait: Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me, & iterum sumo eam. Et Sermone de descensu Christi ad Inferos, dicit: Passionem vel resurrectionem domini & saluatoris nostri fratres dilectissimi, licet omnia veteris testamenti volumina multo ante prædixerint, tamen etiam per os Dauid propheta, spiritus sanctus euidenter ostendit, dicens: Deus vltionum dominus: deus vltionum, libere egit. Solus etenim ipse libere egit, qui nobis hodie ostendit quid egerit. Libere enim egit, de quo multo antea fuerat propheta tatum, quia factus est sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber. Vultis tamen audire quid egerit? audite quid fecerit: Nulla necessitate sed propria voluntate in ligno se suspendi permisit, clavis corpus suum perforari non renuit, animam ponendo mortem sustinuit, carnem in sepulchro posuit, & comitante secum anima ad inferna descendit. Per hanc electi qui quauis in tranquillitatis sinu, tamen apud Inferni claustra tenebantur, ad paradisi amœna reducti sunt. Et enarrans psalmum 91. ad versiculum illum: Quam magnificata sunt opera tua domine, nimis profunde factæ sunt cogitationes tuæ, dicit: Vis transire profundum hoc? à ligno Christi noli resilire ne mergaris, tene te ad Christum. Quid est quod dico tene te ad Christum? Ideo voluit ipse in terra laborare. Audistis cum propheta legeretur, non auertisse eum scapulas à flagellis, non auertisse eum faciem à sputis hominum, non auertisse maxillas à palmis eorum. Quare omnia ista pati voluit, nisi vt consolaretur patientes? Tum etiam in psalmum 86. ad locum illum: Super omnia tabernacula Iacob. cursum attingens illud Pauli ad Coloss. Vt adimpleam quæ defunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius quod est Ecclesia, inquit: Nunquid aliquid pressurarum deerat in illo homine, quod factum est verbum dei natum ex Maria virgine? Passus enim est quicquid pati deberet ex sua voluntate, non ex peccati necessitate, & videtur quia omnia. In cruce enim positus accepit acetum in vltimo, & ait: Perfectum est, siue (vt habet nostra translatio) Consummatum est, & inclinato capite emisit spiritum. Quid est perfectum est? iam de mensura passionum nihil deest, quia omnia quæ de me dicta sunt, completa sunt: tanquam ideo expectaret vt complerentur. Quis est qui sic proficiscatur, quomodo ille de corpore egressus est? Sed quis est qui hoc potuit? qui primo dixerat: Potestatem habeo ponendi animam meam, &c. Posuit quando voluit, sumpsit quando voluit. Nemo abstulit, nemo extorsit. Ergo impletæ erant omnes passionem, sed in capite: restabant adhuc Christi passionem in corpore. Vos autem estis corpus Christi & membra. In his ergo membris cum esset Apostolus, dixit: Vt adimpleam quæ defunt pressurarum Christi in carne mea. Adde quod Chrysostomus Sermone de sancta Trinitate, ostendit passionem Christi fuisse voluntariam. Enimuero, inquit, per hoc quod dixit: Propterea veni in horam hanc: monstrauit quod salutarem mortem non fugeret. Desiderio enim desideravi hoc pascha manducare vobiscum. Sed cum dicit, Si possibile est, transeat à me calix iste: veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat. Nam quid mortem formidat, vel inuoluntarius ad passionem accedit? qui dixit: Oportet filium hominis multa pati, & occidi, & sepeliri, & tertia die resurgere. qui dixit: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. qui dixit: Potestatem habeo ponendi animam meam. Insuper beatus Ambrosius nobis fauet, edisserens psalmum 93. vbi dicit: Scriptum est non solum in capite, sed in omni legis complexione, venturum hominem ad conseruandum genus humanum, qui omnia vellet, quæ deus vellet. Vnde intelligis quoniam diuinitatis eiusdem est, qui eiusdem est voluntatis. Vnde etiam ad sacrificium passionis voluntarius accessit, meritoque prædixit: Voluntarie sacrificabo tibi. Sed forte dices, Quomodo in Euangelio dixit? Pater si possibile est transeat à me calicem hunc. sed non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Et videtur quidem esse distantia vo-

Augustinus

Ioan. 10.

Psal. 93.

Psal. 87.

Psal. 91.

Esaiæ 50.

Psal. 86.

Coloss. 1.

Ioan. 19.

Coloss. 1.

Chrysostomus

Lucæ 22.

Matthæ 16.

& 20.

Ioan. 2.

Ambrosius

Psal. 53.

Ioan. 10. Iuntatis, verum intelligimus aliud esse quod secundum vnitatem diuinitatis exprimitur, vbi dicit: Ego & pater vnum sumus. Aliud quod secundum hominis est locutus affectum, quem innuit cautum esse debere, nec presumere quod facile implere non possit: ne dum primum querit, incidat sacrilegium. Vnde ait: Cum persequetur vos in hac ciuitate, fugite in aliam. Merito ergo & hic subituro corporis passionē, coepit contristari & moestus esse, & assumptis Petro & duobus filijs Zebedaei: Tristis est anima mea, antequam praemisit, & subiecit postea: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Spiritus promptus est, caro autem infirma. Vides vbiq; eum secundum hominem loqui, secundum hominem orare, secundum hominem tristem esse, secundum hominem dixisse: Pater si possibile est. Quod vtiq; non impossibile deo: sed hominis est dubitare, dei confirmare. Tum etiam arridet & nostrae assertioni Cyprianus, Sermonem de passione Christi, explicans illum Matthaei locum: Pater si fieri potest, transeat a me calix iste. dicit enim: Si voluntarie obediisti patri, & non te ut patereris coegit necessitas, quid quereris? quid causeris? Nonne tu docueras & instruxeras fideles tuos, ut non timerent eos qui corpus occidunt? quia vsque ad animam tyrannica violentia non attingit, sed metus ille infirmitatis humanae communem exprimebat affectum, & generalitatem omnium in carne viuentium hoc dolore virgeri, & dissolutionem corporis spiritualisque naturae hac molestia non posse carere, & hanc poenam vniuersae successioni Adam, sine exceptione imposiram, ut difficultas extremi transitus timeretur. Nec diuersum est quod dicit Origenes, exponens in Euangelium Matthaei, hunc locum: Pater si possibile est, transeat a me calix iste: Secundum quod coepit pauere & tristari, secundum illud & orat calicem passionis transire a se: sed non sicut vult, sed sicut vult pater. Suscipiens enim naturam carnis humanae, omnes proprietates impleuit, ut non in phantasia habuisse carnem existimaretur, sed vnitatem secundum quod in hoc loco orat calicem passionis transire a se, sed non sicut vult ipse, sed sicut vult pater. Quoniam proprium est omnis hominis fidelis, primum quidem nolle pati aliquid doloris, maxime quod dicit vsque ad mortem, quia homo est carnalis: si autem sic voluerit deus acquiescere etiam contra voluntatem suam, quia fidelis est, ne plus videatur in se desperare, quam in deum sperare. Nam sicut multum confidere non debemus, ne nostram virtutem videamur profiteri: sic multum pusillanimitate agere, & diffidere non debemus, ne dei adiutoris nostri imperetiam videamur pronuntiare. Haec ergo voluntas quam dicit: Si possibile est, transeat a me calix iste: sed non sicut ego volo, sed sicut tu vis: non est secundum substantiam eius diuinam & impassibilem, sed secundum naturam eius humanam & infirmam. Aliter tamen Hylarius exponit illum Matthaei locum, nec tamen negat quin Christus voluntarie sit passus. Ita enim loquitur: Numquid impossibile erat non pati Christum? Atqui iam a contentione mundi, sacramentum hoc in eo erat nostrae salutis ostentum. Numquid pati ipse nolebat? Atqui superius fundendum in remissionem peccatorum corporis sui sanguinem consecrauerat. Quomodo ergo ait? Pater si possibile est, & quomodo? non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Totus igitur super his qui passuri erant, metus est, atque ideo quia non est possibile se non pati, pro his rogat qui passuri post se erant, dicens: Transeat calix a me, id est quomodo a me bibitur, ita ab his bibatur sine spei diffidentia, sine sensu doloris, sine metu mortis. Ideo autem si possibile est, quia carni & sanguini horum grauis terror est, & difficile est eorum acerbitate corpora humana non vitari. Quod autem ait, Non sicut ego volo, sed sicut tu vis: vellet quidem eos non pati, ne forte in passione diffidant, sed cohaereditatis suae gloriam, siue passionis difficultatem mereantur. Non ergo ut non patiatu rogat dicens, Non ut ego volo, sed ut quod pater vult bibendi calicis in eos ex se transeat firmitudo. quia ex voluntate eius, non tam per Christum vinci diabolum, quam etiam per eius discipulos oportebat. Quauis haec sit ingeniosa sanctissimi viri interpretatio, tibi tamen velim consulere, ut aliorum expositionem

ad illum Matthaei locum imiteris. Dicunt doctores Scholastici nec absurde, Christum noluisse pati voluntate naturali & conditionata, quia in Christo mittebatur cui libet parti agere & pati quod erat sibi proprium: modo proprium est voluntati naturali, refugere ea quae sunt nociua naturae: etiam est proprium voluntati per participationem (quam appellat appetitum hominis sensituum) refugere quae sunt nociua sensui. Nec istae voluntates quantum ad obiectum volitum, erant conformes voluntati diuinae, licet consentaneae illi fuerint, quantum ad velle, quia volebant idem quod deus volebat eas velle: voluit tamen Christus voluntate deliberatiua pati pro nostris delictis, & haec erat conformis voluntati diuinae, alioqui eius passio nec sibi nec nobis fuisset meritoria. Sanctus Thomas, ne lato quidem vngue discedens ab vtraque parte nostrae assertionis, dicit 3. parte Sum. quaest. 15. art. 6. ad 4. argum. passionem Christi secundum se consideratam, fuisse inuoluntariam, & tristitiam causalem, licet fuerit voluntaria in ordine ad finem, qui est redemptio humani generis. Nec putes Christum quidpiam voluntate deliberatiua orasse, quod non obrinuerit. semper enim fuit exauditus in his quae orauit simpliciter, non autem in his quae precatus est cum quadam conditione.

CAPVT XVII.



Hristus quatenus homo timuit mortem.]Euangelica haec est assertio. Cum enim Christus vna cum suis discipulis venisset in praedium, cui nomen erat Gethsemani, ait discipulis suis: Sedete hic donec orem. Et assumit Petrum & Iacobum & Ioanem secum, & coepit pauere & tædere. Et ait illis: Tristis est anima mea vsque ad mortem: sustinete hic & vigilate. Nec his sacris literis inuoluntur mendacia. Nec Marcus qui haec scripsit, commiscitur figmenta: nec simulando fatetur Christum ad crucem, ac sui corporis supplicium properatam, timuisse mortem: sed historiam & veritatem tractat, nec ad dubitat si nam Christo obrepserit timor. Nouerat enim hominibus pauorem naturalem, & tristitiam posse accidere. Vnde Theophylactus exponens hunc locum dicit: Assumit solum tres illos qui suae in Thabor, gloriae spectatores fuerant: ut illi ipsi qui gloriosa viderant, videant & tristitia, discantque quod & ipse vere homo sit, & mereat & angatur, sicut nos. Nam quia totum hominem cum naturalibus conditionibus suscepit, omnino & tristitiam & angorem naturalem habuit. Omnes autem natura insua uiter erga mortem affecti sumus. Consentit & Theophylacto venerabilis Beda, dicens: Qui corpus suscepit, omnia debuit subire quae sunt corporis, ut esuriret & sitiret, angeretur & tristaretur. Tum etiam scribit Matthaeus: Et assumpto Petro & duobus filijs Zebedaei, coepit contristari & moestus esse. quod si atrocissimum perpessus tormetum, tristitia & moerore afficiatur, quis, nisi euangelicae veritatis calumniator, impudenter negabit Christum timuisse mortem? Et ad commetandum hunc locum, eadem penè dicit Theophylactus, quae & dixerat in Marcu. Quod moestus est, inquit, per dispensationem fiebat, ut credatur verus esse homo. Humanae enim naturae est, timere mortem, eo quod praeter naturam ingressa est mors, & propterea illam fugit natura. Iterum ut ignoret diabolus, & inuadat eum ut purum hominem, quo conficiatur ipse morte, & sic coteratur. Vel aliter, si dominus mortem non timuisset, dedisset Iudaeis excusationem, quod non peccassent, quod ita citra metum ad mortem profiliisset. Nobis astipulatur Cyprianus, Sermonem de passione Christi, vbi sic suum exorditur sermonem: Domine aui diu auditum tuum & timui. Terruit me cum appropinquaret traditor Iudas, & immineret passionis hora, quod dixisti ad patrem: Pater si fieri potest, transeat a me calix iste. Et tristem te vsque ad mortem praenimia anxietate, sanguineo sudore perfusus coram apostolis es professus. Audiens haec ego, expaui. Quis enim non timeat, si timet ille, quem omnia timent? si pauet ille, cui omne genu curuatur? si ille qui mors est mortis, & morsus inferni morte propinquate pertimescit? Nonne ad hoc veneras, & ita futurum ipse praedixeras? Nonne hoc & signa, & oracula, & vatis

Thomas.

Mar. 14.

Theophyl.
Matthaei 17.Beda.
Matth. 26.Abac. 3.
Cyprianus
Matth. 26.

Cyrillus
 Matth. 26.
 Hieronymus
 Ibidem.
 Origenes.
 Hebr. 4.
 Esa. 8.
 Psal. 2.

cinia prophetarum à mundi initio conclamarunt? Adde quòd ex sententia Cyrilli probauimus in precedenti capite Christum quatenus hominem, praesentem iam in ianuis mortem formidasse. ¶ At dicet aliquis, Dicit Hieronymus enarrando illum Matthæi locum: Et factum est cum cõsummasset Iesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis: Scitis quia post biduum pascha fiet: Erubescant qui putant saluatorem timuisse mortem, & passionis pauore dixisse: Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste. Et dum hanc pertractat sententiam dicit, postulat vt si possibile est, transeat ab eo passionis calix. Postulat autem non timore patiendi, sed misericordia prioris populi, ne ab illis bibat calicem propinatum. Vnde & signanter non dixit: transeat à me calix, sed calix iste: hoc est populi Iudæorum, qui excusationem ignorantiae habere non potest, si me occiderit, habes legem & prophetas, qui me quotidie vaticinantur. At tamen reuertens in semetipsum, quod ex hominis persona trepidanter renuerat, ex dei filique confirmat: veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Non, inquit, hoc fiat quod humano affectu loquor, sed propter quod ad terras tua voluntate descendi. Nec nobis reclamat in eo quòd dicit, quod ex hominis persona trepidanter renuerat: trepidando ergo quatenus homo, renuebat mortem, saltè vt ille vult quantum ad exordia terroris & tristitia. Re vera tamen tunc dixit: Tristis est anima mea, & non cepit tristari. Nec negat Hieronymus quin Christus quatenus homo, sit vere contristatus. Nam explicans illud Matthæi. Cœpit contristari & mœtus esse, inquit: Vt dominus veritatem probaret assumpti hominis, vere quidem contristatus est: sed ne passio in animo illius dominaretur, per propassionem cœpit contristari. Aliud est enim contristari, & aliud incipere cõtristari. Contristabatur autem non timore patiendi, qui ad hoc venerat vt pateretur, & Petri timiditatis arguerat: sed propter infelicissimum Iudam, & scandalum omnium apostolorum, & reiectionem populi Iudæorum, & euersionem miseræ Hierusalem. Nec tristis erat eius anima propter mortem, sed vsque ad mortem cõtristatur, donec apostolos sua liberet passione. Cœpit ergo, ex Hieronymo, contristari per propathiam siue propassionem, quæ est inchoata passio, & non passio simpliciter. Passio simpliciter siue pathia, est consummata: & passio intelligitur esse perfecta, quando animo, id est rationi dominatur. Sentit omnino Origenes cum Hieronymo edifferens illum eundem Matthæi locum, cœpit contristari: vbi dicit, Et considera quod non dixit tristabatur & tædiabatur, sed cœpit tristari & tædiari. Multum enim interest inter tristari, & incipere tristari. Si ergo aliquis defendens passiones humanas, profert nobis etiam ipsum tristatum fuisse Iesum, audiat quòd qui tentatus est per omnia secundum similitudinem præter peccatum, hic non est tristatus tristitia passionis ipsius, sed tristatus est secundum humanam naturam tantum in ipso principio tristitia & pauoris, vt ostendat discipulis suis præsentibus, maxime Petro magna de se æstimati, rebus ipsis, quod postea eis dixit: Quia spiritus promptus est, caro autem infirma: & non est aliquando confidendum in ea, sed semper timendum de ea. quia incauta cõfidentia, ad iactantiam ducit, timor autem infirmitatis, ad auxilium dei confugere adhortatur: sicut & dominum ipsum paululum progredi, & cadere in faciem, & orare. Ergo cœpit quidem tristari secundum humanam naturam: quæ talibus passionibus subdita est: non autem secundum diuinam virtutem, quæ ab huiusmodi passione longe remota est. Et hæc dicimus de Iesu, vt nõ arbitreris sicut quædam hæreses, hominem tantum fuisse, sed deum veram humani corporis suscepisse naturam, qui poterat compati infirmitatibus nostris, quoniam & ipse circumdatus erat infirma natura humani corporis: similiter & ipse participans corpus & sanguinem, quemadmodum & pueri de quibus dicit: Ecce ego & pueri quos mihi dedit deus, participant carni & sanguini. Videns ergo instans sibi certamen, quod non erat ei aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus tantos reges terræ assistentes, & principes cõgregatos in vnum aduersus se, quantos nunquam, cœpit pauere vel tristari, nihil amplius tristitia vel pauoris patiens nisi principium tantum. Nec enim

scriptum est, Paut vel tristatus est, sed cœpit pauere & cepit tristari, quando & dixit: Tristis est anima mea vsque ad mortem. Quod ipsum tale aliquid significare videtur, tanquam si dicat: tristitia cœpta est in me, vt non omni modo sim sine gustu tristitia. non semper, sed vsque ad tempus mortis in me est: vt cum mortuus fuero peccato, moriar & vniuersæ tristitia, cuius principium tantum fuit in me. Insuper nec ab illis interpretibus discedit Hylarius eandem attingens difficultatem, dicit enim: Aliquorum ea opinio est, quòd cadere propter se mœstitudo in deum potuerit, eumque futura passionis metus fregerit, quia dixerit, Tristis est anima mea vsque ad mortem: & illud, Pater si possibile est, transeat à me calix iste. Et rursus, Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Et ad postremum bis id ipsum, Pater, si non potest hic calix transire nisi illum bibam, fiat voluntas tua. Volunt enim ex infirmitate corporis, erumnam spiritui adherere, ac si virtutem illam incorruptæ substantiæ, imbecillitatis suæ sorte assumptio carnis infecerit, & aeternitas naturam fragilitatis acceperit: quæ si ad metum tristis est, si ad dolorem infirma, si ad mortem trepida, iam & corruptioni subdita erit, & incidet in eam totius infirmitatis affectio. Erit ergo quod non erat, de angore mœsta, de timore sollicita, de dolore perterrita. ac si aeternitas demutata in metum, si potest esse quod non erat, potius perinde, hoc quod erat, aliquando non esse. Deus autem sine mensura temporum semper est: & qualis est, talis aeternus est. Aeternitas autem in infinito manens, vt in his quæ fuerat, ita in illis quæ cõsequuntur, extenditur: semper integra, incorrupta, perfecta, præter quam nihil quod esse possit extrinsecus sit relictum. Et interpretans locum illum: Tristis est anima mea vsque ad mortem: inquit, Nunquid ait, Tristis est anima mea propter mortem? certe non ita. Nam si de morte erat metus, ad eam vtrique referri, per quam erat, debuit. Sed aliud est vsque in id, aliud ob id metuere. Et causam non facit quicquid in fine est, quia vsque in id quod ab altero cœptum sit, differatur. Superius igitur dixerat: Scandalum patiemini in me in ista nocte. Sciebat exterrendos, fugandos, negaturos. sed quia spiritus blasphemia nec hic, nec in aeternum remittitur, metuit ne se deum abnegent: quem casum, & consputum, & crucifixum essent contemplaturi. Quæ ratio seruata in Petro est, qui cum negaturus esset, ita negauit: Non noui hominem. Quia dictum aliquid in filium hominis remitteretur. Tristis ergo est vsque ad mortem. Non itaque mors, sed tempus mortis in metu est. Adde quod Ambrosius edifferens illud Lucæ de Christi passione: Pater si possibile est, transeat à me calicem hunc: dicit, Minus mihi contulerat, nisi meum suscepisset affectum. Ergo pro me doluit, qui pro se nihil habuit quod doleret. & sequestrata delectatione diuinitatis aeternæ tædio meæ infirmitatis afficitur. Suscepit enim tristitia meam, vt mihi suam lætitiã largiretur, & vestigijs nostris descendit vsque ad mortis erumnã, vt nos suis vestigijs reuocaret ad vitam. Confidenter ergo tristitiam nomino, quia crucem prædico. Neque enim speciem incarnationis suscepit, sed veritatem. Et dum profert illum Esaie locum: Qui peccata nostra porta, & pro nobis dolet: inquit, Doles enim domine nõ tua, sed mea vulnera: non tuam mortem, sed nostram infirmitatem. & nos æstimauimus te esse in doloribus, cum tu non pro te, sed pro me doleres. Infirmatus enim es, sed propter peccata nostra, nõ quia illa tibi infirmitas erat ex patre assumpta, sed pro me suscepta. Tristis videbatur & tristis erat, nõ pro sua passione, sed pro nostra dispersione. Nam scriptum est: Percutiã pastorẽ, & dispergentur oues gregis. Præterea Augustinus exponens illum psalmi locum: Quousque iustitia tua conuertatur in iudicium, & qui habet eam, omnes recto sunt corde dicit, Præsignauit dominus in sua infirmitate te, nõ se: nõ enim timebat dominus pati: tertio die resurrecturus. si prorsus quomodo homo pateretur, & nõ quomodo deus pati veniret, & si sciret se post triduum resurrecturum, nullo modo formidaret moriturus, quod non formidauit Paulus in fine seculi resurrecturus. ait enim: Coartor autem è duobus: desiderium habes dissolui & esse cum Christo, multo magis melius: permanere autem in carne, necessarium propter vos. Tædium enim illi P. j.

Hylarius.

Matth. 12.

Ambrosius.

Lucæ 22.

Esaie 53.

zacharie 13.

& Mar. 14.

Augustinus

Psal. 94.

Philipp. 1.

Pfal. 231

erat manere in carne. ex duobus patiebatur ardorem: dissolui & esse cum Christo, multo magis dicebat optimum. Et libro 2. ad Catechumenos, capite 6. idem sentit, dicens: Quis est iste qui infans regem terruit, puer Iudæos conuicit, iuuenis Pontium Pilatum turbauit? Quis est iste? vultis nosse? Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. Si dominus virtutum ipse est rex gloriæ, ergo nec Iudæos timuit, quando armati venerunt, nec iudicem iniuste iudicantem, nec milites irridentes, nec inimicos subsannantes, nec coronam spineam imponentes, nec sua vestimenta diuidentes, nec fel, nec acetum, nec crucem, nec lanceam, nec mortem. ¶ Robur hæc habent non mediocre, magnūmque pōdus, aduersus nostram assertionem, sed paucis illas omnes auctoritates, aut interpretabor, aut prætermittam: quod plus longè fidei cenſeam adhibendum Euangelio, quàm illis interpretibus. Cum igitur primum illam Hieronymi sententiam profero: Erubescant, qui dicunt Christum timuisse mortem. Iam diximus Hieronymum ab illa euangelica assertionem non dissentire. Nam quod Christus (vt ille vult) renuerat ex hominis persona, ex dei filiique confirmat. Etiam in tertium caput epistolæ Pauli ad Ephesos, dicit Christum ad passionem venisse, & pati timuisse. Sed quia non tam passus est, quàm propassus, nec illa passio quicquam rationi imperauit, sed contra: nec Christum perturbauit, sed solum ab exordio ipsum attigit, idcirco dicere ausus est: Erubescant qui dicunt Christum timuisse mortem. Nec tamen (si quid momenti mea habuerit sententia) existimo Christum solum cœpisse tristari & extimescere, sed re vera secundum humanum affectum timuit, & tædio affectus est. Afferere autem Christum quatenus deum non pauisse nec exhorruisse mortem, debilis est ingenij: nam illud est notissimum, etiam lippis & tonsoribus. Nec in hoc voluitur difficultatis saxum: sed an quatenus homo timuerit mortem, nec tu potes interpretari Hieronymum, quod scilicet voluerit innuere, Christum vt deum non timuisse mortem. Hoc dignum risu & sibilis. Nec desunt qui constanter asseuerant Hieronymum id prætidisse, quod scilicet Christus non habuit timorem quantum ad necessitatem timendi, sed ad comprobendam veritatem hominis, voluntarie timorem assumpsit, sicut tristitiam & dolorē. Veldic (quod forsitan videndum erit) vt non solum Hieronymo, sed & Origeni, Ambrosio, Hylario, & Augustino respondeas: Christum non timuisse mortem omnibus modis quibus & nos timemus: ita quod passiones enumeratæ, aliter fuerunt in Christo, & aliter in nobis. Nam in puro homine eam vim habent, vt quem obrepando attingunt, frequenter prouocent ad illicita. Sed in victore Christo & harum domino, hunc non habuerunt aculeum. Etiam huiusmodi passiones, sæpissime præueniunt nostræ imbecillæ rationis iudicium: Christus autem illas præuenit & præoccupauit, ne suam mentem læderent & perturbarent: easque omnino subiugauit & perdomuit. Alphonſus à Castro, libro quarto aduersus hæreses, nona hæresi, dicit Petrum Abailardum negasse in Christo fuisse spiritum timoris domini. & hoc venenum illi impingit beatus Bernardus Epistola 90. quamuis contra illum non disputet. Eum tamen redarguit & conuincit Esaias, qui de Christo loquens, ita ait: Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris domini. Nec debuit ille negare Christum habuisse spiritum timoris domini, quod dicat Ioānes: Charitas perfecta foras mittit timorē. Nesciuit ille multiplicem esse domini timorem. Quidam enim est timor seruilis, cū quis propter odium pœnæ quam timet, fugit peccatum, qui ex eo seruilis dicitur, quia serui talem timorem consueuerunt habere. dicitur & timor initialis, quia est via & initium ad bonum. Vna enim pars iustitiæ, est declinare à malo, ad quā introducit seruilis timor, & etiam initialis. Initium enim sapientiæ est timor domini. Hic timor est imperfectorum, quia perfecta cuiuscunque operis executio, à charitate ortum habere debet. Hunc autem timorem perfecta charitas foras mittit. Nec hūc timorem habuit

Alphonſus
à Castro.
Bernardus.


Esa. 11.

1. Ioan. 4.

Ecclesiasti. 1.

Christus, quia perfectissimam habuit charitatem. Alius est timor domini filialis, cum quis fugit malum solo patris amore, ne scilicet offendat patrem: qui ex eo dicitur filialis, quia tali amore bonus filius debet timere patrem. Et hunc non solum non expellit charitas, verum etiam ipsum producit, & ab ea ortum habet. Hūc autē timorem habuit Christus, quia à multis, imò ab omnibus malis declinauit, & non timore alicuius pœnæ, sed ex solo dei amore: nec hic timor quicquam ademit beatitudi animæ, quia ab instanti conceptionis Christi, deo fruebatur.

CAPVT XVIII.

 Hristus non solum potuit exire de tumulo, lapide non reuoluto, sed sanè exiuit & resurrexit. Tametsi quidā sint in ea pertinacissima hæresi, eoque cerebro iudicio, vt non solū arbitretur duo corpora virtute naturæ, nō posse esse simul, sed nec diuina virtute: tamē ad cōprimendum illorū superciliū, tumidamq; ingenij elationē, q̄ parum hac in re infinitæ dei potentiæ tribuant, decerto, & manus cum illis cōseram: & licet prior nostræ assertionis particula, ex secunda, quam ex Euangelio probabimus, dependeat: prius tamen ratione ad illam protegendā, congregiar: nec dicam quod sacris non fuerit consentaneum literis: Christus venit ad suos discipulos ianuis clausis, ergo potuit resurgere lapide occluso & nondum reuoluto. Antecedens est Ioānis in suo Euangelio dicētis: Cum ergo fero esset die illo, vna sabbatorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter merum Iudæorū, venit Iesus, & stetit in medio, & dicit eis: Pax vobis. Nec dicas infantiliter Christum fores perfregisse, aut pulsasse ianuam. Nam dicit Chryſostomus ad hunc locum enarrandum: Nec ostium pulsauit, sed repente adstitit. Et Theophylactus: Clausæ autem erant fores, vt ostendat quod ita surrexit, supraposito lapide super sepulchrum. Tum etiam Augustinus eundem enarrans locum, dicit, moli corporis vbi diuinitas erat, ostia clausa non obstitisse. Et Sermone 2. dominicæ in octauis paschæ, eandem edisserens sententiam, inquit: Quid mirum si dominus ad discipulos glorificatum corpus claustris stupētibus introuisset, qui illæso materni pudoris signaculo, ianuam mundi huius intrauit. Quomodo eum repellere potuit obiectus repaguli, quē non coercuerat pondus sepulchri? Imò quomodo eum obserata domus excludere potuit, quem includere mortis porta nō potuit? Adde quod & huic patrocinator sententiæ Cyrillus, dicens ad eiusdem loci explicationem: Miraculose rursus clausis foribus, discipulis apparet. & aliquot interiectis sentētis, dicit: Et foribus sublimiore modo clausis, visibiliter simul atque inuisibiliter Christus omnibus apparet: inuisibiliter quidem vt deus, visibiliter autem in corpore. Norint an vera sint quæ dicit quidam, non tam ad explicandum hunc Ioannis locum, quàm ad implicandum. Fingit enim & comminiscitur quæ nemo forsitan alius, & priusquam ad auctoritatem Ioannis qua pungitur, accedat, dicit inaudita profecto, & quæ pijs auribus videntur absurda, Quod scilicet nullo sacre scripturæ textu habetur, q̄ Christus clauso tumulo resurrexerit. Venit autem (vt asserit) ad discipulos ianuis clausis, id est, cum fores clausæ essent, non tamen intrauit per ianuas clausas: & cum corpus gloriosum possit moueri per aerem sicut per terram, & Christus virtute diuina potuit corpus suum ostendere & occultare prout voluit, potuit intrare ad discipulos per fenestras. Et si intrauerit per ianuas, potuerunt ianua subito aperiri & subito claudi, aut potuit figuram sui corporis mutare in angustum, & sic intrare per quamcūq; ianuarum rimam, ipsis etiam clausis. Videntur quàm lutulentum sit hæere luto, sacras quibusdam spinetis inuoluendo literas. Et sane suo videtur ferri gladio. Si enim corpus gloriosum possit moueri per aerem atque per terram, nec occupet, sed repleat: quid prohibebit, si possit penetrare fenestram oclusam, quin etiam penetret fores clausas? Adde quod tam facile erat Christo per ianuas ingredi, atque per rimulas. Et licet corpus illius fuerit longum, latum & profundum, etiam donatum agilitatis & subtilitatis dotibus, non tamen se habebat dimensionis modo. Nec est essenziale corpori occupare, sed est ei acci-

Ioan. 20.

Chryſostomus
Theophyl.
Augustinus

Cyrillus.

dentarium, & secundarium, & posterius re corporea à corpore denominata. deus autem potest auferre posterius priori remanente. Duo enim sunt corporis officia: Primum quod occupet: & licet hoc à corpore coniuncto, naturæ potestate ac ingenio separari non possit: tamen potest diuina potestate. nam corpora beatifica siue beata non occupant, licet sint dimensa, longa, lata, & profunda. Aliud est officium maxime proprium & accommodatum, rem facere esse corpoream: & hoc nulla potestate potest separari à corpore ipsi substantiæ coniuncto. Subnectere possumus & alteram rationem: Si Christus ascenderit ad suum patrem nulla facta aeris mutatione & diuisione, potuit non reuoluto lapide resurgere. ¶ Secundam etiam partem ex sacris deducam scripturis. Scribit Matthæus huiusce rei fidem faciens, Angelus domini descendit de caelo, & accedens, reuoluit lapidem, & sedebat super eum. Erat autem aspectus eius sicut fulgur, & vestimentum eius sicut nix. Præ timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui. Respondens autem angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos. Scio enim quod Iesum, qui crucifixus est, quæritis. Non est hic, surrexit enim sicut dixit: venite & videte locum vbi positus erat dominus. Ex hac responsione, manifestum est Christum resurrexisse lapide non reuoluto. neque angeli obsequio & munere, reuolutus est lapis vt resurgeret Christus, quia huiusmodi officijs non indigebat, sed ne lapide non reuoluto hæsitarent diutius sanctæ mulieres de excellentissima Christi resurrectione. Ad hanc accedit sententiam Theophylactus, in hunc locum ita dicens: Resurrexit dominus lapide adhuc super sepulchrum posito. Postquam autem resurrexit dominus, & angelus venit, vt deuoluto lapide accessum habeant mulieres ad sepulchrum: Apud Marcum apertius multo ostenditur Christum resurrexisse lapide nondum reuoluto, sic enim scribit: Mulieres quæ venerant ad monumentum dicebant adinuicem, Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes, viderunt reuolutum lapidem. Erat quippe magnus valde. Et introeuntes in monumentum viderunt iuuenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, & obstupuerunt. Qui dicit illis, Nolite expauescere. Iesum quæritis Nazarenum crucifixum, surrexit, non est hic: ecce locus vbi posuerunt eum. Absurdum mihi videtur dicere, Deum sua potentia absoluta non posse efficere, vt duo corpora (& præfertim quorum vnum est glorificatum, alterum vero non) sint simul. Nam si vera esset positio quæ defendit, nulla vi duo corpora simul esse posse, fatendum esset quod corpora immortalia, impassibilia, spiritalia, & glorificata post resurrectionem in sedibus æternis occuparent locum, & à seinuicem loco & situ distarent, quod tamen est absurdissimum.

CAPVT XIX.

Christus in excellentissimo Eucharistiæ sacramento, omni die populis immolatur. ¶ Nemo nisi filius perditionis & homo peccati, & capitalis christianæ religionis hostis, ac qui pestilentissimum Lutheranismi fermentum subolet, huic reclamationi, quam ex sacris doctoribus probabimus. Scribens Augustinus epistola Bonifacio, de varijs sacramentorum rationibus, cursim & pressè differit de hoc sacrificio, quod sacerdos offert deo in laudem & gloriam Trinitatis, & vtilitatem Christianorum, & quorum animæ degunt in purgatorio, ita enim loquitur: Nonne semel immolatus est Christus in semetipso, & tamen in sacramento non solum per omnes paschæ solennitates, sed omni die populis immolatur: nec vtiq; mentitur qui interrogatus, eum responderit immolari. Si enim sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumq; etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundum quendam modum, sacramentum corporis Christi, corpus Christi est: sacramentum sanguinis Christi, sanguis Christi est: ita sacramentum fidei, fides est. Tum etiam libro 10. de Ciuitate dei, capite 4. differens de sacrificio quod vni vero deo de-

Mat. 28.

Theophy.

Mar. 16.

Augustinus.

betur, & cui seruitutem, quæ Latria Græce dicitur, in quibusque sacramentis debemus, dicit: Cum ad illum sursum est, eius est altare cor nostrum, eius vnigenito cum sacerdote placamus, suauissimum adolemus incensum. ei dona eius in nobis, nosque ipsos vouemus, & reddimus: ei beneficiorum eius solennitatibus felis, & diebus statutis dicamus, sacramusque memoriam, ne volumine temporum, ingrata surrepat obliuio: ei sacrificamus hostiam humilitatis, & laudis in ara cordis, igne feruida charitatis. Cum autem dicit Augustinus, Cum ad illum sursum est, ostendit quod in missa iubemur facere, vt interpretatur Ludouicus Viues, quum ad participationem sacrorum qui intersunt, præparatur. Et placamus patrem per vnigenitum, sacerdote sacrificium offerente. Et capite quinto eiusdem libri, dicit sacrificium quod offerunt homines, esse signum veri sacrificij. Quis autem nescit hostiam sanctam, quam sacerdos deo offert, esse signum veri sacrificij, scilicet preciosissimi corporis Christi, quod in ara crucis semel pro nobis oblatum est? quare sacramentum Eucharistiæ, est verum sacrificium nouæ legis. Et cum agit de vero & perfecto sacrificio, capite sexto dicit: Hoc est sacrificium Christianorum, multi vnum corpus sumus in Christo, quod etiam sacramento altaris fidelibus noto frequentat Ecclesia, vbi ei demonstratur, quod in ea oblatione quam offert, ipsa offertur. Et cum pertractat rationem visibilis sacrificij, quod vni vero & inuisibili deo, Christiana offert religio, dicit capite 19. Quocirca sicut orantes atque laudantes ad eum dirigimus significantes voces, cui res ipsas in corde quas significamus offerimus, ita sacrificantes non alteri visibile sacrificium offerendum esse nouerimus, quam illi, cuius in cordibus nostris inuisibile sacrificium nos ipsi esse debeamus. Tunc nobis fauent, nobisque congaudent, atque ad hoc ipsum nos pro suis viribus adiuuant angeli quique, virtutisque superiores, & ipsa bonitate ac pietate potentiores. Et capite 20. amplissime hoc agens negotium, dicit: Vnus verus ille mediator, in quantum formam serui accipiens, mediator effectus est dei & hominum homo Christus Iesus, cum in forma dei sacrificium cum patre sumat, cum quo & vnus deus est, tamen in forma serui sacrificium maluit esse, quam sumere: ne vel hac occasione quisquam existimaret cuilibet sacrificandum esse creaturæ. Per hoc & sacerdos est, ipse offerens, ipse & oblatio. Cuius rei sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium, cum ipsius corporis ipse sit caput, & ipsius capitis, ipsa sit corpus, tam ipsa per ipsum, quam ipse per ipsam consuetus offerri. Huius veri sacrificij multiplicia variæque signa erant sacrificia prisca sanctorum, cum hoc vnum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res vna diceretur, vt sine fastidio multum commendaretur. Huic summo veroque sacrificio, cuncta sacrificia falsa cesserunt. Insuper enarrans psalmum 75. ad locum illum, Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquæ cogitationis solennia celebrabunt tibi, dicit: Christus donauit nobis omnia peccata & conuersi sumus. Si obliuiscamur quid nobis donatum est, & à quo donatum est, obliuiscimur munus saluatoris: cum autem non obliuiscimur munus saluatoris, nonne quotidie nobis Christus immolatur? Et semel pro nobis Christus immolatus est, ex ipsa memoria quotidie nobis sic immolatur, quasi quotidie nos innouet, qui prima gratia sua nos innouauit. Et epistola Dardano ostendens, quomodo deus est vbique, dicit quod in sacrificio altaris solemus dicere, Gratias agamus domino deo nostro. Et epistola ad Paulinum, Vouentur, inquit, omnia, quæ offeruntur deo, maxime sancti altaris oblatio, quo sacramento prædicatur nostrum votum maximum, quo nos vouimus in Christo esse mansuros, vti que in compage corporis Christi, cuius rei sacramentum est, quod vnus panis, vnum corpus multi sumus. Item lib. vno de fide, ad Petrum Diaconum, cap. 19. dicit, Firmissime tene & nullatenus dubites, ipsum vnigenitum deum verbū carnem factū, se pro nobis obrulisse sacrificium, & hostiam deo in odorem suauitatis, cui cum patre & spiritu sancto, à patriarchis, prophetis, & sacerdotibus tempore veteris testamēti animalia sacrificabatur, & cui nunc, id est, tē-

Ludouicus Viues.

1. Timot. 2.

Psal. 75.

1. corint. 10.

P. iij.

pore noui testamenti cum patre & spiritu sancto, cum quibus illi est vna diuinitas, sacrificiū panis & vini in fide & charitate, sancta ecclesia catholica per vniuersum orbem terrarū offerre nō cessat. In illis enim carnalibus victimis, figuratio fuit carnis Christi, quā pro peccatis nostris ipse sine peccato fuerat oblaturus, & sanguinis quē erat effusus in remissionē peccatorū nostrorū. In isto autē sacrificio, gratiarū actio atq; cōmemoratio est carnis Christi, quā pro nobis obtulit, & sanguinis quē pro nobis idem deus effudit. Tum etiā lib. 9. Confes. cap. 12. dum satis luxit mortē suā matris, dicit: Nā neq; in eis precibus quas tibi fudimus, cū offerretur pro ea sacrificiū precij nostri iam iuxta sepulchrū posito cadauere priusquā deponeretur, sicut illic fieri solet, nec in eis precib⁹ ego fleui, sed toto die grauiter in occulto mœstus erā, & mente turbata rogabā te vt poterā, q̄ sanare dolorē meum. Nosti ne Augustinū in ea fuisse sentētia, Præcationes sacrificulī, maximo esse adiūmēto his qui abditissimis purgatorij tenebris reclusi sunt. Et lib. 1. de Anima & eius origine ad Renatū, cap. 9. reprehendēs illos qui in eam profunditatē naufragosī gurgitis demersi, infane asseruerunt oblationes fieri pro paruulis absq; baptismatis lotionē decedētibus, & offerenda pro illis iugiter sacerdotum sacrificia, dicit: Quis enim offerat corpus Christi, nisi pro eis qui mēbra sunt Christi? Modo paruuli hinc demigrātes, sine aqua baptismi, non sunt mēbra Christi: quare pro illis nō est offerendū sacrificiū. Ex aduerso, si essent membra Christi, & deinceps ablutis primis fordibus delinquerēt, modo eos sui delicti poeniteret, pro illis offerēdum esset cōmode sacrificium. Quod si Machabæorū sacrificia non profuerint mortuis qui circūcisi non fuerant, nec proderūt illis qui non sunt baptismi sacramēto cōsecrati. Ad hæc, epistola Aurelio episcopo, dicit oblationes ecclesiæ esse spiritib⁹ dormientiū vtilissimas, quas verē aliquid adiuuare credendū est. Et libro vno Enchiridij ad Laurentiū, cap. 109. ample docet sacrificiū missæ, defunctis magnopere prodesse, ita enim loquitur: Neq; negādum est defunctorū animas pietate suorū viuentiū releuari, cum pro illis sacrificiū mediatoris offertur, vel eleemosynæ in ecclesia fiunt. Sed eis hæc profunt, qui cum viuerent, vt hæc sibi postea prodesse possent, meruerūt. Est enim quidā viuendi modus nec tam bonus, vt nō requirat ista post mortē, nec tam malus, vt ei nō profint ista post mortē. Est vero talis in bono, vt ista nō requiratur: & est rursus talis in malo, vt nec his valeat cū hæc vita transierit adiuuari. Quocirca hic omne meritū cōparatur, quo possit post hæc vitā releuari quispiā vel grauari. Nemo autē se speret quod hic neglexerit, cum obierit apud deū promereri. Non igitur ista quæ pro defunctis cōmendandis frequētat ecclesia, illi apostolicæ sunt aduersa sententiæ, qua dictum est: Omnes enim astabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; secundum ea quæ per corpus gessit, siue bonū siue malū: quia etiā hoc meritū sibi quisq; cum in corpore viueret, comparauit: vt ei possent ista prodesse. nō enim omnibus profunt. Et quare non omnibus profunt, nisi propter differentiā vitæ, quā quisq; gessit in corpore: cū ergo sacrificia siue altaris, siue quarūcunq; eleemosynarū pro baptizatis defunctis omnibus offerūtur, pro valde bonis, gratiarū actiones sunt: pro non valde malis, propitiationes sunt: pro valde malis etsi nulla sunt adiumenta mortuorum, qualescunq; viuorū cōsolationes sunt. Quibus autem profunt, aut ad hoc profunt, vt sit plena remissio, aut certe tolerabilior fiat ipsa dānatio. Eadem prorsus habet monumenta, libro vno de 8. Dulcitij quæstionibus, quæst. 2. & libro vno de Cura pro mortuis gerenda, cap. 1. Fauet & nobis Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio, vbi differit de integerrima vitæ sanctimonia, qua decet sacerdotem deo litanem exornari, & in hunc modū loquitur: Nam dum conspiciamus dominū immolatum, sacerdotē sacrificio incubentem, ac preces desuper fundentem, tum vero turbam circumfusam preciofo illo sanguine intingi ac rubescere, etiā ne te inter mortales versari, atque in terra cōsistere censes? an non potius euestigio in cælos transferris? an non carnis cogitationem omnem abijciens nudo animo, mente pura circūspicis quæ in cælo sunt? Papæ quāquam magnum hoc miraculum! q̄ magna dei er-

2. Corint. 5.

Chrysosto.

ga humanum genus beneuolentia! En qui cum patre sursum fedit, in illo ipso temporis articulo, omnium manibus pertractatur, ac se ipse tradit volentibus ipsum excipere ac complecti: fit autē id nullis præstigijs, sed apertis ac circumspicientibus circūstantium omnium oculis. Et homilia 11. ad Populum, christiane sentiens de hoc augustissimo sacrificio, quod laici tempore paschæ suscipiunt, inquit: Si ad iudicia & contentiones ieiunatis, vt quid mihi ieiunatis? per nos vobis dicet, Si ad iuramēta & periuria ieiunatis, vt quid mihi ieiunatis? Quomodo enim sacrum videbimus pascha? Quomodo sanctum suscipiemus sacrificium? Quomodo mirabilibus cōmunicabimus mysterijs lingua illa, qua dei legem conculcauerimus? lingua illa qua animā contaminauerimus? Si nemo nanq; purpurā regalem, manibus accipere inquinatis auderet, quomodo dominicū corpus lingua polluta suscipiemus? Iuramentum enim maligni, sacrificiū vero domini. Quæ igitur cōmunicatio luci ad tenebras? vel quæ conuenientia Christo ad Belial? Adde q̄ Cyprianus exprimens libro 2. epistolarum, epistola 3. Cæcilio fratri, sacrificium quod pane & vino perficitur, dicit: Melchisedec sacerdos dei summi fuit, quod panem & vinū obtulit, quod Abraham benedixit. Nam qui magis sacerdos dei summi, q̄ dominus noster Iesus Christus qui sacrificium deo patri obtulit? Et obtulit hoc idem quod Melchisedec obrulerat. id est panem & vinum suum, scilicet corpus & sanguinē. Et circa Abraham benedictio illa præcedens ad nostrum populum pertinebat. Nam si Abraham deo credit & deputatū est ei ad iustitiā, vtq; quisq; deo credit & fide viuunt, iustus inuenitur, & iam pridem in Abraham fidei benedictus & iustificatus ostēditur. Sicut beatus Apostolus probat, dicēs: Credit Abraham deo, & deputatū est ei ad iustitiā. Et paulo post, vt quod ad rem nostrā spectat, desumamus, dicit: Vt ergo in Genesi per Melchisedec sacerdotē benedictio circa Abraham possit rite celebrari, præcedit ante imago sacrificij, in pane & vino scilicet cōstituta. Quā rem perficiēs & adimplēs dominus, panē & calicē mixtū vino obtulit, & qui est plenitudo veritatē præfiguratē imaginis adimpleuit. Sed & per Salomonē spirit⁹ sanctus typū dominici sacrificij, præmōstrat immolatæ hostiæ panis & vini: sed & altaris, & apostolorū faciēs mētionem, Sapiētia, inquit, ædificauit sibi domū, & excidit colūnas septē. Mactauit suas hostias, miscuit in craterē vinū suum, & parauit mēsam suam. Et misit seruos suos, conuocās cum excelsa prædicatione ad craterē, dicens: Qui est insipies declinet ad me, & indigētibus sensu dixit: Venite & edite de meis panib⁹, & bibite vinū quod miscui vobis. Vinum mixtū declarat, id est calicē domini aqua & vino mixtū prophetica voce denūtiat, vt appareat in passione dominica id esse gestū, quod fuerat prædictum. Et cum illud profert, à Christo dictum: Nō bibam de hoc genimine vitis, &c, dicit: Quia in parte inuenimus calicē mixtum fuisse quē dominus obtulit, & vinū fuisse, quod sanguinē suum dixit. Vnde apparet sanguinē Christi nō offerri, si desit vinū calici: nec sacrificium dominicū legitima sanctificatione celebrari, nisi oblatio & sacrificium nostrū responderit passioni. Et libro 1. epistolarum, epistola 7. Epicteto fratri, ostendens sacerdotes leuioricrimine contaminatos non debere ad sacrificium altaris accedere, dicit: Cum ergo hæc tormēta, hæc supplicia in die iræ dominus cōminetur ijs qui diabolo obtēperant, & idolis sacrificant, quomodo se putat posse agere pro dei sacerdote, qui obtēperauit & seruiuit diaboli sacerdotibus? aut quomodo putat manū suā transferri posse ad dei sacrificiū & precē domini? quæ captiua fuerit sacrilegio & crimini, cum in scripturis diuinis deus ad sacrificiū prohibeat accedere sacerdotes etiā in leuiori crimine cōstitutos. & in Leuitico dicit: Homo in quo fuerit vitium & macula, non accedat offerre dona deo. Idē in Exodo: Et sacerdotes, & qui accedūt ad dominū deū sanctificētur, ne forte derelinquat illos dominus. Et iterū: Et qui accedūt ministrare ad altare sanctū, nō adducēt in se delictū, ne moriātur. Qui ergo grauiā in se delicta adduxerūt, id est, qui idolis sacrificando sacrilega sacrificia fecerūt, sacerdotiū dei sibi vindicare nō possunt, nec vllā in conspectu eius precē pro fratrib⁹ facere, cū in Euāgelio scriptū sit, Deus peccatorē non

2. corint. 6.

Cyprianus

Gene. 14.

Abac. 2. & Rom. 1.

Roma. 4.

Proverb. 9.

Matt. 26. 2.

Leuit. 21.

Exo. 19.

audit, sed si quis deum coluerit, & voluntatem eius fecerit, illum audit. Tametsi hæc ex sacris doctoribus abunde deprompta, pellicere deberent etiam cōtumacissimos quosq; ad sincere credendum, sacramentum Eucharistiæ esse verum nouæ legis sacrificium: tamen vt exulcerentur (si fieri possit) vlcera oblatrantium, & crepāt medio ventre dissecti, si ecclesiæ reclamauerint, proferemus seria Romanorum pontificum ad suffulciendum nostram assertionem decreta, & sanctissima concilia. In epistolis itaq; decretalibus, tit. de summa Trinit. & fide catholica, cap. Firmiter credimus, ita dicit Innocentius tertius in concilio generali: Vna vero est fidelium vniuersalis Ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur, in qua idem ipse sacerdos est sacrificium Iesus Christus, cuius corpus & sanguis in sacramēto altaris sub speciebus panis & vini veraciter continentur, transsubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem, potestate diuina. vt ad perficiendum vnitatis sacramentum, accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro. Hæc ibi. Nec Christus nunc est sacrificium, q̄ offeratur patri ad subeundam mortē, semel enim oblatum est quia voluit. Sed quia sacerdos eū offert toti Trinitati in sacrosancto missæ officio, qui panis & vini integumentis adoperitur. Præterea in libro Decret. dist. 93. cap. Peruenit, hæc concilij Niceni assertur sententia atque sanctio: Peruenit ad sanctum concilium, quod in locis quibusdam & ciuitatibus, presbyteris sacramenta diaconi porrigant. Hoc neq; regula neq; consuetudo tradidit, vt ij qui offerendi sacrificij non habent potestatem, ijs qui offerūt, corpus Christi porrigant. Sed & illud innotuit, quod quidam diacones etiam ante episcopos sacramenta sumunt. hæc ergo omnia amputentur, & excidantur, & in sua diaconi mensura permaneant, sciētes quod quia episcoporum ministri sunt, inferiores presbyteris habentur. Per ordinem ergo post presbyteros sacræ gratiæ cōmunionis accipiant, aut episcopo aut presbytero porrigente eis. Ad hæc in eodē decretorū lib. de Consec. distinc. 2. cap. In Christo, adducitur ex Ambrosio in expositione epistolæ ad Hebræos hæc sententia: Semel oblata est hostia ad salutem sempiternam potens. quid ergo nos: nonne per singulos dies offerimus? sed ad recordationem mortis eius, & vna est hostia, non multæ. Quomodo est vna, non multæ? quia semel oblatum est Christus. Hoc autē sacrificium exemplum est illius, id ipsum, semper id ipsum: proinde hoc idem est sacrificiū. Alioquin dicitur, quoniam in multis locis offertur, multi sunt Christi: nequaquam, sed vnus vbique Christus: & hic plenus existens, & ille plenus. Sicut enim quod vbiq; offertur vnū est corpus, & non multa corpora: ita & vnum sacrificium. Pontifex autem ille est, qui hostiam obtulit nos mundantem. Item offerimus etiam nunc quæ tunc oblata est, consumi non potest. Quod nos facimus, in commemorationem fit eius quod factum est. Hoc enim facite (ait) in meam commemorationem. Hæc ibi. Et in eodem decret. lib. de Consec. dist. 2. cap. Panis est, assertur & hæc sancti Ambrosij sententia ex lib. 4. de Sacramētis, cap. 4. sed referā ego propria Ambrosij verba quæ illic non referuntur: Quomodo potest qui panis est, corpus esse Christi consecratione? Consecratio igitur quibus verbis est, & cuius sermonibus? Domini Iesu. Nam reliqua omnia quæ dicuntur, laus deo defertur, oratione petitur pro populo, pro regibus, pro cæteris: vbi venit vt conficiatur venerabile sacramentum. Iam nō suis sermonibus sacerdos, sed vtitur sermonibus Christi, ergo sermo Christi hoc conficit sacramētum. Hæc ille. Nec defunt nobis rationes ad eandem veritatem approbandam. Veri dei cultores in lege naturæ, sua habuerūt sacrificia, quibus deum colebant, & diuino obsequio reuerentur: illaq; tempestate sanctissimi patres Abel, Noe, Abraham, Isaac, & Iacob obtulerunt hostias deo: atqui lex noua omnibus legibus longe præcellit. Habet igitur suum excellentissimum sacrificium, cum non possit esse lex perfecta, omninoq; completa, quæ nullam habeat ad diuini cultus obsequium, præscriptam & determinatam oblationem. Adde q̄ in lege Moysayca quæ erat typus & vmbra euāgelicæ legis, erant diuersa sacrificiorum genera, ad eximium vnus dei cultum instituta, quare consentaneū est dicere in lege euan-

Innocentius tertius.

Niceni cōcilij decretū.

Ambrosius.

Lucæ 22.

Gen. 3. 8. 22. 26. & 35.

gelica longe illa præstantiore, & quæ illi successit, esse sacrificiū quoddam excellentissimum: nullū autem est Eucharistia excellentius, maius ac diuinius. est igitur Eucharistia non solum sacramentum, verū etiam & sacrificium. Item sicut cuique legi suum est sacerdotium, ita cuique sacerdotio suum est sacrificium: ita quod hæc tria, lex, sacerdotium & sacrificium, mutuā habent inter se connexionem & proportionē: ita quod vnū sine cæteris inueniri nequit, sed in noua lege est insigne quoddam & singulare sacerdotium scilicet Christi, qui est constitutus à deo patre sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. est igitur quodpiam sacrificium illi sacerdotio respondens, cuius vsus tandiu durabit, quandiu lex noua, & noua legis sacerdotium. huiusmodi autem sacrificium sacerdotio Euangelico peculiare, nō est sola immolatio Christi in cruce, pro nostra salute, quando semetipsum tradidit pro nobis oblationem & hostiam deo in odorem suauitatis. nā illa solum semel est facta, neque iterabitur vnquam: quandoquidē Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur: fuit & illa oblatio facta omnino in nouæ legis exordio, & necdum inchoata ad omnes, legis Euāgelicæ annuntiatione: sacrificium autem alicui legi & sacerdotio respondens, debet suam vim habere per totum temporis illius legis decursum. reliquum est igitur vt sanctissimum Eucharistiæ sacramentum in missæ oblatum, sit verum Christi sacrificium, huiusmodi sacerdotio accommodatum. ¶ At insurgit Lutherus, concedens Eucharistiam esse sacramentum, non autem sacrificium, proferēdo illud Pauli ad Hebræos: Hic autem, scilicet Christus, vnam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternū sedet in dextera dei: iterum in eodem loco: Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia. non est igitur dominicum corpus in missæ officio consecratum, nūcupandum nouæ legis sacrificium. Insuper cum Christus seipsum obtulit, noluit denuo ab vllis offerri, sed dūtaxat voluit memoriā sui sacrificij fieri, alioqui refacrificare, esset recrucifigere. Adde quod Christus in cœna nouissima nō sacrificauit panem & vinum: igitur missa, aut panis & vini consecratio, nō est sacrificium. Præterea verba missæ quibus vsus est Christus, in prima sacramenti institutione, sunt verba promissionis, scilicet hæc ipsa, Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, & hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis fundetur in remissionem peccatorum. non igitur missa est sacrificium, cum in verbis Christi prolatis, in ipsa primaria huius mysterij constitutione, nulla fiat mentio de sacrificio. ¶ Istis respondebimus argumentis ea forma, qua & respondet Clithoueus lib. 2. Antilutheri cap. 13. & 14. Primæ igitur obiectioni satisfaciendo, dicimus Paulum illic differere de vna hostia in ara crucis pro peccatis nostris oblata, quæ quidem oblatio neque postea iterata est, neque iterabitur vnquā: nō autem de immolatione eiusdē hostiæ sub forma panis & vini instituta, in commemorationem primæ oblationis, quod ea & frequenter fiat ex Christi cōstitutione, qui dixit, hoc facite in meā commemorationem, & hæc quotiescūque feceritis, in mei memoriā facietis, & pro peccatis nostris expiandis quotidie deo exhibeat. ¶ Secundæ obiectionis dilutio, Christus post oblationē sui in cruce, non voluit rursus ab vllis offerri eodem modo, eadēque propria corporis forma visibili & passibili, voluit tamen alio modo offerri postea, etiam vsque ad cōsummationem seculi sub speciebus panis & vini, continentibus vere suum corpus & sanguinem inuisibiliter & impassibiliter. Nam illum offerendi modum in vltima cœna ipse instituit, & frequentari debere in ecclesia catholica sanxit. Porro quāuis hic secundus Christum offerendi modus, sit memoria prioris sacrificij Christi in cruce facti, nō tamen idcirco recte colliges, non esse sacrificium, cum hæc duo adinuicem nequaquam pugnet, esse sacrificium & esse memoriā sacrificij, sed ratione habita ad diuersa, magno inter se consensu conueniant. Est enim sacrosanctum Eucharistiæ sacramētum, memoria siue cōmemoratio sacrificij per Christum semel in ara crucis oblato, cum tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam deo, in odorem

Psal. 109.

Roma. 6.

Hebræ. 10.


Math. 26.

Clithoueus

Ephē. 5.

suauitatis. Et simul idem sacramentum est sacrificium legis Euangelicæ, ad sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedec pertinens. ¶ Occurram & tertiæ rationi diluendæ: Non est negandū in primæua illa excellentissimi Eucharistiæ sacramenti institutione à Christo facta, contineri illa promissionis verba: sed non solum illa ibidem continentur, quinimò & alia insuper, quæ ad exercitium & frequentationē illius mysterij, & oblationem eiusdem sacramenti pertinet, vtpote hæc Christi verba: Hoc facite in meam cōmemorationem. Et hæc: Quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis: quæ sanè verba non tantum ad sumptionem sacrosanctæ Eucharistiæ referenda sunt, sed & ad eius consecrationē, ab apostolis & eorū successoribus faciendam, quæ nunquā sine oblatione eiusdem muneris conficitur.

C A P V T X X.

 Eremonia Iudæorum non statim post passionem Christi fuerunt mortifera & perniciofa.] Hanc suadebo Assertionem ex his quæ in Actis apostolorum scribuntur. Cum Paulus perambulasset Syriam & Ciliciam confirmans ecclesias, & præcipiens custodire præcepta apostolorū & seniorum, peruenit tandem in Derben & Lystram, & ecce discipulus quidam erat ibi nomine Timotheus, filius mulieris Iudææ fidelis, patre gentili. Huic testimonium bonum reddebant qui in Lystris erant & Iconio fratres. Hunc voluit Paulus secū proficisci: & assumens circumcidit eū propter Iudæos qui erant in illis locis: sciebāt enim omnes, quòd pater eius erat gentilis. Sed cur Paulus coactus est circumcidere Timotheum, cum tamen sciret Christi morte antiquatas esse Iudæorum ceremonias? Respondebis, metu Iudæorum perterritus, & vt Iudæorum gladios & comminationes mortis effugeret: nec tamen hoc prudēti facto deliquit. nihil enim homo diuinus & dei gratia instructus, non instinctu & afflatu diuino egit. quòd si legem dei non sit transgressus, Timotheum circumcidendo, ceremoniæ Iudæorū non subito à passione Christi erant pestifera, & obseruanti exitiales. Rursum scriptum est: Cū Paulus sustinuisset dies multos, fratribus valedicēs, nauigauit Syriam, & cum eo Priscilla & Aquila, & totondit sibi in Cenchreis caput, votum enim habuerat, & Paulus Iudæorum timore compulsus est facere quod volebat, comā nutriuit ex voto, & postea eam in Cenchreis totondit ex lege, quod Nazarei qui se deo vouerant, iuxta præceptum Moyfi facere consueuerunt. Et aliubi scriptum est, Cum venissemus Hierosolymam libenter exceperunt nos fratres, sequenti autem die introibat Paulus nobiscum ad Iacobum, omnēsque collecti sunt seniores. Quos cum salutasset, narrabat per singula quæ deus fecisset in gentibus per ministerium ipsius. At illi cum audissent, magnificabāt deum, dixeruntque ei, vides frater quot millia sunt in Iudæis qui crediderunt, & omnes emulatores sunt legis. Audierunt autem de te, quia discessionem doceas à Moyse, corū qui per gentes sunt Iudæorum, dicens non debere eos circumcidere filios suos, neque secundum consuetudinem ingredi. Quid ergo est? vti que oportet conuenire multitudinem, audient enim te superuenisse. Hoc ergo fac quod tibi dicimus, sunt nobis viri quatuor, votum habentes super se, his assumptis sanctifica te cum illis, & impende in illis vt radant capita, & scient omnes quia quæ de te audierunt, falsa sunt, sed ambulas & ipse custodiens legem. de his autem qui crediderunt ex gentibus, nos scripsimus, iudicantes vt abstineant se ab idolis immolato, & sanguine, & suffocato, & fornicatione. Tunc Paulus assumptis viris postera die purificatus cum illis intravit in templum annuntians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro vnoquoque eorum oblatio, sed Paulus rasit caput, nudipedalia exercuit de ceremonijs Iudæorum, & obtulit sacrificia, & secundum legem pro eo hostiæ fuerūt immolata, ne scandalizarentur qui ex Iudæis crediderant. Nec in istis factis arguitur improbitatis: factus est Iudæis Iudæus, vt Iudæos lucrifaceret, & gentilibus gentibus, vt omnes ad fidē Christi accerferet & pelliceret: nec censuit obseruandam esse in Timotheo circumcissionem, quòd arbitraretur figuras legis & vmbas post veritatem

Acto. 15.

Acto. 16.

Acto. 18.

Acto. 21.

Euangelij aliquid vtilitatis adferre, sed ne per occasionem gentium Iudæi à fide recederent, quibus vmbra vetus paulatim tollenda erat, sicut gentibus idololatria. Et expediebat ad tempus apostolos, veteris legis vmbas obseruare, ad declinandam Iudæorum perfidiam, & ne Iudæi repente institutis nouæ legis decretis & sancitis, à fide desciscerent. Nobis arridet Augustinus, Epistola Hieronymo, vbi dicit: Neque à me docendus es, quomodo intelligatur quod dicit Paulus, Factus sum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrifacerem, & cætera: quæ ibi dicuntur compassione misericordiæ, nō simulatione fallaciæ. fit enim tanquā ægrotus qui ministrat ægrotto, non cum se febres habere mentitur, sed cum animo condolenti cogitat, quem admodū sibi ministrari vellet, si ipse ægrotaret, & sic ipse alijs ægrotantibus ministrando cōpatitur. Nam vti que Iudæus erat, Christianus autem factus, non Iudæorum Sacramenta reliquerat, quæ conuenienter ille populus & legitimo tēpore quo oportebat acceperat: ideò que susceperat ea celebranda, cum iam Christi esset apostolus, vt doceret nō esse perniciofa ijs qui ea vellent, sicut à parentibus per legem acceperant, custodire, etiam cum Christo credidissent, non tamen in eis iam consistuerent spem salutis: quoniam per dominum Iesum salus ipsa, quæ illis sacramentis significabatur, aduenerat. Ideò que gentibus quod infuetos à fide reuocarent one re graui & non necessario, nullo modo imponenda esse censebat. quapropter non ideo Petrum emendauit, quòd paternas traditiones obseruaret, quòd si facere vellet, nec mendaciter nec incongrue faceret: quāuis enim iam superflua, tamen solita non nocerent, sed quoniam gentes cogebat Iudaizare, quod nullo modo posset, nisi ea sic ageret, tanquam adhuc etiā post domini aduentum necessaria saluti forent, quod vehementer per apostolatū Pauli veritas dissuasit. Nec apostolus Petrus hoc ignorabat, sed id faciebat, timens eos qui ex circumcissione erant. Itaque & ipse vere correctus est. Et Paulus vera narrauit, ne sancta scriptura quæ ad fidem posteris edita est, admissa autoritate mendacij, tota dubia nuter & fluctuet. Nec propterea Paulus illa sacramenta celebravit, quia simulauit se Iudæum, vt illos lucrifaceret: alioqui cur non etiam sacrificauit cum gentibus, quia & ijs qui sine lege erant, tanquam sine lege factus est, vt eos quoque lucrifaceret: nisi quia & illud fecit, vt natura Iudæus, & hoc totum dixit, non vt fallaciter se fingeret esse quod nō erat, sed vt misericorditer eis ita subueniendū esse sentiret, ac si ipse in eodem errore laboraret, non scilicet mentientis astu, sed compatientis affectu. Et illa vetera sacramēta permittenda erant paululū eis, maxime qui ex illo populo cui data sunt, venerant, postea vero tanquam cum honore sepulta sunt à Christianis omnibus irreparabiliter deserenda. ¶ At obijciat quispiam, Hieronymus Epistola Augustino, in hac conflictatione omnino decertans aduersus Augustini sententiam, dicit ceremonias Iudæorum & perniciosas esse & mortiferas Christianis, & quicumque eas obseruauerit siue ex Iudæis siue ex gentibus, eum in barathrum diaboli deuolutum: nec putat Paulum aut Petrum huiusmodi ceremonias obseruasse, sed simulasse se obseruare ad vitandum Iudæorum scandalum: nec illi defunt rationes ad suam sententiam tuendam. Cum Paulus & Barnabas venissent Antiochiam, & congregata ecclesia retulissent quanta fecisset deus cum illis, & quia aperuisset deus gentibus ostium fidei. Quidā descendentes de Iudæa docebāt fratres, Nisi circumcidamini secundum morem Moyfi, non potestis saluari. facta ergo seditione non minima Paulo & Barnabæ aduersus illos, statuerunt vt ascenderent Paulus & Barnabas, & quidā alij ex alijs ad apostolos & presbyteros in Hierusalem super hac quæstione. Illi ergo deducti ab ecclesia pertransibant Phenicen & Samariam, narrantes conuersionē gentium, & faciebant gaudium magnum omnibus fratribus. Cum autem venissent Hierosolymam suscepti sunt ab ecclesia, & ab apostolis & senioribus, annuntiantes quanta deus fecisset cum illis. Surrexerunt autem quidā de hæresi pharisæorum qui crediderunt, dicentes, quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque seruare legem Moyfi: cōueneruntque apostoli & seniores videre de verbo hoc. Cū autem magna

Augustinus.
1. Corint. 9.

Hieronymus

Acto. 14.
& 15.

conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos scitis quoniã ab anti- quis diebus deus in nobis elegit per os meũ audire gentes verbum Euangelij & cre- dere. Et qui nouit corda deus, testimonium perhibuit, dans illis spiritũ sanctum si- cut & nobis, & nihil discreuit inter nos & illos, fide purificã corda eorum. Nunc ergo quid tẽtatis deum, imponere iugum super ceruices discipulorũ, quod neque nos neque patres nostri portare potuimus? Sed per gratiã domini Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi. Tacuit autem omnis multitudo, & in sententiã eius Iacobus apostolus & omnes simul presbyteri transferũt. Hęc probant Petrum hu- ius fuisse decreti, legem post Euangelium non esse seruandam. Adde quod si post Euangelium Christi, benẽ faciãt Iudæi credentes se iuste legis mandata custodire, scilicet sacrificia offerre, filios circumcidere, sabbatum obseruare, in Cherinthi & Hebionis hæresim dilabimur, qui credentes in Christo propter hoc solum à patri- bus anathematizati sunt, quod legis ceremonias Christi Euangelio miscerunt, & sic noua confessi sunt, vt vetera nõ amitterent. Quid dicã de Hebionitis, qui Chri- stianos esse se simulant? vsque hodie per totas orientis synagogas inter Iudæos hæ- resis est quæ dicitur Mineorum, & à Phariseis nunc vsque damnatur, quos vulgo Nazaræos nuncupant, qui credunt in Christum filium dei natum de virgine Ma- ria, & eum dicunt esse qui sub Pontio Pilato passus est, & resurrexit, in quem & nos credimus. Sed dum volunt & Iudæi esse & Christiani, nec Iudæi sunt nec Christiani. Tum etiam si huiusmodi ceremoniã non adferant salutem, non sunt obseruan- da: quod si sunt obseruanda, adferunt salutem. ¶ Tamen si validissima sint Hiero- nymi in Augustinum decertantis argumenta, illis tamen paucis satisfaciemus. Pri- mum facile diluam, non idcirco Petrus reprehendit Iudæos, quod ante plenã Euan- gelij diuulgationẽ ad tempus post passionem Christi, antiquas obseruauerint cere- monias, sed quod absurde dicerent gentiles ad fidẽ Christi conuersos, & sacro ba- ptisimi fonte ablutos, non posse æternam assequi foelicitatem, nisi circumciderẽtur, & hac in re toto cælo aberrabant. Nec vnquã existimauit Augustinus ceremonias antiquæ legis post passionem Christi esse salutis æternæ necessarias. Nam in illis nõ erat figenda spes salutis. Sed antequam Euangelium fuisset abunde promulgatũ, po- terant citra vllam dei offensam obseruari, ne repente sepulta esset & quasi ex con- temptu, Iudæorum synagoga: at vbi Euangelium apostolorum præconio & diligen- tia fuit plenẽ diuulgatũ, nulli licuit absq; crimine, Iudaicas obseruare ceremonias. ¶ Secundæ rationis discussio: Damnatur Cherinthi & Hebionis hæresis, quod cre- diderint Euangelicam doctrinam esse ceremonijs antiquæ legis necessario commi- scendam, nec Euangelium polliceri gratiam & salutem, absque antiquarum traditio- num studio, & cultu sacrificiorum Mosaycæ legis: putabant forsitan illi, hominem illis antiquis vmbris & sacramentis iustificari, quod non est verum, sed erant vm- bræ prænuntiantes gratiam Euangelij, qua iustificamur, nec tamen sacramenta illa erant mala, quia erant diuinitus præcepta, temporibus personisque congruentia. nec lapsus est Augustinus in hæresim Cherinthi & Hebionis, nunquam enim cen- sedit Augustinus post passionẽ Christi fidendum esse illis antiquis ceremonijs, & in illis spem collocandam. Et hinc tertia obiectio facile dirimitur. Non enim antiqua illa sacramenta Christo passõ obseruanda erant ex præcepto, licite tamen, & absq; vllõ scelere ad tempus obseruabantur, donec gratia euangelij paulatim per omnes regiones inclareretur: & vbi plenẽ increbuit, confenerunt & omnino abolitæ sunt huiusmodi ceremoniæ, quas nulli nunc Christiano licet obseruare. Nec argu- mentum istud Hieronymi est firmum, Ceremoniæ erant obseruandæ, ergo adfere- bant salutem. Nam antequam Christus nasceretur, ceremoniæ ille obseruabantur à Iudæis etiam ex præcepto dei, & tamen nulli conferebãt salutem nec iustificatio- nem, lex enim Mosayca nõ iustificabat, iustificamur enim ex fide Christi & nõ ex operibus legis. Si enim per legẽ est iustitia, ergo Christus gratis mortuus est, qui tan- dem exteriores legis figuras & Iudaicas ceremonias soluit, licet interiorẽ legis fru-

Galat. 2.

ctum & veritatem non soluerit, sed adimpleuerit, dicit enim in Euangelio, non ve- ni soluere legem sed adimplere. Matthæi 5.

CAPVT XXI.



onfessio sacramentalis secreto faciendã sacerdoti, à Christo præcepta est & primum instituta. Hęc planẽ Euãgelica est Assertio, quam copio- se ad honorem dei & vtilitatem Ecclesiæ, atque ad subuertendum quo- rundam sacrilegam hæresim, pertractabimus. Cum Christus post suam resurrectionem suis discipulis tranquillã pacem contulisset, eõsque con- firmasset aduersus imminentes afflictiones, ne quid illis deesset ad obeundum præ- clare munus Euãgelicum, insufflauit & dixit eis: Accipite spiritum sanctum, quorũ remiseritis peccata, remittẽtur eis: & quorum retinueritis, retẽta sunt. hoc diuinum est munus apostolis collatũ, atque summa autoritas, vt eos voluerit Christus spi- ritus sancti gratia per fusos, habere potestatem relaxandi peccata fidelium, aut re- tinendi. nec illis hoc contulisset donarium, nisi voluisset peccatores astringere ad fa- ciendam sacerdotibus suorum peccatorum confessionem secretam, sine qua non possunt præpositi ecclesiastici & sacerdotes, cognoscere delinquentium scelera re- mittenda aut retinenda. Qui enim fieri potest, vt minister ecclesiasticus discutiat pondus & grauem peccatoris facinã, nisi peccator ille mœrore sui sceleris afflictus, suam sacerdoti detexerit maculam potestate clauium abstergendam? Non enim iudicabit de his quæ non nouit. nam occultissima scelera à deo cognoscuntur, co- gnoscit autẽ sacerdos cum illi aperiantur auriculari confessione. Dicit Cyrillus enar- rans illum Ioannis locum, Quum ingenti apostolus dignitate insignes atque illu- stres discipulos fecerit, & sacros mysteriorũ gubernatores ordinauerit, proprio eos spiritu quem sufflans dedit, confessim sanctificat, & eam suis discipulis potestatem largitus est saluator, vt certe absurdũ non sit peccata posse remitti ab illis, qui spi- ritum sanctum in seipsis habeant. Nam quum ipsi remittunt aut detinent, spiri- tus qui habitat in eis, per eõs remittit & detinet. Erat autem id per eos, duobus (vt arbitror) modis: primum baptismo, deinde pœnitentia. euidẽs est autem Cyrillum disserere de pœnitentia sacramentali quæ consistit in absolutione pœnitentis, qui ar- cana suæ mentis, detestando facinus, sacerdoti detexerat, vt ab illo absolueretur. Nam ita subiungit, aut credẽtes, & vitæ sanctimonia probatos homines ad bap- tismum inducunt, & indignos inde diligenter expellunt: aut ecclesiæ filijs peccanti- bus quidem increpant, pœnitentibus autem indulgent. Ad eiusdem loci enarratio- nem dicit Chryostomus: Nõ dixit accepistis, sed accipite spiritum sanctum. nõ ta- men quispiam erraret, si tunc eos potestatem quandam & gratiam spiritalem acce- pisse diceret: non tamen vt mortuos suscitarent, & virtutes ostenderent, sed vt pec- cata dimitterent: differẽtes enim sunt gratiæ spiritus, quare addidit: Quorũcunque remiseritis peccata, remissa sunt, ostendens quod virtutis genus largiatur. & paulõ post subdit, Omnia ergo faciamus, vt spiritum sanctũ habere possimus: & qui eius gratiam assecuti sunt, eos quãtauis reuerentia colamus. Magna enim dignitas sacer- dotum. quorũcunquẽ remiseritis, inquit, remissa sunt peccata. Nec credendũ est ma- gnam esse sacerdotum maiestatem & præcellẽtem quandam dignitatem, nisi quodd corpus Christi consecrare possunt, & remittere sceleratorum facinora, ac coerce- re si coercenda sint ac retinenda. Adde quod cum Christus pestilentissimam cuius- dam leprosi saniem purgasset, dixit: Vide nemini dixeris, sed vade ostende te sacer- doti, & offer munus tuum quod præcepit Moyses in testimonium illis. Tamen si pu- stulentæ leprosi fordes, amplissima Christi gratia mudatæ essent, nec indigeret sa- cerdotis opera, vt absolute purgaretur: illum tamen à foetidissima scabie liberum dimisit abire. interim tamen, vt se sacerdoti ostenderet mundum, sua offerendo munera, ne Iudaicum videretur institutum aspernari. Nõne hæc sunt mysteria & mysticæ adumbrationes potestatis sacerdotalis? Vt præsignificet Christus ad eũdem esse noui testamenti sacrificulum, tamen nos in cœtitudinẽ admitti sceleris contri-

Ioan. 20.

Cyrillus.

Chryosto.

Matth. 8.

ros, & emaciatos, deus abluerit: nec tamen te à peccatis abluir, nisi adeas, cum tibi opportune licuerit, destinatum ecclesiae ministrum, te repurgat, modo clauis sacerdotibus conceditas non despexeris, quarum contemptu despicitur is, qui sacerdotibus tantam virtute clauium potestatem impartitus est. Obserua quæso munus à Christo collarum Petro, quod præ cæteris apostolis dixerit primum, saluatore non frum esse filium dei viui, cui respondit Christus, fidem illam diuina pefaturus gratia, beatus es Simo Bariona, quia caro & sanguis nõ reuelauit tibi, sed pater meus qui in cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram, ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et dabo tibi clauis regni cælorum. Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatū in cælis, & quodcunque solueris super terram, erit solutum in cælis. Nec soluit Petrus, aut is qui vices Petri subit, vt solum indicet vitium delinquentis, & indicado iudicet, quod Mosaycæ legis sacerdos faciebat, sed suo ministerio re vera soluit aut ligat: alioqui Euāgelicus sacerdos, legis Mosaycæ sacerdoti nõ præferretur, quod tamē est absurdissimum, quo enim sacerdotium maius est & excellentius, eo minister debet esse excellentior & insigniorem obtinere dignitatem: sed sacerdotiū Euangelicæ legis præstantius est sacerdotio Leuitico, siue legis Mosaycæ sacerdotio, igitur & Euangelicæ legis sacerdos, debet esse excellentior sacerdote legis Mosaycæ, & longe illi præferri. Quamobrē non recipio omnimodē interpretationem Hieronymi, salua tamen eius reuerentia, illum Matthæi locum exponens, vbi dicit: Istum locum Episcopi & presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Phariseorum assumunt supercilio: vt vel damnent innocentes, vel soluere se noxios arbitrentur: cum apud deum, non sententia sacerdotum, sed reorū vita queratur. Legimus in Leuitico de leprosis, vbi iubentur vt ostendant se sacerdotibus: & si lepram habuerint, tunc à sacerdotibus immundi fiant, non quo sacerdotes leprofos faciant & immundos, sed quo habeat notitiam leprosi & non leprosi, & possint discernere qui mundus quive immundus sit. Quomodo ergo ibi leprosum sacerdos mundum vel immundum facit: sic & hic alligat vel soluit Episcopus & presbyter non eos qui infontes sunt vel noxij, sed pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quive soluendus. Hæc ille. Conferat sacerdotem Euangelicum Leuitico, quemadmodū Leuiticus diiudicabat de lepra, ita & Euāgelicus discernit de vario scelerum discrimine, & scit quisnam sit soluendus vel ligandus, nec tamen putat requirēdam esse sacerdotis sententiā, nec alligat nisi quia iudicat quis dignus sit vinculis, nec soluit, nisi quia scit quisnam dignus sit vt à laqueis & vitiorum pedicis soluatur & eripiatur. No uerat Hieronymus (quem docere nolo) aut noscere debuerat, latum esse discrimen inter vmbra siue figurā veritatis, & ipsam veritatē. Sed plus satis de his. Insuper Christus dixit suis discipulis indiscriminatim: Amen dico vobis quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo, & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo, sed quomodo laqueos vitiorū dissoluent, aut obuincient hominum delicta, nisi agnouerint & potissimum secreta confessione, quæ nā facinora turpia, aut soluenda sunt, aut alliganda? Non enim satis est coram omnibus fateri se deliquisse, suppresso eo quo deliquimus vitio. Nec particulatim omnibus aperies flagitiosissimum scelus, quod in reipublica perniciem admisit, aut conspiraueris, ne vulgo sis fabula, & te prodas omnibus: hoc enim legi naturæ aduersatur. Illi ergo tuū vulnus, tuamque labem aperies, qui nullo iure potest reuelare, potest autē tibi maxime prodesse, tuisque mederi vlcibus, te absolueno à male actis & turpiter perpetratis. Ad hæc, quæ apud Matthæum dicuntur de duobus discipulis missis in quoddam castellum, vt asinam alligatam & pullum soluerent, & adducerēt Christo, subindicant spiritali intelligentia conceditam esse potestatem apostolis soluendi peccatores scelerū sarcinis prægrauatos, & durissimo legis iugo oneratos, qui cum primum à laqueis vitiorum forent erepti, adducerentur ad Christum, & ad amplectendam Christi gratiam. Nonne etiam Christus singularem ostendit gratiam, quam

fuis contulit discipulis? cum excitato à morte Lazaro (qui quatruiduano fœtore squallebat putridus) dixit eis, soluite eum, & finite abire. solutus erat Lazarus à vin
culis demonum & vitiorum, fuit tamen ministerio & potestate apostolorum solutus à ligamentis. soluit deus per se, & sua summa authoritate homines peccatorum pedicis intricatos. soluit & sacerdos ministerialiter, & huius ministerio eripit Christus miseros à morte, nec eripit cōtempo sacerdotū officio. Nec beatus Iacobus scripsisset in promulgationem legis prius lata, Cōfitemini alterutrū peccata vestra, nisi à Christo, primo sacramentorum nouæ legis institutore, fuisset prius huiusmodi iam facta constitutio. Demū in Actis apostolorū legimus, quod multi creditiū veniebant, cōfidentes & annuntiātes actus suos, cōfessione scilicet secreta sacerdoti facta. Adferam & sacrorum doctorum testimonia præter illa quæ à nobis paulo antè prolata sunt: Augustinus exponens illū Ioannis locum, Soluite & finite abire, dicit: Cum Lazarus processisset mortuus adhuc ligatus, confitens & adhuc reus, vt solueretur peccata eius, ministris hoc dixit dominus, soluite illum, & finite abire. Quid est soluite & finite abire? Quæ solueritis in terra, soluta erunt in cælo. illic haud obscure ostendit sacerdotes & dissoluere quæ dissoluenda sunt flagitia, & coercere quæ coercenda sunt. Et ad explicandam illam Ioannis sententiam: Accipite spiritum sanctum, quorum remisistis peccata &c. dicit: Ecclesiae charitas quæ per spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris, participum suorum peccata dimittit, eorum autem qui non sunt eius participes, tenet: ideo postea quàm dixit accipite spiritum sanctum, hoc continuo de peccatorum remissione ac detentione subiecit. Adde quod libro vno de vera & falsa pœnitentia, capite 10. (si modo liber ille sit Augustini, quod non forsità omnino absurde censet Erasmus, non esse Augustini, quia citatur Augustinus 17. capite, licet tantilla sit hæc ratio: cuiusuis tamē authoris sit illud opusculum, vera sunt, quæ scribuntur) Quem ergo, inquit author, pœnitet omnino pœniteat, & dolorem lachrymis ostēdat, repræsentet vitam suam deo, per sacerdotem, præueniat iudicium dei per confessionem. præcepit enim dominus mundatis, vt ostenderent ora sacerdotibus, docens corporali præsentia continentia peccata, nõ per nuntium, non per scriptum manifestanda: dixit enim: Ora monstrate, & omnes non vnus pro omnibus. Non alium statuaris nuntium, qui pro vobis offerat munus à Moyse statutum. Sed qui per vos peccastis, per vos erubescatis. Erubescencia enim ipsa partem habet remissionis: ex misericordia enim hoc præcepit dominus, vt neminem pœniteret in occulto, in hoc enim quod per seipsum dicit sacerdoti, & erubescenciam vincit timore offensi, fit venia criminis, fit enim per confessionem veniale, quod criminale erat in operatione. Et si non statim purgatur, fit tamen veniale, quod cōmiserat mortale, & interiectis aliquot sententijs, dicit: Et quoniam verecūdia magna est pœna, qui erubescit pro Christo, fit dignus misericordia. Vnde patet quod quāto pluribus cōfitebitur in spe veniæ turpitudinē criminis, tanto facilius consequetur misericordiam remissionis. ipsi enim sacerdotes plus iam possunt proficere, plus confitentibus parcere: quibus enim remittunt, remittit dominus, Lazarum de monumento iam fuscitatum, obtulit dominus discipulis soluendum, per hoc ostendens potestatem soluendi concessam sacerdotibus, dixit enim: Quodcunque solueritis super terram, soluetur & in cælis, hoc est, Ego deus & omnes ordines cælestis militiæ, & omnes sancti in mea gloria laudant vobiscum & confirmant, quos ligatis & solutis, non dixit, quos putatis ligare & soluere, sed in quos exercetis opus iustitiæ aut misericordiæ. Alia autē opera vestra in peccatores non cognosco. Quare qui confiteri vult peccata, vt inueniat gratiam, querat sacerdotem scientem ligare & soluere: ne cum negligēs circa se extiterit, negligatur ab illo qui eū misericorditer monet, & petit, ne ambo in foream cadant, quam stultus euitare noluit. Tanta itaque vis confessionis est, vt si deest sacerdos, confiteatur proximo. Sæpe enim contingit quod pœnitens non potest confiteri coram sacerdote, quem desideranti, nec locus nec tempus offert. Et si

Matth. 16.

Hieronymus

Leuit. 14.

Matth. 18.

Matth. 21.

Ioan. 11.

Iaco. 5.

Acto. 19.

Augustinus

Ioan. 20.

Rom. 5.

Luca 17.

Matth. 18.

ille cui confitebitur, potestatem soluendi non habet, sit tamen dignus venia ex desiderio sacerdotis, qui socio confitetur turpitudinem criminis. mundati enim sunt leprosi, dum irent ostendere ora sacerdotibus, antequam ad eos peruenirent. Vnde patet dominum ad cor respicere, dum ex necessitate prohibetur ad sacerdotes peruenire. Saepè quidem eos quarunt sani & laeti, sed dum quarunt antequam perueniant ad eos, moriuntur. Sed dei misericordia est vbique, qui & iustis nouit parcere, etsi non tam cito sicut si soluerentur à sacerdote. Qui igitur omnino confitetur, sacerdoti meliori quam potest, confiteatur. praeterea in psalmum 94. ad locum illum, Praueniamus faciem eius in confessione, dicit Augustinus: Confessio quidem duobus modis accipitur in scripturis. Est confessio laudantis, & est confessio gementis. Confessio laudantis, ad honorem pertinet eius qui laudatur: confessio gementis, ad poenitentiam pertinet eius qui confitetur. Confitentur enim homines cum laudant deum, confitentur cum accusant se: & nihil dignius facit lingua. Perspicuum autem est, Augustinum non agere solum de poenitentia interiori quae contritio vel attritio appellatur, sed etiam de poenitentia sacramentali siue de confessione auriculari. subdit enim de illo qui suam fatetur sacerdoti culpam, & seipsum vltro accusat, & nihil dignius facit lingua: & multo apertius suam prodit sententiam, in illum psalmi locum: Dixi, confitebor siue vt legit pronuntiabo, aduersum me iniustitias meas domino, & tu remisisti impietatem cordis mei. Quid, inquit, dixisti? Non iam pronuntiat, sed promittit se pronuntiatum, & ille iam dimittit. attendite fratres, magna res, dixi, pronuntiabo. Non dixi pronuntiaui, & tu dimisisti. Dixi, pronuntiabo, & tu dimisisti, quia eo ipso quod dixit, pronuntiabo, ostendit quia nondum pronuntiauerat, sed corde pronuntiauerat: hoc ipsum dicere, pronuntiabo, pronuntiare est. ideo & tu remisisti impietatem cordis mei. Confessio verò mea ad os nondum venerat. Vox mea nondum in ore erat, sed auris dei iam in corde erat. Et Sermone quodam de confessione peccatorum, dicit: Hortatur nos sapius scriptura ad medicamenta fugere confessionis, non quod deus indigeat confessione nostra, cui omnia praesto sunt quae cogitamus, loquimur, aut agimus: sed nos aliter salui fieri non possumus, nisi confiteamur poenitentes quod inique gessimus delinquentes. Qui seipsum accusat in peccatis suis, hunc diabolus non habet iterum accusare in die iudicij: si tamè confitens poenitendo deleat quae fecit, nec iterum renouet quae egit. Confitemini, inquit Iacobus apostolus, alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem vt saluemini. Viuens confiteatur peccator quae fecit, quia non est fructuosa confessio apud inferos, nec poenitentia ad salutem proficiens. Et Sermone vno de confessione peccatorum ad fratres in Eremo dicit (si tamen sermones illi sunt Augustini, quod tamen existimo) Dicere solent homines, fratres charissimi, Deus cuncta nouit, apud eum nec praeteritum, nec futurum est, omnia videt, & omnia ponderat, omnia nuda & aperta sunt ei. Quare igitur vult vt confiteamur hominibus peccata nostra quae nequiter gessimus? Nunquid non melius est cuncta mala tacere, quam ea praedicare in tectis? Ecce enim quis dicet, peccaui super omnes homines. Sed si cuncta hominibus praedicauero, omnibus hominibus peior reputabor à cunctis, exemplo meo multi multa mala committent. Quomodo ergo confiteri debet homo alterutrum peccata sua? O homo, an ignoras quod omnes peccatores sumus? & si dixerimus quod peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est, omnes peccamus, omnes cum peccato nascimur, omnes in peccata demergimur, etiam infans, cuius est vnus diei vita super terram. cur ergo timemus peccata confiteri? tamen oportet confiteri deo quoniam bonus est, & in aeternum misericordia eius. Vult enim deus quod confiteamur, non quod ignoret peccata nostra, sed vt diabolus audiat quoniam confitemur, & poenitet nos peccasse, & peccatis confessis cum dolore & lachrymis, non habeat amplius vnde nos incuset. Ecce enim fratres diabolus vult vt taceamus, deus vult vt confiteamur. & cui magis obediendum sit? certe constat quod deo, qui salutaria praecipit. Non enim sufficit cessare à malo,

Psal. 94.

Psal. 31.

Iaco. 5.

Sapient. 11.
Hebr. 4.

1. Ioan. 1.

Psal. 105.

nisi peccata quae fecimus, confiteamur cum dolore. Nec soli deo sufficit confiteri, sed alterutrum peccata nostra confiteri debemus. Tum etiam differens Hieronymus in Ioelem, locum illum: Inter vestibulum & altare plorabunt sacerdotes ministri domini, & dicent, parce domine populo tuo, dicit: Nota quod sacerdotibus praecipiat qui sunt ministri domini, vt plorent inter templum & altare, & dicant cum Apostolo: Quis infirmatur & ego non infirmor? quis scandalizatur & ego non vror? locumque aptus poenitentiae & confessioni templum est & altare, docetque quid dicere debeant sacerdotes, imò quomodo dominum deprecari: Parce domine populo tuo, qui quando peccabat, vocabatur non populus tuus, nunc postquam recessit à vitijs, appellatur populus tuus. Nec puto Hieronymum de sola confessione deo facienda, locum illum intellexisse, sed etiam de confessione secreta sacerdoti facienda. solet enim sacerdos in templo audire arcana nostrae mentis, & vbi audiuit, soluit quae soluenda sunt, aut retinet quae sunt commode retinenda. Et ad illud Ecclesiastica: Si momorderit serpens in silentio, non est amplius habenti linguam, dicit, Si quem serpens diabolus occulte momorderit, & nullo confcio eum peccati veneno infecerit: si tacerit qui percussus est, & non egerit poenitentiam, nec vulnus suum fratri & magistro voluerit confiteri: magister qui linguam habet ad curandum, facile ei prodesse non poterit. Si enim erubescat agrotus vulnus medico confiteri quod ignorat, medicina non curat. Hæc ille. Et similitudine medici noxios corporum morbos sanantis, qui duntaxat vulnera sibi explorata curat, perpendimus medicum animorum: nec solum deum ipsum, quem nihil latere scimus, & qui seipso, & nullius ope adiutus, pestiferas animorum lepras depellit: sed & sacerdotem dei ministrum, & Christi vicarium, qui solum cognitis medetur animorum vlcibus, nec curat scelus non detectum. quare poenitentem oportet prompta voluntate, sua ministris ecclesiasticis aperire vlcera, omnesque animi morbos, si sanus velit euadere. Adde quod Chrysostomus edifferens appositè & copiosè de excellentissima Sacerdotum potestate, libro equidem tertio de Sacerdotio, ita loquitur: Etenim qui terram incolunt atque in ea versantur, ijs commissum est, vt ea quae in caelis sunt, dispensent: ijs datū est vt potestatem habeant, quam Deus optimus neque angelis, neque archangelis datā esse voluit. neque enim ad illos dictū est, Quaecumque alligaueritis in terra, erunt alligata & in caelo: & quaecumque solueritis in terra, erunt soluta & in caelo. habent quidem & terrestres principes vinculi potestatem, verum corporum solum: id autem quod dico sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam cotingit, atque ad caelos vsque pertingit: vsque adeo, vt quaecumque in infernè sacerdotēs confecerint, illa eadē deus supernè rata habeat, ac seruatorū sententiam dominus confirmet. iam quid ipsum hoc aliud esse dicas, nisi omnē rerum caelestium potestatem illis à deo concessam? Quoruscumque enim, ait, peccata remiseritis, remittuntur: quoruscumque retinueritis, retenta sunt. Cado, quae nā potestas hac vna maior esse queat? Pater omnifariam filio potestatem dedit. Caterum video ipsam eandē omnifariam potestatem à filio illis traditam. Nam vt iam in caelum translati, ac supra humanam naturam positi, atque adeo morbis affectibusque nostris liberi effecti, ita demum illi in principatum istum perducti sunt. Quid multa? Rex aliquis, sicut ex subditis suis honorem hunc imperitus fuerit, vt potestatem habeat quoscumque velit in carcerē conijciendi, eosque rursus relaxandi, is nimirum beatus & admirandus iudicio omnium fuerit. at verò qui à deo tanto maiorem accepit potestatem, quanto caelum terra pretiosius est, quanto etiam animarum corporibus praestant: hic ita ne vilem adeo dignitatem accepisse nonnullis videri debet, vt vel in illorum cogitationem descendere queat: reperiri quandoque posse vnum aliquem ex eorum numero quibus tanta illa quae paulo ante dixi, fuerunt à deo concredita, cui ipsi munus suum fordescat, quique donū sibi à deo datum despiciat. Procul, procul faceat huiusmodi infania, infania enim manifestaria, despiceret tantum istum principatum, sine quo neque salutis neque promissorum bonorum compotes fieri possumus. Nā si non potest quis

Hieronymus
Ioel. 2.

2. Corin. 11.

Ecclesiastica. 10.

Chrysostomus.

Matth. 18.

Roma. 13.

Matt. 28.

Q. j.

Ioan. 3:
Ioan. 6.

in regnum caelorum ingredi, nisi per aquam & spiritum regeneratus fuerit, & qui non māducat carnem domini, & sanguinem eius non bibit, aeterna vita priuatur. omnia autē haud aliter quā per sacrosanctas illas manus perficiuntur, manus inquam sacerdotū: qui fiet vt citra illarum opē, aut gehennae ignem euitare quis possit, aut reposita in caelo coronae praemia assequi? Hi enim sunt, hi sunt in quā, quibus tum concredita sunt spirituales parturigines, tum etiam baptismatis partus à deo est commissus, per hos ipsos Christum induimus, vnā cum dei filio sepelimus, beatæ carnis illius membra efficimur, quo nomine sacerdotes ipsos merito non modo plus vereri debemus, quā vel principes vel reges, verū etiam maiori honore quā parentes ipsos honestare. Hi enim ex sanguinibus & voluntate carnis geniti sunt. At illi, auctores nobis sunt natiuitatis eius quā à deo habemus, beatæ regenerationis illius, libertatis veræ, atque adeo adeptiois eius qua nos per gratiam filij dei sumus effecti. Corporis lepram purgare, seu vt verius dicam, haud purgare quidem, sed purgatos probare, Iudæorum sacerdotibus solis licebat: neque nefcis quanta cum ambitione, quanto cum studio ac cōcertatione sacerdotalis dignitas, id temporis acquireretur. At verò nostris sacerdotibus, nō corporis lepram, verum animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est. Quare iudicio quidem meo, qui istos despiciunt, cōtemnuntque, multo sceleriores, ac maiori supplicio digni fuerint, quā fuerit Dathā. Hæc ille. Nosti lector optime, diuinam sacerdotum præstantiā ac dignitatem, præclaris à Chrysofostomo commendatam esse encomijs, quibus id muneris attribuendum vere censet, vt animæ sordes non solum monstrent ac præbent purgatas esse, sed re vera purgent. Conquiescant igitur sacerdotum hostes infestissimi, ab importunis sputis ac dissolutis cachinnis, quibus maledica lingua ac spurcissimo ore, caelestem & maxime admirandam sacerdotum maiestatem ac auctoritatem labefactarunt & conspurcarunt. En vides reū debere ad pedes sacrificuli prosterni, & victo arrogantiae supercilio, suam agnoscere coram sacerdote culpam? vt ab ergastulis scelerum ac caco-dæmonum ereptus, plaudat deo & congratuletur, quod tam augustam tamque insignem suis ministris cōtulerit potestatem. ¶ At insultabit quispiā: Videtur Chrysofostomus in plerisque suorum operum locis fateri, confitendum esse soli deo. nam concione quarta de Lazaro, ita scribit: Condemnasti tuum peccatum? deponisti farcinam. Quis hæc dicit? Ipse iudex deus. dic tu peccata tua prior, vt iustificeris. Quis igitur te quæso pudefcis & erubescis dicere peccata tua? Caue enim homini dixeris, ne tibi opprobret. Neque enim conferuo confiteris, vt in publicū proferat, sed ei qui dominus est, ei qui tui curam gerit, & qui humanus est, ei qui medicus est, ostendis vulnera. Neque enim ignorat, etiam si tu non dixeris, qui sciebat etiam antequam perpetrare. Et paulo post dicit: Non cogo te in medium pro-dire theatrum, ac multos adhibere testes. Mihi soli dic peccatum priuatim, vt sanem vlcus, teque dolore liberabo. Et Sermone de poenitentia & confessione, dicit: Solus te deus confitentem videat. Deus qui non exprobrat peccata tua, sed soluit peccata propter confusionem. ¶ Hæc nihilo me mouent, nec indicant Chrysofostomum in ea fuisse sententia, vt dixerit non esse confitendum sacerdoti, cum inter omnes sacrarum literarum interpretes, magnopere commendat sublimem sacerdotum auctoritatem, & ministerialem in abluendis peccatis potestatem, prudenter dicit: Caue homini dixeris, ne tibi opprobret. Non enim patefacis peccatum tuum sacerdoti vt tibi impropere, & te accuset: sed vt in secretissima illa confessione possit tibi prodesse, teque à vinculis flagitiorū liberare. Solum præten-dit dicere Chrysofostomus vt caueas, ne te prodas in publicum, nec tua detegas omnibus occulta scelera: alioqui esses tibi offendiculo, tuamque famam inculpatissimam læderes: & cum confiteris sacerdoti, non aperis secreta tui animi proletario homini, & illi qui nullam in te habet iurisdictionem spiritalem: sed vicario Christi, & simul deo confiteris. Dic igitur soli deo esse confessionem primario exhiben-

Nume. 16.

Esa. 43.

dam. Nam primo debes sordes tuæ mentis cum luctu & mœrore tui spiritus, offerre deo abstergendas, ea tamen conditione, vt destinaueris te submissurum sacerdoti, quando temporis occasio & opportuna hora tibi suppetet: secundario faciendā est sacerdoti confessio, qui nullo iure potest reuelare tuam confessionem. Etsi feruentissima contritione tua culpa esset omnino absterfa & delata, illa tamen humilis in sacerdotem submissio, non nihil poenæ auferret tuis vitijs debita: si igitur aliubi repereris, & in alijs doctores, Soli deo confitendum esse, quod videtur cursim attingere Ambrosius libro primo Epistolarum, Epistola prima, dicens: Illi soli se offerat, qui culpam non hominem exurit: intellige primario, & cui attributa est summa auctoritas expiadorum scelerum. Sacerdotibus autem prompto animo & sincero affectu te offeras, non tamen credendo illum remittere, si deus non remiserit prius tempore vel natura. Confugas primo ad profuentissimum misericordiæ fontem, qui tuam sitit salutem, nec ab eo patris repulsam, si modo iugi studio, & continuis preceationibus eum interpellaueris. Præterea beatus Cyprianus Sermone quinto de lapsis, maxime commendat exomologesim siue confessionem sacerdoti factam, dicit enim: Videt ille corda & pectora singulorum, & iudicaturus non tantum de factis, sed & de verbis & de cogitationibus nostris omnium mentes voluntatesque conceptas in ipsis adhuc clausi pectoris lateribus intuetur. Denique quando & fide maiore & timore meliore sunt, qui quamuis nullo sacrificij aut libelli facinore conficti, quoniam tamen de hoc vel cogitaue-runt, hoc ipsum apud sacerdotes dei dolenter & simpliciter confitentur, exomologesim cōscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam paruis licet & modicis vulneribus exquirunt, sciētes scriptum esse: Deus non deridetur. derideri & circūueniri deus non potest, nec astutia aliqua fallente deludi. Plus imò delinquit, qui secundum hominem, deum cogitans, euadere se poenam criminis credit, si non palam crimen admisit. Christus in præceptis suis dicit: Qui confusus me fuerit, confundet eum filius hominis. Et Christianum se putat, qui Christianus esse aut confunditur aut veretur. Quomodo potest esse cum Christo, qui ad Christum pertinere, aut erubescit aut metuit? Et paulo post subnectit: Confiteamur singuli quæso vos fratres delictum suum, dum adhuc qui deliquit, in seculo est, dum admitti confessio eius potest, dum satisfactio & remissio facta per sacerdotem apud dominum grata est. Agnoscis planè Cyprianum Euangelicæ philosophiæ studiosissimum, maximo opere secretam confessionem (quæ sacerdoti fieri solet) cōmendasse. Adde quod Tertullianus approbat auriculariā veterum confessio-nem, quæ solebat fieri cū acerba corporis castigatione. Sic enim scribit libro de Poenitentia: Tantum releuat confessio delictorum, quantum dissimulatio exaggerat. confessio enim satisfactiois consilium est, dissimulatio contumaciæ. huius igitur poenitentiae secundæ & vnus quanto in arto negotium est, tanto operosior probatio: vt non sola cōscientia proferatur, sed aliquo etiam actu administratur, is actus qui magis Græco vocabulo exprimitur & frequentatur exomologesis est, qua delictū domino nostrum confitemur, non quidem vt ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur: confessione poenitentia nascitur, poenitentia deus mitigatur. itaque exomologesis prosternedi & humiliandi hominis disciplina est, conuersationem iniungens misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu atque victu, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animū mœroribus deijcere, illa quæ peccauit tristi tractatione mutare, cæterum pastum & potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animæ causa. Plerunque verò ieiunijs preces alere, ingemiscere, la chrymari & mugire dies noctesque ad dominum deum tuum, presbyteris aduolui, & aris dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ iniungere. Hæc omnia exomologesis vt poenitentiam cōmendet, vt de periculi timore deo minum honoret, vt in peccatorem ipsa pronuntians pro dei indignatione fungatur & temporali afflictatione aeterna supplicia nō dicam frustretur, sed expungat:

Q. ij.

Ambrosius.

Cyprianus

Galat. 6.

Mar. 8.

Tertullianus

Cum igitur prouoluit hominem, magis releuat: cum squalidum facit, magis mūdātum reddit: cum accusat, excusat: cum condemnat, absoluit. in quantum non pepereris tibi, intantū tibi deus (crede) parcat. Et paulo post dicit: Cū te ad fratrum genua protendis, Christū contrectas, Christum exoras. Hæc ille. Nō mihi placent quæ annotauit Rhenanus vir sanè non vulgaris literaturæ, in argumēto huius libri, dicit ille Chrysoſtomum authorem esse, soli deo & non sacerdoti confitendum, propter quasdam rationes quas ex Chrysoſtomo desumpsit: & nos easdem desumpsimus, & studuimus aperte omnibus fidem facere, Chrysoſtomum nunquā in ea fuisse sententia, quod asseueranter dixerit, soli deo & non sacerdoti cōfitendum. Cum dicat sacerdotes purgare animi fordes, nec purgāt quod eos latet, sed quod per cōfessionem secretā illis innotescit. debuerat ille interpretari quod dicit Chrysoſtomus: Nō dico tibi vt te prodas in publicum omnibus, scilicet secretum scelus detegendo, quāuis in sacra æde, atque in publico loco se submittat & prosternat ad pedes sacerdotis. Blāditur & ille cuidam Geuilerio, qui apud amicos testatus est secundum præscripta Thomæ & Scoti, impossibile confiteri. Vbiunque locorum stultus suam prodit stultitiam, & infantilem imprudentiam, nec tamen illum voco stultū: & cum alios ridet & subannat, à seipso deridetur turpiter. Nihil mihi videtur dicere Thomæ & Scotus de institutione auricularis confessionis, quod pugnet cū Euan gelio, & quod sacris aduersetur literis. Sed plus satis de hac re. Illum admonere velim, quāuis mea non indigeat admonitione, vt caninum non exerat dentem in doctos Theologos, & exacte sacrorum doctorum sententias euoluat, antequam de illis suam ferat cēsuram. Nec credas Erasmo, qui in Scholijs Epistolæ Hieronymi in epitaphium Fabiolæ, dicit: Apparet Hieronymi tempore nondum institutam fuisse secretam admissorum cōfessionem, quam postea ecclesia salubriter instituit. imprimis nouerat Hieronymus potestatem sacerdotalē post resurrectionem Christi fuisse institutam à Christo, vt in secreta confessione abluerent peccata. Etiam fatetur Hieronymus (vt iam visum est) sacerdotē pro officio suo cum peccatorum audierit varietates, scire quānam est ligandus vel soluendus. errat (pace eius dixerim) dicendo ecclesiam instituisse secretam confessionem. Non enim instituit, sed determinat dies & tempora, quibus laici confiteri debent. Si enim ecclesia instituisset secretam confessionem, non autē Christus, confessio auricularis non esset præcepta iure diuino, sed solo humano, quod est absurdissimū. ¶ At obijciat qui Lutheranismum sapit, Periculosa est admodum omnium peccatorum sub occultissima confessione consideratio. Nam tunc temporis suboriri potest nescio quānam carnis titillatio, & subitanea ad libidinem excitatio. Insuper dicit regius propheta: Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam domino, & tu remisisti impietatem peccati mei: vbi pollicetur Dauid sub persona peccatoris, se prompto animo detestaturum sua scēlera deo, & hanc amat deus pollicitationem, cui suum remittendi criminis præsidium non denegat, sed semper paratus est scelerum cathenas dissoluere. quid igitur opus est emaculatis animæ sordibus, proficisci cū tanta erubescencia ad ecclesiasticū ministrum? Tum etiā Zachæus à Christo iustificatus est, si ne vlla exteriori coram sacerdote delicti detestatione, & Maria etiam Magdalene vbertim sua defleuit crimina, nec tamen vlli præterquā Christo sua detexit scēlera. Ad hæc, Passio Christi fuit pro omnibus satisfactoria, quid igitur extranea quadam satisfactio opus est, & ad illum confugere, qui nihil remittit quod non fuerit remissum? Præterea in exordio Christianæ legis, fiebat cōfessio soli deo. Et quādo quis intulerat alicui iniuriam, confitebatur illi suum scelus, cui irrogauerat iniuriam, & de peccatis publicis fiebat publica confessio. ¶ Facile diluētur seorsim, quæ propositæ sunt obiectiones. ¶ Primæ dilutio, Nullum prorsus imminet periculum illi, qui constanti animo, & cum moderatione, ac prudenti discretione, suam abunde discutit cōscientiam, imò optatissima tranquillitatis animi oblectatio. Nam illa vltroque circumstantiarum confessio, quæ nulla prorsus occasione possunt eius illiba-

Rhenanus.

Erasmus.

Psal. 31.

Lucæ 19.
Lucæ 7.

tam vulnerare cōscientiam, neque illi adferent detrimentum, illum reddit longe propensiorē ad litandum deo, & ad assequēdam largius diuini muneris gratiam. & quāuis suboritur feruida carnis titillatio, & repentinus obrepat impulsus, potest tamen is quem pœnitet, subito ingemiscere & mœrore affligi, si illi prurigini & tēgigni cōsensum dederit. Quis nescit nos facile turbulentis affectionū procellis agitari & concuti? nobis tamen est ratio ad oblectandū, modo, diuino adiuti præsidio, strenui in difficillimo agone certauerimus. nostris enim diffidentes viribus, confugium ad sacram habemus anchorā, qua ab hostibus protegimur, & qua instructi hostiles diaboli & carnis impetus facile sustinemus. Nec immerito Christus nos cōmō nefaciens nostræ salutis, vt continuo ageremus excubias, ad oppugnandum diaboli insidias, dixit Petro & duobus Zebedæi filijs: Vigilate, & orate, ne intretis in tētationē. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. ¶ Secundæ discussio. Illic propheta differit de firmo & efficaci proposito, quo munitus pœnitens pollicetur se detestaturum feruida quadam contritione suam labem. Et licet Dēus agnoscens huius pœnitētis mœrorem, tristitiam, & gemitus, iam remisit maculam: non propterea erit otiosa auricularis confessio. si enim nec sancto proposito, nec pio affectu vellet ad ecclesiasticū ministrum contēdere, sed cōtemneret claus regni cælorum sacerdotibus commissas, non assequeretur à deo sui delicti condonationem & veniam. Et quāuis à deo priusquam se deijceret ad pedes sacerdotis, remissa sit culpa: multis tamen rationibus properat ad sacerdotem: Prima, ad præstandam deo & sanctæ ecclesiæ obedientiam, qui suis præceptis nos obstrinxerunt, vt ostenderemus nos sacerdotibus: Secunda, vt per erubescentiā & verecundiam, quā in sacramentali pœnitētia perferimus, non nihil pœnæ tēporalis peccato debitæ exoluatur: Tertia, vt virtute ecclesiasticarum clauium, & sacramentalis absolutionis, aliqua etiam pars pœnæ temporalis adimatur: Quarta, vt rudes & illiterati, cū erudiuntur à docto sacerdote, agnoscant grauissimā suorum scelerum sarcinā, grauitatem, & qualitatem: Quinta, vt confitentes accipiant à sacerdote satisfactiois faciendæ mensurā & modum, quid & quantum debeant pro satisfactioe suorum delictorum agere. ¶ Tertiæ respōsio, cum respicit ad internā pœnitentiā Zachæus, pariter & Magdalena, & etiam cum pœnituit Petrus non sine profuso luctu, negasse Christum, nondum erat instituta confessio sacramentalis sacerdoti faciendā: nec tamen ex illis desumas consecutionem hanc, non est igitur sacerdoti confitendum. aliquando missa non erat instituta, non tamen colligendum est, nullum esse in missa deo offerendum sacrificium, nec missam nūc esse in vsu. ¶ Quarta facile diluētur. Non ad dubito Christum abunde satisfecisse, & sufficienter pro abstergendis omnium delictis, efficaciter verò pro illis qui sincera fide & feruentissima charitate deo coniunguntur. Nam sanguis Christi, sanguis quidem noui testamenti effusus est pro multis in remissionem peccatorum. Deleuit etiam Christus sua passione quod aduersus nos erat chirographum peccati, cōscriptum ex præuaricatione primi parentis, & in omnes posteros traductū, & pœnam æternā nostris mortiferis delictis debitā, per applicationē meriti suæ passionis ad nos, virtute sacramenti pœnitentiæ: eam tamē cōmutando in temporale, sublato culpæ reatu. Nō tamen ita satisfecit, vt totā pœnam temporale, in quam cōmutata est æterna pœna, exoluerit. Quoniā illud legi æquitatis & iustitiæ nō respōdet, vt docte annotauit Clithoueus, in opere veritatis, cap. 18. quod quis per seipsum alicui magnæ autoritatis domino inferat iniuriā, & tamen læso nullam pro illa exhibeat emendationē & satisfactioē, illud itidem otiosos redderet homines, ad bonū tardos, ad malum verò procliuiores. ¶ Quinta ratio qua vtitur Lutherus tāquam achillea, nullo fulcitur sacre scripturæ testimonio, ad suadendum nunc non esse cōfitendum sacerdoti. Hæc enim ratio est ficulnea, & nihil habens pensū, In exordio Euāgelicæ prædicationis & Christianæ legis, soli deo fiebat cōfessio, ergo nunc nō debet fieri cōfessio sacerdoti. Christus enim post suam passionem cōferens sacerdotibus potestatem remittendi peccata & retinen-

Matth. 26.

Matt. 26.
Colos. 2.

Clithoueus

Q. iij.

di, instituit confessionem sacramentalem, & voluit nos obstringi ad manifestandū clanculum & secreto, sacerdotibus nostra scelera. Et quamvis in exordio Christianae legis pro publicis delictis fieret publica confessio, illa tamen erat iudiciaria aut ciuili, & non illa de qua contendimus, quae certo tēpore instituta est à Christo com modissime. Ecclesia autē determinat tempora & dies, quibus laici confiteri tenentur, vt semel saltem in anno, tempore paschatis. Nec tamen instituit confessionē, nec vlla Romanorum pontificum decreta, sed solum statuit & praescribit dies & tempora faciendae confessionis.

CAPVT XXII.



Exo. 15.

Origenes.

Exo. 15.

Gala. 5.

Collo. 3.

Deute. 32.

Psal. 8.

Anticis Deus non solum laudatur, sed etiam reconciliatur.] Contendimus primum ex sacris antiqui instrumenti scripturis probare cantica & hymnos deo maxime placuisse, deinde ex Euangelica philosophia probatissimum adferemus authorem pro stabilienda vtriusque partis Assertionem. Scriptum est in Exodo: Tunc cecinit Moyses & filij Israel carmen hoc domino, & dixerunt: Cantemus domino, Glorioso enim magnificatus est, equum & ascensorem deiecit in mare. Hunc enarrans locum Origenes homilia sexta, super Exodum, dicit: Multa quidem cantica fieri legimus in scripturis diuinis, horum tamen omnium primum istud est canticum, quod Aegyptijs & Pharaone submerso, populus dei post victoriam cecinit. Moris quippe sanctorum est, vbi aduersarius vincitur, tanquam qui sciant non sua virtute, sed dei gratia victoriam factam, hymnū deo gratulationis offerre. Accipiunt tamen hymnum canentes, etiam tympanum in manibus suis, sicut de Maria sorore Moysi & Aaron referitur. Et tu ergo si mare rubrum transieris, si Aegyptios mari submergi videris, & extingui Pharaonem, atque in abyssi profundum praecipitari, potes hymnum canere deo, potes vocē gratulationis emittere, & dicere: Cantemus domino, Glorioso enim honorificatus est, equum & ascensorem proiecit in mare. Melius autem & dignius haec dices, si habueris tympanum in manu tua, id est si carnem tuā crucifixeris cum vitijs & concupiscentijs, & si mortificaueris membra tua quae sunt super terram: Haec ille. Adde quod expressissimum est Deuteronomij canticum, insigniter decantandum, cuius exordium est: Audite caeli quae loquor, audiat terra, verba oris mei. Concresecat in pluuiam doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum. Quasi imber super herbam, & quasi stilla super gramina: quia nomen domini inuocabo. Date magnificentiam deo nostro, dei perfecta sunt opera, & omnes viae eius iudicia. his sanctis admodum canticis, pertrahebat Moyses Israeliticum populum ad extollendum non sola mente, verū etiam & voce, ineffabile dei maiestatem, & amplissima beneficia vni Iudaico populo collata. Nouerat quippe Moyses sacrificandum esse deo, omnibus & corporis & animi viribus. Et quauis nec musicis rythmis indigeat deus, nec canticis aut hymnis: huiusmodi tamen moderatis canticis ad extinguendum dei furorem emissis, placatur rex omnium diuinissimus, istis condonat veniam, remittit & sceleratorum crimina, istis exhilarescit praconijs, mitescit & placatur, si modo syncerus animi affectus ac intus igneae deuotionis feruor, voci respondeat, & cum quadā temperata harmonia cohaereat. Insuper indicat psalmographus pudico infantium ore occinendum esse deo, dicens: Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. nihil dulcius ac iucundius deo illis cantibus, nihil nobis suauius ad mitigandam dei iracundiam. tales amat deus cantilenas, nō clamorissimas quorundam temulentorum vociferationes, nec stentoreas voces. placent deo cantus & hymni moderati, & spiritui accommodatissimi. Mera autem balbuties & importuna acclamatio, absque villo delectu deo displicet, diuināsque aures (si ita dicam) offendit. Laudat Christus in Euangelio castam innocētissimorum infantium cantilenā, quam, vt illi aduentati in Hierosolymam urbem congratularentur, officiosissime cecinerūt. Sic enim scribit Matthaeus: Videntes autē principes sacerdotum, & scribae mirabilia quae fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Osianna filio Da-

uid, indignati sunt, & dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? Iesus autem dicit eis, vti. Matth. 21. que: nunquam legistis, quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem? Enarrans hunc locum Chrysostomus, audis quid isti dicunt, sic scribit: Atqui Christo potius haec verba conueniebant, qui cum infantes sibi hymnū decantarent, dicere potuisset, non auditis quid isti dicunt? Quid igitur Iesus his qui tam manifestis signis & rebus aduersabatur? Acrius vt corrigeret carpsit dicens, nunquid legistis quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem? Quam rectissime ex ore dictū est: non enim ex mente illorum illa verba procedebant, sed virtute ipsius, tenera illorum lingua, ad formanda haec verba ducebatur. Quae res, balbutientes tunc gentes quae post ex fide maxime sonuerunt, figurate significauit. Apostolos quoque nimium confortauit. Nam ne ambigeret quoniam rudes homines tantam rem potuerint praedicare, hoc infantum exemplo vniuersa huiusmodi mentis angustia fedari potuit, cum dubitare nequissent, quin & ipsis facultatem dicendi daturus sit, qui paruulos fecerat eloquentes. Ad haec naturae quoque dominū atque creatorem, miraculum demonstrabat. infantes igitur quauis per aetatem non possent, significant tamen, & rebus conuenientiam decantabat: viri autem quasi furiosi loquebantur. Si maius desideres testimonium, & exactiorem nostrae Assertionis veritatem, proferam illud psalmographi: Confitemini domino in cythara, in psalterio decem cordarum psallite illi. Cantate ei canticum nouū, bene psallite ei in vociferatione, nos hortatur Dauid vt omnibus musicae artis instrumentis, & canticis, laudemus deum, & suscipiamus, illi & mente & corpore, omniūque obsequiosissimi officij genere asurgamus. Ad illum prophetae locum dicit Augustinus: Hoc enim etiam modo cantabamus, hoc ore consono exprimentes, corda vestra docebamus. & in alio psalmo dicit Dauid: Benedicam dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. cum dicit laus eius in ore meo, exprimit, & in hymnis & canticis, diuinā maiestatem à nobis praedicandam esse, semperque linguam debere esse paratissimam ad decantandas dei laudes. Ille humanum mouet organum ad sacrum melos caelestibus personandum, imò nobiscum canit, nec illius destituti praesidio, diuinas agimus cantiones. & alibi dicit regius propheta: Te decet hymnus deus in Sion, & tibi reddetur votū in Hierusalem. cui igitur potissimum hymnis assurgendum est? & quem praeter deum peculiari vocis commedatione colere debemus? audis ne prophetam deuotus hymnorum precationibus diuinum numē extollentē? Illi summe, huiusmodi officijs litat & plaudit, nullōque encomiorū genere satis potest accepta à deo beneficia commendare. Adde quod cum Christus suis dixisset discipulis: Non bibam de hoc genere vitis, donec bibam nouum vobiscum in regno patris mei, hymno dicto exierunt in montē oliueti, post cibum discipuli Christi in memoriā beneficij accepti, ad laudes dei canebant hymnū, & nutriti suauissimo sacrosanctae hostiae cibo, peractis hymnis contenderunt ad montem oliueti, vt illic vigilarent vnā cum praepatore in orationibus. Ad hunc locum cōmentandū dicit Chrysostomus: Audiant omnes, qui quasi porci cum iam comederint euerfa calcibus mensa, temulenti cōsurgunt, cū agere gratias debeant, & in hymnum à mensa deuenire. Beatus Ambrosius praefatione in psalmos Dauidicos subscribit vtrique parti nostrae assertionis, vbi dicit: Delectatur canticis deus non solum laudari, sed etiam reconciliari. Inde & Moyses tunc maxime cantico vsus est, quando caelum testificabatur & terram, vt salutem suam caelestis sono gratiae concinentem, audius mundus audiret, & sacrae suauitate dulcedinis in aeternum legis obseruatiam mentibus inoleret humanis. Denique legis tabulae priusquam cantico firmarentur, per indignationem Moysi fractae & comminutae sunt. Vbi verò tali signaculo consecratae sunt, humana locum ira non habuit, quia sanctificatio eā sacrae suauitatis exclusit. Canticū itaque domini sicut ros mollior descendit de caelo, & fidem hominum sicut gramē imbre quodā gratiae spiritalis infudit. Duo igitur cantica in libris Moysi, tanquam duo mundi oculi caelique lumina, totum corpus operis eius illustrat. At verò Dauid principaliter à domino, ad

Q. iij.

hoc munus electus est, ut quod in alijs rarū præminere reliquo in opere videtur, in hoc iuge & continuum resfulgeret. Vnum canticum legimus in libro Iudicum, reliqua historiae more decursa, quibus expressa sunt gesta maiorum. Exordium verò illius cantici sic habet: Cecineruntque Delbora & Barach filius Abinoem in illo die, dicentes: *Qui sponte obtulistis de Israel animas vestras ad periculum benedicite domino. Audite reges, auribus percipite principes. Ego sum, ego sum quæ domino canam, psallam domino deo Israel.* Vnum Esaias canticum scripsit, quo legentium corda mulceret, in reliquis terribili tuba correptionis infremuit. Canticum ei ne ipsi quidem inimici obijcere potuerunt, qui eum propter alia dicta usque ad necem sunt persecuti. Apud Esaiam memoriae proditum est, Ezechiam cum cepit à morbo coualescere, cecinisse canticum, ne ingratitude nota inureretur, & ex illo cantico selectum hoc cecinit: *Domine saluum me fac, & psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo domini.* Daniel vnum canticum scripsit, in quo commendat inuictam trium puerorum constantiam, qui medijs in flammis ardentissimæ fornacis, vno ore laudabant & glorificabant dominum, dicentes: *Benedictus es domine deus patrum nostrorum, & laudabilis & gloriosus & superexaltatus in secula.* Abacuc etiam vnum addidit canticum, *Domine, inquit, audiui auditionem tuam, & timui.* Et Salomon licet innumera cantica cecinisse dicatur, vnum tamen quod ecclesia receperit Canticum canticorum, dereliquit. Tum etiam laudat Augustinus cantus ecclesiasticos, loquens enim libro 9. Confessionum, de huiusmodi institutione, capite septimo, sic dicit: *Tunc hymni & psalmi ut canerentur secundum morem orientaliū partium, ne populus mæroris tædio contabesceret, institutum est: & ex illo in hodiernum retentum, multis iam ac penè omnibus gregibus suis, & per cætera orbis imitantibus. Aspernatur tamen Augustinus libro 10. Confessionū, capite 33. clamosissimas quorundam non tam canentium quàm obstrepentium vociferationes, ubi dicit: *Melos omne cantilenarū suauium, quibus Dauidicum psalteriū frequentatur, ab auribus meis remoueri velim, atque ipsius ecclesiæ: tutiusque mihi videtur, quod de Alexandrino Episcopo Athanasio sæpe mihi dictum commemorari, qui tam modico flexu vocis, faciebat sonare lectorem psalmi, ut pronuntianti vicinior esset, quàm canenti.* Item miris extollit laudibus Canticum Israelitarum libro primo de mirabilibus sacræ scripturæ, capite vigesimo primo (si modo opus illud dignū fuerit Augustiniano iudicio) Considerates, inquit, filij Israel validissimam potestatem, quam in sui liberatione dominus fecit Moysæ præcinente consono carmine canticum domino, vniuersi decantabant. Vbi enormi satis admiratione accidit dignum miraculum, ut cuncti pariter senes cum pueris & omnes ætates eodē inspirati fame, vno quasi ex ore, nulla præmunitione edocti easdem concinenter literas decantarent in vnum. Sed naturæ inquisitor in hoc loco securus efficitur, ubi non cōsuetudine humani ingenij, sed diuino spiritu cantorum pectora, & ora inspirantur. Sed in his tamen cantoribus nil idem spiritus contra naturam effecisse dignoscitur, in quibus per ora & linguas halitus & vox ad verba mouetur. Et quod per verbum & studium ipsi facere potuerunt, consonum omnes carmen decantare in vno momento dominus illis donauit. Et qui paulo ante in profundo coram eis apparuerat, ipse postmodū in tali cantico eorū linguas & ingenia gubernabat. Insuper Epistola Ianuario, ostendēs quando hymni & psalmi sunt ab ecclesia decantandi, dicit: *Si enim eo modo impediatur ut maiora studiorū lucra speranda sint, quàm calūniatorum detrimenta metuenda, sine dubitatione faciendū est, maxime illud quod etiā de scripturis defendi potest, sicut de hymnis & psalmis canēdis, cū & ipsius domini & apostolorū habeamus documēta & exempla & præcepta de hac re tā vtilia.* Ad mouendū pie animum & accendendū diuinæ lectionis affectū, varia cōsuetudo est, & pleraque in Africæ ecclesiæ mēbra pigriora sūt, ita ut Donatistæ nos reprehēdāt, quod sobrie psallimus in ecclesia, diuina cātica prophetarū, cum ipsi ebrietates suas ad canticum psalmodiū humano ingenio compositorū, quasi tubas exhortationis in*

Iudic. 5.

Esa. 38.

Danie. 3.

Abacu. 3.

Augustinus.

flamment. Quando autē non est tempus, cū in Ecclesia fratres cōgregantur sancta cantandi, nisi cū legitur aut disputatur, aut antistes clara voce diaconi indicitur. Adde quod lib. 2. Retract. ca. 11. meminit cuiusdam Hylarij viri tribunitij, Laici & catholici, qui aduersus dei ministros (ut fieri assolet) irritatus, morem qui tunc esse apud Carthaginem cœperat, ut hymni ad altare dicerentur de Psalmorum libro, siue ante oblationem, siue cum distribueretur populo quod fuisset oblatum, maledica reprehensione vbicunque poterat, lacerabat, asserens fieri non oportere. Huic respondit Augustinus: *Iubetibus fratribus & vocatur liber ille, ut asserit Augustinus, contra Hylarium, & hic liber sic incipit: Qui dicunt mentionem. sed non memini me legisse librum illum in illis operibus Augustini, quæ in nostris versantur manibus.* Valdenses eundem fouerunt errorem, quibus misere adhæsit Ioannes Vuitecleff, qui plurimum detraxit sacris cantibus, quibus Ecclesia laudes deo concinit, & cantores Ecclesiasticos vocat sacerdotes Baal. Sed ille hallucinatus est non intelligendo sacras scripturas. Beatus Hieronymus enarrans illum Pauli locum ad Ephesios, Loquētes vobismetipsis in psalmis & hymnis & canticis spiritualibus: indicat quàm modeste & sobrie sit vtendum temperato concentu, & moderatis canticis in Christiana Ecclesia, & hac in re mirum in modum cohæret Augustini censura: *Qui, inquit, se abstinuerit ab ebrietate vini, in quo est luxuria, & pro hoc spiritu fuerit impletus: iste omnia potest accipere spiritualiter, psalmos, hymnos & cātica, & aliquot interiectis sententijs, dicit: Canere igitur & psallere & laudare dominū magis animo quàm voce debemus. hoc est quippe quod dicitur: Cantantes & psallentes in cordibus vestris domino. Audiant hæc adolescentuli, audiant hi quibus psallendi in Ecclesia officium est, deo non voce sed corde cantandum. Intellige quid hoc sibi velit, & præcedentibus connectas, magis occinendum esse deo corde, quàm voce, utroque tamen modo illi placemus. Nec in Tragedorum, inquit, modum guttur & fauces dulci modulamine collinendas, ut in Ecclesia theatrales moduli audiantur & cantica: sed in timore, in opere, in scientia scripturarum.*

Ioannes Vuitecleff.

Hieronymus
Ephes. 5.

CAPVT XXIII.



Concupiscentia carnis dimittitur in baptismo, non ut non sit, sed quòd non imputetur in peccatū. Hæc Augustiniana est assertio & vere Paulina. Differens Augustinus subtiliter libro 1. de Nuptijs & concupiscentia, cap. 25. de illa abditissima difficultate, quomodo deletio peccati reatu, remanet vis quædam, imò sæuissimus hostis in membris nostris, & infestissimus morbus, nobis tyrannico impetu insultans, nosque ad turpia quæque perpetranda prouocans, dicit: *Si autem quæritur quomodo ista concupiscentia carnis maneat in regenerato, in quo vniuersorum facta est remissio peccatorū: quandoquidem per ipsam seminatur, & cum ipsa gignitur proles parentis etiam baptizati. aut certe si in parente baptizato potest & esse peccatum, & non esse, cur eadem ipsa in prole peccatum sit? Ad hæc responderetur, dimitti concupiscentiam carnis in baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur. Quauis autem reatu suo iam soluto, manet tamen donec sanetur omnis infirmitas nostra, proficiente renouatione interioris hominis de die in diem, cum exterior induerit incorruptionem. non enim substantialiter manet, sicut aliquod corpus aut spiritus: sed affectio est quædam malæ qualitatis, sicut languor. Nō ergo aliquid remanet quod non remittatur cum fit, sicut scriptū est: Propitius dominus omnibus iniquitatibus nostris, sed donec fiat. & quod sequitur: Qui sanat omnes languores tuos, qui redimet de corruptione vitam tuam. Manet in corpore mortis huius carnalis concupiscentia. Cuius vitiosis desiderijs ad illicita perpetranda non obedire præcipimur, ne regnet peccatum in nostro mortali corpore. Quæ tamen concupiscentia quotidie minuitur in proficientibus & continentibus: accedente autem senectute multo maxime. Qui vero ei nequiter seruit, tantas in eo vires accipit, ut plerunque iam ætate deficientibus membris, eisdemque partibus corporis ad illud opus iam moueri mi-*

Augustinus.

Psalm. 102.

nus valentibus turpius & procacius insanire non desinat. Et cap. 26. scrupulum hunc apertius excutiens, dicit: In eis ergo qui regenerantur in Christo, cum remissionem accipiunt prorsus omnium peccatorum, utique necesse est ut reatus etiam huius, licet adhuc manentis concupiscentiae remittatur, ut in peccatum sicut dixi, non imputetur. Nam sicut eorum peccatorum quae manere non possunt, quoniam cum fiunt, praeteriunt, reatus tamen manet, & nisi remittatur, in aeternum manebit: sic illius concupiscentiae quando remittitur, reatus aufertur. Hoc est enim non habere peccatum, reum non esse peccati. Nam si quisquam verbi gratia fecerit adulterium, etiam si nunquam deinceps faciat, reus est adulterij, donec reatus ipsius indulgentia remittatur. Habet ergo peccatum, quavis illud quod admisit iam non sit, quia cum tempore quo factum est praeteriit. Nam si a peccando desistere, hoc esset non habere peccatum, sufficeret ut hoc nos moneret scriptura: Fili peccasti, non adicias iterum. Non autem sufficit, sed addidit: Et de pristinis precare, ut tibi remittantur. Sed quomodo manent si praeterita sunt, nisi quia praeterierunt actu, manent reatu? Sic e contrario dicendum erit de concupiscentia membrum insita, quae non tam dicenda est peccatum, quam propensissima quaedam ad peccandum proclivitas, quae soluto per sanctam baptismi lotionem, peccati reatu, manet actu: quod yberim ostendit capite 27. dicens: Sic itaque fieri e contrario potest, ut etiam illud maneat actu, praeteriit reatu. Agit enim aliquid concupiscentia carnis, & quando non exhibetur ei vel cordis assensus ubi regnet, vel membra velut arma quibus impleatur quod iubet, actus manet, reatus praeteriit. agit autem quid nisi ipsa desideria mala & turpia? non enim si bona & licita essent, eis obedire prohiberet. Apostolus, dicens: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ad obediendum desiderijs eius. non enim ait ad habenda desideria eius, sed ad obediendum desiderijs eius, ut quoniam sunt in alijs maiora, in alijs minor, prout quisque in hominis interioris novitate profecerit, in hoc agonem iustitiae pudicitiaeque seruemus, ne illis obediamus: ut tamen nec ipsa sint desideria, velle debemus etiam si in corpore mortis huius id obtinere non possumus. Hinc enim & alio loco idem Apostolus loquens velut ex suae personae introductione, nos instituit, dicens: Non enim quod volo hoc ago, sed quod odi illud facio, id est concupisco, quia & hoc nollet facere, ut esset omni ex parte perfectus. Si autem quod nolo, inquit, hoc facio, consentio legi quoniam bona est, quia hoc & illa non vult quod & ego nolo. Non vult enim ut concupiscam, quae dicit: Non concupisces. & ego nolo concupiscere. In hoc itaque consentiunt voluntas legis & mea. verum quia concupiscere volebat, & tamen concupiscebat, sed eidem concupiscentiae nequaquam consentiendo serviebat, adiunxit atque ait: Nunc autem iam non operor illud, sed id quod inhabitat in me peccatum. Et libro 2. de Peccatorum meritis & remissione contra Pelagianos, cap. 4. dicit concupiscentiam tanquam legem peccati manere in membris corporis mortis huius, cum paruulis nasci, in paruulis baptizatis a reatu solui, ad agonem tamen relinqui, quae ante agonem mortuos nulla donatione persequitur paruulos non baptizatos, reos innectit, & tanquam irae filios etiam si paruuli moriantur ad condemnationem trahit. In gradibus autem baptizatis, in quibus iam ratione utentibus quicquid eidem concupiscentiae mens ad peccandum consentit, propriae voluntatis est, deletis peccatis omnibus, soluto etiam reatu, quo vincit origi naliter detinebat, ad agonem interim manet, non sibi ad illicita consentientibus, nihil omnino nocitura, donec absorbeat mors in victoria, & pace perfecta nihil quod vincatur, existat. Et lib. 1. Retract. cap. 15. explicans quod dixerat libro vno contra Manichaeos, de duabus animabus, cap. 10. nusquam esse peccatum nisi in voluntate dicit: ne Pelagiani ex hoc sumant ansam defendendi, Paruulos non habere peccatum, quod in baptismo remittatur: quia nondum arbitrio voluntatis utuntur. Quasi vero peccatum quod paruuli ex Adam originaliter traxerunt, nusquam potuerit esse nisi in voluntate. Dicit enim Paulus aduersus haec: Si quod nolo hoc facio, iam non ego operor illud, sed quod in me habitat peccatum, & ex eo peccatum vocatur, quod peccato fa-

Ecclesiast. 12

Rom. 6.

Rom. 7.

Exodi 20.

1. corint. 15.

ctum est, & poena peccati est: quandoquidem hoc de concupiscentia carnis dicitur, quod aperit in consequentibus, dicens: Scio quia non habitat in me, id est, in carne mea bonum. Velle mihi adiacet, perficere autem bonum non inuenio. Perfectio quippe boni est, ut nec ipsa concupiscentia peccati sit in homine, cui quidem quando bene viuatur, non consentit voluntas: verum tamen non perficit bonum, quia inest adhuc concupiscentia, cui repugnat voluntas, cuius concupiscentiae reatus, in baptismo soluitur, sed infirmitas manet: cui donec sanetur, omnis fidelis qui bene proficit, studiosissime reluctatur. Peccatum autem quod nusquam est nisi in voluntate, illud praecipue intelligendum est, quod iusta damnatio consecuta est. Hoc enim per vnum hominem introiit in mundum, quanquam & hoc peccatum quo consentitur peccati concupiscentiae, non nisi voluntate committitur. Et epistola Aellico episcopo, dicit, peccatum quod in nobis habitat, ad intelligentiam Pauli, esse concupiscentiam carnis, quae operatur in nobis motus suos, etiam quando eis non obedimus, dum non regnat peccatum in nostro mortali corpore ad obediendum desiderijs eius, nec exhibemus membra nostra, arma iniquitatis peccato, in qua iustitia nondum consummata, perseveranter proficientes ad eius consummationem quandoque veniemus, ubi peccati concupiscentia non cohibenda atque frenanda, sed nulla sit. Hoc enim lex posuit dicendo, non concupisces, non quod hic valeamus, sed ad quod proficiendo tendamus. Verum hoc fit non lege quae hoc imperat, sed fide quae hoc impetrat, non litera qua iubetur, sed spiritu quo sanatur. Non ergo meritis operantis hominis, sed largientis gratia saluatoris. Vtilitas itaque legis est, ut hominem de sua infirmitate conuincat, & gratiae medicinam, quae in Christo est, implorare compellat. Et libro 10. de Genesi, ad literam, capite 12. differens de concupiscentia carnis aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, dicit non esse in potestate nostra, non concupiscere, quando inest peccatum in membris, id est violenta quaedam carnis illecebra in corpore mortis huius, veniens de vindicta illius peccati, unde propaginem ducimus, secundum quam omnes ante gratiam filij sunt irae. Sed ne praecipitium feceris, intellige sublimem illam Augustini sententiam & philosophiam, de infra membris nostris radice ipsius concupiscentiae, & proclivitate ad delinquendum: quia semper remanet quando hic peregrinamur, concupiscentia in agone. Ideo ne Paulus de magnitudine reuelationum quas viderat, superbiret, & elata efferreret arrogancia, sensit stimulum carnis rebellem, & rationi reclamantem: quem tamen domuit, & sanctissima temperantia ac austeritate castigauit. Et licet rogauerit dominum ut a se auferretur, non tamen exorauit, sed illi responsum est, Paule, sufficit tibi gratia mea, virtus in infirmitate perficitur. Est tamen situm in nostra facultate non concupiscere quantum ad consensum illicitae concupiscentiae. Possimus enim oblectando fortiter, non consentire incidenti & obrepenti concupiscentiae. alioqui frustra deus nobis praecipisset ne concupisceremus. Et ne putent senes insolescendo, hanc effrenis concupiscentiae tyrannidem & sauitiam perdomuisse, nec vlla se carnis tentigine ac prurigine titillari, dicit Augustinus libro primo de Ciuitate dei, capite 25. ostendens hunc noxium hominis morbum ad mortem usque durare: Quod si illa concupiscentialis inobedientia quae adhuc in membris moribundis habitat, praeter nostrae voluntatis legem, quasi lege sua mouetur: quanto magis absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis? Haec ille. Nec addubito vim illam concupiscendi, intime nobis infixam, pertrahere hominem quo vult, nisi ratio hominis diuino iuuetur patrocinio, & praepediat seruator noster ne huc & illuc rapiat hominem caeco temporanae felicitatis amore delinitum. Et huic plaudit sententiae Augustinus, dicens in illum psalmi locum, Te decet hymnus deus in Syon, & tibi reddetur votum in Hierusalem, delectationes carnales, nobis illicite multa suggerere, quibus non consentimus, sed tamen non consentiendo contendimus. Primo ergo concupiscentia carnis sequentes duxit nos, postea renitentes traxit nos: deinde accepta gratia coepit

Roma. 5.

Roma. 6.

Exodi 20. & Deut. 5.

Galat. 5.

Ephes. 2.

2. corint. 12.

Psalm. 64.

nos nec ducere nec trahere, sed adhuc contendere nobiscum, post contentionem erit & victoria. Modo te etsi oppugnat, non expugnet. postea cum absorpta fuerit mors in victoria, & pugnare cessabit. Agit & tomo nono de his quæ nobis præstant medelam ad extinguendum concupiscentiæ incendium. Multa habet tomo 10. de concupiscentia siue pœna peccati, ex propagine primi parentis profluxa. Satis fit attingisse exquisitora. Agnoscito concupiscentiam esse nobis naturalem, & vitium ex omnibus maxime naturale: quod si ieiunijs, vigilijs, orationibus, & pijs erga pauperes officijs mortificaueris, eam pedibus supplantabis & supplantando conculcabis. Huic conuicti veritati Chrysostratus in illum Matthæi locum, Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. vbi dicit duo esse vitia, iracundiam scilicet, & concupiscentiam: quæ tyrannidem quandam in hominum pectoribus exercent: ita vt sola ex omnibus magis naturalia esse videantur. A concupiscentia autem possumus liberari, si eam mortificauerimus. Nec Christus omnino & generaliter concupiscentiam interimit, sed illam quæ ex formæ decore concipitur, quam plerumque videndi curiositate colligimus. Hæc ab incunabulis est insita homini, hanc tamen nobis plus æquo familiarem, nimiumque ad blandiendam etiam si somno vigilijs frugerimus, nullo alio potissimum quam diuino præsidio mitigare possumus & vincere, etiam quantumuis aduersus hæc, paratam ad obstitendum ipsius spiritus promptitudinem attuleris. Repagulum huic vehementer contrarium adferetur, Caro autem est infirma. Nec abs re dicebat Christus Petro & duobus Zebedæi filijs, ingruente sui cruciatus procella, & imminente morte: Vigilate & orate. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Hunc putat locum Hieronymus intelligendum esse propter temerarios, qui quicquid crediderint, putant se posse consequi. quatum igitur de ardore mentis conuidimus, tantum de carnis infirmitate timeamus. Lactabat plerumque Petrus se moriturum pro Christo, etiam si cæteri discipuli passim fuissent scandalum & dedecus in morte Christi. cum tamen oportuit ore fateri suum dominum coram principibus sacerdotum, nullus illo inuentus est imbecillior, timidior, & qui magis extimesceret mortem, qui ante primum galli cantum, ter dominum negauit. Noli igitur fortissimis concupiscentiæ telis vulneratus, & domestico obsessus prælio nimium tuis confidere viribus. Perpetue tuæ carnis infirmitatem, & standum esse in iugi concupiscentiæ conflictu. Nihil tibi elato supercilio arroges, neque tua ostentes. Paulinæ semper sis memor sententia, in nobis habitare peccatum, id est peccati violentiam quæ nos arripit, authore Theophylacto: siue (vt dicit Origenes) legem & voluntatem carnis, quæ captiuos nos ducit in lege peccati. Hæc autem peccati lex, est consuetudo carnalium vitiorum, qua victi plerumque interiorem hominem deserimus, qui nihil attentat, nihilque optat, quod syncerum non fuerit & purum.

CAPVT XXIII.

Arnis prouidentia culpanda non est. Hanc desumo assertionem ex Augustino, libro vno expositionis quarundam propositionum ex epistola ad Romanos, ad illum Pauli locum: Carnis prouidentiam ne feceritis in concupiscentijs vestris. siue vt habet vulgata editio, in desiderijs. ostendit Paulus, authore Augustino, non esse culpandam carnis prouidentiam, quando ea prouidentur, quæ ad necessitatem salutis corporalis valent. Si autem ad superfluas delectationes atque luxurias, vt quisque in his gaudeat, quæ carne cupit, recte reprehenditur, quia prouidentiam carnis in concupiscentijs facit. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne metet corruptionem: id est, qui delectationibus carnalibus gaudet. Idem sentit Origenes eundem edifferens locum: Carnis, inquit, cura non est penitus excludenda. Nam in necessarijs habenda est, in delicijs vero, & luxuria, atque omni concupiscentia penitus est excludenda. Hæc ille. Nec vetat Paulus carnis prouidentiam & mediocrem fouendi corporis curam. Id enim æquitati & legi naturali aduersaretur, quæ consulit nutriendæ carni necessaria: eamque

totis viribus à frigore, nuditate, omnibusque inclementissimi cæli iniurijs protegit. Adde quod Chrysostratus monens tomo 2. Sermonem 12. ne carnis concupiscentias sectemur, quæ generant mortem, non inhihet moderatam ac temperatam carnis curam. Nam quemadmodum deus nec potum vetuit, sed ebrietatem interdixit: nec nuptias respuit, sed incontinentiam improbauit: ita & carnis habendam esse rationem non negat, sed prodeuntes ex ea cupiditates. Quod autem carnis curam habendam esse Paulus affirmet, audi quæ admodum his verbis Timotheum commonefaciat, Vino modico vttere propter stomachum tuum, & tuos frequentes languores. Nec fecus hoc loco carni ad sanitatem vult, non ad luxum & intemperantiam prouideri: aliter enim nec dici prouidentia posset, si per eam aut flammam succederes, aut ignis caminum tibi redderes grauiorem. Vt autem clarius perdiscatis quid sit ad carnis concupiscentias & desideria prouidentia, & quemadmodum illa possint euitari, opulentos animaduerte, & ventri deditos, abundantique vestium ornatu excultos, vel delicijs immerfos, & eos qui vitam per luxum & incontinentiam ducunt, attendite: sic vobis, quæ dixerim, facile innotescunt: hi enim hæc non ad bonam corporis valetudinem factitant, sed vt profilere lenius possint, & venerem incitare. Verum qui Christum induerit, delicijs vniuersis eiusmodi intercisit, id solum curat, vt corpori æquam pariat valetudinem, pro qua vel sola consequenda, carnis cura habenda est, neque id ultra aliquid appetendum. Incumbendum præterea erit omni nisi spiritualibus rebus. hoc pacto nullis eiusmodi & varijs libidinibus grauatus, excitari hac tua somnolentia poteris. Hæc ille. Insuper Salomon vir inter cæteros sapientissimus, subindicat in suis Prouerbijs non esse negligendam humani viatici curam, & exemplo formicæ sibi prouidentissimæ, nobis in opere laborem & diligentissimam operam proponit, ne torpente inertia ac admodum pigra torpedine, oscitanter obruamur & soluamur. Ita enim loquitur: Ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. Ertere quasi Damula de manu, & quasi auis, de insidijs aucupis. Vade ad formicam & piger, & considera vias eius, & discite sapientiam: quæ cum non habeat ducem, nec præceptorē, nec principē, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat: vsquequo piger dormies? quando confurges de somno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conferes manus tuas vt dormias, & veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus. Si vero impiger fueris, veniet vt fons messis tua, & egestas longe fugiet à te. Et alibi. Propter frigus piger arare noluit: medicabit ergo æstate & non dabitur illi. Et rursus, Noli diligere somnum, ne te egestas opprimat. Item, Per agrum hominis pigri trāsiui, & per vineam viri stulti. Et ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant superficiem eius spinæ, & maceria lapidum destructa erat. Quod cum vidissem, posui in corde meo, & exemplo didici disciplinam. Vsquequo piger dormies? vsquequo de somno confurges? Parum inquam dormies, modicum dormitabis, paululum manus conferes vt quiescas: & veniet tibi quasi cursor egestas tua, & mendicitas quasi vir armatus. **A**t conflictabitur quispiam: Hæc assertio euangelicæ aduersatur disciplinæ. Si enim aspernari debeamus sollicitudinem cibi & potus & indumentorum, debemus & contemnere curam carnis. Antecedens illud affirmat Christus, dicens in Euangelio Matthæi: Dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. & multis id suadet argumentis. Primo, Nonne anima plus est quam esca? & corpus plus quam vestimentum? Secundo, Respicite volatilia cæli quæ non serunt neque metunt, neque congregant in horrea: & pater vester cælestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? Quis autem vestrum cogitans potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum? Tertio, Et de vestimentis quid solliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt, non laborant neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut vnum ex istis. Quarto, Si enim fœnum agri quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, deus sic vestit: quanto magis vos modicæ fidei? Nolite ergo solliciti esse, dicen-

2. corint. 15.

Matthæi 5.
Chrysostr.Matth. 26.
HieronymusTheophyl.
Origenes.Roma. 13.
Augustinus.Galat. 6.
Origenes.

Chrysostr.

1. Timot. 5.

Prouerb. 6.


Prouer. 20.

Prouer. 24.

Matth. 6.

tes, Quid māducabimus, aut quid bibemus, aut quo opēriemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adjicientur vobis. Nolite ergo solliciti esse in crastinum, crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi. Sufficit diei malitia sua. Hactenus euāgelica philosophia. Quid igitur tanta, tamque anxia sollicitudine adparandi nobis necessaria, si nos diuinus & spiritalis cibus pascat? Quid cōficiendorum indumētorum cura angimur? nōne nos terrenis immerfos affectibus ridēt imō insectantur & volatilia & agrorū lilia? Quid curas crastinum, cuius studio perdis hodiernum cibum? Num igitur omnem terrenorū curam putabis abijciendā esse? quo tranquillius cælesti & ambrosia & nectare fruaris? Sed audi paululum etiā attente quid dicat Hieronymus, Præcipitur nobis ne solliciti simus quid comedamus, quia in sudore vultus præparamus nobis panem. Contentanea sunt ad hæc quæ scribit Chrysostomus ad eundem locum explanādum, Nec solum, inquit, iubet Christus abijcere curam eorum quæ parta sunt, sed præcipit nobis ne simus solliciti super necessario cibo. quōd si deus te deferat, quid opus est sollicitudine? si non, nec etiam opus est sollicitudine, aut vlla cura. Quæ proposita sunt ex Euangelio aduersus nostram assertionem, nec vrgent, nec vincunt: non enim diximus sollicitudinē carnis non esse culpandam, sed prouidentiam. Nec abijcienda est omnis temporanei pabuli sollicitudo, sed anxia, immodica, & quæ totum adurit hominē, qua immergitur & hebetatur qui illi se totū dedit, illi soli inseruit, totus ab illo noxio amore pendet, nec illa viuūt anxietate & congerendorū bonorum auiditate, sed misere torquetur. Nec nobis aduersatur Hieronymus ad illius euangelici loci discussionē dicens: Ergo quod omnibus natura tribuit, & iumentis ac bestiis hominibusque commune est, huius cura non penitus liberamur: labor exercendus est, sollicitudo vitanda. Subscribit & huic sententiæ Theophylactus, dicens: Non excludit Christus operari, sed prohibet se totum curis tradere, & negligere deum. Nec vetuit quominus à deo per necessarium nobis alimoniam deopce remus, sed præcipit vt primum contempto vētris & stomachi cultu, efflagitemus regnum dei nobis exhiberi. Secūdo vero in loco, non abijciamus omnimodam nostri corporis tuendi curam, at vbi spiritalis cibus nobis suppetet, & subsidia vitæ tranfigendæ donabuntur.

CAPVT XXV.

 Clericus in duabus Ecclesijs conscribi potest.] Hanc depromo assertionem ex eo quod habetur 21. quæstione 1. cap. Relatio. vbi dicitur, Episcopus duabus præficatur Ecclesijs. non tamen eo inficias, in eadem causa rationes vtrinque agitari. Nam in capite Clericus, dicitur, In duabus Ecclesijs clericus conscribi nullo modo debet. Glossa tamen locū illum exponit, cum talis Ecclesia satis diues est. Adde quōd 6. Decretalium de Rescript. capite 7. ostenditur in Glossa, quæ beneficia iure teneri possint, & quæ non. Imprimis sacerdos beneficia non curata & quæ de consuetudine vel statuto residentiam non requirunt, & etiam quando sunt vnita, annexa, aut dependentia, tenere potest. iure tamen communi non potest obtinere plura sacerdotia, bene tamē prudenti quadam dispensatione considerata hominis dignitate, & Christianæ reipublicæ commodo. Et in eodem libro de Consuetudine, capite 1. dicitur quod nullus potest sine dispensatione obtinere in eadē Ecclesia duas dignitates, personatus vel officia, vel coniunctim dignitatem & personatum. Et 3. Decretalium de præbendis & dignitatibus, capite Referente, dicitur, quōd habēs plures Ecclesias, alteram compellitur eligere, & alteram dimittere, sed intellige sine dispensatione & iure communi. Et in 6. casibus licet inscribi diuersis Ecclesijs. Primo, quando Ecclesiæ sunt tenues. Secūdo quando vna depēdet ex altera. Tertio si habet vnam intitulatam & alterā commendatā. Quarto si episcopus dispēsēt cum altero. Quinto si est paucitas hominū extra ciuitatem. Sexto si Ecclesia adhæreat præbendæ. Fatetur sanctus Thomas 9.

Hieronymus

Chrysostomus.

Theophylactus.

21. quæst. 1.

quodlibeto siue problemate 9. habere plura beneficia, in se includere quandam inordinationem: quia est admodum difficile quempiam inferuire vt decet, pluribus Ecclesijs, quibus est inscriptus. Etiam imminuitur plerunque diuinus cultus, cum vnus deuorat & sibi v'surpat multa & opulētissima sacerdotia, quæ si viris optimis & doctissimis, essent distributa, pauperum pascere animas, & religiosius multo sacræ ædes colerentur. Nephas haud dubie videtur quempiam ea congerendorum bonorum auiditate inexplebili occæcatum, tam graui sacerdotiorum sarcina onerari, vt illi cogatur succumbere. Sed quis non optat archiepiscopatum episcopatu accumulare, & sacerdotium sacerdotio ditare, magis vt thesaurizet in terris, vbi æruo & tinea demolitur quicquid fuerit aceruatim accumulatum, aut vbi fures suffurantur loculos, quàm in cælis? Nunquid optabilius esset tenui victu & frigida aqua nostram transigere vitam, & contemptis opibus & fucatis honoribus, euāgelicam amare paupertatem? Vide igitur & perpende maximam pascendi gregis Christiani curam tibi concreditam esse: nec tumido fastu insolescas sacerdotijs, quorum annuo reditu pascendi sunt famelici, & nudi operiendi, non autem parentes ditandi. His vtere beneficijs ad publicam Christianæ religionis vtilitatem. His fruire, non tamen tanquam patrimonio, sed fideli dispensatione. Hæc ama, vt velis prodesse omnibus, non autem superbe præesse, ac summis præfici honoribus. Clerici non est, vafris retibus & paratis arte cassibus, venari sacerdotia, nec pro illis comparandis ingentem profundere pecuniam. Nec decet clericum delicijs lasciuire, nec exquisitis ac lautis epulis deliciarum, nec in eburneis lectis, sub molli & Sardapaliaca pluma fouere libidinem. Agnoscat clericus sui nominis interpretationē. Cleros Græce, fors Latine appellatur: propterea vocantur clerici, vel quia de sorte sunt domini, vel quia ipse dominus fors, id est pars clericorum est. Qui autem vel ipse pars domini est, vel dominum partem habet, talem se exhibere debet, vt & ipse possideat dominum, & ipse possideatur à domino, vt dicit Hieronymus Epistola ad Nepotianum de vita clericorum: Qui dominum possidet, & cum Propheeta dicit, Pars mea dominus, nihil extra dominum habere potest. Quod si quippiam aliud habuerit præter dominum, pars eius nō erit dominus: verbi gratia, si aurum, si argentum, si possessiones, si variam suppellectilem, cum istis partibus, dominus pars eius fieri non dignabitur. Si autē ego pars domini sum, & funiculus hæreditatis eius, nec accipio partem inter cæteras tribus, sed quasi Leuita & sacerdos, viuo de decimis, & altari seruiens, altaris oblatione sustentor, habens victū & vestitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus sequar. Obsecro itaque te & repetens, iterūque iterūque monebo ne officium clericatus, genus antiquæ militiæ putes, id est, ne lucra seculi, in Christi quæras militia, ne plus habeas, quàm quando clericus esse cœpisti, & dicatur tibi: Cleri eorum non proderunt eis. Nōnulli enim sunt ditiores monachi, quàm fuerant seculares: & clerici, qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete & fallace diabolo non habuerant: vt suspiret eos Ecclesia diuites, quos mundus tenuit antè mendicos. Mensulam tuam pauperes & peregrini, & cum illis Christus conuiuia nouerit. Negotiatorē clericum, & ex inope diuitem, ex ignobili gloriosum, quasi quandā pestem fuge. Hæc Hieronymus: qui videtur omnino exigere à clericis, sacerdotibus, presbyteris, & episcopis mundā, purā, & euāgelicā paupertatem. quod multo apertius subindicat ibidē, dicēs: Pudet dicere, sacerdotes idolorū, mimi, & aurigæ, & scorta, hæreditates capiunt: solis clericis & monachis hoc lege prohibetur: & prohibetur nō à persecutoribus, sed à principibus Christianis. Nec de lege cōqueror, sed doleo cur meruerimus, hanc legem. Cauteriu bonum est, sed quo mihi vulnus, vt indigeam cauterio? Prouida feuerāque cautio, & tamen nec sic refrenatur auaritia. Per fidei commissā legibus illudimus, & quasi maiora sint imperatorum scita quàm Christi, leges timemus, euangelia contemnimus: fit hæres sed mater filiorū, id est gregis sui Ecclesia, quæ illos genuit, nutriuit, & pauit. Quid nos inferimus inter matrem & liberos? Gloria episcopi est, pauperum

Matthæi 6.

Hieronymus

Psal. 72.

Psal. 104.

1. Corint. 9.

1. Timot. 6.

Gratianus.

opibus prouidere. Ignominia omnium sacerdotum est, proprijs studere diuitijs. Natus in paupere domo, & in tugurio rusticano, qui vix milio & cibario pane, rugientem saturare ventrem poteram, nunc simulam & mella fastidio. Noui & genera & nomina piscium, in quo littore concha lecta sit, calleo: saporibus autem discerno prouincias, & ciborum me raritas, ac nouissime dana ipsa delectant. Sed quod Hieronymus hoc loco scripsit, existimo ponendum esse inter consilia, non autem inter praecepta. Desiderabat ille eo tempore quo Euangelica incipiebat efflorescere philosophia, ac propensissima erga deum religio, episcopum sprete mundani factus cupiditate, mundissimam spirare vitam, & nullis labefactam vitijs. Hoc idem commonet Gratianus 12. quaestione 1. capite Habebat. & capite Certe, dicens ex mente Augustini, Seruone duodecimo ad fratres in eremo, clericis non licere quidpiam proprium possidere. Cum enim Augustinus fungeretur episcopatu, nihil possidebat, sed omnia habebat communia cum suis fratribus. Ecclesia tamē bonorum ecclesiasticorum domina, potest possidere & habere aliquid proprium, capite Exemplum, & capite Expedi, multo magis videtur clericus anhelare ad absolutam charitatis perfectionem non possidendo bona, quam possidendo. Sed intellige clericum non posse quidpiam proprium possidere de his, quorum gerit procuracionē, & publicam dispensacionem, & de his quae sunt pauperibus eroganda, vel in vsum ministrorum, aut in cultum diuinum expendenda. talia enim non debet possidere conuertendo in proprium vsum, & propriae consulendo vtilitati: sed vt ea fideliter dispenset, quod fecerunt Paulinus & Hylarius capite citato Expedi. illi enim possederunt ecclesiae bona, & eadem fidelissime dispensarunt suis diuenditis: quod si huiusmodi bonis, tū fabrica, tum pauperibus & ministris ecclesiasticis distribuēdis, deliciaretur clericus, & ea profuse ac prodige expenderet: rapinam faceret, sacrilegiū committeret, & ad restituendum obstringeretur. Huiusce sunt sententiae Hieronymus Epistola ad Pammachum super obitu Paulinae vxoris, & Chrysostomus conacione secunda, de Lazaro. Potest tamen clericus, curatus, & episcopus habere aliquid proprium, vt sua quotam (vt illi volunt) & ita loquuntur. Sunt enim quaedam bona ecclesiastica peculiariter illis accommodata & deputata: quare prouentum annuum & redditum ex sacerdotio profectum, potest possidere, & eo vti tanquam patrimonio pro sua portione. etenim redditus ille est quid temporaneum. quod si profuderit, delinquit acerbe, non tamen est restitutioni obnoxius. Hoc suadebo ex eadem quaestione, capite Nulli episcoporum, & capite Si priuatum. vbi dicitur, Si non propter proprietatem donorū seruiremus deo, neque cupide possideremus, sed vt nobis primum subministremus necessaria, liceret nobis etiam clericis habere proprium. intellige quid clerico relinquatur proprium, quod necessarium est vitae & statui, superfluum communicet pauperibus, si velit esse deo gratus. ¶ Sed red eo vnde sum digressus. Quauis multa obtinere beneficia, non nihil & inordinationis & periculi contineat, occurrente tamen honesta circumstantia, vt idē Thomas fatetur eodē in loco, non est vitiosum nec malum, multa habere beneficia. & quauis vir duabus ecclesijs vtilissimus, non possit simul residere in duobus locis, potest tamen aliquando sua absentia tantum adferre commodi suis subditis, quantum & sua praesentia. Et trimestri suas visitado oues, plus forsitan adferet vtilitatis, & magis illis consulat, quam is qui & minori prudentia & doctrina praestans, integrum agit annum cum suis subditis. Nec tenetur semper residere, praesertim cum pro aliquo clarissimo ac illustrissimo principe obit legationem, aut accersitur ab illis, qui hostilibus haereticorum incursionibus, & perniciofa doctrina infestati ac labefactati, volunt eius sana doctrina & optimo consilio respicere ad penitentiam. Qui enim ceteris longe antecellit & literis & dignitate, pluribus dignus est sacerdotijs, quam qui reipublicae parum est vsui. Quamobrem non absurde dicunt quidam doctores, multa obtinere beneficia non esse contra legem naturae, sed cosequi non modica sacerdotia absque rationabili causa, legi naturae aduersari: vbi quis potissi-

num praetendit illis aut dutescere aut lautius viuere, ille enim violat moderatos sufficientiae limites & praetergreditur.

CAPVT XXVI.



Vm Pagano comedere licet, non tamen cum excommunicato. ¶ Hanc habet assertionē Gratianus, 11. quaestione 3. capite Admensam. Et vtraque pars fulcitur testimonio Pauli. Scribit Paulus in prima ad Corinthios epistola: Si quis vocat vos infidelium ad cenam, & vultis ire, omne quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogates propter conscientiam. Nec tamen tibi praecipit vt accumbas mensae infidelis, nec rursus verrat cum eo vesci cibis: sed si destinaueris te ad conuiuium infidelis iturum, adparatis fruire dapibus, nec scrupulosa torquearis conscientia, si nam epulae sint idolis consecratae, manduca cibum non apprehensum vt idolothytum, tamen si esset idolothytum. Illum enarrans locum Theophylactus dicit: Recte, vultis, appositum est, nam neque ad exhortandos eos ituri ne sint ad cenam, ab infidelibus acciti, nec dehortandos existimat: nihil autem percontemini, ne ob curiosam admodum inuestigationem, vereri idola videamini. Vestram praeterea hanc conscientiam velim, & puram seruetis & inoffensam. Ad eiusdem loci enarrationem, dicit Lyranus, Hic Paulus ostendit qualiter vtēdum sit idolothytis corā gentilibus, dicens: Si quis infidelium vos vocat, ex aliqua scilicet familiaritate & amicitia licita, & vultis ire, vobis enim licet: quia non praesumitur quod ex tali vocatione velit vos ad infidelitatem suam trahere. imò frequenter factum, quod firmi in fide vocati trahebant vocates ad fidem. Omne quod vobis apponitur, manducate, tanquam vobis licitum, licet per accidens possit fieri illicitum, propter scandalum infirmorum. Hae ille. Debemus nostris niti studijs, & sanctis precationibus, vt conuersando cum Ethnicis & infidelibus, eos tandem ad Christianismum pelliceamus, suadendo illis ex sacris literis nihil optabilius esse, nihil denique melius, quam Christum induere, & Christianam sectari religionem: vt incipiant esse nostri, qui prius sub sacramento daemone militauerant. Vnde Augustinus libro secundo contra Cresconium Grammaticum, capite 16. dicit de Paganis ab Ecclesia recipiendis: Cum ergo veniunt ad nos vestri, desistentes esse vestri, incipientes esse nostri, accipiunt quod non habebant, & salubriter habere incipiunt, quod tanto perniciosius, quanto indignius habebant. Accipiunt enim primitus ipsam Ecclesiam, & in ea pacem, charitatem, & vnitatem per fontem eius proprium atque inuisibilem spiritum sanctū, sine quibus vti que nullo dubitante interijissent, quicquid aliud apud vos quod de Ecclesia foras trahi potuit, habuissent: faciliore autem venia quod nondum habuerunt, accipiunt: quam si habuissent, & tamen deseruissent. Hae ille. Facit plurimum ad id quod paulo antē diximus, quod scribitur 23. quaestione 4. capite Infideles, ex Augustini sententia, infidelium colloquia & conuiuia non esse vitanda. ¶ Secundam assertionis partem ex eodem Paulo approbamus, saltem apparēti & verisimili argumento, vt ille probat. Dicit enim Paulus, Nunc autem scripsi vobis, non commisce- ri. Si is qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiēs, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum fumere. Et quauis Paulus hoc in loco non exprimat nominatim excommunicati vitium, connumeratione tamen aliorum scelerum id possumus concludere, & efficacissimo argumento ita ratiocinabimur: Non licet cum fornicatore, aut auaro, aut idolorum cultore, fumere cibum, ergo nec cum excommunicato: loquor ego de excommunicato, Ecclesiastica censura iuste fulminato: qui contumacissima rebellionē, & pertinaci cerebro, ad iudicem accersitus, neglexit comparere. Expressius multo vrbegibus ex illo processu Euangelico: Si non obedierit Ecclesiae, fiat tibi tanquam Ethnicus & publicanus. Quid nobis innuit Christus? depulsionem profecto fratris rebellis & contumacissimi, qui suo scelere & enormi flagitio, indignus est Christianorum sodalicio, sed in porcinum ablegandus est lustrum. Et quemadmodum Ethnicus suo

Gratianus.

1. Corin. 10.

Theophyl.

Lyranus.

Augustinus

1. Corint. 5.

Matth. 18.

R. i.

Glos. ordin.

Lyranus.

1. Corin. 10.

Augustinus.

1. Corin. 15.

obstinatus paganismo quo persequitur Christianos, indignus est illibata, ac inculpa-
 ta proborū mensa, ita & excōmunicatus. Ad illum Matthæi locum edisserēdum, af-
 ferit Glossa ordinaria, hominem illum arrogantē, & ecclesiasticā censurā contem-
 ptorem impudentissimū, debere publicam & ignominiosam pati detestationem. Et
 qui nō potuit pudore saluari, saluetur opprobrijs, & vt robore sequestrationis emē-
 detur. Et ad eiusdem loci cōmentationem dicit Lyranus: Separetur ab alijs fidelibus
 per excommunicationem & censuram ecclesiasticam. Nec tamen vsq; quaq; arbi-
 treris deuitandum esse excommunicati consortium, vt nullo modo liceat cum eo
 conuersari. Nam à familiari excōmunicati colloquio abstinedum non est, nisi spe-
 cialiter & nominatim fuerit sententia in eum lata. Sententia tamen in excommu-
 nicatione, iniuste lata, timenda est, quādo etiam innocens percutitur excōmunica-
 tionis gladio, non tamen manifestata est omnibus vel pluribus, huiusmodi iniusta
 sententia, etiā si iudex odio, vel inuidia, vel falso testimonio, aut donis corruptus,
 læderet inculpatam boni viri famam, tametsi grauissime delinqueret. Qui enim
 huiusmodi sententiā obluatur & reclamatione, cum iudicis scelus nondum innotuit,
 nec cognita est accusati innocentia & vitæ sanctimonia, peccat inobedientia, nec
 minus contumaciæ insimulabitur & arrogantia, quā quiuis alius, & iuris poenam
 incurrit, ac si sententia esset eneruata & nullius momenti. Si vero sententia sit ini-
 iusta, quia ipso iure nulla est, & detectum est omnibus aut accusatoris, aut testium,
 aut iudicis facinus turpissimum, non est timenda, nec tenenda. Nec excommuni-
 catio ex causā iniusta, id est ex non crimine, dicenda est simpliciter & absolute ex-
 cōmunicatio, sed secūdum quid, in foro scilicet iudiciali. Iniustum quippe iudicium
 non est iudicium. nec talis censura ex se iniusta fert secū efficacis excōmunicatio-
 nis effectus: nisi (vt dicitur) in foro exteriori. Quia vulneratus austerā illa & iniqua
 sententia, non priuatur ecclesiasticis suffragijs, nec est apud deum excōmunicatus,
 nec simpliciter habendus vt Ethnicus, cum paratus sit obedire etiam vltro, Eccle-
 siæ. Nec potest secūdum cōmunem Ecclesiæ intentionem, bonorū precibus priua-
 ri, licet secūdum specialem & particularem Ecclesiastici ministri intentionē. quia
 potest Ecclesia inhibere cuidā sacerdoti, ne celebret missam pro illo, & hoc potissi-
 mum cum sententiā iudicis non inuoluit in se manifestā iniustitiam, & errorem in-
 tolerabile, & cum ille innocens non sit iudicio diuino excōmunicatus, ne aberret Ec-
 clesia, non præredit illi afflictio addere afflictionē. & cogitur humano iudicio illum
 priuare quodāmodo suffragijs ecclesiasticis, non tamē omnimode. Imō si vibrata
 esset huiusmodi sententiā iniusta in quendam sacerdotem innoxium, posset ad tuen-
 dam suam innocentiam, litare deo, & missam celebrare in loco quidem priuato, ex-
 plorata eius ab aliquot viris probis & honestis, innocentia, & integerrima vita. nec
 contemneret Ecclesiam, quia non ageret sacrum officium in publico loco. Nec po-
 test excommunicari absolute, nisi pro peccato mortali vnā cum contumaciā, vt
 habetur 11. quæstione 3. Sed intellige pro mortali existēte, vel præsumpto, ex testiū
 depositione: aut quia acclamant aliqui illum neglexisse iudici assistere, quanuis lon-
 ge secus res habeat. ¶ Verum quis obijciat aduersus vtramque assertionem partem,
 probando partes non sibi cohærere. Fugimus excommunicati societatem, q̄ nobis
 immineat periculum confabulādo & conuersando cum illo, sed longe maius immi-
 net nobis periculum cōuersando cum infideli & Pagano. Ergo si non liceat cuiquam
 cum excommunicato conuersari, nec licebit cum pagano conuersari. Tum etiam
 dicit Paulus ad Corinthios, Quæ immolant gentes, dæmonijs immolant, & non
 deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Si inhibeat nobis commercium dæ-
 moniorum, inhibet & eorum societatem qui sua offerūt dæmonibus sacrificia. Ad-
 de quōd Augustinus Sermone sexto, de Verbis domini, monet ex hac Pauli autho-
 ritate & pluribus alijs, vt vitemus paganorū & infidelium societatem, dicit enim:
 Quæro vbi didiceris Christum nō esse deum. Pagani hoc solent dicere. Vides quid
 faciunt mensæ malæ? Vides quomodo corrumpunt mores bonos colloquia mala?

Insuper non video quare non mihi licebit cum excommunicato Christiano con-
 uersari, vt eum consolet, vt illi indicem ab excommunicatione & contumacia re-
 sipiscientiam. Etiam quid vetat communicare cum excommunicato ad vitandum
 puillorum scādalum, si officendulum paterentur q̄ declinarem excommunicatū,
 quem nesciunt excommunicationis censura vapulare? Si quis etiam me inuaderet
 gladio, & non possem iniuriam repellere nisi opē excommunicati, nōne possem
 cum alloqui & precari, ne sineret me confodi gladio? Præterea habetur 11. quæstio-
 ne 3. capite Excellentissimus. & capite Quoniam. quōd communicans cum excom-
 municato iusta necessitate, vel nimia simplicitate, vel timore, vel ignorantia facti,
 non est excommunicatus. Si tamen non liceret versari cum excommunicato, ille
 qui versaretur cum eo, incurreret excommunicationem. Etiam fratres, sorores, v-
 xor, serui, & peregrini impune versantur cum excommunicato. ¶ Propositæ ra-
 tiones probant, non semper nec omnibus modis conuersandum esse cum Pagano.
 Nec tamen prima obiectio vrget, non enim ex eo solum non licet cum excōmuni-
 cato conuersari, quia nobis imminet periculum seductionis, aut q̄ nos inficeret, sed
 quia nobis interdixit Ecclesia. Iuste enim excōmunicatus & maiori excōmunicatio-
 ne, indignus est ingressu Ecclesiæ & Christianorū consortio. Agimus cum Paganis,
 vt eos alliciamus ad fidē Christi. Si tamen immineret periculum subuersionis, & q̄
 niterentur toto studio nos ad Paganismum pertrahere, & q̄ infirmiores facile sub-
 ornarentur & dimouerentur à fide suscepta, cum illis diu conuersando, tunc omni-
 no deuitanda essent illorū colloquia. Ob hanc causam prudenter & summa cū vti-
 litate præcepit Paulus, Ne iugum duceremus cum infidelibus: nec pars esset fidei
 cum infideli: nec consensus templo dei cum idolis. Vbi enim discernūt cibos, & super-
 stitiose discrimen epularū obseruant, prætermittis his quæ ad propagandam fidem
 plurimū valent, effugiēda sunt illorū conuiuia. Et bisariam adnotes nobis interdicti
 cum quopiam cōmercium. Aut in poenā illius cui societas cū Christianis interdicti-
 tur: & hac lege interdicat Ecclesia Christianis familiare cū hæretico colloquium, aut
 cū apostata, Aut ad maximū momentū & cautelam eorū quibus fit inhibitiō, ne ali-
 cui cōmunicent. Si enim Christiani sint in fide stabiles & firmi, & cōuersando cum
 infidelibus, sperent eorū conuersionem, opportune cum illis versantur. Et hac for-
 ma vixerunt multis annis apostoli cum infidelibus. Si vero probabili argumento
 pertimescamus imbecilli hominis & stupidæ mentis subuersionem, ne leuissima de
 causa ab infidelibus circumueniatur. Iure tunc prohibemus illi, ne vllum habeat
 cum infidelib⁹ colloquium. Ideo dominus in Deuteronomio prohibet Israelitis, ne
 cum illis ineamt fœdus. sic enim scriptum est: Non inibis cum eis fœdus, nec misce-
 reberis eorum, neque sociabis cum eis connubia. ¶ Quæ vero adducta sunt ad sua-
 dendum, quōd licet versari certa hypothesi multisque modis, cum excommunica-
 to, non aduersantur nostræ assertioni. Hanc sume assertionis pro parte illa, intelli-
 gentiam: Non licet sponte, sciēter, & nominatim comedere cum excōmunicato: &
 eo potissimū animo, vt illi consentiamus & ad blandiamur, etiam cum Ecclesiæ con-
 temptu: & vbi diuersando cum illo, sumerent imbecilles & infirmi, occasionē scan-
 dali, nihil intentes cum illo, agere citra permissionem & dispensationem Ecclesiæ.

CAPVT XXVII.



Oncilij generalis est plene & vltima quidem censura, de hæresi censere
 & nullius Academiæ. ¶ Hanc suadeo assertionē, Vltima Decisio eorum
 quæ ad fidem spectāt, fit & determinatur ab ecclesia vniuersali & à cō-
 cilio generali, quare nec inferior aliquis episcopus, aut collegiū cui præ-
 est, poterit ferre definitiuā sententiam in causā fidei, vt hanc sibi pote-
 statem impellendi vniuersalem Ecclesiam vëdicet, ad parendū huiusmodi sanctio-
 ni & latæ sententiæ, quod tamen oporteret, ad hoc q̄ posset absolute, plene, & inte-
 gre censere de hæresi: ergo etiā nec Academia, nec vniuersitas, quantūuis literarū
 scientia ceteris longe præstaret, alioqui omnes astringerentur obtēperare decre-
 R. ij.

tis, & censuræ talis Academiae. Nec ideo aliqua assertio habenda est pro hæresi ab omnibus, quia hæc vel illa Academia censuit esse hæresim. Quod si aliquis prælati dixerit suis subditis hæc propositionem esse hæreticam, Sola fides sufficit ut quis iustificetur, nec opus est nostris operibus: tenetur credere, quia Ecclesia dicit, & non simpliciter quia ille asserit, & sic determinat, nisi quia accepit ab Ecclesia potestatem & auctoritatem ita definiendi. A causa quidem primaria, grauem huiusce rei & arduarum causarum definitionem expendere debemus, & mordicus censuris Ecclesiae & concilij generalis adhærere. Hac lege conuincimus concilia prouincialia non habere plenum & integrum ius definiendi in causa fidei, cum eorum sententiae ceteri prouinciales non astringantur, præcipue cum talia concilia possint in fide errare, sicuti concilium Carthaginense, in quo multi episcopi cum beato Cypriano censuerunt hæreticos & ab hæreticis baptizatos, esse rebaptizandos cum respicerent: & hæc prouincialia concilia si à vero deflexerint & aberrauerint, à generalibus concilijs corriguntur. Vnde dicit Augustinus libro secundo contra Donatistas, capite tertio: Et ipsa concilia quæ per singulas regiones vel prouincias fiunt, plenariorum conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex vniuerso orbe Christiano, sine vllis ambagibus cedere, ipsaque plenaria sæpe priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat, sine vlllo typho sacrilegæ superbiæ, sine vlla inflata ceruice arrogantia, sine vlla contentione liuidæ inuidiæ, cum sancta humilitate, cum pace catholica, cum charitate Christiana. Satis constat illud concilium Carthaginense fuisse particulare, & non vniuersale. Nam si fuisset generale, non potuisset errare, eo quod spiritu sancto duce regitur. Illius concilij meminit Augustinus capite secundo eiusdem libri: Cum igitur errare possint prouincialia concilia, quæ vniuersalem Ecclesiam non representant: iustum est & rationi consentaneum, ut penes ea non sit potestas integra & fixa auctoritas in re tam seria (qualis est fides) definiendi. Et adnota vnũ, non ex eo quampiam assertionem dicendam esse hæresim, quia Ecclesia definiuit, sed quia fidei catholicæ repugnat. Ab hac sanè, summa rei & caput pendet, & ex diametro pugnat cum fide hæresis, confugiendum est ad tutissimum fidei propugnaculum, tanquam ad sacram anchoram, qua digladiamur aduersus hæreticos & configimus, eo potissimum errore quo prolapsi sunt. Non enim ausim dicere Socratem ab vno fidei articulo descendentem, male sentire de cæteris, & perdidisse omnium fidem. Potest quispiam bene sentire de sacrosancta hostia, & male quidem de confessione auricularia, aut de nostris meritis. Quod si omnem fidei vim amiserit, quoniam pacto baptismum retinet? & primæ ablutionis recepta fide sacramentum? Adde quod si absolute dicendum sit quampiam assertionem sapere hæresim, quia Ecclesia determinauit & definiuit, subinde colligerem quod si Ecclesia nihil de huiusmodi assertionem statuisset, illa loco hæreseos non esse habendam. Quis tam stupidi est ingenij, ut hæc, citra Ecclesiae determinationem, hæreticarum propositionum nomenclaturam non ascriberet? Spiritus sanctus non procedit à patre & filio, licet ante censuram Ecclesiae poterat quis ambigere, an esset hæretica, & loco hæreticæ habenda. Etenim istarum definitarum assertionum, Ecclesia est magistra: quod enim ex sacris eruit literis hæreticum esse, iubet subditis, ut ab illo caueant, & firmissime credant hæreticum esse, & corruptissimum hæreticorum subolare fermentum. Ad hæc difficillima & perardua rei hæreticæ discutienda negotia, plurimum habet momenti & confert sacratissima Theologorum Parisiensium facultas, quæ tametsi extremam hisce censuris manum nõ adhibeat, nec admoueat, nec finiat quicquam quod ad obedientiam obstringat omnes: exacte tamen, sincere, & doctissime ecclesiasticas imitando sanctiones, iudicat, profert, eloquitur & admouet. Nec tamen absq; stabili & inconcusso iudicio, docet quidnam sit prorsus fugiendum & euitandum in perniciosissimis hæreticorum dogmatibus. Seligit & illa peritiores, ingeniosiores, & eos qui præcellunt & doctrina & iugi in hac arena, exercita-

Cõciliũ Carthaginense.

Augustinus.

tionem. Refert vnusquisque suas lucernulas, suumque codicillum facultati, ac compositissimo Theologorum ordini, vtrinque excutiuntur qui suboriri possunt scrupuli. Accusati rationes librantur, & ex ditissima sacræ scripturæ penu, promuntur ad illum confutandum, constitutis tamen iudicibus, certissima testimonia. Censent & reum aut deprauasse sacras literas, aut perperam intellexisse. Nec existimo, in tam celebri Theologorum collegio, quidpiam temere statutum esse & cõclusum. Bonus illis aspirat genius, & plerunque cælestis aura, & diuinus afflatus. Maxime colunt & obseruant sanctissima Ecclesiae decreta, & commodissima Romanorum põtificum sancita. quæ licet non efficiat sua sententia, ut hæc vel illa assertio sit simpliciter hæresis, sic quod nunquam fuerit. Efficit tamen ut nobis per suam censuram pateat illam esse hæreticam, quæ antea nos latebat. an merito dici posset hæresis. Nec definiens aliquid fide tenendum, sua definitione efficit veritatem illam esse catholicam. Omnis enim assertio ideo dicenda est catholica, quia à deo reuelata, vel quia in instrumento canonicarum scripturarum continetur, sed Ecclesia illa definitiua censura, nobis præscribit & imperat ut huiusmodi assertionem approbemus catholicam, de qua forsitan hæsitabamus an esset catholica, sed post exquisitam Ecclesiae determinationem, nullatenus licet nobis dubitare, nec eam in scrupulum & dubiam controuerfiam torquere. alioqui quas nouimus ecclesiae sanctiones, & leges contemneremus. Erudite de hac re egit Alphonsus à Castro Minorita, libro 1. aduersus hæreses, capite 8. qui totis ingenij viribus propositam tuetur assertionem.

Alphonsus à Castro.

CAPVT XXVIII.



Character imprimatur in sacramentis, et si non in omnibus, attamen in tribus: In sacramento Baptismi, Confirmationis, & Ordinis.] Agemus primum de nomine characteris reperto in sacris literis, deinde ostendemus contra Lutherum in illis tribus sacramentis imprimi characterem. Character vox est Græca, Latine dicitur nota vel signum. Habent enim milites suum in certamine bellico signum, quo indicant sub cuiusnam principis dimicent vexillis, & ut ab alijs, dato signo discernantur. Sunt & penè omnibus animalibus sua signa, & præsertim in his quæ ad pascua ducuntur, ut fertile ab infertili dignoscatur, & mundum ab immundo. Quod si in militia temporanea fiunt indicia, notæ & signa, quibus sub sacramento illustrissimi principis decertent delicti milites, & ab aduersarijs fecernantur: multo magis & in militia spiritali, & præsertim in sacra ac mundissima baptismi lotionem, erunt signa diuinissima & maximi momenti expressiua, quibus fideles sub vexillo Christi decertantes, ab infidelibus disternantur & discernentur. Nunc ostendam in epistolis Pauli reperiri characterem, postmodum agemus de sacramentali characterem. Dicit Paulus ad Romanos: Accepit Abraham signum circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio. Hoc autem signum vel nota vel figura, est character: in Græco habetur σημεῖον, quod vere dicitur nota vel signum, vel indicium. Et ad Ephesios, Nolite contristare spiritum sanctum dei, in quo signati estis in die redemptionis. Ad enarrationem huiusce loci, in quo signati estis, dicit Hieronymus: Signaculum sancti spiritus in die baptismi accepistis, nouum signaculum habere cœpistis. Ex seria & admodum luculenta Hieronymi doctrina, facile cognosces sacramentum baptismi, infigere animæ nostræ signaculum, quod aliter vocamus characterem. Et ad Hebræos, Et figura substantiæ eius, pro figura & expressiua imagine substantiæ eius, habetur in Græco χαρακτήρ, inuenies etiam, hanc obnotationem siue signaculum in epistola Pauli ad Corinthios, vbi dicit: Qui vnxit nos, deus est: qui & signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris. nihil autem aliud importat character, quam quandam obnotationem siue signaculum. Nunc adnitemur probare in sacramento baptismi, esse characterem. In illo sacramento, aliorum ianua, est collata baptizato quædam spiritalis potestas, ad assequendam spiritalem vitam, ut calicis mundi delicijs, & contemptis fluxis honoribus, viuat Christiane, & hoc diui-

Roma. 4.

Ephes. 4.

Hieronymus

Hebre. 1.

2. Corint. 1.

R. iij.

Augustinus
Ephe. 4.

Matt. 28.

1. Corint. 1.

no discernitur sacramento, ab eo qui hoc lymphido & sacro fonte non est ablutus. Quod si in circuncisionis sacramento erat infixum circunciso signaculum, quo fecerneretur ab incircunciso, validiori argumento in euangelica lege, erit impressum nostræ animæ quoddam signum, adminiculo tamen baptismatis, quo à non baptizato erimus discreti. Et non absurde comperitur in hoc sacramento character, quia reiterari non potest, & cum character sit indelebilis, imprimetur solum in illis sacramentis quæ repeti non possunt. Sunt autem illa tria prænumerata. Huic fauet doctrinæ Augustinus libro primo contra Cresconium grammaticum, capite 30. Postquam enim capite 29. ostendit vnum esse baptismum ex Paulo ad Ephesios, quod reiterari non potest, similitudine quadam à rei militaris signo, planè monstrat characterem siue signaculum baptismi, non posse mutari nec deleri. Neque enim, inquit, propterea immutandus vel improbandus est regius character in homine, si erroris sui veniam & militandi ordinem, à rege impetrauerit, quia eundem characterem quo sibi satellites congregaret, desertor infixit, aut propterea signa mutanda sunt ouibus. cum dominico gregi sociantur, quia eis dominicum signum fugitius seruus impressit. Et libro sexto de Baptismo contra Donatistas, capite primo, dicit ouem errantem, dominicum characterem à fallacibus deprædatoribus suis, foris accepisse, venientem tamen ad Christianam vnitatis salutem, ab errore corrigi, à captiuitate liberari, à vulnere sanari, characterem tamen dominicum in ea agnosci potius quàm improbari, quandoquidem ipsum characterem multi & lupi & lupis infigunt, qui videntur quidem intus esse, veruntamen ad illam ouem quæ etiam ex multis vna est, non pertinere, morum suorum fructibus conuincuntur, in quibus in finem vsque perdurant. Quia secundum præscientiam dei, sicut multæ oues errant exterius, sic multi lupi insidiantur interioribus. Hanc scite euoluenti & excutienti Augustini doctrinam, compertum erit Augustinum de characterem baptismi differuisse. Et fusius multo hanc pertractat veritatem, Cócione super gestis, cum Emerito Donatistarum episcopo, vbi luculente docet aliquot exemplis, & quadam similitudine, characterem sacramentalem primario à summo & diuino imperatore, imprimi Christianis, ministeriali tamen virtute à sacramentis, & ita scribit: In errante & deserente milite crimen est desertoris, character autem non est desertoris, sed imperatoris. sed frater noster non deseruit, vbi adhuc nunquam fuit. Siquidem in illo, desertoris error est natus, quando est à desertore signatus. Qui primo schisma fecit, qui se ab Ecclesia catholica separauit, cum his, quos secum traxit, desertor fuit. Cateri à desertoribus signati sunt, non tamè signo desertoris, sed signo imperatoris. Non enim desertor characterem suum fixit. Quid est quod dico, desertor characterem suum non fixit? Donatus non baptizauit in nomine Donati. Nam si Donatus quâdo schisma fecit, in nomine Donati baptizaret, desertoris characterem infigeret: ego quâdo vocarem ad vnitatem, si inuenirem, desertoris characterem, exterminarem, delerem, abolerem, abijcerem, non approbarem, respuerem, anathematizarem, damnarem. Nunc vero ipse desertor characterem fixit imperatoris sui. Deus & dominus noster Iesus Christus quærit desertorem, delet erroris crimen, sed non exterminat suum characterem. Ego quando venio ad fratrem meum, & colligo errantem fratrem meum, attendo fidem in nomine patris & filij & spiritus sancti, iste est character imperatoris mei. De isto characterem militibus suis, vel potius comitibus suis, vt hunc imprimerent eis quos congregabant castris eius, præcepit dicens: Ite, baptizate gentes in nomine patris & filij & spiritus sancti. Istum characterem à domino dictum, omnibus credentibus imprimendum, quia nouerat Paulus, expauescit ad eos qui volebant esse Pauli, & dicit eis: Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? Quid vultis esse mei, & non magis domini mei? Quid vultis esse mei, & non potius cuius ego sum? Agnoscite, aduertite characterem vestrum. Nunquid in nomine Pauli baptizati estis? & cætera. Sic ergo eos colligimus vt non sibi blandiantur illi quos non colligimus.

Tum etiam tractatu sexto in Ioannem, ostendens characterem nobis affixum, non sufficere ad nanciscendam æternam illam felicitatem, tamen si imitari non possit, sic dicit: Puta te esse militarem, si characterem imperatoris tui intus habeas, securus militas: si extra habeas, tunc non solum tibi ad militiam non prodest character ille, sed etiam pro desertore punieris. Et paulò inferius dicit, Quod accepisti, approbo: quia foris accepisti, improbo. Tene quod accepisti, non mutatur, sed agnoscitur. Character est regis mei, non ero sacrilegus, corrigo desertorem, non immuto characterem. Nec ab his diuersa sunt quæ scribit libro secundo cõtra epistolam Parmeniani, capite 13. dicens: Si quisquam est siue desertor, siue qui nunquam omnino militauit, qui nota militari priuatum aliquem signet, nõnne vbi fuerit deprehensus ille signatus, pro desertore punietur? & eò grauius quò probari potuerit nunquam omnino se militasse, simul secum punito, si eum prodiderit, audacissimo signatore. Aut si forte illum militiæ characterem in corpore suo, non militans pauidus exhorruerit, & ad clementiam imperatoris confugerit ac prece fusa & impetrata iam venia, militare cõeperit, nunquid homine liberato atque correcto character ille repetitur? ac non potius agnitus approbatur. An forte minus hærent sacramenta Christiana, quàm corporalis hæc nota, cum videamus nec apostatas carere baptismate, quibus vtique per pœnitentiam redeuntibus non restituitur, & ideo amitti non posse iudicatur? An dicenda de militia similitudo non fuit? cum & Apostolus de agonisticis certaminibus clamer & aperte dicat: Nemo militans deo, implicat se negotijs secularibus, vt ei placeat, cui se probauit. Adde quòd Cyrillus libro 4. dialogorũ de Trinitate non nihil nobis adfert momenti ad persuadendum in eo sacramento quo consuelemur Christo, characterem esse inuariabilem. Iam in nobis, inquit, sacramentum non est deceptio, nec vana spe nudam vt videtur habens quasi in solo dicto opinionem, nec illusio vera, & vltra hoc apparentia exilit id quod esse credimus. Diuinæ enim naturæ, quomodo vel vnde nos participes, vel quis nobis dei character imprimitur, quò configurati sumus ad filium, siquidem est non deus vt factus. Vide autem quòd putandus est non absque factione existere etiam ipse pater ac deus imaginè exemplaris refert character. Ambiget quispian si nam veteris legis sacramenta imprimèbant characterem spiritalem. Dico sacramenta illa his quibus conferebantur non impressisse siue insculpsisse spiritalem characterem, quia non habebat in se spiritalem virtutem diuini effectus creatoricem, sed in illis erat nota siue character sensibilis. Nec character baptismi, confirmationis aut ordinis est habitus. Nam vtuntur eo quidam bene & religiose, alij vero male & impudentissime. nullus autem habitus est, qui promiscue propendat ad bonum & ad malum. Sed est spiritalis quædam potentia siue facultas, qua fit homo idoneus ad obseruandum dei cultum exhibendo alijs non nihil spiritale, ministerij tamen munere & officio, quo vtitur sacerdos, vel spiritalem huiusmodi virtutem recipiendo, quam amplexatur laicus ad sanctius viuendum, & hoc instrumentum munimento, dæmonum oblectatur insidijs, & aduersus noxios animi morbos pugnat acrius. Et hoc præclare insignitus, Christi induit armaturam, cui acriæ potestates ac cacodæmonum munimenta resistere non possunt facile. Hoc eximio Christi characterem æternam tutamur legem, & perpetuum defendimus sacerdotiũ. Nec ex eo putes nos characterem Christi insigniri, quòd in Christo fuerit character. (in illo etenim non fuit huiusmodi nota) sed quia consuetudo Christianæ religionis à sacerdotio Christi profecta est, ideo characterem sacramentalem dicimus esse specialiter characterem Christi, qui nihil aliud est, quàm in Christianis participatio sacerdotij Christi. Christus autem habet plenam spiritalis sacerdotij potestatem: quam obrem non compètit Christo habere characterem. Sacramentalis autem character inhæret animæ vt virtus instrumentalis, & quidem indelebiliter, non propter sui perfectionem, sed propter perfectionem sacerdotij Christi, à quo profluxit & emanauit. Nec ex eo expendas in quopiam sacramento infigi & imprimi cha-

2. Timot. 2.
Cyrillus

R. iij.

Dionysius.

rauerem, quia est perfectius altero, aut quia gratiam continet. Nam sacramentum Eucharistiae, omnium est summum & augustissimum, & tamen hoc sacramento non imprimitur homini character: quia virtute huius sacramenti non inflectitur homo, neque ordinatur ad quidpiam aliud vel agendum in sacramentis, vel recipiendum: est enim finis & consummatio omnium sacramentorum, ut dicit Dionysius cap. 4. Ecclesiasticae hierarchiae, continens in seipso Christum, in quo non erat character, sed tota sacerdotij plenitudo. In sacramento vero ordinis, vere imprimitur character, quia hoc excellenti munere ordinatur homo & deputatur ad sacramenta alijs exhibenda. Et annota non solum in sacris ordinibus imprimi characterem, verum etiam in non sacris, quia virtute cuiuscumque ordinis, homo constituitur supra plebem in aliquo potestatis gradu ordinatae ad sacramentorum dispensationem. Et id officij obtinet is qui ordines adeptus est, ut habeat actum circa ipsum sacramentum, vel ordinetur ad sacramentorum dispensationem, sicut hostiarum habent munus & officium admittendi homines ad diuinorum sacramentorum inspectionem. Et licet is qui adeptus est minores ordines possit ducere uxorem, & in laicorum conditionem redire, tamen semper manet character, nec potest iterum suscipere ordinem quem habuerat. Et character in sacramento ordinis impressus, praesupponit characterem baptismi, quia sine characterem baptismi, nullus potest aliud sacramentum recipere. nec ordinis character praesupponit necessario confirmationem: quia apostoli receperunt potestatem ordinis ante ascensionem, ut ostenditur in Euangelio Ioannis, Accipite spiritum sanctum, &c. sed fuerunt confirmationi post ascensionem per aduentum spiritus sancti, sed ex congruitate, ut quis robustus obsistat daemone, & sit magis idoneus ad obeundum ordinis officium. character ordinis praesupponit characterem confirmationis indelebilem, hoc autem characterem insignitus, munitur ad strenue sustinendam pugnam spiritalem contra nocentissimos fidei inimicos: quod nobis exemplo apostolorum exploratum est, qui antequam plenitudinem spiritus sancti acciperent, erant in coenaculo perseverantes in orationibus: deinde instructi abunde praesidio spiritus sancti, non reformidabant fateri publice fidem Christi, etiam coram hostibus Evangelicae disciplinae: & hic character praesupponit characterem baptismi. Nam ut dicit Rabanus libro de Instit. clerici. Non uisissime a summo sacerdote per impositionem manus, paracletus traditur baptizato, ut roboretur per spiritum sanctum ad praedicandum.

Ioan. 20.
Act. 2.

Acto. 1.


Rabanus.

TERTII LIBRI FINIS.

Theosophia Ioannis Arborei

LAVDVNENSIS LIBER IIII.

CAPVT I.



Eus nunquam fuit uisus antiquis patribus dum hanc agerent vitam, in specie propria.] Hanc ex sacris literis eruius Assertionem, cui (ut ostendemus) ecclesiastici doctores astipulantur. Cum optaret Moses etiam ardenti desiderio, & omnibus animi viribus, ut dei gloriam intueretur, hoc unicum domini responsum accepit: Ego ostendam omne bonum tibi, & uocabor in nomine domini coram te, & miserebor cui uolero, & clemens ero in quem mihi placuerit. Rursumque ait: Non poteris uidere faciem meam. Non enim uidebit me homo & uiuet. Et iterum: Ecce (inquit) est locus apud me, & stabis supra petram. Cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petrae, & protegam dextera mea donec transeam. Tollamque manum meam, & uidebis posteriora mea, faciem autem meam uidere non poteris. Optima deus & maxima Mosi pollicetur beneficia, ne tamen superbiat & elata insolescat arrogantia, in signum sui uisionem minime illi impartitur. Efflagitabat ille quod acies suae mentis, suiue ingenij etiam perspicacissimi acrimonia, pertingere non poterat. Vereor ne Mosi si diuinam tunc temporis gloriam perspexisset, insolitus stupor & infuetus terror contigisset, nec potuisset ferre tanti luminis splendorem splendidissimum, tantaeque gloriae sublimitatem, & sublimem maiestatem. Nec minus forsitan nubes eum obumbrasset, quam obumbravit Petrum, Ioannem & Iacobum, nec tamen sine ingenti terrore, cum dominus Iesus Christus coram illis in sublimi monte fuit transfiguratus. Edisserens Augustinus libro secundo quaestionum super Exodum, quaestione 154. locum illum: Non poteris uidere faciem meam. Non enim uidebit homo faciem meam & uiuet, dicit deum huic uitae quae agitur in sensibus mortalibus corruptibilis carnis, sicuti est, apparere non posse: id est sicuti est uideri in illa uita potest, ubi ut uiuatur, huic uitae moriendum est. Ad enarrationem eiusdem loci, dicit Lyranus: Visio diuiniae essentiae, non conceditur nobis in praesenti uita, ubi est locus pugnae & meriti: sed in futuro, ubi talis visio conceditur pro praemio. Dicit enim Ioannes: Haec est uita aeterna, ut cognoscant te esse solum deum, & quem misisti Iesum Christum. Adde quod Ioannes dicit in suo Euangelio: Deum nemo uidit unquam. Unigenitus filius qui est in sinu patris ipse enarrauit. Ad huiusce loci interpretationem dicit Cyrillus: Ille ad Mosen clare dixit. Quia nemo uidebit faciem suam, & uiuet: ille quoque discipulos docuit, quia patrem nemo uidit nisi is qui est a deo. Soli enim consubstantiali filio pater uisibilis est, & nulli praeter eum alij: uisionem autem in his deo conuenientem semper intelligas, non tamen prophetarum oratio falsa est, quum clamant uisum a se fuisse dominum Sabaoth. Non enim ipsum quod natura dei substantialiter est, uidisse contendunt, sed aperte quomodo uiderunt, exponunt, haec dicentes: Est visio similitudinis gloriae domini. A rebus ergo corporeis enigmatische, quasi figura diuiniae gloriae formabatur, quae similitudo quasi depicta in tabula, symbolice diuiniae gloriae praesentiam, ultra mentem & orationem hominis esse ostendebat. Optime igitur sublimis Euangelista, quum se uidisse gloriam eius quasi unigeniti a patre, gloriam affirmauerit, a praesentia, qua omnes Christus superauit, uere se dicere confirmat. Nam quemadmodum per creaturarum pulchritudinem, Sapient. 13. creatoris uirtutem conspiciamus, quum caeli absque uoce gloriam dei enarrant, & Psal. 18.

Exo. 33.

Matth. 17.

Augustinus.

Lyranus.

Ioan. 17.

Ioan. 1.

Cyrillus.

Ioan. 6.

Esa. 6.

Ezech. 1.

Sapient. 13.

Psal. 18.

opera manuum eius annuntiat firmamentum, sic ab operibus præstantior in gloria unigenitus cæteris demonstratur. Sed aciem oculorum hominis tanquam deus effugiens, quia omnē superat creaturam, idcirco increatus, id est, deus esse & intelligitur & glorificatur. Ad hæc faciunt plurimum quæ scribit Chrysofomus in eundem Ioannis locum explanandū, dicens prophetas nunquam vidisse puram dei substantiam, tamen si illis permillum obscura quadam & umbratili cognitione videre deum. Si enim ipsam dei substantiam puram vidissent, nulla ex parte differentem vidissent: quippe quæ simplex & pura est, non composita nec descriptibilis. Non ia cet, non stat, nō ambulat. Hæc omnia corporis sunt officia. Quomodo autem sit, ipse nouit solus, quod per prophetam significauit: Ego visionem multiplicauit, & in manibus prophetarum assimilatus sum: hoc est permillum, non tamen id quod eram, me ostendi. Cum enim eius filius vera carne accepta venturus esset in mundum, multo antè sanctos viros ad diuinæ substantiæ visionem exercuit, ita vt videre poterant. Nam id quod est deus, non modo prophetæ non viderunt, sed neque angeli neque archangeli. Sed si eos percontaberis nihil ab his de dei substantia audies, sed tantum referentes: Gloria in altissimis deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: Si Cherubin & Seraphin, sanctificationis laudem audies, plenum esse cælū & terram gloria eius: Si supernas virtutes, tibi idem respondebunt, sibi vnum opus esse, vt deum laudent. Laudate eū, inquit, omnes virtutes eius. Solus autem ipsum videt filius & spiritus sanctus. Quod si omnis natura creata est, quānā ratione increatum videre poterit? Et si incorpoream virtutem quāuis genitam nō possumus manifeste cōspicari, & hoc sæpenumero in angelis ostēsum est, multo minus incorpoream & ingentiam substantiam. Quare Paulus quem, inquit, vidit nemo hominum, neque videre potest. Soli ne igitur patri, hoc præcipuum inest, non autem filio? Audi hæc etiam in parte quid superius dicat. Qui est imago dei inuisibilis. Qui autem inuisibilis imago est, ipsum quoque inuisibile esse necesse est, aliter non esset vera imago, propterea inquit: Qui manifestus est in carne. Manifestatio autem per carnem, non est secundum substantiam. Et homilia quarta, de incomprehensibili dei natura, dicit exquisitam illam dei comprehensionem & expressam cognitionem nulli adhuc contigisse, neque quempiam antiquorum patrum vidisse syncerā dei substantiam, sed varias viderunt figuras. Subscribit & Theophylactus Chrysofomo, in eundem Ioannis locum commetandum, vbi dicit prophetas vidisse deū, & non ipsam substantiam, sed similitudinem & apparentiam quandam, sicut capere poterant. Et alius iterum in alia figura vidit, & alius in alia. Vnde scilicet non ipsam veritatem viderunt, non enim diuersis figuris illam vidissent, quæ simplex est & infigurabilis. Nec diuersa sunt ab illis quæ annotauit Augustinus ad eundem locum, vbi dicit Deum apparuisse Moysi, quātum capere posset. Vidit Moyses nubē, vidit angelum, vidit ignem, omnis illa creatura typum domini sui gerebat, non ipsius domini præsentia exhibebat. Omnia illa quæ corporaliter visa sunt, non erant illa substantia dei: facta sunt illa visibilia corporaliter per creaturam, in quibus typus ostenderetur, non vtique substantia ipsa demonstrabatur & manifestabatur. Et rursus in Euangelio Ioannis, aliubi scriptum est: Neque vocem eius vnquam audistis, neque speciem eius vidistis, & verbū eius non habetis in vobis manens. Hanc Ioannis auctoritatem edisserens Cyrillus, dicit cum deus in montem Sinai descendit, Iudæos non credidisse prisca illa fuisse rerum intellectualium imagines, sed ipsam naturam dei corporalibus oculis perspectam fuisse putabant, & vocem ipsius dei proprie auditam arbitrabatur. Quod autem verax saluator noster est, nec vocem dei patris vnquam, ita (vt putabant) audierunt, nec oculis speciem eius viderunt, nec verbum eius perceperunt, vt ad quærenda spiritalia incitentur, opere precium duco ab ipsa scriptura demonstrare. Quunquē eduxisset eos Moses in occursum dei de loco castrorum, steterunt ad radices montis, totus autem mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Deus super eum in igne. Et ascendebat fumus ex eo quasi de

Chrysof.

Lucæ 2.

Psal. 148.

Theophyl.

Augustinus.
Exo. 3.

Ioan. 5.

Exodi 20.

Exo. 19.

fornace, & territus fuit totus populus valde, & sonitus tubæ paulatim crescebat in maius, & prolixius tendebatur: Moses loquebatur, & dominus respondebat ei voce. ridiculosa opinio Iudæorū, detinebat falso credentes se propriam dei speciē conspexisse, & eius vocē auribus percepisse: cum illis duntaxat per subiectam creaturam, & per quasdam imagines ac ænigmatice apparuerit. Testatur Augustinus Epistola Fortunatiano Episcopo Siccensi, de videndo deo, magnos viros & in scripturis sanctis doctissimos, dixisse inuisibile inuisibiliter videri, hoc est, per eam naturam quæ in nobis quoque inuisibilis est, munda scilicet mente vel corde. Beatus Ambrosius de Christo cum ageret secundum id quod verbum est, Non enim corporalibus, inquit, sed spiritalibus oculis Iesus videtur. Et paulo post: Non eum viderunt (inquit) Iudæi, obcæcatur enim erat insipiens cor eorum. Hinc ostendens vnde videatur. Item cum de sancto spiritu loqueretur, interposuit verba domini dicentis, rogabo patrem & alium paracletū dabit vobis, qui vobiscum sit in æternum, spiritum veritatis, quem hic mundus nō potest accipere, quia non vidit eum, nec cognouit eū. Merito ergo se (inquit) in corpore demonstrat, quoniam in diuinitatis substantia nō videtur. Vidimus spiritum, sed in specie corporali. Videamus & patrem, sed quia videre nō possumus, audiamus. & paulo post: Audiamus ergo (inquit) patrē, inuisibilis enim pater, sed & filius inuisibilis secundum diuinitatem. Deum enim nemo vidit vnquam. Cū ergo filius deus, in eo vtique quod deus est filius, non videtur. Sanctus autem Hieronymus ait: Videre deum sicuti est in natura sua, oculus hominis non potest. Non solum homo, nec angeli, nec throni & potestates, nec dominationes, nec omne nomen quod nominatur. Neque enim creatura potest aspicere creatorem suum. & alibi: Homo igitur dei faciem videre nō potest, angeli autem etiam minimorum in ecclesia semper vident faciem dei. Et nunc in speculo videmus & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, quando de hominibus in angelos profecerimus, & potuerimus cum apostolo dicere: Nos autem omnes reuelata facie gloriam domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à gloria in gloriam, tanquam à domini spiritu. Licet facie dei iuxta naturæ suæ proprietatem, nulla videat creatura. Athanasius pariter suadet aduersus Arrianos, Deum nō esse visum nisi assumptione creaturæ, secundum deitatis autem suæ proprietatem, omnino deū esse inuisibilem, id est deum patrem & filium & spiritum sanctum, nisi in quātum mēte ac spiritu nosci potest. Gregorius etiam Nazianzenus apertissime dicit Deū natura inuisibilem, quando patribus visus est sicut Moysi, cum quo facie ad faciem loquebatur, alicuius conspicabilis materiæ dispositione assumpta, salua sua inuisibilitate videri potuisse. Hoc est etiam quod noster dicit Ambrosius, & patrem & filium & spiritum sanctum, ea specie videri quam voluntas elegerit, non natura formauerit: vt & illud verum sit, quod deum nemo vidit vnquam, quæ vox ipsius domini Iesu Christi est, & quem nemo hominū vidit, nec videre potest, quæ vox apostoli, imò eius per apostolum Christi est, & illa non repudientur testimonia scripturarum, quibus deus visus esse narratur, quia & inuisibilis est per propriā deitatis naturam, & cum vult videri, potest per assumptam sicut placuerit creaturam. Et Epistola Paulinæ anui religioſæ, de videndo deo, hæc ex Ambrosio in primum Lucæ capitulum, ad locum illum: Angelus apparuit in templo Zachariæ sacerdoti, refert capite quidem 6. Angelus videtur in templo, quia veri sacerdotis iam nuntiabatur aduentus, & cæleste sacrificium parabatur, in quo angeli ministrarent. Et bene apparuisse dicitur ei, qui eum repente conspexit. Hoc specialiter aut de angelis, aut de deo scriptura diuina tenere consuevit, vt quod non potest videri, apparere dicatur. Sic habes, apparuit deus Abraham ad ilicem mambræ. Nam qui antè non præsentitur, sed repentino videtur aspectu, apparere memoratur. Non enim similiter sensibilia videntur, & is in cuius voluntate situm est videri, & cuius naturæ est non videri, voluntatis videri. Nam si non vult, non videtur: si vult, videtur. Apparuit enim deus Abraham, quia voluit: alij quia noluit, nō apparuit. Visus est etiam Stephano cum

Augustinus.

Roma. 1.

Ioan. 14.

Act. 2.

Ioan. 1.

Matth. 18.

1. Corin. 13.

2. Corin. 3.

Athanasius.

Gregorius

Nazianzenus.

1. Timot. 6.

Lucæ 1.

Ambrosius.

Gene. 18.

Acto. 7.

- Esa. 6. ¹ lapidaretur à populo, aperire cælum. Visus est etiam Iesus stans ad dexteram dei, & nõ est visus à populo. Vidit Esaias deum Sabaoth, sed & alius videre non potuit, quia cui placuit, apparuit. Et cum apparuit Moyfi (vt dicit capite 8. eiusdem Epistolæ) erat in ea specie, qua voluerat apparere: non autẽ ipse apparebat in natura propria, quam Moyfes videre cupiebat. Origenes homilia 3. in Lucam, sentit cum Augustino, dicẽs gratia dei fuisse, vt appareret Abraham, vel cæteris prophetis. Videtur tamen Augustinus in eadem Epistola, capite 13. innuere, & nõ solum ex sua, verũ etiam sui Ambrosij sententia, Paulũ in raptu, qui audiuit arcana verba quæ non licet homini loqui, vidisse diuinam essentiam. Nam mens Pauli in tali raptu à sensibus corporeis & ab hac vita, abstracta erat, quod sufficit ad hoc, quod in illius ineffabilitatem visionis assumatur, & ita loquitur: Non est incredibile quibusdam sanctis nõdum defunctis, istam excellentiã reuelationis concessã fuisse, & certe propter beatum Paulum, qui non tacuit quod vidit, cum vsque ad tertium cælum siue in corpore siue extra corpus, raperetur, cui diuinitatis visio donata est. Etiam Moyfi in hac terra laboraturo, & populum illum adhuc rectoro, cõcessum est quod petiuit, vt claritatem domini videret. Videtur tamen secum pugnare. Nam libro 10. de Ciuitate dei capite 13. dicit deum antiquis patribus se præstitisse visibilem non secundum quod est, sed secundum quod poterant ferre cernẽtes. Et libro 3. contra Maximinum, capite 26. dicit deum nunquam hominibus cum hanc agerẽt vitam, visum sicut est, & ad hoc suadendũ adducit illam Ioannis auctoritatem: Dilectissimi nunc filij dei sumus, & nondum apparuit quid erimus, scimus autem quia cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. & cõcludendo dicit: Viderunt ergo & in hoc seculo apostoli dominum, sed non viderunt sicut est. Nec tamẽ à se ipso dissidet Augustinus, vt paulo pòst ostendetur. Etiam Hieronymus libro 3. aduersus Pelagianos cursim & per transfennam attingens quod fertur de Mose quod viderit dominum facie ad faciem, dicit eum vidisse dominum, nõ quidem proprietate naturæ, sed dignatione miserentis. Et beatus Gregorius libro 17. moralium in Iob, dicit deum à nobis in hoc mundo posse videri per quasdam imagines, non autem secundum propriæ naturæ speciem. Nec tamen quæ nunc adducta sunt ex Augustino & ex alijs doctissimis sacræ scripturæ interpretibus, offuscant & obtenebrant quæ paulo antè dixerat Augustinus. Quid enim vetat Paulum in illo cælesti raptu diuinam vidisse essentiam modo passionis transeũtis & vanescentis subito, non tamen permanẽter, pariter & Mosẽ, & deum neminem vnquam vidisse, cũ in hoc peregrinaretur mundo, sicut est, &lympide & in propria natura, stabili quidẽ & permanenti intuitione? Et licet fateatur Augustinus Mosẽ vidisse claritatem dei, nõ propterea colligendũ erit, Mosẽ vidisse deum secundum proprietatem diuinæ naturæ, & in specie propria, & non potius per subiectam creaturam. Si enim ealympiditate vidisset deum qua & beati vident, temerariẽ & inconsulto scripsisset Paulus: Videmus nunc per speculum in ænigmatẽ, tũc autem facie ad faciem. Nec verum esset quod dicit Ioannes: Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Adblanditur & nostræ Assertioni Damascenus, libro primo suæ Theologiæ, capite primo, nec latũ vnguẽm recedit ab opinione prænominatorum doctorũ, sic enim scribit: Post diuinam itaque, beatissimãque naturam, nullus vnquam deum nouit, nisi cui ipse reuelauerit, non hominum modo, sed ne supramundanarum quidem virtutum, supramundanarum (aio) vt ipsorum Cherubin atque Seraphin. ¶ Verum instabit quispiam, Beatus Stephanus vidit cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris virtutis dei, potest igitur quispiã videre deum ac diuinam essentiam, antequã hinc demigret. Hanc diluit rationem Clithoueus in commentarijs illius capitis Damasceni, dicens, Stephanũ vidisse Christum iam ad cælos triumphali ascensione regressum, in humana quidem forma, quæ tunc super cælos magnifice fuit eleuata, altãtem dextris virtutis dei, quandoquidẽ diuinæ naturæ, neque sedere, neque stare, neque alio quouis situ se habere, quoquo

facto conuenit. ¶ Iterum conflictaberis, Esaias vidit dominum sedentem super solium, etiam ante tempus assumptæ pro nobis humanæ naturæ. Sed iam deprompsimus ad obiectionem hæc, ex sacris doctoribus solutionem: Quod huiusmodi visio ac effigatio, per subiectam creaturam facta est, omnĩque apparitio sanctis exhibitã patribus, per efformationẽ in rebus creatis & speciẽ, similitudinẽque congruã, eorum mentibus obiectam, est completa. Quod beatissimus quoque Dionysius 4. capite libri de Cælesti hierarchia, ita cõprobat: Enimvero si quis fortasse dixerit, ex deo ipso absque vilo medio, quibusdam sanctorum diuinis apparitiones contigisse, is illud quoque de sacratissimis libris sapienter intelligat, vt secretũ ipsum dei (quodcunque tandẽ illud est) nemo vnquam vidit, neque videbit. Cæterum diuinæ illæ apparitiones, sanctis viris, per signa deo cõuenientissima sacris quibusdam atque intuitum modo ac viribus accommodatis, visionibus contingere. At vero sapientissima Theologia, visionem illam, quæ in semetipsa descriptam ostẽderet diuinam veluti effictam ex rebus formas non capientibus similitudinem (quod ad deũ cernentes adducat) diuinam apparitionem rectissime appellat, per quam intuitibus diuinus ille fulgor irradiat, eosque sacratius aliquid atque augustius doceat. Huiusmodi verò diuinis visiones, celeberrimi illi patres nostri, ministerio cælestium virtutum ediscẽbat. Hæc Dionysius. At quia Moses deo dilectus & sacratissimus Paulus, per augustiora perfectioraque signa ad huiusmodi visiones dei, sublimius cæteris & altius euecti sunt, atque per diuinam similitudinem in ipsorum mētibus angelico ministerio clarius efformatã, propinquius ad diuinitatis aditum accesserunt: hinc palam, & citra ænigmata vidisse deum dicuntur. Et licet animæ beatæ, & angelicæ substantiæ deum pro suo captu & modulo agnoscant & intueantur, non tamẽ possunt diuinam essentiam plene contueri & comprehendere. Quod enim finitum est & præscriptæ ac determinatæ capacitatis, non potest infinitum & quod omnem refugit mensuram, comprehendere: sed solum deus perfectam habet & absolutam sui ipsius notionem, quod comprobat Paulus ad Corinthios dicens: Quis enim hominũ scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Ita & quæ sunt dei, nemo cognouit nisi spiritus dei.

CAPVT II.

DEus est secundum naturam dominus.] Antequam ex Cyrillo nostram approbem Assertionem, proferam ex Deuteronomio quod ab hac veritate non euariat. Ita enim loquitur Deus per suum præconem, angelicũque internuntiu: Cũque quæsieris ibi dominum deum tuum, inuenies eum: si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ, postquã te inuenierint omnia quæ prædicta sunt. Nouissimo autem tempore reuerteris ad dominum deum tuum, & audies vocem eius: quia deus misericors dominus deus tuus est. Insuper: Audi Israel, dominus deus vester, deus vnus est. Hæc (ni fallor) verba, mihi videntur ostendere excellentissimũ omnium & augustissimũ imperium, vni deo à natura ascribendum esse & attribuendum. Nec puto plus honoris & sanctæ religionis deferendum esse vni deo, quàm vni omnium per se & à natura, cum cæli tum terræ Domino diuinissimo & illustrissimo, nisi velis diuellere ac disiungere (quod absit) diuinitatem à dominio rerum omnium supremo, ac diuina imperandi potestate. Nec conferas quæso dominium hominis, cum maximo & magnificentissimo dei dominio: quandoquidem illud est accidentarium, fluxum & momentaneum: istud verò natium & perpetuum, à quo terrarum omnium imperia longe, latẽque propagata, pendent, regũtur & florentissime stabiliuntur. Et huic cohærẽt veritati, quæ scribit Paulus ad Corinthios: Nobis, inquit, Deus vnus pater, ex quo omnia, & nos in illũ, & vnus dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. Quem locum enarrans Cyrillus libro 8. contra Iulianum dicit: Intelligis igitur quomodo vnum deum nominat patrem, vnum autem dominum filium? sed cum vnus dominus sit filius, dominus vtique intelligatur, & ipse pater, sic deus: &

Ambrosius.
Esa. 42.
Hier. 16.
& c. 23.

Augustinus

Psal. 89.

quum vnus deus dicatur pater, deus est filius vt pote & secundum naturam existens dominus. Sequetur enim omni modo diuinitatem quidem, secundum naturam dominationem: Dominationem autem, quae vere est, diuinitatis gloria. Adde quod Ambrosius libro primo de Fide, capite 1. dicit nomina haec, deus & dominus, esse magnificentiae & potestatis, sicut de semetipso dixit deus, Dominus nomen mihi est. Et sicut alibi propheta asserit: Dominus omnipotens nomen est ei. Dominus ergo & deus, vel quod dominetur omnibus, vel quod spectet omnia, & timeatur a cunctis. Si ergo vnus deus, vnum nomen, vna potestas, vna est trinitas. Quod si dominus (vt vult ille) sit nomen potestatis, & ab aeterno habuit potestatem vt omnibus praeficeretur & imperaret, nec ab extrinseco hanc praecellentem obtinuit potestatem. Non absurde igitur colliges, deum esse secundum naturam, dominum. At instabit quispiam, si deus esset dominus secundum naturam, & cum fuerit deus antequam mundum creasset, erat igitur dominus ante mundi constitutionem, quod non videtur esse dicendum. Si enim erat dominus, ergo serui dominus. Dominus enim & seruus sunt relatiua adinuicem conexa, & necesse est vt adinuicem definiantur. Nec possit vnū intelligi sine altero. Sūt enim (vt dicit Aristoteles in Cathogoria ad Aliquid, simul natura, & se mutuo ponunt, mutuóq; interimunt. Quod si sit dominus, necesse est & ei esse seruum, quod si nō sit dominus, nec est seruus. Nec minus arcte iunguntur dominus & seruus, quam pater & filius, quod si patris cognitio à filio pēdeat, pendebit & domini intellectio à seruo. Insuper dicit Augustinus libro 5. de Trinitate, capite 16. dominum non dici, nisi cum iam habere incipit seruum. Etiam ista appellatio relatiua, ex tempore est deo. Nō enim sempiterna creatura est, cuius esse ille dominus. Ecce dominum esse, non sempiternum habet, ne cogamur etiam sempiternam creaturā dicere, quia ille sempiternus non dominaretur, nisi etiam ista sempiternae famularetur. Sicut autem non potest esse seruus, qui non habet dominum: sic nec dominus, qui non habet seruum. Verū ex his quae subiungit, vrgentius agit. Et quisquis (inquit) extiterit, qui aeternum quidem deum solum dicat, tempora autē non esse aeterna propter varietatem & mutabilitatem, sed tempora tamen non in tempore esse coepisse. Nō enim erat tempus antequam inciperent tempora, & ideo nō in tempore accidit deo vt dominus esset, quia ipsorum temporum dominus erat, quae vtrique non in tempore esse coeperūt: quid respondebit de homine qui in tempore factus est, cuius vtrique dominus non erat antequam esset, cui esset? Certe vel vt dominus hominis esset, ex tempore accidit deo. Et vt omnis auferri videatur conuersionis, certe vt tuus dominus esset aut meus, qui modo esse coepimus, ex tempore accidit deo. Postremo vt dominus esset huius arboris, & huius fegetis, ex tempore accidit, quae modo esse coeperūt. Quia etsi materies ipsa iam erat, aliud est tamen dominum esse materiam, aliud esse dominū iam factae naturae. Alio enim tempore est etiam homo dominus ligni, & alio tempore dominus est arca, quāuis ex ipso ligno fabricata: quod vtrique non erat, cū ligni dominus iam esset. Sed hoc Augustinus torquetur scrupulo, si nam accidens deo cōtingere possit, cum temporanea relatione dicatur dominus. Sed inauditum putat, accidens inesse deo. Quia diuinæ naturae nihil accedit quo mutetur, vt ea sint accidentia relatiua, quae cū aliqua mutatione rerum, de quibus dicuntur, accidunt. Sicut amicus relatiue dicitur, neque enim esse incipit, nisi cū amare coeperit. fit ergo aliqua mutatio voluntatis vt amicus dicatur. Nummus autem cum dicitur pretium, relatiue dicitur, nec tamen mutatus est, cum esse coepit pretium: neque cum dicitur pignus, & si qua sunt similia. Si ergo nummus potest nulla sui mutatione toties dici relatiue, vt neque cum incipit dici, neque cum definit, aliquid in eius natura vel forma qua nummus est mutationis fiat, quāto facilius de illa incommutabili dei substantia debemus accipere, vt ita dicatur relatiue aliquid ad creaturam, vt quāuis temporaliter incipiat dici, non tamen ipsi substantiae dei accidisse aliquid intelligatur, sed illi creaturae ad qua dicitur. Domine, inquit, refugium factus es nobis. Refugium ergo nostrum, deus re-

latiue dicitur, ad nos enim refertur, & tunc refugium nostrum fit, cum ad eum refugimus. Nunquid tunc fit aliquid in eius natura, quod antequam ad eum refugeremus non erat? In nobis ergo fit aliqua mutatio. Deteriores enim fuimus, antequam ad eum refugeremus, & efficitur ad eum refugiendo meliores, in illo autem nulla. Sic & pater noster esse incipit, cum per eius gratiam regeneramur, quoniam dedit nobis potestatem filios dei fieri. substantia itaque nostra mutatur in melius, cum filij eius efficitur, simul & ille pater noster esse incipit, sed nulla cōmutatione sua substantiae. Quod ergo temporaliter dici incipit Deus, quod antea non dicebatur, manifestum est relatiue dici, non tamen secundum accidēs dei, quod ei aliquid acciderit, sed planē secundum accidens eius, ad quod dici aliquid deus incipit relatiue. Et quod amicus dei iustus esse incipit, ipse mutatur. Deus autem absit, vt temporaliter aliquādo diligit, quasi noua dilectione quae in illo ante non erat, apud quē nec praeterita transierunt, & futura iam facta sunt. Itaque omnes sanctos suos ante mundi constitutionem dilexit, sicut praedestinauit. Sed cum cōuertuntur & inueniunt illum, tunc incipere ab eo diligi dicitur, vt eo modo dicatur quo potest humano affectu capi quod dicitur. Sic etiā cum iratus malis dicitur, & placidus bonis, illi mutatur, non ipse. Sicut lux infirmis oculis aspera, firmis leuis est, ipsorum scilicet mutatione, non sua. Habes in illo Augustini capite, sublimem & abditissimam philosophiā, nec sanē potui quae maxime iuuabant, praetermittere: illic differit de propria & exactissima accidentis ratione, nec attingit accidentis inseparabilis (quod potius & verius debet dici rei proprietatis quam accidens) disceptationem. Nec a sententia Augustini euariat Damascenus libro 1. suae Theologiae, capite 12. dicens haec, dominus, rex, & huiusmodi, respectum ad ea quae ex aduerso distinguuntur, monstrare. Nā eorum quibus dominatur, dicitur dominus: & eorum quos regit, rex: & cōditorum, cōditor: & eorum qui ab eo pascuntur, pastor. Proposita rationes facile diluentur & quae ascita sunt ex Augustino & Damasceno, cum diximus Deum esse secundum naturā dominum, & quidem ab aeterno: tunc sumimus domini nomē, vt dominandi potestatem quidē à natura indicet, non autem vt quādam inuoluit & circumscribit ad seruum habitudinem: haec enim significatione, deus ex tempore dicitur dominus. & hanc dicendi rationē sequuti sunt Aristotelici, pariter Augustinus & Damascenus. Cum enim dominus est serui dominus, intelligenda est actu, domini ratio, & expressissima cognitio. Huic accedit intelligentiae Thomas 1. Senten. distinct. 30. quaestio. 3. ad 2. argumentum, vbi dicit deum ante mundi constitutionem fuisse dominū potestate, & non actu. Si tamen sagaciter olfeceris doctrinam Cyrilli & Ambrosij, dices forsitan eum fuisse dominum actu. Nam deus & dominus, vt deo potissimum à natura tribuuntur, sunt nomina naturae, magnificentiae, & potestatis. antequam enim cōdidisset mundū erat dominus, siue dominator, nō tamē dominās: sicut erat creator non tamen creans. Et si legeris Augustinum libro 12. de Ciuitate dei, cap. 15. reperies quā sobrie quāmq; timide de hac re obscurissima differerit, vbi non audet asserere, vt solent quidam summa cum audacia, Deum aliquādo non fuisse dominum, ita enim loquitur: Ego quidem sicut dominum deum, aliquando dominum non fuisse, dicere non audeo: ita hominem nunquā antea fuisse, & ex quodam tempore primum hominem creatū esse, dubitare non debeo. dicit tamen sub cōditione loquens: Quapropter si deus semper dominus fuit, semper habuit creaturā suo dominatui seruientem: verū tamen non de ipso genitam, sed ab ipso de nihilo factā, nec ei coaeternā. Erat quippe ante illam, quāuis nullo tempore sine illa. Dicerē ego hac in re non omnino adhaerendū esse Augustino, aut si mordicus velis adherere, dic Augustinum sumpsisse dominum actu, & vt rationem seu habitudinem sui cor relatiui includit, nec tamē omnimode asserit in illo capite quae dicit, sed subtili acrimonia differit. Et facile defenderem conditionem illam, si modo particula semper, omnimodam (vt solet) temporis rationem indicet, & nō aeternitatem. Et hunc de sumam sensum, si deus omni tempore fuerit, & habuit omni tempore creaturam

Ioan. 1.

Damascen. 2.

Augustinus.

suo imperio & dominatui seruientem, ita quod tempus dominandi, non praecessit tempus famuladi, & licet ab aeterno fuerit dominus, nec in illa aeternitate fuerit qui illi obsequeretur, semper tamen fuit creatura deo seruiens, si semper deus fuerit dominus. Quod si cupide scire velis ab Augustino, quana est illa creatura quae semper fuit? Respondebit, angelus: fatetur enim in illo capite, angelum semper fuisse, quia omni tempore fuit, licet angeli fuerint creati, semper tamen fuerunt, vt particula. Semper (quod iam commonefecit) tempus includat, non autem aeternitatem. Non enim ab aeterno fuit angelus, fuit enim creatus vna cum tempore, si deus creauerit omnia simul tempore, quod credimus. Et imperite quis in huc modum ratiocinaretur, Semper fuerunt angeli, ergo ante creationem mundi fuerunt. Aut sic: Non erant ante conditam mundi fabricam, ergo non semper fuerunt. Nam semper, tempus indicat, quod non erat ante mundi constitutionem. Sed vno & eodem tempore creati sunt angeli, & quidem cum creatione temporis, nec deus creauit tempus in tempore, quod fuerit tempus quando non erat tempus: & quia non possumus assignare tempus, angeli creationem praecedens, idcirco non absurde dixit Augustinus, angelos semper fuisse, nec propterea sunt aeternitati immutabili coaeterni. Sunt enim creati, & quidem in tempore, quauis deus in suis operationibus non indigeat. Nec tempus illud praecessit angelorum creationem, alioqui daretur tempus in quo non erant angeli, & ex hoc, subuertes illam assertionem, Semper fuerunt angeli. Et licet deus ab aeterno fuerit, imo sit ipsa aeternitas immutabilis, & creatura non fuerit ab aeterno, nullo tamen tempore existente praecessit creaturam.

CAPVT III.

DEi primum & praecipuum nomen, dicitur, qui est.] Huiusce Assertionis probationem primum ex eo quod in Exodo scriptum est, desumemus, deinde ex sacris doctoribus. Cum voluit Moses ad filios Israel proficisci, cui in animo erat illis dicere: Deus patrum vestrorum misit me ad vos, consuluit dominum, quidnam illis diceret, si sciscitarentur nomen eius, & quo nomine vocaretur is, cuius munus obibat, tunc dominus dixit ad Moysen: Ego sum qui sum, & dices ad filios Israel: Qui est, misit me ad vos. Et licet dei diuersa sint nomina etiam excellentissima, nomen tamen substantiae per se & immutabilis, & quae a nullo dependet, & quam nullis temporum momentis, ac spacijs metiri possumus, ceteris vt omnium maxime insigne & dignum summa admiratione, praetulit. Qui simpliciter est, misit me ad vos, cuius substantiae, si quid in vobis est, contuleritis, nihil erit: vestra enim substantia ab eo quod per se & summe est, tota pendet. Quandoquidem ille est omnium imperator maximus, qui id muneris, vobis impartitus est, vt subsisteretis. Differens Hieronymus, Epistola Marcellae, de decem dei nominibus (quem Graeci *θεός* vocant) dicit sextum nomen esse, Efer Eheie, quod in exodo legitur, qui est misit me: vocatur & Adonai, id est dominus. Adonai tamen nomen est generale, dominum significans, vt annotat idem Hieronymus in illum Ezechielis locum, Et factus est sermo domini ad me dicens, vbi sic scribit: Adonai vnum nomen est de decem vocabulis dei, & significat dominum, quo saepe & in hominibus vtimur. Denique & Sara vocas Abraham dominum suum, hoc vocabat nomine. Et vbi dicitur, Domine mi rex, Adonai scriptum est. Quando igitur duo, domini & domini, iuncta sunt nomina, prius nomen commune est, secundum proprie dei, quod appellatur *εὐρητός*, id est ineffabile. Adde quod Epistola ad Damasum, omnino nobis fauet, vbi sic scribit: Deus solus qui aeternus est, hoc est, qui exordium non habet, essentiae nomen vere tenet. Idcirco & ad Moysen de rubo loquitur: Ego sum qui sum, & rursum, qui est, me misit. & ibidem deus prope sibi vendicat nomen essentiae, quod tamen est commune. Et nomen dei *της ἀγίας μυστα*, quod est ineffabile, exprimi non potest: quando tamen legitur, pronuntiat Adonai, id est dominus, vt dicit Franciscus Georgius Venetus de harmonia mundi, tono sexto 2. cantici, capite septimo, vbi admonet omnia dei nomina, in nomine Iesu recipi. Et in hoc nomine Elohim

Exo. 3.

Esa. 40.

Hieronymus

Ezech. 6.

Gene. 18.

Hester 14.

Franciscus
Georgius.

intelligitur opifex. Cum enim dicitur Creauit Elohim caelum & terram, sensus est, creauit opifex caelum & terram, qui quidem omnium est exquisitissimus, & supremus rerum omnium architectus, & qui insigniter & praclaro nomine dicitur qui est, absque vlla mutatione. Explicat Glossa ordinaria illum Exodi locum: Qui est, misit me ad vos, dicit: Deus enim solus qui exordium non habet, vera essentiae nomen tenet, quod per angelum dicitur est Moysi nomen eius quaerenti, quia in eius comparatione qui vere est, quia incommutabilis est, quasi non sunt, quae mutabilia sunt: quod enim dicitur fuit, non est: & quod dicitur erit, nondum est. Deus autem tantum est, qui non nouit fuisse vel futurum esse: solus autem pater cum filio & spiritu sancto, vere est: cuius essentiae comparatum nostrum esse, non est. Vnde & dicimus, viuunt deus, quia essentia diuina vere viuunt, quam mors non habet. Adde quod Augustinus in psalmo 68. ad locum illum, Infixus sum in limo profundi, & non est substantia, dicit deum eo quod deus est, hoc ipso substantiam esse, quare maxime proprium est deo per se & natura propria subsistere. Et libro 9. Confessionum capite 10. differens de diuina sapientia, indicat esse, dici proprium dei, vbi inquit: Vita, sapientia est, per quam sunt omnia ista, & quae fuerunt, & quae futura sunt, & ipsa non fit, sed sic est vt fuit, & sic erit semper: quin potius fuisse & futurum esse, non est in ea, sed esse solum, quoniam aeterna est. Nam fuisse, & futurum esse, non est aeternum. Et expressius multo suam depromit de hac re sententiam libro vno de vera Religione, cap. 49. vbi dicit, Aeternitas tantummodo est, nec fuit, quasi iam non sit, nec erit quasi adhuc non sit. Quare sola ipsa verissime dicere potuit humanae menti, Ego sum qui sum. Et de illa verissime dici poterat, Qui est, misit me. Tum etiam libro vno de Fide & symbolo, capite 4. dicit de filio dei, secundum quod unigenitus est filius dei, non potest dici, fuit & erit, sed tantum est: quia & quod fuit, iam non est, & quod erit, nondum est. ille ergo est incommutabilis sine conditione temporum & varietate. Nec aliunde arbitror manare quod famulo suo Moysi tale nomen suum insinuauit. Nam cum ab eo quaereret, si se populus ad quem mittebatur contemneret, a quo se diceret esse missum, responsum dicentis accepit: Ego sum qui sum. Deinde subiugit, Haec dices filijs Israel: Qui est, misit me ad vos. ex quo iam spiritualibus animis patere confido, nullam naturam deo esse posse contrariam. Si enim ille est, & de solo deo proprie dici potest hoc verbum. Quod enim vere est, incommutabiliter manet, quoniam quod mutatur, fuit aliquid quod iam non est, & erit quod nondum est, nihil habet deus contrarium. Et idem dicit libro 5. de Trinitate, capite 2. Et in psalmum 101. ad illum locum: In generatione generationum anni tui. Suffulciemus & nostram Assertionem ex doctrina Damasceni: qui libro primo suae Theologiae capite 12. differens de ijs quae de deo dicuntur, ita scribit: Enimvero videtur principalius omnium de deo dictorum nominum esse, Qui est, quem admodum ipse dans responsum Moysi in monte, inquit: Dic filijs Israel, qui est, misit me. Totum enim in seipso comprehendens, habet ipsum esse, veluti quoddam pelagus substantiae infinitum, & interminum. Et recte quidem (inquit Clithoueus in explicatione illius loci) primum dei nomen & principale dicitur qui est. Nempe id ipsum, substantiam, essentiamque dei indicat. Alia autem nomina, vt bonus, iustus, sapiens, sanctus, rationem quandam accidentariam, dei naturam aut operationem consequentem exprimit. substantia autem accidentaria affectione & operatione prior est ac principalior. Nec putes velim, haec nomina, infinitum, immensum, incomprehensibile, incorporeum, incorruptibile, quid deus sit, exprimere: sed solum ostendunt quid deus non est, quod scilicet non sit finitus, comprehensibilis, corporeus, corruptibilis, ipsum autem Est absolute & simpliciter pronuntiatum, expressissimam dei substantiam indicat. Quare nullum vnquam nomen exactius ac expressius excogitari potuit, quo deus nominari possit: tamen nullo nomine possit humanum ingenium diuinam consequi substantiam, & eam certa finitione, certisque limitibus comprehendere. ¶ Verum decertabit quispiam, Beatus Dionysius libro de Diuinis nominibus plane dicit primum dei nomen, esse bonum, nec primum est dicendum de deo esse

Glos. ordin.

Augustinus;
Psal. 68.Psal. 101.
Damascenus.

Clithoueus

Dionysius.

sed ipsum bonum: sic enim inquit, 2. capite. Diuinam totam substantiam (quicquid illa est) ipsa bonitas diffinire atque aperire à sacris eloquijs dicitur. Et capite 3. eiusdem operis: Ac primum quidē perfectissimam, omniumque dei processum interpretem, boni appellationē intueamur. Denique cap. 4. Age ergo ad ipsam iam boni appellationē pergamus explicandā, quā Theologi peculiariter summæ deitati ex omnibus applicāt, ipsam vt reor substantiā diuinā, bonitatē appellātes. & quia eo ipso quod est bonū, vt substantiale bonū in omnia quæ sūt, pertēdat bonitatē. Nec pugnat Dionysius cū Damasceno, si sane intelligatur: boni nēpe appellatio, prima est ad insinuandā nobis diuinā substantiā, per beneficos suorū munerū in hac inferiora processus, qui ratione boni, potissimū nobis innotescūt, ob id ipsum quod boni propriū est, in alia se diffundere, quēadmodū per suorū ad nos radorū deriuacionē, solis substantia nostris oculis inaccessa, mortalium ostēditur aspectui. Nomē vero qui est, diuinā designat substantiā, vt in seipsa est occultissime latēs: omnes entium gradus supereminēter & superexcellēter in se vnice cōtinens, & tāto rerū inferiorū essentias interstitio trāscendens, vt hæc ad deū collata, nō entia potius quā entia dici mereatur: entia quidē, quod à summo ente pfecta sunt: nō entia verō, quia à diuinæ essentia in mēsitate inproportionabiliter deficiunt atq; discedūt. Et quis dixerimus primariū dei nomē esse ipsū est, nullis tamē nominib⁹ possumus exacte & omnino dei naturā & sublimitatē exprimere, vt qui sit super omne nomē, quod nominatur nō solū in hoc seculo, sed etiā in futuro, & quo omnis nominatio & humana & angelica, inferior est. Enimvero diuinus pater Diony. in 1. ca. lib. de Diuinis nominib⁹, ingenue pfiteretur deū omnia esse quæ sunt, rerūmq; omnium nominib⁹ nūcupari: quod nihil sit in rerū natura subsistēs, quod nō habeat aliquod sūmæ diuinitatis vestigiū, vnde illius nomē deo possit rite & pie accomodari. rurū cōtestatur deū nihil esse eorū quæ sūt, quod supra omnia est, & omnia exuperat, proinde nomē omne recusat: quia trāscēdit vniuersa quæ nominari possūt, idcirco sentit nullū inueniri posse nomē, quod proprie deo assignetur: & quādmōdū de nomine dei, quod est admirabile, dictū est, ita & de eius diffinitione sentiendū, quod scilicet quid sit deus, secundū substantiā ac naturā, incōprehensibile omnino est atq; ignotū, quāuis nō nulli hęc dei definitionē assignēt, quod est præstās quādā natura, qua nihil est melius, cuius prouidentia mundū quē cōdidit, gubernat. & alij alias recte afferāt eius descriptiones, nō tamē omnimode per eas explicāt idipsum quod deus est: quādoquidē illud supra sermonē omnē & mētem eminet. Vnde nō penitus improbandū quod Simonides poeta fecisse & dixisse dicitur: cū hac de re interrogaretur. Quæretē enim ab eo Hierone tyranno Syracusano, quidnā esset de⁹, deliberādī sibi spatū vnū diē dari postulauit. Cū idē post diē rogarēt: bidū petijt. tū sapius eo idē petēte, duplicauit semper numerū dierū. Tādem verō interrogātī Hieroni cur ita faceret, quia quāto, inquit, diūtius cōsidero, tāto mihi res videtur obscurior. significauit planē hęc verbis, imperscrutabilē dei esse rationē, & humano ingenio inaccessā, ignotā atq; incōprehensibilē. Huiusce hystoria meminit Frac. Georg. Venet. de Harmonia mūdī, tono 1. c. cālici, ca. 3. vbi dicit, Quāuis nesciamus quid de⁹ sit, oraculis tamē, ratione, & cōsensu omnium scimus deū esse. sed ad Damasc. redeo, à cuius cōmentatore Clithoueo viro doctissimo, multa sed erudita & polita excerpimus, cū ille, nomē dei secundū Græcos interpretatur, dicit Theos, vel à thein, id est currere & disponere vniuersa, vel ab ethin, id est vire (deus enim ignis est, omnē malitiā cōsumēs) vel à theatin, id est intueō omnia, nam nihil eū latere potest, immō omnium inspector est. Cōsidera diligēter quod tibi dicturus sum, quod quis obstringamur credere deū esse, nō tamē quid sit. Primum enim in spōtanea hominis volūtate situm est, quod si nō esset in hominis arbitrio collocatū, nec delinqueremus nō credēdo. Secundū verō omnino ingenij nostri acrimoniam & vires exuperat, & humanā longe mentē excedit, ac prætergreditur. Nā vt paulo antē dictum est, nullus vnquā hominū quantumuis doctus, quantumuis subtilis & ingeniosus potuit suis viribus consequi & cōprehendere quidnam deus esset.

Ephe. 1.

Georgius Venerus.

Hac in re caligāt hominū oculi, & delirāt planē, qui cū deberēt quid nā sit deus, admirari, torquet in controuersia, Vtrum deus sit, & quid nā sit deus, quod si ex Arist. digni sint vt vapulēt qui scrutātur, An parentibus deferendus sit honor, multo magis flagris & durissimis flagellis digni sūt qui curiose aut dubiē quarūt, An de⁹ sit. Nec hac in re nobis aduersatur Chryso. enarrās illū Pauli locū ad Hebræos, Fide trāslatus est Enoch, vbi dicit: Vnde placetur deo: Credere optus est, quia est, non quid est. Si autē quia est, fide, nō ratiocinationibus opus habet: ita nec quid sit, ratiocinatione cōprehendi potest. Tertul. lib. aduersus Herinogēnē, latū ponit discriminē inter nomē dei & domini, etiam in rebus diuinis. Dei, inquit, nomē dicimus semper fuisse apud semetipsū, & in semetipso: dominū verō nō semper. diuersa enim vtriusq; conditio. Deus enim nomē est substantiæ & diuinitatis, domin⁹ verō nō substantiæ, sed potestatis. substantia seper fuit cū suo nomine, postea dominus accedēt rei mētionē. Nā ex quo esse coeperūt, in quæ potestas domini ageret, ex illo per accessionē potestatis, & factus & dictus est dominus. Si quid diuinare possim, nec tamē diuinatione opus est, existimo abstrusissimū & maxime lateus dei nomē in semetipso, quod substantiam ipsam aperit, esse idipsum quod est, & sumit nomē domini quatenus cōherentem suo correlatiuo, habitudinē includit. Cyprian⁹ Tractatu 4. de Idolorū vanitate, cōtulit nobis, ne nomē dei quaramus. Deus nomē est illi, illic vocabulis opus est, vbi proprijs appellationū insignibus multitudo dirimēda est: deo qui solus est, dei vocabulum totū est. Ergo vnus est, & vtriq; totus diffusus est. Cypriano magnoperē scribit Lactantius vir sanē eloquentissimus, lib. 1. de falsa Religione, cap. 6. referēs quæ asseruit præclare Trismegistus de maiestātē summi ac singularis dei, cuius nomē ne quis requireret, ἀνόμιμον, id est sine nomine, esse dixit, eo quod nominis proprietate nō egeat, ob ipsam scilicet vnitatē, & ipsius verba hæc sūt, ὁ θεὸς ὅσιος, ὁ θεὸς ὁνομαστός, ὁ θεὸς ὀνόματι, ἔστι γὰρ ὁ θεὸς ἀνόμιμος, id est deus autē vnus, vnus autē nomina nō eger, est enim qui est, sine nomine. Deo igitur nomē non est, quia solus est, nec opus est proprio vocabulo, nisi cū discriminē exigit multitudo, vt vnāquāq; personā sua nota & appellatione designēs. Nihil tamē hac innuere volūt, nisi quod nōstro captu, & ingenio quantumuis excellētī, exprimi nō possit omnimode dei appellatio. Vt tamē cōprehendere potest humana imbecillitas, ab essentia, virtute, potestate & operatione, cōmodius & aptius quā fieri potest, nominare solemus. Sāctus Thomas 1. part. sum. quæst. 13. art. 11. nostræ astipulatur assertioni, Triplici, inquit, ratione ipsum Est, est propriū dei nomē: Prima, ppter sui significationē: nō enim significat formā aliquā, sed ipsum esse: & cū esse dei, sit eius essentia, nulli dubiū erit quin ipsum est, apposite & proprie deū nominet: Secunda, propter eius vniuersalitātē siue protēsūm ad omnia nomē. Omnia enim alia nomina sunt astricta & determinata: & quāto nomina minus sunt limitata & præscripta, tāto aptius, magisq; deo cōueniūt. Plaude igitur Arist. qui diuino quodā ingenio prætulit Metaphysicē siue primā philosophiā cæteris disciplinis, quod ipsa excutiat & cōsideret ens quatenus ens est: cæteræ verō adminiculatiuæ illæ, ens præscriptū & determinatū cōsiderāt, vt phisice ens mobile: Geometria, quātitatē continuā: Arithmetica, discretā & numeros: Ter tia, à rei significatione: etenim ipsum est, designat quod in præsentī est, & hoc maxime deo cōuenit, cuius esse nō nouit præteritum neq; futurū. Ad hæc cōducunt quæ scite scripsit Augustinus lib. 12. de Ciuitate dei, capite 2. illud proferēs Mofi dictum: Ego sum, qui sum. Cū enim, inquit, deus summa essentia sit, hoc est summe esse, sicut ipse est: & alijs dedit esse amplius, alijs minus, atque ita naturas essentiarum gradibus ordinauit. sicut enim ab eo quod est sapere, vocatur sapientia: sic ab eo quod est esse, vocatur essentia. Hęc ille. Nec inficiamus hoc nomen deus, esse maxime deo proprium, si spectemus id ad quod est impositum. etenim positū est ad significandum naturam diuinā: & magis proprium nomen est Tetragrammaton, quod impositum est ad exprimendum substantiam dei incommunicabilem.

Chrystoso. Hebr. 11.

Tertullian⁹.

Cyprianus.

Lactantius.

Trismegist⁹

Thomas.

Aristoteles.

Exo. 3. Augustinus.

S. ij.

Augustinus.
Deute. 6.

DEus sine personis perfecte intelligi nō potest.] Hāc desumo Assertionē ex Augustino lib. 5. de Trinitate, cap. 11. edifferēte locum illū Deuteronomij: Audi Israel, dominus deus tuus, deus vnus est. Nō vtiq; inquit, excepto filio, aut excepto spiritu. sancto oportet intelligi, quē vnum dominū nostrū recte dicimus. Et tantā existimo esse connexionē inter vnitatē essentia diuinā & personarū trinitatē, vt astipulādo sacris & serijs Augustini literis, ausim dicere Christianū non posse intelligere vnitatē diuinā naturā sine arctissima personarum coherētia: quod si vnū & verum deū contēpserit, nec putet hanc existere deitātē in tribus personis; aut sapit infidelitatē, aut hāresim, nec potest vnitatē hāc à numero diuellere, nec numerū ab vnitatē: tolle hāc deitatis vnitatē, tollis & ternariū personarū: quod si ademeris & ternariū, mox & deitatis vnitatē subruerene esse est, nec Christianā sapit philosophiā, sed potius aethnicū, nō dicā Scotiū, ingenium, qui à perfecta dei intelligentiā semouet personā, aut cognitionē personarū à deitate. Firmissime credo diuinā naturā eā habere fecundā intelligentiā in tribus personis, vt nō possit à iunctissimo triū personarū nexu dissociari. Nec te putes suspicere ac reuereri diuinā essentiam, non colendo in vnitatē trinitatē, nec absque trinitate vnitatem. Tutissima tuā salutis anchora, ab vnitatē ternario personarum adnexa pēdet, & ab ipso ternario ab vnitatē siue monade infestili. Vita quāso quorundā deliria & somnia, qui existimāt se efformare notionē dei exactissimā, quā deū vti est, intelligunt, etiā nihil prorsus de personis cōcipiunt. Putāt illi suis molitionibus & inuētis atechnia excogitatis, se posse vinculū vnitatis à ternario personarum aut dirimere aut omnino dissiūgere. Insuper August. subtilius multo hoc perarduum tractat negotiū lib. 6. de Trinitate. cap. 9. vbi docet solū deum cōtinere omnes personas. Cōsideranda est (inquit) illa sentētia, qua dicitur deū verum solū nō esse patrē solum, sed patrē & filium & spiritum sanctū. Si quis enim interroget, Pater solus vtrū sit deus? quomodo respōdebitur nō esse, nisi forte ita dicamus esse quidē patrē deū, sed non esse solū deum, esse autē solum deū, patrē & filiū & spiritū sanctū? Sed quid agimus de illo testimonio domini? patri enim dicebat, & patrē nominauerat ad quē loquebatur, cū ait, Hāc est vita aeterna, vt cognoscant te vnū verū deū, quod quidē Arriani sic solēt accipere, quasi nō sit filius verus deus, quibus exclusus, videndū est an intelligere cogamur, cū dictū est patri, vt cognoscant te vnū verū deum, tanquā hoc insinuare voluerit, quia solus pater deus verus est, ne non intelligeremus deū, nisi ipsa tria simul, patrē & filiū & spiritū sanctum. Nū ergo ex domini testimonio, & patrē vnum verū deum dicimus, & filiū vnum verū deum, & spiritū sanctum vnū verum deū, & simul patrē & filiū & spiritū sanctū, id est simul ipsam trinitatē, nō tres veros deos, sed vnū verū deū? An quoniā addidit, & quē misisti Iesum Christū, subaudiendū est vnū verū deū? & ordo verborū est, vt te & quē misisti Iesum Christū cognoscāt, vnū verū deū. Cur ergo tacuit de spiritu sancto? An quoniā cōsequens est, vt vbiq; nominatur vnū, tāta pace vni adherēs, vt per hāc vtrūq; vnū sit, iā ex hoc intelligatur etiā ipsa pax, quā nō cōmemoretur? Nā & illo loco Apostolus videtur quasi pratermittere spiritū sanctū, & tamē etiā ibi intelligitur, vbi ait: Omnia sūt vestra, vos autē Christi, Christus autē dei. & iterū: Caput mulieris vir, caput viri Christus, caput autē Christi deus. sed rursus, si deus nō nisi omnia simul tria, quomodo caput Christi deus? id est caput Christi trinitas, cū in trinitate sit Christus vt sit trinitas? an quod est pater cū filio, caput est ei quod est solus filius? cū filio enim pater deus, solus autē filius Christus est, maxime quia iā verbū caro factū loquimur, secundū quā humanitatē eius, etiā maior est pater, sicut dicit, quoniā pater maior me est, vt hoc ipsum deū esse quod illi cū patre vnū est, caput sit hominis mediatoris, quod ipse solus est. Adde quod Cyrillus explicās locum illū Ioannis prolatum: Hāc est vita aeterna & c. dicit cognitionem patris nō esse sine cognitione filij, neque cognitionē filij esse sine cognitione spiritus sancti. Hāc enim dei

Ioan. 17.

1. Corint. 3.

1. Corint. 11.

Cyrillus.

vinitas in trinitate intelligitur. Attēde quāso ad ea quā scite & docte protulit, vnitatē in trinitate intelligi. Neq; vir ille & sanctissimus & doctissimus, arbitratus est vnū vnitatē dei sincere & perfecte intelligi posse absque personarum connexionē. Nec possum haud dubie intellectum quorūdam cōsequi, neque capere quid velint dicere supernaturaliter & potentia dei absoluta, deum posse absq; personis cognosci. Eos autē velle dicere fieri posse vt sit deus, nec tamen sit vnus in trinitate. Flaccescat hac in re nugacissima arguta logicae disputatio, quantumuis effingas notionem dei absque notione personarum, nūquam tamen plenē & perfecte quid nam sit deus poteris cōtemplari & percipere. ¶ Dicit quispiam, Aethnici philosophi cognouerunt deum, & tamen eos latebat, tres subsistere personas in vna & eadē essentia, igitur deus potest sine personis cognosci. Maiorē suadeo ex Paulo ad Romanos dicēte: Inuisibilia dei à creatura mūdi per ea quā facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoq; eius virtus & diuinitas, ita vt sint inexcusabiles. ¶ Quis facile hanc dilueret obiectionem, scholasticas quorūdam disciplinas cōsecrando: diceret enim philosophos plerōsq; cognouisse personas in deitate subsistentes, earū attributa spectādo. cognouerunt enim potentiam summā & forsitan infinitam, quā patri solet accommodari, sapientiā omnium diuinissimā, quā peculiari & insigni quādā nuncupatione filio attribuitur, & beneficentiā dei ac praeclarissimā bonitatē, quā spiritu sancto ascribitur. Licet illi nō cognouerint personas, quatenus personae sunt, id est secundū proprietates quibus personae cōstituantur & distinguuntur. Pater enim formali ratione constituitur paternitate, & eadē, distinguitur à filio & spiritu sancto. Ignorabāt illi filiū aeterna generatione, à solo patre gigni & procedere, & spiritum sanctum à patre & filio vna & eadem omnino vi spiratiua procedere. Autho-ritas Pauli solum monstrat gentiles philosophos cognouisse deum per ea quā facta sunt, nec nobis hoc aduersatur: nam Assertio designat deum sine personis perfecte cognosci non posse: cognoscere autem deum signata solū ad creaturas habitudine, non est exacte & perfecte deum cognoscere: perfecte autem cognoscitur (modo tamen & forma noītrā intelligentiōis) quando intelligitur secundū ea quā de ipso dicuntur, habitudine quidē ad personas vt personae sunt. Nec huic reclamare videtur sentētiā Paulus, dicens in eodem loco: Cum cognouissent deū, non tanquam deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euauerunt in suis cogitationibus. glorificamus autem deum vt deus est, quando illi deferimus honorem tribus personis accommodatum, & vnitatem illam summe diuinā, in trinitate colimus. Dominus Lyranus enarrās illud Sapiētiae 13. A magnitudine enim speciei & creaturae cognoscibiliter poterit creator horum videri, dicit: Licet per creaturas nō possit cognosci deus quātum ad distinctionē personarum diuinarum, potest tamen per eas cognosci quantum ad essentialia attributa: scilicet potentia, sapientiam & c. Hāc ille. Philosophi & instinctu naturae, & à iugi ac continuo calī motu, quo res vegetantur, cognouerunt vnū esse primum motorē immobilem, & confugiendū esse ad vnū rerum omnium principium, sed nō attigerunt sublimē illā dei cognitionem, vt deū cognoscerent secundū vnitatem essentia in tribus personis subsistentem, nec agnouerunt deum secundum virtutē creatricem, tribus personis cōmunem. Dei etiam cognitionē non sunt adepti, quantū ad homouisionem, quod designat tres personas vnus esse essentia. Animaduerte hoc nomē deus, secundū suam naturā, proprie accipi pro essentia. dicimus apte deus creat, ratione quidē formae designatae scilicet diuinitatis, nō quod proprie sit forma, sed quia solemus eloqui & cōcipere in abstractionibus, formas: attamē ex adiunctione notionali (vt ita loquar) pertrahitur ad expressionē personarum. Etenim apposite dices, deus generat, & tunc concipis patrē: deus generatur, filiū percipis: deus spirat, duas tūc personas intelligis, patrē & filiū. has personarū, deique notiones, nūquam potuerunt philosophi quantumuis ingeniosi & subtiles, intelligere. Et cū dicit Paulus ad Timotheū: Regi seculorū immortalī, inuisibili, soli deo, nobis, latentī tamē intelligentiā, tres personas insinuat, non enim

Roma. 1.

Sapient. 13.
Lyranus.1. Timot. 1.
S. iij.

foli patri summus debetur honor, nec soli filio, nec soli spiritui sancto: sed patri, filio & spiritui sancto. agnoscis nomen illud pro tribus accipi personis. Quidam dicunt philosophos simul cognouisse patrem, filium & spiritum sanctum, si cognouerint deum. Nam qui cognoscit diuinam essentiam siue deum, cognoscit quicquid est deus, siue diuina essentia, & ex consequio cognoscit patrem, filium & spiritum sanctum. Et si cognouerint deum, formabāt dei notionem quatenus est ens infinitum, incomprehensibile, summum & æternum, hoc autem essentialiter est pater, filius & spiritus sanctus, quamuis potuerint scire hanc propositionem: Deus est ens infinitum, & ignorare hanc, Pater est ens infinitum, quia eos fugiebat, An pater erat deus, & an voces illæ pro eadem re fumerentur. Sed hæc subolent logicorum argutias, nec tamē inutilia sunt. expressissimam habes diuinæ cognitionis imaginem in prima Ioannis epistola, quā sine personis nemo suæ potest menti insculpere, & quā pauci sibi effigiant & efformant, etiam qui sibi nomen Christiani & professionem vendicant. In hoc (inquit) scimus, quoniam cognouimus eum, si mandata eius obseruamus. Qui dicit se nosse deum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in eo veritas non est.

1. Ioan. 2.

CAPVT V.

Damascen⁹.

DEi optimi & maximi diuinitatē quatenus diuinitas est, siue (vt fertur simpliciter) figurare, extremā est impietatis & insipientiæ.] Hanc eliciemus Assertionē ex Damasceno in sua Theologia libro 1. & 4. Differt ille libro 1. capite 14. de his quæ symbolice, mystice & significatiue dicuntur de deo, dicit in hunc modum: Quæcunq; igitur de deo corporaliter dicuntur, symbolice sunt dicta, habēt autem altiore intelligentiā: simplex enim diuinitas, & figuram nullā habēs. Hæc ille. Qui corpoream deo atque diuinæ naturæ formā & figuram attribuere præsumūt, sibi asserunt illorū sectam, qui Anthropomorphitæ nūcupati sunt, quod humanā (nescio qua nam inscitia, aut potius impudētissima insania) in deo formā confinexerint, quorum stultitiam, & stultissimā mentis vesaniā, dānat Iob, dei maiestatem & sublimitatem extollēs: Excelsior (inquit) cælo est, & quid facies? profundior abyfso, & vnde cognosces? longior terra mēfura eius, & latior mari. Cui rursus quæso, humana potest cōtingere forma, quem exprimit Dauid, dicēs: Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? si ascēdero in cælū, tu illic es: si descendero in infernum, ades. Sed corporeæ nūcupationes quæ in sacris literis solent deo attribui, vt vult Damascenus, sunt symbolica, id est significatiua, & eam ob rem deo accommodantur, vt incorporeas atque spirituales eius virtutes & operationes, ex ijs quæ à nobis per huiusmodi membra & affectus fiunt, dignosca mus. Quod planē indicat Dionysius capite 1. de Cælesti Hierarchia, dicēs non esse homini possibile ad diuina intelligenda peruenire, nisi familiaribus quibusdam atque domesticis exemplis sensim ad ea conscendat, figurisque materialibus, & formis sensibilibus subuehatur tanquam quibusdam gradibus, ad eum qui formæ & figuræ prorsus est expers, molēque & extensione penitus vacans. Proinde humanæ formæ lineamenta quæ in sacris scripturis dicuntur deo competere, vt oculi, aures, os, manus, dextera, tactus, pedes, ira, iuramentum, obliuio, somnus, per allegoriam illi attribuuntur. Tum etiam dicit idē Damascenus libro quarto suæ Theologiæ, capite decimo septimo, insipientiæ & extremæ impietatis esse, figurare diuinitatem, & ratione & sacris literis ad id dicendum mouetur. Quis (inquit) inuisibilis & incorporei, incircumscribibilis & infigurabilis dei, potest facere representationem? Etia in antiquo testamento tritus non fuit imaginum vsus. Quod ex Deuteronomij libro perspicuum euadit, vbi Moyses ad populum Israeliticum hæc verba facit: Non vidistis aliquam similitudinem, in die qua locutus est vobis dominus in Ore de medio ignis: ne forte decepti faciatis vobis sculptā similitudinem, aut imaginem masculi vel feminae, similitudinem omnium iumentorum quæ sunt super terram, auium sub cælo volantium, atque reptilium quæ mouētur in terra, aut

Deute. 4.

psicium qui sub terra morantur in aquis, ne forte eleuatis oculis ad cælum videas solem & lunam, & omnia astra cæli, & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creauit dominus deus tuus, in ministerium cunctis gentibus quæ sub cælo sunt. Adde quod Esaias irridet stultitiā nationum, quod artifices sibi conficiant deum, & laminis aureis & clauis conpingant, ac fortiter statuunt, ne ventorum flatibus detrudantur. Sic enim loquitur: Cui ergo similem fecistis deum? aut quam imaginem ponetis ei? Nunquid sculpsit cōflabit faber? aut aurifex auro figurabit illud, & laminis argenteis argentarius? Forte lignum & imputribile elegit artifex sapiens, quærit quomodo statuat simulachrum, quod non moueatur. Hoc vnum imprimis intelligere possumus: Diuinitatem ante Christi incarnationem, cum nondum se præstiterat visibilem, neque sensu aliquo per vnionem rei corporeæ perceptibilem, non debuisset figurari. Nūc autem nō impium est illis eam figuris repræsentare, quibus se hominibus insinuare dignata est, vt dicit Clithoueus in cōmentarijs Damasceni, ad locum citatum. Nec tamen figuratur quatenus diuinitas est, & quidem exacte & exquisite: & ideo censui addendum esse nostræ Assertioni, quatenus diuinitas est, nūc scilicet per se & seorsim, & vt debet figura ei cuius est figura, per similes esse, & lineamētis cōæquari. effigiare diuinitatem humanitati coniunctam, non tam est figurare diuinitatem, quàm humanitatem diuinitati cōnexam, aut potius Christum duabus naturis coalescentē. Nec deus quatenus deus, simpliciter figuratur, sed quatenus homo. Existimo Damascenū voluisse innuere, impium esse diuinitatem figurare cum opinione huiusmodi & existimatione, quod figura quæcūque sensibilis ipsi deitati quoquo pacto sit per similes, illamque formæ & lineamētorum protractione æquet aut referat. Deus enim spiritus est, omni figura formæque materiali superior, & super omnē speciem imaginemque sensibilem, in proportionabiliter exceptus. Adde quod Dionysius libro vno de diuinis nominibus, capite 1. dicit simplicia esse figuris vacua. Insuper Chrysostomus explicās illum Ioannis locum: Neque vocem eius vnquam audistis, neque speciem eius vidistis, dicit deum neque vocē habere neque speciem, sed esse omni figura, omni voce superiorē. Nam sicut dicitur: Neque vocem eius audistis, non vocem quidem proferre inquit, sed non audiri: ita neque speciem eius vidistis, non formam habere, & non videri, verum neutrum id habere intelligit. Præterea si figurari posset diuinitas quatenus diuinitas est, & membra & lineamenta corporis, illi non solum tropice, sed vere ascriberentur. nam humana potissimum figura illi competeret, quod tamen est absurdū & inauditum. Dicit enim Hieronymus explicans illud Hieremiæ in lamentationibus, Iustus est dominus, quia os eius ad iracundiā prouocauit, membra hominis, sicut & affectus humani, tropice deo ascribuntur, non proprie: quia incircumscriptum lumē, & immensā maiestas, lineamentis corporis circumscribi non nouit. Et in exordiū 2. capituli Amos, increpat Iudæos & quosdam hæreticos, qui volunt in modum humanæ similitudinis sedere deū in folio excelso & eleuato, & pedes ponere super terram, ne scilicet pendeant, habere nasum quo odoretur odorem bonæ fragrantia, oculos quibus videat, manus per quas operetur, pedes per quos ambulet, aures quibus audiat, os quo loquatur, dentes quibus cibos cōterat. Tum etiam dicit Tertullianus libro secūdo, aduersus Marcionem, eos esse stultissimos, qui de humanis diuina præiudicant: vt quomodo in homine corruptoria conditionis habentur huiusmodi passiones, idcirco & in deo eiusdem status existimentur. Discerne substantias, & suos eis distribue sensus, tam diuersos quàm substantiæ exigunt, licet vocabulis communicare videantur. Nam & dexteram, & oculos, & pedes dei legimus, nec ideo tamen humanis comparabuntur, quia de appellatione sociantur. Quanta erit diuersitas diuini corporis & humani, sub eisdem nominibus membrorum, tanta erit & animi diuini & humani differentia sub eisdem licet vocabulis sensuum, quos tam corruptorios efficit in homine corruptibilitas substantiæ humanæ, quàm incorruptorios in deo efficit incorruptibilitas substantiæ diuinæ. Certe deū confiteris crea-

Esaiæ 40.

Clithoueus

Dionysius

Ioan. 5.

Chrysosto.

Hieronym⁹
Hieremiæ
lamen. c. 1.Tertullian⁹.

torem? Certe inquis. Quomodo ergo in deo humanū aliquid existimas? Et non diuinum omne? Quem deum non negas, confiteris non humanum. Si quidem deum confitendo præiudicasti, utique illum ab omni humanarum conditionum qualitate diuersum. Porro cum pariter agnoscas hominem à deo inflatum in animam viuam, non deum ab homine, satis peruersum est, vt in deo potius humana cõstituas, quàm in homine diuina: & hominis imagine deū imbuas potius, quàm dei hominem. Et hæc ergo imago censenda est dei in homine, quòd eisdem motus & sensus habeat humanus animus, quos & deus, licet non tales quales deus. Pro substantia enim, & status eorum & exitus distant. Et paulo pòst explicat quonā pacto passiones & affectus deo attribui solent: Iram habet propter scelestos, & bilem propter ingratos, & æmulationem propter superbos. Adde quòd Ambrosius libro secundo de spiritu sancto eos infectatur, qui opinati sunt Deum corporea specie efformandū esse: Et sunt (inquit) quidam qui corporaliter deum putant esse formandum, cum legūt aut manum eius aut digitum: Nec aduertunt quòd hæc nō propter formam scripta sint corporis, quia in diuinitate nec membra nec partes sunt, sed propter vnitatem diuinitatis expressam, vt credamus quia impossibile est à patre deo vel filiū vel spiritum sanctum separari, cū plenitudo diuinitatis velut corporaliter habitet in substantia Trinitatis. Ideo igitur & filius, patris dextera nuncupatur, sicut lectum est: Dextera domini fecit virtutem, dextera domini exaltauit me. Itē cum Glossā Ordinaria exponit illum Leuitici locum: Non abijciet vos anima mea, dicit ex sententia Augustini, Deum vocare animam suam, voluntatem suam. Non enim est animal habens corpus & animam, neque substantia eius similis est animæ quæ est creatura eius, sicut ipse testatur: Omnem flatum ego feci. Sicut ergo cum oculos suos, & labia sua, & cætera mēbrorum corporalium vocabula dicit, non accipimus eum forma corporis definitum, sed per hæc intelligimus effectum operationum vel virtutum: sic cum dicit anima mea, voluntatem eius debemus accipere. Perfecta quippe & simplex illa natura quæ dicitur deus, non constat ex anima & corpore, & spiritu, nec ipso spiritu mutabilis est, sicut anima, sed spiritus est deus, & semper idem est, apud quem non est transmutatio.

CAPVT VI.

DEus non dedit Christo homini, siue animæ Christi, spiritū & gratiam ad mensuram.] Euāgelica hæc est Assertio. Ne Iudæi vesana erga Christū inuidia accensū, Euāgelicam eius doctrinā asperrarentur, eumque prorsus contemnerent, cui non minorem quàm deo patri honorem deferre debuerant, sublimi eloquio dixit Ioannes: Quem enim misit deus, verba dei loquitur, non enim ad mensuram dat deus spiritū. pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius. Hūc luculente differit locū Chrysoſtomus, dicens: Vides ne quantam formidīnē eis incutiat? Primum Christum infideles audire cõtemnebant, ideo periculi magnitudinem eis proposuit, vt discerent quòd qui Christum non audiunt, neque deum audiūt. Hac deinde ratione imbecillitatis eorum magnitudinē exponit. Non (inquit) ad mensuram dat deus spiritum, & vt dixi, ad humiliorē descendit sermonem, eumque & varium & intellectu facile auditoribus reddit. Neque enim aliter incutere, & augere metū poterat. Nam si de eo magnum & eximium dixisset, non utique credidissent, sed contempissent potius, idcirco ad patrem omnia refert. rursum tanquā de homine Christo disputans, quid autem, inquit nō ad mensuram dat deus spiritum? Nos omnes, inquit, ad mēsuram, spiritus operationē accipimus. Nā spiritum hoc in loco operationem dicit. Hæc enim est quæ diuiditur, ille sine mensura & integram habet operationem: quòd si operationem eius metiri nemo potest, longe minus substantiā: vides ne spiritum infinitum? Sed quisnā omnem spiritus accepit operationē? Qui dei opera nouit, qui dicit: Quod audiuius, loquimur, & quod vidimus testamur. Assentitur & Chrysoſtomo Theophylactus ad eiusdem loci enarrationē. Nos, inquit, alij omnes ad mensurā accipimus operationē

spiritus, ipsi autem Christo non ad mensuram dedit vnā vel duas virtutes: sed ipsum spiritum integram habet substantialiter. Igitur & prophetis dedit deus spiritum: hoc est operationem spiritus, & ad mensuram dedit: Christo autem non ad mensuram: & neque omnino dedit: habet enim illum Christus substantialiter. Quādo autem audis, quòd Christus loquitur illa quæ audiuit à patre: ne putes illum indigere: vt scientiam ab illo discat: sed quia quæcunque scit filius, à patre naturaliter scit, quasi illi consubstantialis, eius gratia dicitur à patre audire quæ scit. Adde quòd Cyrillus explicans eandem Ioannis sententiam, dicit Ioannem Baptistam longe à prophetis filium dei separare: & vno hoc signo, immensam esse differentiam inter homines & filium ostendit: Impossibile nanque, inquit, est, vt qui mensura spiritum acceperunt, alij etiam illum largiantur. Nunquam enim sanctus vir alteri sancto, spiritus fuit largitor, sed omnibus ex amplitudine sua filius largitur. Non ergo ad mensuram dat, nec vt illi, mensura & participatione spiritum habet. Quoniam igitur largitor spiritus est, nemo ambiget quin substantialiter in seipso spiritum possideat. Qui ergo tanta præstantia prophetas excedit, non vt illi verba dei loqueretur, sed vt deus ex deo decencia deum prædicabit. Insuper dominus Lyranus eandem attingens Ioannis authoritatem, fatetur deum non contulisse Christo homini spiritum, id est gratiam ad mensuram, non quòd eius gratia habitualis sit infinita: sed quia habet gratiam secundum omnem eius rationem & effectum: aut quia spectando capacitatem animæ Christi, non fuerit ei collata ad præscriptam mensuram gratia. Si enim aliquis veniens ad fluuium, hauriat aquam quantum vas potest capere, dicitur haurire sine mēsurā: licet vas sit determinatæ mensuræ. Et quia tota facultas animæ Christi, siue capacitas fuit repleta gratia, & illustrata omni gratiarum decore & amplitudine, ideo dicitur absque vlla mensura recepisse gratiam. Succincte pertractat scripturam illam Augustinus, dicēs Deum dedisse hominibus gratiam ad mensuram, vnico vero filio, non dedisse ad mensuram. Et Paulus indicat perspicue quomodo contulerit hominibus ad mensuram. Alij, inquit, datur per spiritum sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, secundum eundem spiritum: alij fides in eodem spiritu, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij donatio curationum. Et libro 15. de Trinitate, cap. 26. Reddit rationem cur Christus dictus sit plenus gratia, vbi dicit: Dominus ipse Iesus spiritum sanctum non solum dedit vt deus, sed etiam accepit vt homo, propterea dictus est plenus gratia. Et manifestius de illo scriptum est in Actibus apostolorum, Quoniam vnxit eum deus spiritu sancto, non utiq; oleo visibili, sed dono gratiæ, quod visibili significatur vnguento, quo baptizatos vngit Ecclesia. Nec sanè tunc vnctus est Christus spiritu sancto, quando super eum baptizatus velut columba descendit. Tunc enim corpus suum, id est Ecclesiam suam, præfigurare dignatus est, in qua præcipue baptizati accipiunt spiritum sanctū. Sed ista mystica & inuisibili vnctione tunc intelligendus est vnctus, quando verbum dei caro factū est, id est quando humana natura sine vllis præcedētibus bonorum operum meritis, dei verbo est vtero virginis copulata, ita vt cū illo fieret vna persona: ob hoc eum cõfitemur natum de spiritu sancto & virgine Maria. Absurdissimū est enim vt credamus eum cum iam triginta esset annorum, eius etiam ætatis à Ioanne baptizatus est, accepisse spiritum sanctum, sed venisse illum ad baptisma, sicut sine vllō omnino peccato, ita non sine spiritu sancto. Et ex his quæ subnectuntur, ratiocinatur Augustinus à minori ad maius affirmatiue: Si enim de famulo eius & præcurfore ipso Ioanne scriptum est, Spiritu sancto replebitur iam inde ab vtero matris suæ, quoniā quauis seminatus à patre, tamen spiritum sanctum in vtero formatus accepit: quid de homine Christo intelligendum est, vel credendum? cuius carnis ipsa conceptio non carnalis, sed spiritalis fuit? In eo etiam quod de illo scriptum est, quod acceperit à patre promissionem spiritus sancti, & effuderit, vtraque natura monstrata est, & humana scilicet & diuina: accepit quippe vt homo, effudit vt deus. Hæc ille. Et sicut

Gene. 2.

Ambrosius.

Psal. 117.
Leuiti. 26.

Esa. 57.

Ioan. 3.

Chrysoſto.

1. Ioan. 1.
Theophy.

Ioan. 15.

Cyrillus.

Lyranus.

Augustinus.

1. corint. 12.

Act. 10.

Ioan. 1.

Ioan. 1.

Matth. 3.

Lucæ 1.

Acto. 1.

deus non dedit Christo homini gratiam ad mensuram, ita nec scientiam. Scientia quippe animæ Christi infusa, est donum dei & gratia. Nec Paulus thesauros scientiarum Christo collatos subtrahit. In quo, inquit, sunt omnes thesauros sapientiæ & scientiæ absconditi. Quem locum enarrans Augustinus, quæstionibus ex nouo testamento, quæstione 62. dicit omnia sacramenta paterna, esse Christo cognita, & omnem creaturam ipsum metiri, & nec pater iudicat quenquam, sed omne iudiciū dedit filio: & nemo scit quæ sunt in deo, nisi spiritus dei, qui est & Christi. Insuper libro vno de agone Christiano, capite 20. planè ostendit sapientiam Christi hominis, longe antecellere cuiusuis hominis quantumvis docti sapientiam & scientiam. Quapropter, inquit, aliter sunt sapientes cæteri homines, quicumque sunt, vel esse potuerunt, vel poterunt: & aliter ille vnus mediator dei & hominū, homo Christus Iesus, qui sapientiæ ipsius per quam sapientes sunt, quicumque homines, non solum beneficium habet, sed etiam personam gerit. De cæteris eius sapientibus & spiritalibus animis, recte dici potest, quod habeant in se verbum dei per quod facta sunt omnia: sed in nullo eorum recte dici potest, quod verbum caro factum est, & habitauit in nobis, quod in solo domino nostro Iesu Christo rectissime dicitur.

¶ Percontaberis si nam gratia animæ Christi collata, fuerit infinita, cū ex his quæ approbata sunt, commonuerimus, gratiam illam nullo fuisse præscriptam gradu & limitatam, alioquin ad mensuram Christus recepisset gratiam. ¶ Facile propositum diluam scrupum. Gratiam Christo homini collatam siue animæ Christi, non addubitemus fuisse infinitam in ratione gratiæ, non tamen secundum sui substantiam, & spectando, subiectum finitæ virtutis, cui inest. Anima Christi licet optimis fuerit gratiarum omnium dotibus illustrata, & abunde cumulata, attamen quia creatura est, non potest omnia comprehendere, alioqui sublimem dei scientiam & maiestatem æqua virtute attingeret, quod non est asserendum. Velim tamen ex Chrysofostomo Sermone de sancto spiritu, suadere gratiam animæ Christi donatam, in ratione gratiæ esse infinitam. Habuit, inquit, caro spiritum sanctum, non partem donariorum sicut nos, cum vni sapientia, alteri scientia datur, sed omnia habuit dona. Et corpus domini & caro sancta, vt accepit spiritus; sancti efficaciam, non accepit sicut de aliquo apostolorum dicitur & prophetarum, gratiam vnā vel alteram. Homo enim non est capax omnium: ideo dicit Paulus, Num omnes apostoli? num omnes prophetae? num omnes habent dona sanationum? In carne autem Christi, omnia dona fuerunt, secundum substantiam carnis. Et attende, impleuit primo proprium templum omni gratia. Habuit donum curandi morbos, effugandi demones, suscitandi mortuos, prædicendi futura, operandi ea quæ veritatis sunt, omnia potuit, & habuit donorum plenitudinem, quatenus impleta est caro eius omnibus charismatibus. Vnde opus fuit, vt inde omnes acciperemus ad mensuram & partes: & inde apostolis & prophetis ex eo suppeditaretur. Ioannes testatur, quod in eo tota deitatis plenitudo. Et iterum, In quo habitat diuinitatis plenitudo corporaliter. Non dixit simpliciter in quo habitauit deitas, sed plenitudo deitatis, hoc est omne deitatis donum. Et vt ne quis putet, quod in deo verbo habitauerit, dicit: In quo habitauit omnis plenitudo deitatis corporaliter in carne eius, omnis plenitudo sapientiæ, intellectus, virtutis, signorum, omnis operationis. Deinde à plenitudine eius mutamur omnes. Testatur Ioannes baptizans: Et ego nesciebam eum, sed qui misit me vt baptizarem, ille mihi dixit: Super quem videris spiritum descendentem & manentem super eum. Non dixit, Qui largitur ei donum vnum, sed manentem totum, hic est qui baptizat in spiritu sancto & igni. Deinde volens ostendere Ioannes quod non sicut homo accepit gratiam saluator, dicit quod non ad mensuram dedit deus spiritum, sed pater diligit filium, & omnia dedit in manum eius de plenitudine eius nos omnes accepimus: ille plenitudinem, nos de plenitudine. Quo modo? A quo impleuit dominicam carnem? à deo hausit, sicut à fonte, & largitus est hominibus gratis. Hæc ille. Sunt qui dicunt gratiam Christi esse vniuersale gratifi-

Coloss. 2.

Augustinus.

Ioan. 5.

1. Corint. 2.

1. Corint. 8.

Ioan. 1.

Chrysofost.

1. Corint. 12.

Coloss. 2.

Ioan. 1.

Ibidem.

candi principium, quod ostendere videtur Paulus ad Ephesios, dicens: Gratificauit nos in dilecto filio suo: & quantumcunque efferretur & excresceret gratia alterius hominis, nunquā tamen assequeretur virtutem gratiæ Christi: quia gratia puri hominis confertur ad gratiam Christi, vt virtus particularis ad vniuersalem. Et quia Christus ab immenso gratiarum fonte gratiam infinite recepit, non potest eius gratia augeri neque minui, alioqui non esset infinita. & licet capacitas finita non sit esse, virtutis infinitæ susceptrix, iuncta tamē virtuti infinitæ, est virtutis infinitæ receptiua. Debemus totis viribus gratiam animæ Christi infusam extollere & suscipere, & omnium hominum gratiæ antepone: ne incidamus in errorem stultissimum, quod ad mensuram receperit spiritum & gratiam. Ponit Hieronymus discrimen inter gratiam ad mensuram datam, & secundum mensuram, cum illud Pauli ad Ephesios enarrat: Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi: vbi dicit deum non dare gratiam ad mensuram, quia magnificentiæ eius non est finis. Tum spiritus, id est spiritus sanctus qui simpliciter est spiritus, non habet mensuram, cum vbique æqualiter sit diffusus & immensus, & nullo sine concluditur. Dat tamen deus gratiam secundum mensuram, quod prouidenter Paulus adiecit. Nam deus secundum mensuram vasculorum infundit liquorem, & tantum muneris infundit & impartitur, quantum is cui donatur, potest accipere. Sed tantillum est illud dissidium. ¶ Sed admirabitur aliquis gratiam animæ Christi esse summam, & cæteris hominum gratiis & donis præferri: cum tamen plenitudo gratiæ attribuitur virgini Mariæ, quam solet Ecclesiastes siue concionator, statim peracto suæ concionis exordio, sanctissime salutare, & salutando precari, angelicum illud ei offerendo eloquium, Ave gratia plena. Nec putat stultum esse, vt commodius & diuinius concionetur, virginem Mariam salutare, nusquam ab Ecclesiastico instituto degenerans: quod dico contra Erasimum, cuius animæ æternam cum deo optimo & maximo, exopto quietē, & perpetuam felicitatem. Si quidem ridet ille & contemnit libro 2. sui Ecclesiastæ, sanctissimam Ecclesiæ constitutionem in salutanda virgine Maria ante narrationem concionis, quam etiam salutando precamur, & dicit quosdam maiori religione salutare virginem Mariam, quam inuocare Christum. Sed quorsum hæc? Quis vsque adeo desipit & planè deliriat, vt arbitretur maiorem religionem virgini Mariæ impendendam esse quàm Christo? Nōne hoc esset non tam idololatram agere quam imitari? Neminē existimo tam imbecillo ac infanti esse iudicio, vt sibi vnquam persuaserit absoluto concionis exordio, virginem Mariam maiori religione salutandā esse quam Christum inuocandum. Omitto puerilia quæ illic proponit argumēta. Nec ago in mortuum, nec vnquam volui in eum sæuire: sed ago in doctrinam mortui non satis limatam, quam nemo recte in sacris literis institutus, nescit eo in loco esse reiiciendam: sed redeo ad inchoatum negotium. Si igitur plenitudo gratiæ accommodetur & Christo & virgini Mariæ, in quo gratia Christi præcellet gratiam virginis Mariæ? ¶ Dico illam huic longe præferri. Nam Christus vt homo obtinuit gratiæ plenitudinē in summa quidem excellentia, & quantum ad omnes gratiarum effectus & gradus. Nec virgini Mariæ fuit vnquam hoc insigne munus collatum. Sed dicitur plena gratia, non quidē consummate & in suprema excellentia, sed facta ad ipsam comparatione, quia habebat sufficientem gratiam ad statum illum, ad quem à deo erat electa, vt esset mater Christi. Dicimus & Stephanum esse plenum gratia, quia abunde data est ei gratia vt esset idoneus minister & testis dei: ad quod quidem testimonium ferendū, erat præelectus & vocatus. ¶ Et quia idem penè cœpimus obire munus & officium de gratia Christi & scientia, paucis perstringam quæ copiose & erudite differuit Thomas in tertia parte Summæ de scientia Christi: In Christo est scientia diuina increata, quæ scientiæ & sapientiæ patris & spiritus sancti cœquatur, qua omnia comprehendit. Præter hanc sublimem scientiam, est in eius anima, scientia beata qua cognoscit verbum & res in verbo, & est scientia infusa

Ephes. 1.

Hieronymus

Ephes. 4.

Lucæ 1.

Erasimus.

Thomas.

siue indita, qua cognoscit res in propria natura, per species quidem intelligibiles humanæ menti proportionatas. Assequutus est & Christus scientiam experimentalem siue acquisitam. Nam in eius anima fuerunt species intelligibiles ab actione intellectus agentis profectæ, & in intellectu passibili receptæ. Nec hanc adeptus est scientiã addiscendo, sed inueniendo. Si enim ratiocinijs per propria principia vsus fuisset, opus illi fuisset colligere ex notioribus & euidentioribus causis conclusionẽ, de qua prius hæsitabat, & ex hoc inferres in Christo fuisse inscitiam siue ignorantiam, quod est absurdissimum: nam hæc, imperfectionem indicant. Et licet anima Christi nobilissimis & gratiarum & scientiarum dotibus illustrata fuerit, tamẽ non potuit diuinam essentiam & verbum comprehendere. Nam fieri non potest vt aliqua creatura cõprehendat diuinam essentiam: infinitum enim à finito comprehendere non potest. ¶ Quod si dixeris, Anima Christi in verbo cognoscit omnia existentia secundum quodcunque tempus, etiam attingit hominum cogitatus, quorum est iudex, igitur comprehendit quicquid essentia diuina potest cognoscere, & per consequens comprehendit diuinam essentiam. ¶ Adhibenda est huic obiectioni solutio, Argumentum illud non concludit & consequentiã prima est inualida. Nam ante quàm anima Christi posset comprehendere omnia quæ deus potest facere, & ex consequo diuinam essentiam, oporteret ipsam intelligentia consequi quæ ex sola diuina potentia pendent, & ex eius mera voluntate, nec satis est quòd cognoscat omnia quæ sunt in potentia creaturæ. Et quanuis anima Christi nouerit omnia quæ deus in seipso cognoscit, scientia quidem visionis, non tamen scientia simplicis intelligentiæ: idcirco non habuit omnipotentiam, aliqui potuissent ex animi sententia immutare quascunque creaturas, quod sanè asserendum non est.

CAPVT VII.

DEUS veteris legis ceremonias non respuit.] Hanc ex sacris literis deducemus asserentiã, nec ignoramus sacræ scripturæ studiosissimos, abunde sibi posse huiusce propositionis ex Pentatheuco fidem facere, sacrificia enim, ceremoniæ, hostiæ, holocaustomata, & victimæ, & cætera huiusmodi, quæ sanctissima nouæ legis sacrificia & sacramenta adumbrabant, passim in veteri instrumento comperiuntur exploratissima, locos tamen selectiores proferemus. Scriptum est in Exodo, Cùmque introieritis terram quam dominus deus daturus est vobis, vt pollicitus est, obseruabitis ceremonias istas. Et in Leuitico proditum est memoriæ, quòd dominus dixit Mosi, vt Iudæos commonefaceret, ne quid ommitterent quod ad sacrificiorum & ceremoniarum obseruationẽ foret commodissimum: Homo qui obtulerit ex vobis hostiam domino de pecoribus, id est de bobus & ouibus offerens victimas, si holocaustum fuerit eius oblatio, ac de armẽto masculinum immaculatum offeret ad ostium tabernaculi testimonij, ad placandum sibi dominum, ponetque manus super caput hostiæ, & acceptabilis erit, atque in expiationem eius proficiens. Insuper in Numeris scriptum est, Peregrinus quoque & aduena si fuerint apud vos, faciet phasẽ domino iuxta ceremonias & iustificationes suas. Præceptum idem erit apud vos tam aduenæ quàm indigenæ. Item, Excubabunt leuitæ ad præcepta tua, & ad cuncta opera tabernaculi, ita duntaxat vt ad vasa sanctuarij & altare non accedant, ne & illi moriantur, & vos pereatis simul: sint autem tecum, & excubent in custodijs tabernaculi, & in omnibus ceremonijs eius. Et fusius multo commendatur in Deuteronomio, diligens ceremoniarum obseruatio. Dicit Moses filijs Israel, Mihi mandauit in illo tempore, vt docerem vos ceremonias & iudicia quæ facere deberetis in terra quam possessuri estis. Et in eodem opere, Cum interrogauerit te filius tuus cras, dicens: Quid sibi volunt testimonia hæc, & ceremoniæ, atque iudicia quæ præcepit dominus deus noster nobis? dices ei, Serui eramus Pharaonis in Aegypto, & eduxit nos dominus de Aegypto in manu forti, fecitque signa atque prodigia magna & pessima in Aegypto cõtra Pharaonem, & omnem domum illius in conspectu nostro, & eduxit nos inde, vt intro-

Exodi 12.

Leuiti. 1.

Nume. 9.

Nume. 18.

Deutero 4.

Deut. 6.

ductis daret terram super qua iurauit patribus nostris. Præcepitque nobis dominus, vt faciamus omnia legitima hæc, & timeamus dominum deum nostrum, vt bene sit nobis cunctis diebus vitæ nostræ sicut est hodie. Et aliubi: Custodi ergo præcepta & ceremonias atque iudicia, quæ ego mando tibi hodie vt facias. Ad hæc, Obserua & caue nequando obliuiscaris domini dei tui, & negligas mandata eius, atque iudicia & ceremonias quas ego præcipio tibi hodie. Item, Et nunc Israel, quid dominus deus tuus petit à te, nisi vt timeas dominum deum tuum, & ambules in vijs eius, & diligas eum, ac seruias domino deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua, custodiâque mandata domini, & ceremonias eius, quas ego hodie præcipio tibi, vt bene sit tibi? Et iterum, Videte ergo vt impleatis ceremonias atque iudicia quæ ego hodie ponam in conspectu vestro. Rursus, Considera quòd hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum, & e contrario mortem & malum, vt diligas dominum deum tuum, & ambules in vijs eius, & custodias mandata illius, ac ceremonias atque iudicia, & viuas atque multiplicet te, benedicatque tibi in terra ad quam ingredieris possidendam. Adde quòd Dauid præcepit Salomoni custodire mandata dei & eius ceremonias, vt 3. Reg. cap. 2. ostenditur. ¶ At dicet aliquis, Ostendit dominus in prophetia Esaia, veteris legis sacrificia & ceremonias se contempsisse, Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit dominus? Plenus sum holocausto arietum & adipe pinguium, & sanguinem vitulorum & agnorum & hircorum nolui. Hunc enarrans locum Hieronymus, dicit deum demonstrare se nunquam voluisse Iudæorum hostias. Et hoc in 49. psalmo legimus, Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos: quoniam meæ sunt omnes feræ sylvarum, iumenta in montibus & boues. Et rursus: Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Cùmque, inquit Hieronymus, veteris legis ceremonias respuisset, transit ad Euangelicam puritatem, & quid pro his cupiat, ostendit: Immola deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua. Potest hoc & de his accipi qui cum dei præcepta non faciant, donis varijs atque muneribus deum redimere posse se credunt: vel qui parta per rapinam & auaritiã altari offerunt & pauperibus. Et in eodem capite Esaia hæc loquitur dominus, Quis enim quasiuit hæc de manibus vestris? Ad id explicandum dicit Hieronymus, Dicendo se hostias non quæsiisse, ostendit quia lex spiritualis est, & omnia quæ Iudæi carnaliter faciunt, à nobis impleri spiritualiter. Et subnectit Esaia, Ne offeratis vltra sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi. Neomenias vestras & sabbata vestra, & festiuitates alias non feram. Iniqui sunt cœtus vestri: Kalendas vestras & solennitates vestras odiuit anima mea. Ad hæc edisserenda dicit Hieronymus, Omnis cõuentus qui non offert hostias spirituales, nec audit illud quod in quinquagesimo psalmo canitur, Sacrificium deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum deus non despicit, abominabilis est deo. Consentiant & Esaia quæ apud Hieremiam eloquitur dominus, dicens: Holocausta vestra non sunt accepta: & victimæ vestræ mihi non placuerunt. Et rursus, Non sum locutus cum patribus vestris, & non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Aegypti de verbo holocaustomatum, & victimarum. Item: Cum ieiunauerint, non exaudiam preces eorum, & si obtulerint holocaustomata & victimas, non suscipiam eas, quoniã gladio, fame, & peste ego consumam eos. Insuper in prophetia Micheæ scriptum est: Nunquid potest placari dominus in milibus arietum, aut in milibus hircorum pinguium? Adde quòd Augustinus enarrans illud psalmographi: Holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper, dicit: Holocausta quædam de quibus in alio psalmo dicitur, Si voluisses sacrificium dedissem vti-que, holocaustis non delectaberis. Et rursus conuertit se, Sacrificiũ deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum deus non spernit. Quæ sunt ergo holocausta quæ non spernit? Quæ holocausta in conspectu eius sunt semper? Benigne, inquit, fac domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Hierusalem. Tunc acceptabis sacrificiũ iustitiæ, oblationes, & holocausta. Et ad illum eiusdem psalmi

Deut. 7.
Deuti. 8.

Deut. 10.

Deut. 11.

Deut. 30.

Esa. 1.

Hieronym.

Psal. 49.

Psal. 50.

Hierem. 6.

Hierem. 7.

Hier. 14.

Micheæ 6.

Augustinus.

Psal. 49.

Psal. 50.

versiculum, Non accipiam de domo tua vitulos &c. dicit: Holocausta nominaui iam animo, & cogitatione ad terrenos greges currebas, inde pingue aliquid eligebas. Non accipiam de domo tua vitulos. Prænantiat testamentum nouum, vbi omnia illa sacrificia vetera cessauerunt. Erant enim tunc prænantiantia futurum quoddam sacrificium, cuius sanguine mundæmur. Et ad locum illum, Nunquid māducabo carnes taurorum? aut sanguinem hircorum potabo? dicit, Audistis quid à nobis non quærat, qui nescio quid nobis vult indicere. Si de talibus cogitabatis, iam auferte cogitationes vestras à talibus rebus, nihil tale deo offerre cogitetis. Si habes taurum pingue, occide pauperibus: manducent ipsi carnes taurorum, etsi non bibent sanguinem hircorum. Quod cum feceris, imputabit tibi ille qui dixit: Si esuriro, non dicam tibi. & dicit tibi: Esuriui, & dedisti mihi manducare. Dic ergo domine deus noster quid indicis populo tuo, Israeli tuo? Immola deo sacrificium laudis, &c. Et copiosius multo de istis sacrificijs quæ deus non requirit, sed ad eorum significationem obseruari voluit, agit libro 10. de Ciuitate dei, capite 5. vbi dicit: Quis autem ita desipiat, vt existimet aliquibus visibus dei esse necessaria, quæ in sacrificijs offeruntur? Quod cum multis locis diuina scriptura testetur, ne longum faciamus, breue illud de psalmo commemorare suffecerit: Dixi domino, deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Non solum igitur pecore vel quauis alia re corruptibili arque terrena, sed ne ipsa quidem iustitia hominis, deum egere credendum est, totumque quod recte colitur deus, homini prodesse, non deo. Neque enim fonti se quisquam dixerit profuisse, si biberit: aut luci, si viderit. Nec quod ab antiquis patribus talia sacrificia facta sunt in victimis pecorum, quæ nunc dei populus legitime non facit, aliud intelligendum est, nisi de rebus illis eas res fuisse significatas, quæ aguntur in nobis ad hoc vt inhæreamus deo, & ad eundem finem proximo consulamus. Sacrificium ergo visibile, inuisibile sacrificij sacramentum, id est sacrum signum est. Vnde ille pœnitens apud Prophetam, vel ipse Propheta quærens deum peccatis suis habere propitium: Si voluisses, inquit, sacrificiū, dedissem: vtique holocaustis non delectaberis. Sacrificium deo spiritus cōtribulatus, cor contritum & humiliatum deus non spernet. Intueamur quemadmodum vbi deum dixit nolle sacrificium, ibi deum ostendit velle sacrificiū. Non vult ergo sacrificium trucidati pecoris, sed vult sacrificium contriti cordis. Et paulo post dicit: In huius prophetæ verbis vtinque distinctum est, fatisque declaratum illa sacrificia non requirere deū, quibus significantur hæc sacrificia, quæ requirit deus in epistola quæ inscribitur ad Hebræos: Benefacere, inquit, & cōmunicatores esse, nolite obliuisci: talibus enim sacrificijs placatur deus. Ac per hoc vbi scriptum est, Misericordiam magis volo quàm sacrificium, nihil aliud quàm sacrificio sacrificiū prælatum oportet intelligi: quoniam illud quod ab hominibus appellatur sacrificium, signum est veri sacrificij. Porro autem misericordia verum sacrificium est: vnde dictum est quod paulo antè commemorauit: Talibus enim sacrificijs placatur deus. Quæcūq; igitur in ministerio tabernaculi siue templi multis modis de sacrificijs leguntur diuinitus esse præcepta, ad dilectionem dei & proximi significandam referuntur. In his enim duobus præceptis, vt scriptum est, tota lex pēdet & propheta. ¶ Satis intelligo quæ ex sacris literis aduersus nostram assertionem adducta sunt, plurimum habere momenti & roboris, nec tamen nostra euertūt studia & scripta. Duo nobis indicant: Deum scilicet nunquā principaliter quæsisse huiusmodi sacrificia & ceremonias, sed ne dæmonibus & idolis offerrentur: ad exhorrescendam etiā & euitandam illam idolorum spurcitiā & vanā religionem, præcepit sibi offerri, vt huiusmodi ymbris & sensibus figuris ac sacrificijs, veræ religioni & internis sacrificijs affuesceremus. Alterum, Ceremoniæ illæ nunquam secundum se fuerunt deo gratæ, sed ex fide & deuotione offerentium. Hæc partim ex Hieronymo qui nobis visus est aduersari, nec tamen aduersatur: partim ex Augustino & Lyrano, confirmamus. Dicit Hieronymus exponens illud Esaie iam prolatum: Quis enim quæsi-

Psal. 49.
Matth. 2.

Psal. 15.

Hebr. 13.
Osee 6.
Matth. 9.

Matth. 22.

Hieronymus

uit hæc de manibus vestris? Hostiæ ergo & immolatio victimarum, non principaliter ad deo quæsitæ sunt, sed ne idolis offerrentur: & vt de carnalibus victimis, quasi per typū & imaginem ad spirituales hostias transiremus. Et cum exponit illud Hieremiæ nuper adductum, Non sum locutus cum patribus vestris, &c. dicit: Manifeste intelligitur, quod primum decalogum dederit in tabulis lapideis, scriptum digito dei, & post offensam idololatriæ, caputque vituli, postea iusserit sibi magis fieri quàm dæmonibus, auferens puram religionem mandatorum dei, & concedens sanguinem victimarum, carniumque desiderium. Et ad illum Hieremiæ locum, Cum ieiunauerint, non exaudiam preces, &c. dicit: Ieiunia & preces & victimæ & holocausta tunc proficiūt, cum recedimus à vitijs, & flemus antiqua peccata. Sin autem in sceleribus permanentes, putauerimus, votis atque sacrificijs redimere nos: vehementer erramus, iniquum arbitrantes deum. Qui enim semel gladio & fami & pesti fuerit destinatus, nullis precibus erui potest. Vnde & prophetæ dicitur, ne frustra roget quod impetrare non possit. Et enarrans illud Amos prophetæ, Nunquid hostias & sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis? dicit Israel nullas deo hostias obtulisse in deserto, sed Moloch. Et si posteaquam seruierrunt idolis ex quo constarunt vitulum aureum, domino legantur hostias obtulisse, non voluntate, sed pœnarū metu id fecerunt, & semper parati erant desiderio redire ad Aegyptum vt comederent allia, cepe, cucumeres, & carnes Aegyptias. Voluntate igitur (si Hieronymo applaudere velimus & subscribere) offerre debemus hostias deo & vera sacrificia, & non solo pœnarum metu. Ad hæc, Augustinus edisserens illud Ioannis, Et inuenit in templo vendentes boues & oves, &c. dicit: Nouit enim charitas vestra quod sacrificia illi populo pro eius carnalitate & corde adhuc lapideo talia data sunt, quibus teneretur ne in idola deflueret, & immolarēt ibi sacrificia, boues & oves & columbas. Huic accedit sententiæ Lyrano in primum caput Leuitici, ad locum illum: Vocauit autem Moyses, & locutus est ei dominus: vbi asserit sacrificia veteris legis fuisse instituta, ad reuocandum Iudæos ab idololatria, ad quam promerant: & ideo rationabiliter fuerunt multitudine sacrificiorum onerati, vt eis non vacaret idolis immolare: & vt ab idololatria elongarentur, fuerunt eis imposita sacrificia alia à sacrificijs idolorum, ad hæc vt in cultu vnus dei exercerentur. Et huiusmodi sacrificia erant figuræ vnus veri sacrificij nouæ legis, scilicet Christi in ara crucis immolati. Et exponens illud Hieremiæ 6. cap. Holocaustomata vestra non sunt accepta, &c. dicit quod non erant accepta secundum se, sed ex fide & deuotione offerentium. Idem dicit in illud Micheæ, Nunquid potest placari dominus in milibus arietum? Insuper dicit Origenes homilia 17. super Numeros ad locum illum, Dixit Balaam ad Balach, Construe mihi hic septem aras, & fac mihi hic septem vitulos & septem arietes. Et fecit Balach sicut dixit ei Balaam, & obtulit vitulum & arietem super aram. Aperta quidem Apostoli sententia est dicentis: Quæ enim sacrificant gentes, dæmonijs & non deo sacrificant. Sed & Propheta similiter dicit, Sacrificauerunt dæmonijs & non deo. Tamē quoniam & lex dei de sacrificijs præcipit, & ritum sacrificandi tradit filijs Israel, requiratur fortassis cur hæc cum dæmonijs dicata videantur, etiam deo iubeantur offerri. Et erit quidem simplex & cita responsio, vt quæadmodum in alijs ostendimus, quod libellum repudij dari, non dei voluntatis fuit, qui quod coniunxerat, noluit separari, sed Moyses hæc proprie ad duritiam cordis Iudæorum scripsit: ita etiam & de hoc videri posse, quia deus sicut per alium prophetam dicit: Non manducat carnes taurorum, nec sanguinem hircorum potat. Et item, vt alibi scriptum est: Quia non mandauit tibi de sacrificijs vel victimis in die qua eduxi te de terra Aegypti. Sed Moyses hæc ad duritiam cordis eorum pro consuetudine pessima qua imbuti fuerant in Aegypto mādauit eis, vt qui abstinere se non possent ab immolando, deo saltem, & non dæmonijs immolarent. Hæc ille. Existimo deum antiquas Iudæorum ceremonias aliquando repudiasset, cū non prompto sed frigido offererentur animo, & putabāt illi stolidè deum

Exo. 31.
Exodi 32.

Amos. 5.

Augustinus
Ioan. 2.

Lyrano.
Leuit. 1.

Origenes.
Num. 23.

1. Corin. 10.

Matth. 19.

nulufmodi sacrificijs per fe & fumme delectari:& quia male offerebāt, idcirco non erant deo grata.

CAPVT VIII.

DEi sententia cum flebitur, non mutatur.] Hanc ex Hieronymo deducam assertionem: cum enim exponit exordium 38. capituli Esaię, disse- rentis de acutissimo Ezechie morbo, qui non sine ingēti mōre hanc domini ex oraculo prophetico sententiā audiuit, Dispone domui tuę, quia morieris tu & non viues: dicit, Ne eleuaretur cor Ezechie post incredibiles triumphos, & de media captiuitate victoriā, infirmitate corporis sui vis- ratur, & audit se esse moriturum: vt conuersus ad dominum, flebat sententiam eius. Quod quidem & in Iona propheta legimus, & in comminationibus contra Da- uid, quę dicuntur futura, nec facta sunt, non deo mutante sententiam suam, sed prouocante humanum genus ad notitiam sui. Dominus enim pœnitens est super malitijs. Hęc Hieronymus. Duo ex eius doctrina colligere possumus: Alterum q̄ Ezechias diuinam flexit sententiam, deique decretum leniuit. dixit enim domino, Obsecro domine memēto quāso quomodo ambulauerim corā te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim: fleuitq; Ezechias fletu ma- gno. Et factum est verbum domini ad Esaiam, dicens: Vade, & dic Ezechie: Hęc di- cit dominus deus David patris tui: Audiui orationem tuam, vidi lachrymas tuas. Ecce ego adjiciam super dies tuos quindēcim annos, & de manu regis Assyriorum eruiam te & ciuitatem istam, & protegam eam. Hoc autem tibi erit signum ā do- mino: quia faciet dominus verbum hoc quod locutus est. Ecce ego reuerti faciam ymbram linearū per quas descenderat in horologio Achaz in sole retrorsum de- cem lineis. Et reuersus est sol decem lineis per gradus quos descenderat. Hęc Esaię contextus. Alterum dicit Hieronymus, deum tamen suam non mutasse sententiā. Nam apud Malachiam prophetam scriptum est: Ego enim dominus, & nō mutor. Videtur tamen Hieronymus si diligenter eius scripturę excutiantur, secū pugna- re. Nam exponens illud Ionę prophetę, Et vidit deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala, & miseratus est deus super malitia quā locutus fuerat vt face- ret eis, & non fecit, dicit: Quotidie mūdi deus populis comminatur, vt agent pœni- tentiam: qui si conuersi fuerint, ipse quoque vertet sententiā suam, & populi con- uersione mutatur: quę Hieremias & Ezechiel manifestius explicant, nec bona vi- delicet implere dominum quę promiserit, si boni vertantur ad vitia: nec mala quę pessimis comminatur, si illi reuersi fuerint ad salutem. Ita igitur & nūc vidit deus opera quia cōuersi sunt ā via sua pessima, non verba audiuit quę solebat Israel sę- pe promittere. Omnia quęcumque dixerit dominus, faciemus: sed opera cōspexit, quia vidit opera commutata. ¶ Dico Hieronymum non sibi in prolatis sententijs aduersari. Si enim deus dicatur suam mutare sententiā, hęc mutatio simpliciter & absolute ā deo profecta non est, sed potius ab homine ad pœnitentiā respiscēte, & ab operibus commutatis. Quod idem Hieronymus innuere videtur in Zachariam prophetam ad locum illum, Sicut cogitavi vt affligerem vos cum ad iracundiam prouocassent me patres vestri, dicit dominus, & non sum miseratus: sic conuersus cogitavi in diebus istis vt beneficiam Hierusalem & domui Iuda. vbi proferens il- lud Ionę, Adhuc tres dies & Ninive subuertetur: dicit, Quia egerūt pœnitentiam, dicitur & ipse mutasse sententiam suam, non vitio mentis improuidę, sed ex eorū qui male aut bene faciunt, varietate: si enim male fecerint, comminatur, si pristi- na peccata desseuerint, non mutatur deus qui vnus atque idem est, & mutari non potest: sed illis ex malis ad bona opera commutatis, mutat & suum ipse decretum. Qui & in Genesi loquitur, Clamor Sodomorum & Gomorrę multiplicatus est, & peccata eorum magna sunt nimis, descēdens ergo videbo si iuxta clamorē eorum qui venit ad me compleant: sin autem non, vt sciant. Quod dixit, hoc est: Si per-

Esa. 38.

Hieronymus

Iona. 3.

Esaie 38. & 4. Reg. 20.

Malach. 3.

Iona. 3.

zacharia. 8.

Iona. 3.

Gene. 19.

manferint in furore, non deerit pœna peccatibus: si deserint ab infania, mea sicut cognitione dignissimi. Et paulo post dicit, Ergo & notitiā, & pœnitentiā, & irā, & in- dignationē, & omnes affectus dei nō humani sermonis vitio, sed diuinę maiestatis sensu accipiamus. Et in 13. cap. Ezechie. ad locū illum, Non ascendistis ex aduerso, neq; opposuistis murū p̄ domo Israel, vt staretis in pręlio in die domini: ostēdit sen- tentiā dei sanctorū precib; frangi. Et putare ego sententiā dei potius sanctorū preca- tionibus frangi & mitigari, q̄ mutari. Sicut enim (inquit) murus hosti opponitur, & aduersario occurri solet ex aduerso cōtrāq; venienti, ita dei sententiā sanctorū pre- cibus frangitur. Vnde & Moyse dicitur: Dimitte me, & delebo populū istū. Et in 9. cap. Amos propheta ad locū illum: Ecce enim ego mādabo, & concutiā in omnibus gen- tibus domū Israel, dicit: Nō ergo deus mutatur, qui semper est immutabilis, sed nos eū nostrā conuersione mutamus. Quod si nobis obieceris Augustinū qui nō inficia- tur statutū dei siue sententiā mutari, nō tamē eius pręscientiā, eodē modo respon- debimus, vt respondimus ad ea quę ex Hieronymo obiecta fuerūt. Dicit itaq; Au- gust. lib. 14. de Ciuitate dei, cap. 11. Nec enim homo peccato suo diuinū potuit pertur- bare cōsiliū, quasi deū quod statuerat, mutare cōpulerit: cū deus pręsciēdo vtrū que pręuenerit, id est & homo, quem bonum ipse creauit, q̄ malus esset futurus, & quid boni, etiā sic de illo esset ipse facturus. Deus enim etsi dicitur statuta mutare, vnde tropica loquutione, in scripturis sanctis etiam pœnituisse legitur deū, iuxta id dicitur, quod homo sperauerat, vel naturalium causarū ordo gestabat, nō iuxta id quod se omnipotens facturū esse pręsciuerat. Hęc ille. Tamen mihi videtur tam firma esse dei sententia, atq; pręsciētia. Nec magis vnum ā suo diuelli statu q̄ alte- rum. Quod etiā fatetur August. lib. 15. de Ciuit. dei. cap. 25. vbi dicit, Neq; enim si- cut hominē, ita deum cuiusquā facti sui pœnitet, cuius est de omnibus omnino re- bus tam fixa sententia, q̄ certa pręsciētia: sed loquitur forsitan de definita dei sen- tentia. Aliubi de cōminatoria, siue statuto pro cōminatione ab hominibus recipien- do. Quod autē dei essentia, & scientia, & voluntas sit immutabilis, ingenue fatetur lib. 13. Cōfessionum, cap. 16. & lib. 11. de Ciuitate dei, cap. 10. Fatetur Ambrosius lib. 3. Offic. cap. 12. Dominū deū frequenter suam mutare sententiā, sicut scriptura in- dicat. Nā & in eo libro qui inscribitur Numeri, proposuerat percutere morte, & per- dere populū: sed postea rogatus ā Moyse, reconciliatus est populo suo. Nam pro- pter murmurationes illius populi in deū & Mosen, dixit dominus ad Mosen: Vsq; quo detrahet mihi populus iste? Quousq; non credent mihi, in omnibus signis quę feci coram eis? Feniā igitur eos pestilentiā atq; consumā, te autē faciam principem super gētem magnā & fortiorē q̄ hęc est. Hanc tamē domini sententiā non defini- tiuā, sed potius cōminatoriā flexit Moses suis precibus dicēs: Dominus patiens & multę misericordię, auferēs iniquitatē & scelera, nullūmq; innoxii derelinquens, qui visitas peccata patrū in filios, in tertiā & quartam generationē: dimitte obsecro peccatū populi tui huius, secundum magnitudinē misericordię tuę, sicut propitiū fuisti egrediētibus de Aegypto vsq; ad locū istū. Dixitq; dominus, Dimisi iuxta ver- bū tuū. Mihi mirū in modū placet quod dicit Origenes hom. 16. super Numeros, Definitā & irreuocabilē dei sententiā, esse immutabilē, & in hūc modū nostrā asser- tionē intelligimus. Solū probant August. & Ambrosius, sententiā dei cōminatoriā posse mutari. Refert Glossa ord. in 38. cap. Esaię citatū, ex beati Gregorij sententiā, Deū mutare suā sententiā, non tamē consiliū. Sententiā debemus intelligere sen- sū verborū. Consiliū vero ab æterna dispositione est. Sententiā vero seruīs suis deus reuelauerat, non tamē consiliū: sed vt cōminationibus pœnitentiā incuteret populis suis, & sic eorum miseretur. Et vnū diligenter attēde, Deum duobus mo- dis aliquas res considerare: secundum merita, & secundū rei naturam. (quę dicuntur causę inferiores esse) & secundū suum consiliū. Vnde Ezechia moriturū deus prę- siderat secūdū causas inferiores, morbū scilicet, natura & arte humana incurabilē, licet Ezechias non esset moriturus secūdum diuinū consiliū. Etiam respiciendo ad

Ezech. 13.

Exo. 32.

Amos 9.

Augustinus.

Ambrosius.

Nume. 14.

Origenes.

Glos. ordin.

causas inferiores poterat Christus dicere, Lazarus non resurget. Nā corruptū idem numero, natura reparari nō potest, sed habēdo rationē ad causam supremā nostro intellectui minime peruiā, dixit Christus, Lazarus resurget. Et sic vult deus aliquid futurū secundū causam inferiorē, quod tamē non est venturū secundū causam superiorē. & ita prænūtiat aliquid futurū secundū ordinē & dispositionē causarū inferiorū, quod tamē non eueniet: quia aliter est in causā superiori, & diuino cōsilio immutabili. Dicit Lyranus illā Eſaiæ de Ezechia prophetiā, fuisse cōminationis, quā est quando reuelatur aliquid futurū, non quatenus est in mēte diuina, sed quatenus est in causis inferioribus, & sic erat de infirmitate Ezechia, quā erat incurabilis per naturā, non tamen per hoc excludebatur, quin diuina virtute curaretur: & ideo talis prophetia non semper impletur. Et enarrans 3. caput Ionæ prophetā, dicit prophetiam illā, Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur, esse cōminatoriā. Conditio enim erat intelligēda, scilicet si non agerēt pœnitentiā, licet non fuerit ā propheta exprimēda. Ostendit Chrysostomus homil. 29. in Genesim, & quidē in 7. capituli explicatione, Deum suam sententiā & promissiones quādoq; rescindere, Si- cut (inquit) eis qui admonitionibus suis prompte parēt ob bonitatē sibi peculiarē, sententias suas reuocat, & cōuersis appropriat, ab imminētibus pœnis eos liberās: ita quoq; cū promittit vel bona aliqua se præbiturū, vel pœnitentiā tēpus, videt autem fieri indignos, etiā tūc quoq; suas promissiones rescindit. Quocirca & per prophetam dicebat: Finē loquar super gētes, & super regna: vt perdā, & effodiā: & si pœnitentiā egerint, agam & ego pœnitentiā super his quæ locutus sum vt facerē. Et iterum, Finem loquar super gētes & regna, vt readificem. & si peccauerint, pœnitentiā & ego agam super his quæ locutus sum vt facerem.

CAPVT IX.

Deus prius cōuertit ad nos, quā ad eū cōuertamur.] Hāc ex sacris literis depromā assertionē. Precabatur Dauid toto studio, omnibūsq; sui ingenij virib⁹, vt dominus deus peccatores ad resipiscentiā cōverteret, quos nouerat sine eius ope & subsidio, non posse ā fœda vitiorū cōsuetudine, & ab inueteratis fordibus diuellj: Deus (inquit) cōuerte nos, & ostende faciē tuam, & salui erimus. locū hunc enarrās Augustinus, dicit: Auerſi enim sumus ā te, & nisi tu cōuertas, non cōuertemur. Et licet homo prius deferat deū quā ad deo deferatur, vt idē doctor sentit lib. 1. cōtra aduersarium legis & prophetarū, cap. 15. & lib. 2. de bono perferentiā, cap. 6. Prius tamē deus cōuertitur ad peccatōrē, eum ā luto suarum fordium extrahēdo, quā quod peccator ad deum cōuertatur. Et hoc innuit August. lib. 13. de Ciuit. dei, cap. 15. vbi dicit differendo de lapsu primi hominis, Ad malum quippe eius prior est volūtas, ad bonū vero eius, prior est voluntas creatoris eius, siue vt eā faceret quæ nulla erat, siue vt resciat quæ lapsa perierat. Sed obijciat aliquis, Præcipit nobis deus vt ad se cōuertamur, vt ad nos tandem conuertatur. quod indicat Zacharias: Cōuertimini ad me, & ego cōuertar ad vos. Verum huic respōdet obiectioni August. lib. 2. de Peccatorum meritis & remissione, cap. 5. vbi ita loquitur, Cū ergo nobis iubet, dicēs: Cōuertimini ad me, & ego cōuertar ad vos. Nōsq; illi dicimus: Cōuerte nos deus sanitatū nostrarum, & deus virtutū conuerte nos: quid aliud dicimus, quā da quod iubes? Cū iubet dicēdo, Intelligite ergo qui insipientes estis in populo, & nos illi dicimus, Da mihi intellectū vt discam mādata tua: quid aliud dicimus, quā da quod iubes? Cū iubet dicēdo, Post concupiscētiā tuas non eas: nōsq; dicimus, Scimus quia nemo potest esse continens, nisi deus det: quid aliud dicimus, quā da quod iubes? Cum iubet dicēdo: Facite iustitiā, nōsq; dicimus: Doce me iustificationes tuas: quid aliud dicimus, quā da quod iubes? Hæc ille. Tum etiam, Si quis ā recto tramite deflexerit, & per abrupta quæq; & inuia vitiorū diuerticula aberrauerit, sui dei immemor, nec possit ex se ā fœditissimo suæ improbæ vitæ volutabro erigi, ignorēq; profusus quo tēdat, diuina adiutus misericordia, ad rectam tandē semitam duce Christo reuocabitur, qui dixit Thomæ, Ego sum via, ve-

zach. 1.

Psal. 79.

Augustinus.

Psal. 93.

Psal. 118.

Eccli. 18.

Sapient. 8.

Eſa. 55.

Psal. 118.

Ioan. 14.

ritas, & vita: nemo venit ad patrē nisi per me. Et quemadmodū nemo ad patrē cælestem cōtendit & aspirat, nisi Christi gratia & beneficio: ita nemo ad deum conuertitur, quē Christus non iuerit. Adde quod nobis fauet Hieremias, in persona delinquentis dicens: Conuerte me & conuertar, quia tu dominus deus meus. Postquam enim cōuertisti me, egi pœnitentiā. Diffidens ille suis viribus, ad copiosissimū misericordiæ fontē confugit, suam fatetur culpā, suum ingemiscit scelus & erratum, desiderat vnice, ad deū (quem improbis vitæ officijs offendit) reuerti, quod si dominus eum despexerit, nec conuerti poterit, sed perpetuo in suā sceleratā vitæ sentina iacebit & fordescet. Nec prius respuit ad pœnitentiā, quā quā a domino cōuertetur. at vbi primū cōuersus est, eum suæ infœlicis vitæ pœnituit, & erubuit, agnouitq; opprobria & scelera suæ adolescētia: Hæc enim subnectit: Et postquā cognouisti (siue ostendisti mihi) percussisti fœmur meum (siue ingemui) confusus sum, & erubui, siue ex die confusionis, & ostendi te, quoniam sustinui opprobrium adolescētia meæ. Hanc Hieremias sententiā, enarrās Hieronymus dicit, Ergo idipsum quod agimus pœnitentiā, nisi dei nitamur auxilio, implere non possumus. Postquā enim conuerteris me, & ad te conuersus fuero, tunc cognoscam, quia tu dominus deus meus es, & nequaquā errores mei atq; peccata interficiēt me. Et postquā cōuertisti me, egi pœnitentiā. Vide quātum sit auxilium dei, & quā fragilis humana conditio, vt hoc ipsum quod agimus pœnitentiā, nisi nos dominus ante cōverterit, nequaquam implere valeamus. Et postquā (inquit) ostendisti mihi, vel ipsam pœnitentiā vel tui notitiā, siue cognoui te, percussisti fœmur meū. Quod dolētis & plangētis, & super erore pristino plorātis indicium est, vt fœmur manu percutiat, & stultum se ante fuisse fateatur. Confusus (inquit) sum & erubui, siue ex die confusionis. Quod enim tēpus non est cōfusionis nostræ, si recordemur antiqua peccata, & omnium quæ male egimus, capiamus memoriā? Et cum dicitur, Ostēdi te, significat quod postquā ingemuit, & sua delicta cognouit, tunc in tantū profectū venerit, vt etiā alijs ignorantibus deū ostēderit, iuxta id quod Dauid pœnitēs loquitur: Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te cōuertentur. Et quod dicit, Quoniam sustinui opprobrium adolescētia meæ, per atatis ignorantia peccasse se dicit, vt facilius veniā cōsequatur, iuxta illud quod Dauid canit: Delicta iuuetutis meæ & ignorantia meas ne memineris. Insuper nobis astipulatur Lyranus edisserēs eundē Hieremias locū, Non potest aliquis ad fidē Christi venire, nisi gratia dei ipsum præueniēte. Ioānis enim 6. dicitur: Nemo potest venire ad me, nisi pater qui me misit, traxerit eū. ideo subditur, Postquā enim cōuertisti me, tua scilicet gratia præueniēdo: egi pœnitentiā, ad te fructuose reuertendo. Ad hæc, si homo in peccatū lapsus, nō possit resurgere ā peccato siue reparari per seipsum, sine auxilio dei: nec poterit ad deū cōverti postquā auersus est, nisi deus sua clemētia eū cōverterit. Et antecedēs facile suadeo, quæ admodū si data esset lex, quæ posset hominē iustificare, gratis mortuus esset Christus, & sine causa: ita si homo ā suo mortifero scelere exurgere posset solis suæ naturæ viribus, Christus gratis pro eo mortuus esset. Attende vnū diligenter, quod annotauit sanctus Thomas 1. 2. quæst. 109. art. 7. Hominem suo peccato & quidem mortali, triplex incurere dānum: siue detrimētum. Nam sibi cōtrahit maculā, corruptionē naturalis boni, & reatum pœnæ. Maculam quidem, quia priuatur decore gratia, quem sine illustratione diuini luminis recuperare non potest, corrūpitur & bonū naturale ā scelere cōmissio, saltē vulneratur, & obtenebratur, nec reparari potest, nisi deus humanam iuerit voluntatem, & sibi subijciat. Nec reatus pœnæ æternæ remitti potest, nisi ā deo scelere offenso. Hæc planē monstrant hominem non posse sine diuina misericordia ā peccato resurgere, & ad pristinam gratiam reparari.

CAPVT X.

Deum obstringimur diligere toto corde, tota anima, & tota mēte.] Hanc ex sacris scripturis eruemus Assertionē. Præcepit deus in veteri lege filijs Israel, vt ei summum deferrent honorem, & eius amorū creaturæ
T. ij.

Hiera. 31.

Hieronym⁹

Psal. 50.

Psal. 24.

Lyranus,

Ioan. 6.

Galat. 2.

Thomas

dilectionem postponeret, totumque animi conatum in perfectissima dei dilectione collocarent. Etenim in Deuteronomio scriptum est, Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Et Christus cuidam pharisaeo sciscitanti calumniose & inuide, quodnam esset mandatum magnum in lege, respondit: Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum: nec Christus nobis praecepisset eximiam summi mandati observationem, si a nobis adimpleri non posset. Secundum vero mandatum huic simile subiunxit, Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis uniuersa lex pendet & propheta. Beatus Hieronymus lib. 1. aduersus Pelagianos, nostrae astipulatur assertioni, ubi respondet Atticus Critobulo sciscitanti, An Deus dedit mandata possibilis, an impossibilia: Fatemur possibilis deum dedisse mandata, ne ipse author iniustitiae sit, si id exigat fieri, quod fieri non potest. Et in eodem libro dicit Hieronymus in persona Critobuli, Aut enim possibile est audientibus facere quod Moyses & dominus praeceperunt: aut si impossibile est, non est culpa eorum qui obedire non possunt, sed eius qui impossibilia praecepit. Et rursus dicit, aut dominum non impossibilia praecepisse, ut sint in culpa qui possibilis non fecerint, aut si non possunt fieri, non eos qui impossibilia non faciunt, sed eum qui impossibilia praecepit (quod nefas dictu sit) conuinci iniustitiae. Et edifferens in Euangelio Matthaei, illa Christi verba, Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, dicit: Multi praecepta dei imbecillitate sua, non sanctorum viribus aestimantes, putant esse impossibilia quae praecepta sunt, & dicunt sufficere virtutibus, non odisse inimicos, ceterum diligere plus praecipitur, quam humana natura patiatur. Sciendum est ergo Christum non impossibilia praecipere, sed perfecta, quae fecit Dauid in Saul & in Absalon. Stephanus quoque martyr pro inimicis lapidantibus deprecatus est. Et Paulus anathema cupit esse pro persecutoribus suis. Haec autem Iesus & docuit & fecit, dicens: Pater ignosce illis, quod enim faciunt, nesciunt. Ad haec dicit Augustinus libro 10. de Ciuitate dei, capite 4. vim illius summi praecipiti attingens, Bonum enim nostrum, de cuius fine inter philosophos magna contentio est, nullum est aliud, quam illi coherere, cuius unius anima intellectualis, incorporeo (si dici potest) amplexu, veris impletur, foecundaturque virtutibus. Hoc enim bonum diligere, in toto corde, in tota anima & in tota virtute praecipitur. Ad hoc bonum debemus & a quibus diligimur, duci, & quos diligimus ducere. Sic complentur duo illa praecepta, in quibus tota lex pendet & propheta. Diliges dominum deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. & Diliges proximum tuum tanquam teipsum. Ut enim homo sese diligere nosset, constitutus est ei finis, quo referret omnia quae ageret, ut beatus esset. Non enim qui se diligit, aliud esse vult quam beatus. Hic autem finis est adhaerere deo. Iam igitur sciendi diligere seipsum, cum mandatur de proximo diligendo, sicut seipsum: ecquid aliud mandatur, nisi ei quantum potest commendat diligendum deum? Hic est dei cultus, haec vera religio, haec recta pietas, haec tantum deo debita seruitus. Et lib. 1. de doctrina Christiana, cap. 22. explicans abunde primum dilectionis praecipitum, dicit: Haec enim regula dilectionis diuinitus constituta est, Diliges (inquit) proximum tuum, sicut teipsum: deum vero ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, ut omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum in illum conferas, a quo habes ea ipsa quae confers. Cum autem ait toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitam nostram partem reliquit, quae vacare debeat, & quasi locum dare ut alia re velit frui, sed quicquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totius dilectionis impetus currit. Quisquis ergo recte proximum diligit, hoc cum eo debet agere, ut etiam ipse toto corde, tota anima, tota mente diligit deum. Sic enim eum diligens tanquam seipsum, totam dilectionem sui & illius, refert in illam dilectionem dei, quae nullum a se riuium duci extra patitur, cuius deriuatione minuatur. Insuper Sermone primo Dominicae in quinquagesima, dicit: Quod vero ait, ex toto corde, & tota anima,

Deuter. 6.

Matth. 22.

Hieronymus

Matth. 5.

Acto. 7.

1. Reg. 24.

& 26.

2. Reg. 13.

& 18.

Rom. 9.

Lucas 23.

Augustinus.

& tota mente, id est toto intellectu, tota voluntate, & ex omni memoria deum esse diligendum. Dei vero dilectio in observatione mandatorum eius tota consistit, sicut alibi ait: Si quis diligit me, sermones meos seruat: unde & ipsa veritas alibi ait: In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis adiuuicem. Item Apostolus, Plenitudo legis est dilectio. Item Ioannes Euang. Hoc, inquit, mandatum habemus a deo, ut qui diligit deum, diligit & proximum. Haec ille. Nec possum mihi suadere ut quisquam perfectissime suum proximum diligit, & charitatem non habeat. Nam dicit Paulus: Qui diligit proximum, legem impleuit. Nam non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Deinde subiungit, Dilectio proximi, malum non operatur, & tandem concludit de consummata legis observatione, Plenitudo ergo legis est dilectio. Adde quod Theophylactus edifferens in illa duo praecepta de dilectione, scilicet dei & proximi, dicit: Qui diligit proximum, adimplet omnia mandata, & qui adimplet omnia mandata, deum diligit. Et illa duo insignia mandata inter se cohaerent, & omnia alia continent. Fieri nequit, ut quis mandata dei seruet, & deum non diligit, aut ediuerso quod deum diligit, & eius mandata non obseruet. Nam artificiosissimum illorum connexionem ostendit Christus in Euang. Ioannis, dicens: Qui habet mandata mea & seruat ea, ille est qui diligit me. Et rursus, ut ostendat illa recurrere, ait: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermones meos non seruat. Quocirca recte colliges, Observationem mandatorum dei & eius dilectionem, mutuo se ponere, & mutuo se interimere. Praeterea dicit Ioannes in sua prima epistola canonica: In hoc scimus, quoniam cognouimus eum, si mandata eius obseruamus. Qui dicit se nosse deum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in eo veritas non est. Iterum, Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum in eo non est, & quoniam pacto diuino illustrabitur lumine, nec scandalum patietur, si charitate destitutus fuerit, & mortifera labe contaminetur. Adde quod Augustinus in Sermone citato, dicit de generatione spiritali nobiliore carnali: Qui autem taliter intelligens, proximum diligit, sine dubio charitatem veram in semetipso tenebit. Ille igitur (ut existimo) perfectissime diligit proximum suum, qui licet eum sicut seipsum diligit, eius tamen dilectionem diuinam dilectioni postponit: cum autem non diligit deum, sed odit, aut in eum blasphematur, non praefert dei dilectionem dilectioni proximi. Sed satis fuerit me differuisse. ¶ Dicit aliquis, licet Augustinus tibi tuaque assertioni faueat, non tamen putat hominem posse illud primum dilectionis mandatum perfectissime dum hanc agit vitam, adimplere. Nam quotidie obrepunt homini noxii affectus, furit & in homine infrenis concupiscentia & sauit, nec est omnino extincta & superata, quae praepedit quominus possimus perfectissime deum diligere toto scilicet corde, tota anima & tota mente. Dicit enim Augustinus libro vno de Spiritu & litera, capite 36. Proinde hoc erit primum praeceptum iustitiae, quo iubemur diligere deum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente, cui est de proximo diligendo, alterum consequens, quod in illa vita complebimus, cum videbimus faciem ad faciem. Si igitur ex sententia Augustini homo non in hac vita, sed in sede beatorum adimplebit illud praeceptum, videtur quod frustra nobis praecipitur diligere deum omnibus animi viribus, cum non possimus illud consummare: alioqui perfecte diligeremus deum toto corde, & tota anima, &c. In eodem tamen capite nititur Augustinus reddere rationem quare summa dei dilectio nobis est praecipita. Sed ideo, inquit, nobis hoc etiam nunc praeceptum est, ut admoneremur quid fide exposcere, quo spem praemittere, & obliuiscendo quae retro sunt, in quae anteriora nos extendere debeamus. Ac per hoc quantum mihi videtur in ea quae perficienda est iustitia, multum in hac vita ille profecit, qui quam longe sit a perfectione iustitiae, proficiendo cognouit. Vult igitur Augustinus (ut

Ioan. 14.

Ioan. 13.

Roma. 13.

1. Ioan. 4.

Roma. 13.

Theophy.

Ioan. 14.

1. Ioan. 2.

conijcere possum) dicere, nos non posse perfectissime adimplere illud summum praeceptum, sub ratione consummatae charitatis & iustitiae, dum hic viuimus, propter motus terrenae libidinis nondum absorptos, licet sub ratione praecepti, possimus illud adimplere, cum nullam sequimur cupiditatem, neque libidini ad illicitum prouocati consentimus, & omnes animi cogitationes, omnemque vitam nostram, & omnem intellectum in deum conferimus, cum tempus exposulat. Et lib. 1. Retract. cap. 16. videtur aperte ostendere quod modo diximus, quod illud summum legis praeceptum, non remanebit in regno dei, in ratione praecepti. Quod dixi, inquit, contra Faustum Manichaeum disputatione 2. quae postea eadem ipsa caro quae nos in poenis torfit in peccatis manens, subiiciatur nobis in resurrectione, & nulla aduersitate nos quatiat, quo minus legem & praecepta diuina seruemus. Quod non ita est accipiendum, tanquam & in illo dei regno, ubi incorruptibile & immortale corpus habebimus, de scripturis diuinae lex & praecepta sumenda sunt: sed quia perfectissime ibi lex aeterna seruabitur, & illa duo praecepta de diligendo deo & proximo, non in lectione, sed in ipsa perfecta & sempiterna dilectione tenebimus. Et ca. 7. eiusdem primi lib. Retract. retractat quod dixerat libro vno de moribus Ecclesiae catholicae, cap. 25. Eum ipsum quem cognoscere volumus, id est deum, prius plena charitate diligamus. Melius, inquit, diceretur sincera, quam plena: nisi quis crederet charitatem dei non futuram maiorem, quando videbimus eum faciem ad faciem, quando diu ambulamus per fidem: licet erit plenior, imo plenissima per speciem. Et ad Hieronymum dicit, & habetur de Poenitentia, dist. 2. cap. Caritas. In quibusdam charitas est perfecta, in quibusdam imperfecta: perfectissima vero in hac vita haberi non potest. In hoc voluitur rei pondus, quod charitas in hoc mundo a nobis perfecta haberi potest, quam martyres adepti sunt, strenuo animo atrocissimum pro Christo sufferentes supplicium, & plerique alij antequam vita defungerentur. Et ostendit diuus Ioannes in sua prima epistola canonica, quando possumus habere etiam in hac vita perfectam charitatem: Qui autem, inquit, seruat verbum eius, vere in hoc charitas dei perfecta est, sed perfectissima, in hac peregrinatione vitis subdita, a nobis haberi non potest: & sic perfecte possumus in hac vita illud supremum praeceptum adimplere, quantum ratio praecepti deposcit. Ad haec disserens Chrysostomus de illo primo praecepto, homilia dominicae 18. post Pentecosten, dicit: Dignius est hoc mandatum, Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, quam illud, Non concupisces, Non occides, tamen utilitas vna est. Nam qui diligit deum, ille non occidit, aut concupiscit: qui autem occidit aut concupiscit, non diligit dominum deum suum. Deinde paulo post explicat singulas illius praecepti particulas, Quid est diligere deum ex toto corde tuo? nisi ut cor tuum non sit inclinatum ad vilius rei dilectionem amplius, quam dei. Quid est in tota anima diligere deum? id est, certissimum animum habere in veritate, & firmum esse in fide. Quid est in tota mente tua diligere deum? id est, ut omnes sensus tui, qui pertinent ad mentem, deo vacent. Cuius intellectus deo ministrat, cuius sapientia circa deum est, cuius cogitatio ea quae dei sunt, tractat: cuius memoria quae bona sunt, recordatur: tota mente diligit deum. Accedit sententiae Chrysostomi Hylarius canone 23. in Matthaum, dicens in illis duobus praeceptis, dilectionis scilicet dei & proximi, idem esse meritum & officium, sed proximum vocat Christum. Cum enim (inquit) patrem, matrem, filios, charitati dei proponere inhibeamur, quomodo dilectio proximi, diligendi dei, simile mandatum est? Aut relinquatur aliquid quod amori dei possit aequari, nisi quia similitudo praecepti, parem charitatem diligendi patrem & filium exigebat. Sed peculiaris haec est expositio. Nec Chrysostomus & Augustinus vocant proximum, Christum, sed vnumquemque hominem, & praesertim Christianum. Origenes homilia 23. in Matthaum, explicat quidnam sit integre & perfecte diligere deum. Forsitan, inquit, omnes qui diligunt deum & dominum suum, nisi & sequentes partes impleuerint, & ex toto corde dilexerint, & ex tota anima, & ex tota mente, ex parte seruant mandatum. Hi autem soli magnitudinem eius in se suscipiunt & primatum, qui non solum diligunt dominum deum suum, sed etiam tria illa susceperunt, id

1. Ioan. 2.

Chrysostomus

Hylarius.

Origenes.

est, ut ex toto corde suo apud se illam totam recondat, & operationes eius, & cogitationes eius: & ex tota anima sua, id est, ut parati sint ponere eam pro pietate dei, qui vniuersa creauit, quando utilitas exegerit verbi, ex eo quod ex tota anima diligit deum, ita ut nulla pars animae euellatur ad aliquam rem quae a fide est aliena: & in tota mente nostra, nihil aliud cogitantes vel proferentes, nisi ea quae dei sunt. Et vide si potes cor quidem accipere pro intellectu qui est in intelligibilibus, speculans & ostendens fontem & principium eorum, quod est deus, mentem autem ad proferendas res. Mentem enim proferimus singulas res, & per vnumquodque significatum quasi mente nostra inambulamus, atque proferimus. Dicit Cyprianus: Sermo de baptismo Christi, quod non solum debemus diligere deum, sed possumus: Praecipis mihi domine deus, ut ait, ut diligam te hic, & possum & debeo, & totum me & interius & exterius tibi esse iubet obnoxium, & de proximo iubet, ut ad meatum eum mensuram complectar: Deinde dicit, Vere hoc mandatum, legem complectitur & prophetas, & in hoc verbo omnium scripturarum volumina coartatur, hoc natura, hoc ratio, hoc domine verbi tui clamat auctoritas, hoc ex ore tuo audiuimus, hic inuenit consummationem omnis religio, primum est hoc mandatum, & vltimum, hoc in libro vitae conscriptum, indeficientem & hominibus & angelis exhibet lectionem. Legat hic vnum verbum, & in hoc mandato meditetur Christiana religio, & inueniet ex hac scriptura, omnium doctrinarum regulas emanasse, & hinc nasci & hinc reueri quicquid ecclesiastica continet disciplina, & in omnibus irritum esse & friuolum quicquid dilectio non confirmat. Scribit Lyranus in 22. cap. Matthaui, enarrans illud primum praeceptum, Bifariam aliquid dici perfectum, aut quia nihil sibi deest de perfectione possibili, aut quia nihil sibi deest de perfectione debita & competentis. Primo modo perfecte diligimus deum in patria, & adimplemus illud supremum mandatum, quia illic mens fertur omnimode in deum & perfecte, & absque ulla interruptione. Ideo dicit Augustinus lib. de Perfectis iustitia, mandatum charitatis solum impleri in patria, ubi erit charitas perfecta. Sumo modo tamen secundo modo perfectum, adimpletur a nobis illud praeceptum in hac vita, cum potissimum homo nihil contra deum diligit. Cosentanea sunt Lyrano quae annotant quidam doctores, nos posse illud praeceptum perfecte adimplere in hac vita, habitu suae habitualiter, ut scilicet neque cor hominis, neque anima, neque mens quicquam contra dei dilectionem recipiat, non tamen actu: quia cor hominis propter turbulentas passionum procillas, non potest semper in hac vita in deum erigi & euehi. Ex parte adimplemus illud praeceptum, & non omnimode. Haec non improbo, sed magis adherere velim his quae ex sacris doctoribus diximus. Non enim dubito, quin deus velit nos per omnia in praeceptis suis esse perfectos, ut diligenter ostendit Chrysostomus homilia 44. in festo sanctorum Ioannis & Pauli, & deducit potissimum ex illo Matthaui loco, Diligite inimicos vestros, ut non frustra iustitia multo antecellat scribarum & Pharisaorum iustitiam.

Cyprianus.

Matth. 22.

Lyranus.

Chrysostomus.

Matth. 5.

CAPVT XI.

DEUS non omnes vocatos iustificat.] Tamen Augustinianam haec sit assertio, ut sumus offensuri: eam tamen nitar verisimili ratione ex sacris eruere disciplinis. Si deus non omnes quos vocat, eligat: nec omnes quos vocat, iustificat. Sicut enim vocatio praecedit iustificationem, ita & electio antecedens tamen suadeo: Cum murmurassent in patrem familias qui toto diei aestu laborauerant in vinea domini, nec maius reportassent praemium, quam qui circa vndecimam horam erant profecti ad excolendam domini vineam, vni obmurmurantium prudenter respondet pater familias: Amice, non facio tibi iniuriam, nonne denario conuenisti mecum: tolle quod tuum est, & vade: volo autem & huic nouissimo dare sicut & tibi: aut non licet mihi quod volo facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. Subindicat illa de vocatione & electione parabola, vnumquemque hominem tam probum quam improbum ad amplexandam vniuersi dei & Christi fidem, & ad colendam euangelicam professionis vineam, vocatum esse, vocatione

Matth. 20.

quidem generali, deumque vt regni sui aditum omnibus faciat, esse paratissimum: illos vero duntaxat esse singulari electione praelectos, qui suam sequentes electionem, officiosissime deo inseruiunt, deo adherent pertinaci studio, deumque summa religione, & assidua mandatorum eius obseruatione colunt & reuerentur. Adde quod cum rex magnificētissimus, omnes ad nuptias sui filij exornādas inuitasset, & quempiam sordida veste indutum offendisset, indignum quidem tam celebri apparatu, illi dixit: Amice quomodo huc intraisti non habens vestem nuptialem? Et cum ille obmutuisset, tunc dixit rex ministris: Ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. Vocauerat rex ille opulētissimus omnes ad sacra nuptiarum celebranda, nec tamen omnes inuitati, ad nuptiale conuiuū lautissime apparatus intromittuntur, sed solum electi, & veste nuptiali induti, qui mystica intelligentia, mundissimum animi candorem praeseferunt: quique castissima mentis puritate aeternum & omnibus exoptandum dei palatium ingrediuntur. Vltro, vt ostendit parabola, vocantur omnes, & absque villo delectu & discrimine: sed electi non sunt, nisi qui vocationi parent, quique in finem vsque respondent diuinam erga se beneficentiam, in euangelicā pietatis studio perseverantes. Idcirco Augustinus lib. 1. ad Simplicianū, quæst. 2. eos vocat hoc in loco electos, qui sunt congruēter vocati, id est, qui sequuntur rectam voluntatem: & suae vocationi obtemperant. Multi tamen sunt vocati, qui suae non solum non obtemperant vocationi, verum etiam reclamant, & suam (vt dicā) obtrebrant vocationem. Nūc dabo operam vt doctrina Augustini, nostra illustretur assertio. Enarrans itaque Augustinus locū illum Pauli ad Romanos Quos vocauit, ipsos & iustificauit: libro equidem vno expositionis quarundam propositionum ex epistola ad Romanos, dicit: Potest quæri, vtrum omnes qui vocati sunt, iustificentur, sed alibi legimus: Multi vocati, pauci autem electi. Tamen quia ipsi quoque electi, vtiq; vocati sunt, manifestum est non iustificatos, nisi vocatos, quanquam non omnes vocatos, sed eos qui secundum propositum vocati sunt, sicut superius dixit: Scimus autem quoniam diligentibus deum, omnia cooperantur in bonum, ijs qui secundum propositum vocati sunt sancti. Propositum autem dei accipiendum est, non ipsorum: ipse autem exponit quid sit secundum propositum, cum dicit: Quoniam quos ante praesciuit & praedestinavit conformes fieri imaginis filij dei. Non enim omnes qui vocati sunt, secundum propositum vocati sunt. Hoc enim propositum ad praescientiam & ad praedestinationem dei pertinet: nec praedestinavit aliquem, nisi quem praesciuit crediturum, & securum esse sanctorum vocationem, quos & electos vocat. Multi enim non veniunt, cum vocati fuerint: nemo autem venit, qui vocatus non fuerit. Assentitur & huic sententiae Origenes eandem Pauli difficultatem pertractans, vbi dicit aperte, quod non omnes qui vocantur, iustificatur, licet Paulus dixerit, Quos vocauit, ipsos & iustificauit. Nam & Iudas apostolus vocatus est, sed non est iustificatus, quia et si iustificatum eum contendat aliquis, eo ipso quo vocatus est, non est certe glorificatus. Sed & illi de quibus dicit Apostolus, quod naufragauerunt a fide, vocati quidem fuerunt, sed non sunt iustificati. Secundum Euangelij parabolas, illi ad quos missi fuerant serui, & excusauerunt se, vocati quidem fuerunt, sed non sunt iustificati: & ille qui ingressus conuiuium regis, non habuit vestem nuptialem, vocatus est, sed non est iustificatus. Cum haec ergo singula sic se habeant, quomodo videbitur verus esse sermo Apostoli, quem vel de praenoscendo, vel praedestinando, vel de vocando, vel etiam de iustificando memorauit? Sed videtur mihi (vt paulo post dicit) ad absoluendam quaestionem, esse quadam vocationis differentia, quod omnes quidem vocati sunt, non tamen omnes secundum propositum vocati sunt. Nam hi qui secundum propositum bonum, & bonam voluntatem (quam circa dei cultum gerunt) vocantur, ipsi sunt qui secundum propositum vocati dicuntur, & isti sunt qui vocati, iustificati sunt: bono enim eorum proposito deerat sola vocatio. Hi vero qui non habent bonum, si

Matth. 22.

Augustinus.
Roma. 8.

Origenes.

1. Timot. 1.

xumque propositum, vel erga diuinum cultum, vel erga opus bonum, vocantur quidem & ipsi, ne eis excusatio relinquatur, & haec ipsi possint causari cum iudicantur, quia & nos si vocati fuissetus, potuissetus vtiq; iustificari, & non solum iustificari, sed & glorificari. Ideo ergo vocantur quidem & ipsi, sed quasi in terra petrosa seminetur semen, cito quidem exoritur, incrementum autem tribulationum solis, quia non habent altam radicem boni propositi, continuo arescunt & pereunt, & ipsi sunt de quibus dicit apostolus, quia naufragauerunt a fide. Quos ergo vocauit, id est quos secundum propositum boni, vocauit, illos & iustificauit. Quod si secundum propositum ad deum referatur, hoc est vt secundum dei propositum qui sciens in eis religiosam mentem, & salutis inesse desiderium, vocati dicantur, non videbitur his quae exposuimus etiam hoc esse contrarium. hoc ergo pacto neque in praescientia dei, vel salutis vel perditionis nostrae causa consistit, neque iustificatio ex sola vocatione predebet, neque glorificari de nostra penitus potestate sublatum est. Nam et si communi intellectu de praescientia sentiamus, non propterea erit aliquid, quia id scit deus futurum, sed quia futurum est, scitur a deo antequam fiat. Haec ille. Scite & subtiliter exposuit Origenes quidnam sit vocationis generalis, quid vero specialis. Primae vocationi respondet quod dicit Paulus ad Timotheum: Vult deus omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, quauis haec voluntas non semper adimpleatur: quia negligunt suis dediti vitijs, eam adimplere, & hanc vocant quidam, antecedentem voluntatem. antecedit enim deus, & nos praue nit, nobis suum exhibendo auxilium, quo nancisci possimus finem vltimum: & haec voluntas naturam hominum iuuat, nam deus dedit omnibus hominibus naturam aeternae beatitudinis capacem, sed improbi quos nullus vnquam admitti sceleris pudor mouet, ab vltimo sine deficiunt, & quem odio persequi deberent, sequuntur, illi adherent, nec ab eo sine diuina gratia diuelli possunt. Secundae vocationi coherent quae dixit Christus Petro & Andrea fratribus, Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. Haec etiam praecellenti vocatione ad se accersit Ioannem & Iacobum filios Zebedaei, & Matthaeum publicanum in telonio sedentem, qui relictis suis opibus, sequutus est Christum, nec lato vngue ab eo discessit. Eandem quoque amplexati sunt vocationem, qui famelicos pauerunt, & sitim multorum restinuerunt: quibus pro officio pietatis erga pauperes exhibitum, dixit Christus: Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere, & caetera.

Matth. 13.

1. Timot. 2.

Matth. 4.

Matth. 9.

Matth. 25.

CAPVT XII.

Deus loquitur aut per suam substantiam, aut per creaturam sibi subditam. Hanc desumo Assertionem ex Augustino, lib. 8. in Genesim, cap. 27. vbi dicit: Quapropter cum audimus scripturam dicentem, Et praecipit dominus deus Adae dicens: Ab omni ligno quod est in paradiso, esca edes, de ligno autem cognoscendi bonum & malum, non manducabitis de illo. Quia die autem ederitis ab eo, morte moriemini. Si modum quaerimus quomodo ista locutus sit deus, modus quidem ipse a nobis proprie comprehendere non potest. Certissime tamen tenere debemus, deum aut per suam substantiam loqui, aut per sibi subditam creaturam. sed per substantiam suam non loqui nisi ad creandas omnes naturas, ad spirituales vero atque intellectuales non solum creandas, sed etiam illuminandas, cum iam possunt capere locutionem eius, qualis est in verbo eius, quod in principio erat apud deum, & deus erat verbum, per quod facta sunt omnia. Illis autem qui eam capere non possunt, cum loquitur deus, non nisi per creaturam loquitur, aut tantummodo spiritalem, siue in somnis siue in ecstasi, similitudine rerum corporalium, aut etiam per ipsam corporalem, dum sensibus corporis, vel aliqua species apparet, vel insonant voces. Si ergo Adam talis erat, vt posset capere illam locutionem dei, quam mentibus angelicis per suam praebet substantiam: non dubitandum est quod eius mentem, per tempus mouerit miro & ineffabili modo, non motus ipse per tempus,

Augustinus.
Gene. 2.

Ioan. 1.

ei que vtile ac salubre præceptū veritatis imprefferit, vt quæque transgressōri poena deberetur, ea ipsa ineffabiliter veritate monstrauerit, sicut audiuntur vel videntur ea ipsa bona præcepta in ipsa incommutabili sapientia, quæ in animas sanctas se trãffert ex aliquo tempore, cum ipse nullus sit motus in tempore. Si autem ad eum modū Adam iustus erat, vt ei adhuc opus esset alterius creaturæ sanctioris & sapientioris autoritas, per quam cognosceret dei voluntatem atque iussionem: sicut nobis propheta, sicut ipsi angeli, cur ambigimus per aliquam huiusmodi creaturam ei esse locutum deum, talibus vocū signis quæ intelligere possent? Illud enim quod postea scriptum est, cum peccassent eos audisse vocem domini dei ambulantis in paradiso, quia non per ipsam dei substantiam, sed per subditam ei creaturam factum est, nullo modo dubitat qui fidem catholicā sapit. Ad hoc enim & aliquanto latius de hac re differere volui, quia nonnulli hæretici putant substantiā filij dei nullo assumpto corpore per seipsam esse visibilē, & ideo, antequam ex virgine corpus acciperet, ipsum visum esse patribus opinantur, tanquam de solo deo patre dictum sit: Quem nemo hominum vidit nec videre potest, quia filius visus sit antequam acceptam serui formam, etiam per ipsam substantiam suam. Quæ impietas procul à catholicis mentibus repellendā est. Ex hac luculentissima Augustini doctrina, possumus colligere, deum loqui per suam substantiam angelicis spiritibus, qui diuino illustrati lumine, possunt sublimē illam cōsequi & intelligere locutionem, quod scilicet deus pater, verbo à se genito, id est filio loquatur, & verbū patri. Nos terrenā spirantes philosophiam, & cassā rerū externarum sollicitudine prægrauati, non possumus ad sublimia cælestis philosophiæ & cognitionis in verbo arcana euehi, donec luteum hoc domicilium reliquerimus. At deus non mediocrem nobis impartitur gratiam, cum per subiectam creaturam & potissimum angelicam, nobis sui cognitionem aperit, nosque docet quibusvis & præceptis, æternam assequemur gloriam. Hac loquendi formula, locutus est deus cum Abraham in cōuale Mambre, trium angelorum ministerio, qui ei apparuerunt in specie hominum. Et alio tempore locutus est dominus ipsi Abraham per angelum, dicens: Non extendas manum tuam super puerum, neque facias ei quicquam. Similiter locutus est dominus cum Iacob per angelum, cum quo luctatus est, cui respondit, cum eius nomen sciscitaretur: Cur quæris nomē meum quod est mirabile? Et benedixit ei in eodem loco. Etiam locutus est dominus Balaam per angelū, cui dixit: Cur tertio verberas ašinā tuam? Ego veni vt aduersarer tibi, quia peruersa est vita tua, mihi que contraria. Omitto quod frequenter locutus est dominus Mosi per angelū, vt ex Exodo possumus colligere, locutus est etiam deus per prophetas, & nobis nouissime per filium, vt ostendit Paulus ad Hebræos dicens, Multifarie multisque modis olim deus loquens patribus in prophetis, nouissime diebus istis locutus est nobis in filio, & longè quidem apertius & manifestius quàm per sacros vates, qui nobis voluntatem sui patris expressit, nosque docuit neminem regnum sui patris ingressurū, nisi seipsum abnegauerit, & contēptis opibus Euangelicam sibi paupertatem delegerit. Edisserēs Sedulius illum Pauli locum, nostræ astipulatur Assertioni, Multis (inquit) modis loquutus est deus, id est multis formis, in quibus loquebatur, nunc autē in hominis & hospitis forma, vt Abrahæ: nunc in forma militis, vt Iesu: nunc in igne, vt Moyfi in rubo: nunc in igne, & alijs signis. Aliquando per semetipsum loquitur, vt est: Audiam quid loquatur in me dominus: aliquando per angelum loquitur, aliquando per subiectam creaturam, vt in nube: Hic est filius meus dilectus: aliquando lucidis, vt si audieritis me, bona terræ comedetis: aliquando obscuris, vt gladius vos deuorabit. Olim deus locutus est duobus modis, locutiōque diuina distinguitur, cum aut per semetipsum loquitur, aut per angelicam creaturam ad nos verba promuntur. Cum autem per semetipsum loquitur, de verbo eius siue verbis & syllabis cor docetur. Cū vero per angelū, aliquando verbis sine imaginibus: aliquando imaginibus & rebus sine verbis. Attende vnum diligenter. Cum deus pater nobis per verbum siue filium

loquitur, eodem verbo se exprimit (siue dicit) & creaturam, quod suadere possum ex Augustino: cum enim exponit illud Genesios: Dixit & facta sunt, libro secundum in Genesim, capite sexto, inquit: Verbum genuit, in quo erat vt fieret creatura, pater eo ipso dicit verbum, quo generat. Hoc autem dicere, est personale, & soli patri competit, cum proprie sumitur: latius autem sumptum, cōuenit tribus personis: & tunc idem est atque exprimere, siue manifestare: verbum autem quod est notio patris, est ratio qua pater se exprimit creaturæ. Et sicut pater eadem scientia scit se & creaturam, ita eodem verbo exprimit se & creaturam. Verbum autem in patre, est expressiuum tantum: creaturarum verò expressiuum, & operatiuum. inquirens enim Augustinus libro vndecimo confessionum, capite quinto, quoniam pacto deus fecit cælum & terram, tandem concludit quod verbo suo fecit omnia. Quomodo (inquit) fecisti deus cælum & terram? Non vtique in cælo neque in terra fecisti cælū & terram, neque in aere aut in aquis: quoniam & hæc pertinent ad cælum & terram: neque in vniuerso mundo fecisti vniuersum mundum, quia non erat vbi fieret, antequā fieret vt esset, nec manu tenebas aliquid vnde faceres cælum & terram. Nam vnde tibi hoc quod tu non feceras, vnde aliquid faceres? Quid enim est, nisi quia tu es? Ergo dixisti, & facta sunt, atque in verbo tuo fecisti ea. Et cum enarrat illud psalmographi, Dico ego opera mea regi, indicat plane omnia dei opera in ipso verbo creata esse, nec quicquam deus erat facturus in creatura, quod non prius fuerit in verbo: nec esset in rebus, nisi esset in verbo: ita scribit: Adhuc pater loquitur, si adhuc pater loquitur, quæramus & hoc, quomodo secundum fidem veram & catholicā intelligamus, Dico ego opera mea regi. Si enim pater dicit opera sua filio suo regi nostro, quæ opera pater dicturus est filio, cū omnia opera patris, per filiū facta sint? An forte dico opera mea regi, ipsum dico, generationem filij significat. vereor ne hoc aliquando à tardioribus non possit intelligi. Verū tamen dicam, sequatur qui potest, ne non dicto non sequatur, qui potest: legimus in alio psalmo dictum: Semel locutus est deus. Toties locutus est per prophetas, toties per apostolos, hodiēque loquitur per sanctos suos, & ait, semel locutus est deus? Vnde semel locutus est, nisi per verbū suum? Sicut autem Eructauit cor meū verbum bonum, intelleximus ibi generationem filij, velut repetitio mihi videtur facta in consequenti sententia, vt illud quod dictum est, Eructauit cor meum verbum bonum, repeteretur in eo quod ait, dico. Quid est enim dico? verbum profero. Et vnde proferit deus verbum, nisi ex corde suo & intimo suo? Tu non dicis nisi quod ex corde tuo profers, verbum tuum quod sonat & transit, aliunde non proferitur, & miraris quia ita dicit deus? Sed dicere dei, æternum est, & idem sentit tractatu 23. in Euangelium Ioannis, enarrando locum illum: Pater enim diligit filium, & ostēdit ei omnia quæ ipse facit, vbi plane docet & ingeniose, quomodo pater loquitur filio, non quidem lingua & mouendo labra, nec filius patrem loquentem audit, auribus quidem & organo corporeo: sed pater loquitur filio, ei ostendendo quæ producturus est antequam producat, & ostendēdo genuit filium, & hæc demonstratio generat visionem, non tamen visio demonstrationem. Et quemadmodum Socrates ostendit suo filio se extructurum aliquam domum antequam operetur, & forsitan vult per filium huiusmodi domum extruere, & suo verbo loquitur hæc filio: ita deus pater ab æterno ostendebat filio se producturum creaturam antequam crearet, & hoc verbo creaturam produxit. Sed discrimen est in Socrate quidpiam demonstrante suo filio antequam fiat, & in patre cælesti demonstrante filio quicquid vult creare. Nam cum Socrates suo verbo loquitur hæc filio, non est illud verbum nec filius eius, filius verò diuinus est verbum quod pater genuit, & ex suo intimo corde eructauit. Hinc clare cōstat patrem loquutum filio ab æterno, & antequam nasceretur in purissimo virginis Mariæ vtero.

Augustinus.
Gene. 1.

Psal. 44.

Psal. 61.

Ioan. 5.

Augustinus **D**Eus secundum suam voluntatem sempiternam, & praescientiam, futura iam fecit.] Hanc ex Augustino & Hieronymo desumam Assertionem. Dicit itaque Augustinus libro 22. de Ciuitate dei, cap. 2. Secundum illam verò voluntatē suam quā cum eius praescientia, sempiterna est, profecto in caelo & in terra, omnia quaecunque voluit, non solum praeterita vel praesentia, sed etiam futura, iam fecit. verum antequam veniat tempus quo voluit vt fieret, quod ante tempora vniuersa praesciuit atque disposuit, dicimus, fiet quando deus voluerit. Si autem non solum tempus quo futurum est, verum etiam vt futurum sit, ignoramus: dicimus, fiet si deus voluerit, nō quia deus nouam voluntatem, quam non habuit, tunc habebit: sed quia id quod ex aeternitate, in eius immutabili praeparatum est voluntate, tunc erit. Hāc ille. Et licet quod futurum est, nondū sit absolute, & actu: tamen iam consilio diuino & praescientia factum est. Nec prius erit quā deus prauidit futurum, & scit deus certum & praefinitum tēpus, quo illud futurum sit, quāuis ignoremus: nec possumus exacte & perfecte, imperscrutabilia dei opera intelligere, etiam si toto nostrā vitā spatio animū nostrum in peruestiganda huiusce rei cognitione torqueremus. Quod pulchre expressit Ecclesiastes dicens: Cuncta fecit bona in tempore suo, & mundum tradidit disputationi eorum, vt non inueniat homo opus, quod operatus est Deus, ab initio vsque ad finem. Adde quōd idem Augustinus ediscerens locū illum psalmographi: Conuerte domine captiuitatem nostram, sicut torrens in austro, dicit omnia quae futura sunt, deo iam facta esse, & cum dixit: Couerte domine captiuitatem nostrā, nondum erat conuersa captiuitas, quia nondum redemptor aduenerat, sed erat conuertēda: & plerumque scriptura de praeterito aut praesenti loquens, futura praenuntiat, sicut dicit Dauid in persona Christi venturi: Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Non dixit fossuri sunt, non dixit dinumerabunt, non dixit diuidēt sibi vestimenta mea, non dixit super vestimentum meū mittent sortem: futura enim erant, & quasi facta cātabantur. Tum etiam loquens libro 10. de Ciuitate dei, capite 12. de miraculis quae per sanctorum angelorum ministerium deus operatur, ostendit deum non aliter nouisse faciendā quā facta. Sic enim scribit: Quapropter deus qui fecit visibilia, caelum & terram, nō dedignatur facere visibilia miracula in caelo vel in terra, quibus ad se inuisibilem colendum, exciter animam adhuc visibilibus deditam: vbi verò & quando faciat, incommutabile consilium, penes ipsum est, in cuius dispositione iam tempora facta sunt, quaecunque futura sunt. Nam temporalia mouens, temporaliter non mouetur, nec aliter nouit faciendā quā facta, nec aliter inuocantes exaudit, quā inuocatos videt. Ad hāc Hieronymus accedit, enarrās sublimē illam Ecclesiastae sententiā nobis plurimum fauentem: Quid est quod fuit? ipsum quod futurū est. quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est. Nihil sub sole nouum, nec valet quisquam dicere, Ecce hoc recens est. iam enim praecessit in seculis, quae fuerunt ante nos. Dicendū est, inquit, quōd ex praescientia & praedestinatione dei, iam ea facta sunt, quae futura sunt. Qui enim electi sunt à Christo ante constitutionem, in prioribus seculis iam fuerunt. Hāc ille. Noli tamē simpliciter intelligere quōd electi à deo fuerint actu ante creationem. Nam id fieri non potest, fuissent enim antequā fuissent: immo fuissent & nō fuissent: sed erāt secundum praescientiam & praedestinationem diuinam. deus enim sua idea intelligebat tēpus determinatum, in quo illos creare volebat. Cum enim electio non sit eorum quae nullo modo sunt, neque actu neque intellecta & praescita, & dixerit Paulus: Elegit nos in ipso ante mundi constitutionē, non absurde colligemus apostolos quodam modo fuisse, & quidem per intellectiōnem & praescientiam, antequam mundus constitueretur. Plura diximus in nostris ad Ecclesiastē Commentarijs. Insuper cum Hieronymus locum illum Pauli ad Galatas explicaret: Cum autē placuit ei qui me segregauit de vtero matris &c. dixit ex dei

Augustinus

Ecclesiast. 3.

Psal. 125.

Psal. 21.

Ecclesia. 1.

Hieronymus

Ephes. 1.

Gala. 1.

praescientia euenire vt quem scit iustum futurū, prius diligit quā oriatur ex vtero: & quē peccatorem, oderit antequam peccet: non quo & in amore & in odio iniquitas dei sit, sed quo non aliter eos habere debeat, quos scit vel peccatores futuros esse vel iustos: nos vt homines tantum de praesentibus iudicare, illū cui futura iam facta sunt, de fine rerum nō de exordijs, ferre sententiam. Et idem sentit exponendo illud Pauli, elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.

CAPVT XIIII.

DEus non est author mali.] Hanc partim ex diuinis scripturis, partim ex sacris doctoribus suadebo Assertionem. Scriptū est in Genesi, Vidit deus cuncta quae fecerat, & erant valde bona, quod expressit Ecclesiastes, dicens: Vidi afflictionem quam dedit deus filijs hominum, vt distendatur in ea. Cuncta fecit bona in tempore suo. Et Dauid commendans excellentem diuinorum operum magnificentiam, dicit, Multa fecisti tu domine deus meus mirabilia tua, & cogitationibus tuis non est qui similis sit tui. Et alibi: Dicite deo quā terribilia sunt opera tua domine, in multitudine virtutis tuae mentientur tibi inimici tui. Item, Quā magnificata sunt opera tua domine, nimis profundae factae sunt cogitationes tuae. Adde quōd Augustinus confirmat stabili ratione, huiusce Assertionis veritatem, libro vno 83. quaestionum, quaestione 21. Et hoc necit ratiocinium: Omne quod deficit, ab eo quod est esse, deficit, & tendit in non esse. Esse autem & in nullo deficere, bonum est, & malum est deficere. At ille ad quem nō esse, non pertinet, non est causa deficiendi, id est tendendi ad non esse: quia (vt ita dicam) essendi causa est: boni igitur tantummodo causa est, & propterea ipse summū bonū est. Quocirca mali author nō est, qui omnium quae sunt, author est: quia in quantum finit, in tantū bona sunt. & lib. 1. de Libero arbitrio cap. 1. eidem assentiēdo veritatem, praeludit Malū duobus modis posse appellari: Vno, cū male quemque fecisse dicimus: Alio, cū mali aliquid esse perpessum: & subnectit, respondendo percōtationi Euodij sciscitantis, si nam deus esset author mali: At si deū, bonum esse nosti vel credis (neque enim aliter fas est) malum non facit. rursus: Si deum iustū fatemur (nam & hoc negare sacrilegum est) vt bonis praemia, ita supplicia malis tribuit, quae vtiq; supplicia patiētibz mala sunt. Quamobrē si nemo iniuste poenas luit, quod necesse est credamus, quandoquidē diuina prouidentia hoc vniuersum regi credimus, illius primi generis malorū nullo modo, huius autē secundi author est deus: Vult vt plane intelligas, dicere deum non esse mali à se perpetrati authorem. dicebat enim Iudaeis: Quis ex vobis arguet me de peccato? Et de inculpatisima dei bonitate, quae scelus omne auersatur, dicit Dauid: Mane astabo tibi & videbo, quoniam non deus volens iniquitatem tu es. Neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos. Odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendaciū. Bene tamen concedimus deum esse causam mali poenae, quia turpissimis hominum sceleribus infligit supplicium, & hoc deposcit aequissima eius iustitia: & de malis hominum nouit benefacere, quorum infania prodest multis, ne in simile vitium labantur. Et hāc copiose exprimit Augustinus libro vno contra Adimantum Manichaei discipulum, capite 26. vbi dicit de eo quod scriptum est in Amos propheta, Si fieri potest vt ambulantes duo in via minime se agnoscant, & leo sine praeda ad catulum suum reuertatur: si deciderit auis sine aucupe in terram, si tendunt muscipulam sine causa, vt nihil capiant, si dabit sonum tuba in ciuitate, vt plebs non terreatur: ita etiam malum aliquod in ciuitate non perpetratur, quod dominus non faciet: malum hoc loco non peccatum, sed poena intelligenda est. dupliciter enim appellatur malum: vnum quod homo facit, alterum quod patitur, poena. De poenis ergo loquebatur propheta cum hoc diceret. Diuina enim prouidentia cuncta moderante & gubernante, ita homo male fecit quod vult, vt male patiatur quod nō vult. Sic autem isti accusant prophetā ista dicentem, quasi in Euan gelio non legerint: Nōne duo passerēs affe vaneunt? & vnus ex his nō cadit in ter-

Gene. 1.

Eccle. 3.

Psal. 39.

Psal. 65.

Psal. 91.

Augustinus

Ioan. 8.

Psal. 5.

Amos 3.

Matth. 10.

ram sine patris vestri voluntate. Ita ergo deus malum facit quod non ipsi deo malum est, sed in eis quos vindicat. Itaque ipse quantum ad se pertinet, bonum facit: quia omne iustum bonum est, & iusta est illa vindicta, & ideo non est contrarium quod Adimantus objicit dixisse dominum, arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor fructus malos facit. Quamuis enim malum sit gehenna damnato, iustitia tamen dei bona est, & ipse fructus est ex arbore bona. Ille autem malis peccatorum suorum, thesaurizat sibi iram in die irae, & reuelationis iusti iudicii dei, qui reddet vnicuique secundum opera sua. Et eadem lege soluit, capite 27. quod illi ex Esaia obijciunt: Ego sum deus qui facio pacem & constituo mala, non reprehendit Adimantus, quod dixit deus facio pacem, sed quod dixit, constituo mala, cum tamen Paulus apostolus hac duo similiter vno in loco etiam latius tractauerit, dicens: Vides ergo bonitatem & severitatem dei: in eos quidem qui ceciderunt, severitatem: in te autem bonitatem dei, si permanseris in bonitate: alioquin & tu excideris, & illi si non permanserint in incredulitate, inferentur. Hæc ille. Neque flagitiosi homines debent incusare deum, si illorum scelera vlciscatur, si pro demeritis vindictam accipiat, nec in quempiam animaduertit, nisi deliquerit. Aduersus huiusmodi calumniatores qui semper sua vitia obtegere cupiunt, & verius defendere, dicit Chrysostomus Sermone 3. de Providentia, ostendens deum non esse authorē criminis siue mali culpæ, ut præterit nostra assertio. Cum grauius deliquerint, non verentur alijs peccatis etiam hoc ascribere, quasi eo poenam imminentem euasuri, quo grauiorē reddunt. neque enim tam graue facinus est peccare, quam post peccatum non pudere, & de proprijs malis acculare deum: immo id peccato quouis peius est, & nimium diaboli opera curatur, quod culpam omnem in deum referentes, non solum ad bonum seque, sed & ad malum propensi sumus. Quandoquidem tam animam quam linguam ad blasphemandum incitat, ut defensionis prætextu deus incusetur, & eorum quæ ipsi facimus, crimē in eum qui non est author criminis, transcribatur. Et disserendo de lapsu primi hominis, Homilia 2. dicit deum non fecisse malum. hoc & similia intelligimus de malo culpæ & non poenæ: Adde quod Hieronymus edisserens illud Esaia iam citatū: Ego dominus, & non est aliter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum, reprehendit illos qui dicunt deum esse conditorem mali, ut malum bono contrariatur, & exponendo illa contraria, dicit: Qui igitur tibi dedi fortitudinem, & solus deus sum, ipse res inter se contrarias facio, lucem & tenebras, id est diem & noctem, pacem & malum, hoc est ocium & bellum, per quæ significat & iratum se fuisse populo suo, quando tenebras captiuitatis, malaque sustinuit seruitutis: Et rursum miserum, quando remissi in patriam, pacem & gaudium receperunt. Quomodo enim luci tenebræ contrariæ sunt, ita paci contrarium bellum est. Vnde confundatur hæresis, quæ malorum arbitratur conditorem deum. Cum hic malum non contrarium bono, sed pro afflictione ponatur & bello, secundum illud quod in Euangelio scriptum est, Sufficit diei malitia sua. Et exponendo illum Hieremias locum: Nunc ergo dic viro Iudæ, & habitatori Hierusalem, Hæc dicit dominus: Ecce ego fingo contra vos malum, dicit deum non per se facere malum, sed quod patientibus malum esse videatur. Et in lamentationes Hieremias, ubi dicitur, Ex ore altissimi non egredientur nec bona, nec mala, dicit: Tropice deus dicitur facere mala, hoc est aduersa meritis infligere. mala quæ nulla sua natura subsistunt, à domino non creantur, sed creante se mala, dominus iudicat, cum res bene conditas, nobis male agentibus, in flagellum format: ut ea ipsa & per dolores quo feriunt, delinquentibus mala sint, & per naturam qua existunt, bona. Venenum quidem mors scilicet est homini, sed tamen vita serpenti. In alia contextus explicatione dicit quosdam fuisse hæreticos, qui dixerunt deum non facere mala, intellige de malo poenæ siue de afflictione. Et rursus alios esse hæreticos, qui dixerunt deum creasse mala, & hoc intelligendum esse putes de malo culpæ. Hæc distinguere iuvat plurimum. Tum etiā explicans illud Micheæ, Descenderunt mala à domino super por-

tas Hierusalem, dicit Marcionitas & Manichæos uti hoc scripto, eo quod legis, deus malorum sit conditor. Sic dicamus mala à domino descendisse, quomodo & saluator loquitur in Euangelio: Videbam satanam quasi fulgur de celo cadentem. Quomodo enim ibi cecidit de celo lucifer, qui mane oriebatur, & contritus est super terram, qui mittebatur ad gentes: sic & hæc mala quæ à domino ceciderunt, & venerunt ad portas Hierusalem, antequam caderent, non erant mala, sed quia à domino corruerunt, idcirco facta sunt mala. Et cum exponit quod protulimus paulo ante in Amos propheta de malitia quam facit dominus, asserit malum quod facit dominus in ciuitate non esse contrarium virtuti, sed esse afflictionem & cruciatum: nec per se malum est, sed malum videtur his esse qui sustinent. Et ut sciamus in scripturis sanctis malitiam interdum non contrariam virtuti, accipi, sed afflictionem, poenamque & angustiam, vnum adhuc sumamus exemplum: Et vidit deus opera eorum, quia conuersi essent à suis vijs pessimis, & poenituit eum super malitia, quam locutus est ut faceret eis: malitia utique ibi subuersio Ninuitarum est, quam per prophetam deus fuerat cominatus, & non virtuti contraria quæ ad peccatum pertinet: pro quo cominabatur tormenta peccantibus. Hæc ille. Præterea edisserens Origenes verbum illud Iob sapientissimum: Si bona de manu domini accepimus, mala autem quare non toleremus? dicit de manu domini non procedere mala, sed omnia bona. Ex bono enim omnia bona procedunt. Nam sicut sol tenebras nunquam profert, sic similiter bonus deus nunquam mala producit, sed omnia bona atque optima. Quamquam enim ab impijs atque indisciplinatis hominibus ea quæ pro vindicta & conuersione atque poenitentia commemoratione à deo ingeruntur, non bona sed mala existimantur: tamen bona sunt vere, quia cum ad poenitentiam se conuerterint, æterna bona in regno cælorum procurare reperiuntur. Sic nempe & omnis doctrina atque disciplina ab irrationabilibus infantibus, non in bonum sed in malum aestimatur vel dicitur, sed reuera cognoscunt in ultimo, quia totius boni vel gratia illis causa extitit disciplina, quæ in primordio fuit execrabilis. Tum etiam Beatus Ambrosius enarrans psalmum illum: Prope es domine, & omnia præcepta tua veritas: pulcherrima similitudine ostendit deum non esse culpandum, si quis deliquerit, & tandem sui delicti poenam senserit: Nūquid (inquit) si quis ostia domus suæ claudat, solis est culpa, quod non illuminat domum eius? Ergo si quis peccatorum suorum repagulis obserandam mentem propriam iudicauerit, & verbi à se splendorem stultus auertat, ac sibi inferat insipientia cæcitatem, causari poterit quod sol iustitiae noluerit intrare, aut infirmitatem luminis cælestis arguere? Pulsat ianuam tuam dei verbum. Si quis mihi aperuerit, nunquid non ingredientis, & non magis non aperiens est culpa? Nihil quidem est obseratum, nihil clausum æterno lumini, sed portas malitiae dedignatur aperire, conclauia non vult penetrare nequitiae. Adde quod Tertullianus libro 2. aduersus Marcionem doctissime differit contra hæreticos de duplici malorum specie, scilicet de malo culpæ, & poenæ, & illis id ostendens hac auctoritate suam protegibus errorem, dixit deus, Ego sum qui condo mala, ita loquitur: Amplexi vocabuli comunione duas malorum species in ambiguitate turbatem, quia mala dicuntur & delicta & supplicia, passim volunt eum conditorem intelligi malorum, ut malitiae autor renuntietur. Nos autem adhibita distinctione vtriusque formæ, separatis malis delictis, & malis supplicijs, malis culpæ, & malis poenæ, suum cuique parti definimus autorem: malorum quippe peccati & culpæ, diabolus: malorum vero supplicij & poenæ deum creatorem, ut illa pars malitiae deputetur, ista iustitiae mala condenti iudicia (verius supplicia) aduersus mala delicti. De his ergo creator profitemur malis quæ congruunt iudici. Quæ quidem illis mala sunt quibus rependuntur. Cæterum suo nomine bona qua iusta, & bonorum defensoria & delictorum inimica, atque in hoc ordine deo digna. Fatetur Lyranus deum esse autorem mali poenæ, cum exponit illud Pauli ad Ephesios: Obedite dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri sicut Christo. Et potest (inquit) cor-

Lucæ 10.

Iona 3.

Origenes.

Iob 2.

Psal. 118.

Ambrosius.

Apocaly. 3.

Tertullianus.

Ephes. 6.

Lyranus.

Apoca. 17. rigere peccata sicut placet sibi per poenā seruitutis vel aliam. Aliquando etiam im-
mittit alicui malum poenā non propter expiationem culpæ, sed propter augmen-
tum meriti per exercitium humilitatis & patiētiae. Et ad illud Apocalypseos, Deus
enim dedit in corda eorum vt faciant quod placitum est illi, vt dent regnum suum
bestiæ, dicit: Licet deus non sit autor mali culpæ, est tamen autor mali poenæ, & sic
Exo. 8. Turcas per Aegyptios puniuit. Hæc ille. Et ita puniuit Pharonē & eius cor indura-
uit per iustum iudicium, & Pharaō à proprio arbitrio fuit induratus & occæcatus,
vt ostendit Augustinus libro vno de Gratia & libero arbitrio, capite 22. vbi dicit,
deum reddere mala pro malis, scilicet poenā pro iniustitia: & bona pro malis, sci-
licet gratiam pro iniustitia: & bona pro bonis, scilicet gratiam pro gratia.

CAPVT XV.

Pfal. 53.
Augustinus

DEum gratis diligere debemus.] Augustiniana hæc est Assertio. Cū enim
Augustinus exponit illum psalmographi locū: Voluntarie sacrificabo ti-
bi, dicit: Laudetur voluntate, ametur charitate, gratuitū sit & quod ama-
tur, & quod laudatur. Quid est gratuitum? Ipse propter se, non propter
aliud. Si enim laudas deum, vt det tibi aliquid aliud, iam non gratis amas deum. Er-
u beſceres, si te vxor tua propter diuitias amaret, & forte si tibi paupertas accideret,
de adulterio cogitaret. Cum ergo te à coniuge gratis amari velis, tu deum propter
aliud amabis? Quod præmium accepturus es à deo, O auare? Non tibi terram, sed
seipsum seruat, qui fecit cælum & terram. Voluntarie sacrificabo tibi, noli ex ne-
cessitate. Si enim propter aliud laudas deum, ex necessitate laudas. Si adesset tibi
quod amas, non laudares deū. Vide quid dicam. Laudas deum, verbi gratia vt tibi
det amplam pecuniam. Si haberes aliunde amplam pecuniā non à deo, nunquid lau-
dases deum? Si ergo propter pecuniam laudas deum, non voluntarie sacrificas deo,
sed ex necessitate sacrificas: quia præter illum nescio quid aliud amas. Inde dictum
est, Voluntarie sacrificabo tibi. Contemne omnia, ipsum attende, & hæc quæ dedit,
propter datam bona sunt. Nam dat prorsus, dat ista temporalia. Et paulo post dicit,
quod aperte nostras tuetur partes. Ipsum autem gratis dilige, quia melius ab eo nō
inuenis quod det quàm seipsum: aut si inuenis melius, hoc pete. Voluntarie sacrifi-
cabo tibi. Quare voluntarie? quia gratis. Quid est gratis? Et confitebor (inquit Da-
uid) nomini tuo domine, quoniam bonum est. Ob nihil aliud, nisi quia bonum est.
Nunquid ait: Confitebor nomini tuo domine, quia das mihi fructuosa prædia, quia
das mihi aurum & argentum, quia das mihi latas diuitias, amplam pecuniam, excel-
lentissimam dignitatem? Non. sed quid? quoniam bonum est. melius nihil inuenio,
quàm nomen tuum. Ideo confitebor nomini tuo domine, quoniam bonum est. Et
libro 8. in Genesim, capite 11. manifeste ostendit nos debere deum diligere gratui-
to officio, Ille (inquit) nostra seruitute nō indiget, nos verò dominatione illius indi-
gemus, vt operetur & custodiat nos: & ideo verus & solus est dominus, quia non il-
li ad suam, sed ad nostram vtilitatem salutemque seruiamus. Nam si nobis indige-
ret, eo ipso non verus dominus esset, cum per nos eius adiuuaretur necessitas, sub
qua & ipse seruiret. merito & ille in psalmo: Dixi, inquit, domino, deus meus es tu,
quoniam bonorū meorum non eges. Nec ita sentiendum est, quod diximus nos il-
li ad vtilitatem nostram, salutemque seruire, tanquam aliud aliquid ab illo expe-
ctemus, quàm eum ipsum qui summa vtilitas & salus nostra est. Sic enim eum gra-
tis, secundum illam vocem diligimus. Mihi autem adhærere deo bonum est. ¶ Di-
cet aliquis, Expetiuit David præmium æternum, quod dei præcepta obseruasset,
quorum supremum est de diuina dilectione. Dicit enim in psalmis, Inclinaui cor
meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem. Insuper
dicit Paulus: Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed
secundum debitum: videtur igitur quod non obstringimur deum gratis diligere.
¶ Licet David æternam expetuerit gloriam pro suis meritis, & diligenti præcepto-
rum obseruatione, quia nouerat deum bonis aliquando daturum mercedem, & im-

probis supplicium, & vniciue redditurum secundum proprium opus. Si tamen
Dauid non sperasset se assequaturum gloriam & incorruptionem, à dilectione dei
(quia bonus est & omnium creator) non destitisset. Augustinus enarrans quod ex
psalmo protulimus, sic loquitur: Qui dicit, inclinaui cor meum, ipse iam dix-
rat, Inclina cor meum in testimonia tua, vt intelligamus simul hoc esse, & diui-
ni muneris & propriæ voluntatis. Sed nunquid in æternum facturi sumus iustifi-
cationes dei? Opera illa quidem quæ operamur circa proximorum necessitates,
æterna esse non possunt, sicut nec ipsæ necessitates: sed si non diligendo ista fa-
cimus, nulla est iustificatio. Si autem diligendo, æterna est ipsa dilectio, eique æter-
na est parata retributio, propter quam retributionem dicit se inclinasse cor suum
ad faciendas iustificationes dei, vt in æternum diligens, in æternum mereatur ha-
bere quod diligit. Hæc ille. Annota, & intellige hoc argumentum nullius esse mo-
menti, Diligo deum propter retributionem: ergo si nulla esset retributio, non di-
ligerem deum. Nam particula illa propter, non dicit finem primum & præci-
puum, sed secundarium. Sicut fruimur visione diuina, in deum vt deus est, & vt
est omnium finis, referendo. Etiam non addidit Dauid solum propter retributio-
nem. Et quamuis operanti reddat deus præmium debitum, non tamen est debitum
simpliciter & ex condigno: non enim possumus mereri ex condigno simpliciter,
& vt verbum presse sumitur, vitam æternam. Merita enim nostra magis pendent
à liberalitate diuina quàm à nostro conatu: idcirco non tam nostra sunt (tamen si
nostra sint) quàm sunt dona dei, ex doctrina Augustini & Ambrosij, vt aliubi osten-
demus. quamuis ergo deo cooperemur cum deum toto corde diligimus, & tandem
æternam assequimur felicitatem: quia tamen quicquid boni agimus, deo deferen-
dum est acceptum, idcirco gratis quodammodo præmium obtinemus. Quod si
velis syncerius deum gratis diligere, & gratis pauperi conferas eleemosynam, cum
huiusmodi præceptum obseruas, ne sperando ab homine retributionem, æter-
num perdas præmium. Hoc te docet Lucas, immo Christus: Cum facis prandi-
um aut cenam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, ne-
que vicinos diuites, ne forte te & ipsi reinuent, & fiat tibi retributio. Sed cum
facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos, & beatus eris, quia non
habent retribuere tibi, retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum. Quid ti-
bi extrema fame & inedia pressus, potest retribuere? Nec dicas, ea conditione illi
succurram, quod vbi ad pinguiorem fortunam perueniet, mihi inito pacto retri-
buet. Hæc gentiliū sunt pacta, deum infige animo, qui tibi cum fœnore refun-
det mercedem. Et ita debes gratis mutuum dare, siue indigenti fœnerari. Ita quod
vltra sortem, nihil debes vi mutui expectare. Si mutuum dederitis (inquit Chri-
stus) his à quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? Nam & peccatores pec-
catoribus fœnerantur, vt recipiant æqualia. Veruntamen diligite inimicos ve-
stros, benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes, & erit merces vestra
multa. Multum habent ponderis hæc Christi verba. Peccatores peccatoribus fœ-
nerantur, vt recipiant æqualia. Nec velim dicere Christianum peccare si reci-
piat æqualia, sed sanctiorem amplexando vitam debet animo adimere arden-
tem curam, & immodicam recipiendi mutui sollicitudinem. Quod si illi abun-
de suppetant opes, non conijciat famelicum in ius, vt pecuniam mutuo datam
repetat. Et sit memor sententiæ dei dicentis, Si pecuniam mutuo dederis popu-
lo meo pauperi, non vrgebis eum quasi exactor.

CAPVT XVI.

DEus Pater nec necessitate, nec volūtate, genuit filium, quem non prius
misit in hunc mundum, quàm factus sit ex muliere.] Vtramque Af-
sertionis partem ex Augustino suadere contendam. Ad priorem par-
tem suffulciendam facit plurimum, quod scribit libro vno de Trini-
tate & vnitate dei, capite secundo (Si modo opus illud sit Augustini,
Vj.

Ioan. 5.

quod existimo) Non necessitate (inquit) genuit, quia necessitas in deo non est: non voluntate, quia voluntas praeire sapientiam non potest, quae est filius: prius enim est rationabiliter sapere, quam rationabiliter velle. Unde nec voluntate nec necessitate, sed naturaliter sola sapientia pater genuit filium. Sicut pater vitam habet in semetipso, sic dedit filio habere vitam in semetipso. Scimus filium dei à semetipso non esse, sed à patre genitum esse: patrem verò à nullo genitum esse, à nullo vitam accepisse. Dedit pater filio vitam, gignendo vitam: quam pater habuit in se: non quòd prius fuerit filius sine vita, & postea accepit vitam, sicut nos qui per peccatum amisimus vitam, & per gratiam saluatoris recepimus vitam. Ideo de eo dicitur, filius à patre accepit vitam, quia non à seipso est genitus, non existendo dedit, sed gignendo: & Sermone secundo, de expositione symboli, dicit patrem genuisse filiū, non voluntate, non necessitate, sed natura. Quomodo autem pater genuit filium natura, explicat Durandus, vir profecto in speculatione Relationū subtilissimus. Si consideremus (inquit distinctione sexta primi sententiarum, quaestione secunda) habitudinē virtutis productivae ad actum producendi, personae in diuinis, modo naturae procedunt. Quia quod procedit à virtute agente ex necessitate immutabilitatis, & ad vñū determinata, modo naturae producitur: sed persona in diuinis, vt filius & spiritus sanctus, producitur necessitate immutabilis, non autem coactionis, quod addam, & virtute ad vnum determinata: persona igitur in diuinis modo naturae producitur, siue natura, vt prætendit Augustinus. Si enim voluntate, tanquam principio productiuo pater genuisset filium, potuisset producere & non producere: quòd si admiseris patrem aliquando non produxisse filium, colligam inconueniens, filium in diuinis non fuisse ab aeterno. Huic subscribit sententiae Damascenus libro primo suae Theologiae capite octauo, vbi dicit: Impossibile est deum esse destitutum naturae fecunditatis partu, partus autem: cum ex seipso, id est ex propria substantia generat: Atqui in filij generatione, impium est dicere, intercipi, mediareque tempus, aut post patrem, filij substantiam generari: ex ipso enim, id est ex patris natura, astruimus filij generationē. Et hac adiutus sublimi philosophia, in hunc modum ratiocinabor: Aut pater ex sua substantia filium produxit, aut ex aliena substantia, vel ex nihilo. Non enim dices ex nihilo, aut ex aliena substantia, alioqui non vere pater diceretur, sed falso adornaretur nomine, & filius non verus & naturalis esset filius, sed adulterinus, & solo nomine honoratus. dicendū est ergo patrem ex sua substantia genuisse filium. Ad hæc, partus, generatio est ex substantia parientis & gignentis, ipso quidē genito omnino secundum naturam existente persimili ei qui genuit, alioqui manca esset generatio. Cū igitur ex sacris literis manifestū sit, deum patrem genuisse filium, colligendum est filiū esse ex propria patris natura siue substantia genitum, & omnino persimilem ei qui genuit. Et in codē capite ostendit Damascenus discrimen inter creationē & generationem. Generatio est ex substantia gignentis proferri quod gignitur, simile secundū substantiam. Sed Creatio & factio est extrinsecus & non ex substantia creantis & facientis fieri quod creatur & efficitur, & dissimile prorsus. Nec mireris in patre esse naturalem fecunditatem generandi filium. Si enim deus cæteris rebus naturalem largiatur fecunditatem, vt illam eminentius in se habeat, oportet. Hanc autem fecunditatem vocamus, ex qua natum est alterū sequi. Nec in diuinis suam sortitur rationem ab intellectu & voluntate. Nam illis intellectu exclusis cum suis officijs, adhuc esset in diuinis generatio filij & spiratio spiritus sancti. Hæc enim proficiscuntur à radice naturae fecunditatis: & hanc habet fecunditatem natura diuina à sua infinitate, & non quatenus est intelligens aut volens: & licet pater volens genuerit filium, non tamen voluntate tanquam proximo & formali (vt ita dicam) principio filij productiuo. Rursum, si spectemus suppositum producēs, filius modo naturae producitur. Modus enim naturae, est quòd vnum sit ab vno tantum, & non à pluribus eiusdem gradus & ordinis, quorum quodlibet esset per se suffi-

Damascen.

ciens ad totum perfecte faciendum. Quæ autem sunt per voluntatem, à pluribus agentibus sunt, eiusdem quidem gradus & ordinis, quorum quodlibet esset per se sufficiens ad totum perfecte producendum. & quia spiritus sanctus procedit à duabus personis, & non perfectius à duabus quam ab vna, ideo dicitur produci forma & modo voluntatis. Spectando verò ordinem productionum & productorum, filius procedit modo intellectus, & spiritus sanctus modo voluntatis. Nam prima emanatio naturae intellectualis, est per intellectum, secunda, per voluntatem. Est enim primum ipsius boni cognitio, deinde amor. & quia filius in diuinis prima emanatione procedit quæ solum est à patre, spiritus sanctus verò secunda emanatione, quæ à duabus personis originem habet: idcirco filius procedit modo intellectus, spiritus sanctus verò, modo voluntatis. Dissident doctores Scholastici, in principio productiuo, quo pater generat. Quidam dicunt illud principium esse relationem, scilicet paternitatem. Nam quodcumque aliquis actus competit alicui supposito, & non alteri, imò ei repugnat, tunc illi inest secundum illam rationem formalem, secundum quam vnum distinguitur ab altero: sed generare competit patri, non autem filio: idcirco patri inest secundum illam rationem qua pater distinguitur à filio: pater autem distinguitur à filio paternitate, & non essentia diuina: igitur generare competit patri per paternitatem. Maiorem exemplo probant. Ratiocinari conuenit homini & non bruto, & secundum illam rationem inest homini, scilicet secundum animam rationalem, qua distinguitur à bruto. Adde quòd paternitas dat patri actum primum, scilicet esse. Ideo dabit ei actum secundum, scilicet generare. imperfecta enim esset forma quæ daret actum primum, & non posset dare actum secundum, vt patet de qualitate. Alij dicunt principium primarium & principale quo pater in diuinis generat, esse essentiam diuinam, & valida mouentur ratione. Omne generans producit sibi simile secundum illam rationem præcipuam qua generat, sicut homo genitus, est similis generanti in natura humana, cuius virtute pater potest generare: sed filius patris caelestis, est similis generanti, non quidem secundum paternitatem qua distinguitur à patre, sed secundum essentiam diuinam: igitur essentia diuina est præcipuum principium quo pater generat filium, secundarium verò siue minus principale, est paternitas. Et hoc solum concludebat ratio prima ad suffulciendam primam opinionem adducta. Hæc secunda opinio videtur plurimum adhaerere Augustini sententiæ & Damasceni, pariter & Hylarij, dicentis secundo de Trinitate, natiuitatem dei non posse eam ex qua perfecta est non tenere naturam, nec enim aliud quam deus subsistit, quòd nō aliunde quam de deo subsistit. Nec vocat naturam Hylarius, nec Damascenus (vt quidam dicit) relationem, sed essentiam diuinam. Qui tamē primæ conuenient opinioni, diluunt obiectionē pro secunda opinione adductam, & dicunt Maiorem propositi argumenti intelligendam esse in generatione simpliciter vniuoca, qua genitū recipit naturam à generante, & potentiam generandi sibi simile, & quia genitum in diuinis non habet potentiam generandi sibi simile, idcirco generatio in diuinis, non est simpliciter vniuoca, sed quodammodo æquiuoca. Hoc tamen omnino videtur Augustinus libro tertio, contra Maximinū Arrianorum Episcopū subuertere. Et ex eo hæreticus ille Maximinus cesebat patrem esse filio maiorem, quia poterat generare filium, & re vera genuit, filius autem non poterat filium generare: hinc aliquam ponebat potentiam in patre quæ non erat in filio; contra quæ pugnat acerrime Augustinus, capite 7. illius libri: Aut pater potuit dare filio potentiam generandi, aut non: si potuit dare & non dedit, substraxit non dando quod potuit dare, quod est absurdū, imò si potuit ei dare illam potentiam, ab aeterno dedit, alioqui si potuit dare, & noluit, inuenitur inuidus. Si nō potuerit ei dare talem potentiam, vbi est ergo omnipotentia patris? Et quis tam desipit & vsq; adeo delirat, vt sibi suadere nō possit filiū dei potuisse generare, si potentia illa generandi in se includat virtutē infinitam? Nec solū considerat Augustinus omnipotentiam dei quòd

Hylarius.

Augustinus

Y.ij.

de nihilo creet, sed quod in emanationibus intraneis possit. Et licet Augustinus non neccat omnino eadem forma illud ratiocinium qua & nos neccimus, ommissa tamen nostra propositione syllogizat quod conclusimus. Et capite 12. eiusdem libri aperte dicit filium patri coequallem potuisse generare, licet non oportuerit. Et propria Augustini verba proferam: Absit (inquit) ut quomodo putas, ideo sit potentior pater filio, quia creatorem genuit pater, filius autem non genuit creatorem. Neque enim non potuit, sed non oportuit. Attende quæso ad hæc, neque enim non potuit, potuit ergo, si dialectices rudimenta intellexeris. Non enim dicit Augustinus, filius non potuit, alioqui esset impotentia & imperfectio in filio, sed dicit: Non enim non potuit: perinde est, ac si diceret, potuit generare, sed non oportuit, quia in diuinis tantum sunt tres personæ, vna generans, vna genita, & tertia ab utrisque spirata. Adde quod magister Sententiarum huic plaudit sententiæ libro primo, distinctione septima, vbi exponens verba Augustini, dicit, Non est ex impotentia quod filius non genuit, sed quia non oportuit. Dicamus ergo cum beato Augustino patrem omnipotentem, genuisse filium omnipotentem, cui non subtraxit potentiam generandi, quando eum genuit. Dicerem ego principium proxime & immediatè elicitium generationis filij, esse essentia diuinam, principium verò determinatiuū, esse relationem patri propriam, scilicet paternitatem. Sed plus satis disseruimus.

¶ Secundam Assertionis partem desumo ex Augustino, libro secundo de Trinitate, capite quinto, vbi ita scribit: Cum itaque ait Paulus, cum autem venit plenitudo temporis, misit deus filium suum factum ex muliere, satis ostendit eo ipso missum filium, quo factus est ex muliere. Quod ergo de deo natus est, in hoc mundo erat: Quod autem de Maria natus est, in hunc mundum missus aduenit. Proinde mitti à patre sine spiritu sancto non potuit, non solum quia intelligitur pater, cum eum misit, id est fecit ex femina, non utique sine spiritu suo fecisse, verum etiam quod manifestissime atque apertissime in Euangelio dicitur virgini Mariæ, quaerenti ab angelo, quomodo fiet istud? Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Et Matthæus dicit, Inuenta est in vtero habes de spiritu sancto. imò filius dei seipsum misit, quia ille Mariæ partus & conceptus, operatio trinitatis est, qua creante omnia creatur.

CAPVT XVII.

David iuramentum non excusatur cum voluit occidere Nabal. Non difficile erit hæc ex sacris studijs eruere Assertionem. Nam in primo Regum volumine, ostendit David furibundum animum, quo decreuerat occidere Nabal propter ingratitude beneficiorum, quæ ab eo acceperat. Nec solum ingratus ille receptæ beneficentiæ, seruos David recipere noluit, sed regiam Davidis maiestatem elusit. Et cum audisset David arrogantem ipsius Nabal animum, despectis eius pueris & contempta prorsus dignitate regia, dixit pueris suis: Accingatur vnusquisque gladio suo. Et accincti sunt singuli gladijs suis, accinctusque est David ense suo, & secuti sunt David quasi quadringenti viri. Verba illa manifeste indicat David eo furore correptum fuisse, ut si Abigail vxor Nabal prudentissima, non fregisset accessum Davidis animum, trucidasset Nabal, eiusque familiam & potentiam omnem deleuisset. De incauto & temerario eius iuramento, dicitur in eodem capite, præmissa quadam ipsius Nabal ingratitude: Vere frustra seruauit omnia quæ huius erant in deserto, & non periit quicquam de cunctis quæ ad eum pertinebant, & reddidit mihi malum pro bono. Hæc faciat dominus inimicis David, & hæc addat, Si reliquero de omnibus quæ ad ipsum pertinent, vsque mane mingentem ad parietem. In illis temeritas iuramenti ostenditur. Sed quod temere iurauerit & iurando peccauerit, indicat eadem historia. Respondens enim David Abigail, roganti dominum ne tantum facinus perpetraret aduersus Nabal virum equidem facinorosissimum dixit, Benedictus dominus deus Israel, qui misit te hodie in occursum meum, & benedictum eloquium

tuum, & benedicta tu quæ prohibuisti me hodie, ne irem ad sanguinem, & vlciscer me manu mea. Intendit ergo illum occidere suis iracundiæ furis percitus. Et subneccit contextus: Alioquin viuit dominus deus Israel qui prohibuit me, ne malum facerem tibi, nisi cito venisses in occursum, non remanisset Nabal vsque ad lucem matutinam mingens ad parietem. Et cum David audiuit Nabal morte sublatum, dixit: Benedictus dominus qui vindicauit causam opprobrij mei de manu Nabal, & seruum suum custodiuit à malo, & malitiam Nabal reddidit dominus in caput eius. Adde quod Augustinus libro vno contra mendacium, capite nono, huic astipulatur sententiæ, dicens: An verò quia iurauit David se occisurum esse Nabal, & clementi consideratione non fecit, propterea illi imitandum esse dicemus, ut temere iuremus non esse facturos, quod non esse faciendum postea videamus? Sed sicut Loth timor ut prostituere filias vellet, sic istum ut temere iuraret, ira turbauit. Denique sive ambobus interrogando ut dicerent, cur hæc fecerint, fas nobis esset inquirere, posset ille respondere, Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ: posset etiam dicere iste, Turbatus est præ ira oculus meus: ut non mireremur vel illum in timoris tenebris, vel istum oculo turbato non vidisse quod videndum fuit, ne facerent quod faciendum non fuit. Et sancto quidem David, iustus dici potuit, quod nec irasci debuerit, quæuis ingrato, & reddenti mala pro bonis. Sed etsi ut homini ira subrepserit, non utique tantum debuit præualere, ut se facturum iuraret, quod aut sciendo faceret, aut peierando non faceret. Et apertius monstrat in eodem capite, David illo iuramento deliquisse: Sed certe David (inquit) nullo modo recte dicitur iurare debuisse, se esse facturum quod postea cerneret se facere non debere. Vnde constat quod non omnia quæ à sanctis vel iustis viris legimus facta, trāsferre debemus in mores: sed etiam hinc discere quam late pateat, & ad quos vsque perueniat quod Apostolus ait, Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, intendens teipsum ne & tu tenteris. Præoccupatioes sunt istæ in quibus delinquitur, dum quid faciendum sit, aut ad horam non videtur, aut & qui viderit, vincitur, ut scilicet fiat peccatum, cum vel latet veritas, vel compellit infirmitas. Hæc ille. Tum etiam Lyranus in vigesimūquintum caput primi Regum iam prolatum, ostendit illud iuramentum fuisse incautum & temerarium, vbi dicit: Hic est modus iurandi per execrationem, quando aliquis sibi imprecatur malum futurum nisi impleatur verbum suum, & ideo hic pro ipso David, accipiuntur inimici David, aliter esset iuramentum nullum, sed magis derisorium, & in re consimili ponuntur inimici David pro ipso David. Insuper nobis applaudit magister Sententiarum distinctione 39. 3. sententiarum, capite Nunc superest, vbi dicit Iuramentum illud fuisse incautum, & secundum se illicitum, impia enim est promissio quæ scelere adimpletur, & illud vergebat in deteriorem exitum: & David ad primam intercessionem Abigail, remisit minas, & reuocauit ens in vaginam: & huiusmodi iuramentum non est obligatorium, alioqui esset vinculum iniquitatis. Si enim iurasses te occisurum hominem absque vlla ratione & æquitate, velles ne tale iuramentum stultum & temerarium, cum periculo tuæ animæ obseruare? Nec diceris reus illius iuramenti quia non obseruas, sed quia temere & iniuste iurasti. Nec proprie vocaris periurus non obseruando, quia huiusmodi occisio æstu iracundiæ accensa, non debuit iuramento coerceri, siue quod fertur, cadere sub iuramento. Præterea tale iuramentum reprobat, vigesima secunda, quæstione quarta, capitibus Quod David iurauit, & Si aliquid, ex sententia Bedæ homilia quarta.

CAPVT XVIII.

David non peccauit, cum iurauit se facturum misericordiam ipsi Sauli. Hanc ex veteri instrumento suadebo Assertionem. Cum Saul agnouisset se in ipsum Davidem deliquisse, quæ hostili odio persequeretur, audita Davidis oratione, qui in quadam spelunca facile interfecisset Saul.

V. iij.

Magister
Sententiarum

Gala. 4:

Lucæ 1.
Matth. 1.

1. Reg. 25.

Augustinus

Gene. 19.

Psal. 54.

Psal. 6.

Gala. 6:

Lyranus

Petrus L6.
bardus.

22. quæst. 4.

1.Reg.24. Iem si voluisset, dixit ad Dauid prorumpens in lachrymas, iustior tu es quam ego. Tu enim tribuisti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala. Et tu indicasti mihi hodie, quae feceris mihi bona, quomodo tradiderit me dominus in manu tua, & non occideris me. Quis enim cum inuenerit inimicum suum, dimittet eum in via bona? Sed dominus reddat tibi vicissitudinem hanc: pro eo quod hodie operatus es in me. Et nunc scio quod certissime regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israel, iura mihi in domino ne deleas semen meum post me, neque auferas nomen meum de domo patris mei: & iurauit Dauid Sauli. Abijt ergo Saul in domum suam, & Dauid & viri eius ascenderunt ad tutiora loca. ¶ At dicit aliquis, Sciebat Dauid, Saulem à domino reiectum & reprobatum, videtur igitur peccasse iurando se facturum illi misericordiam. Respondet Lyranus nostrae propositionis Aferitor, Dauid nescisse Saulem simpliciter à domino reprobatum, scilicet quatum ad vitam aeternam, sed tantum respectu regni temporalis, quod praedixerat Samuel, vt ostendit vigesimooctauum caput primi Regum. Rursum obijcies, Dauid transgressus est iuramentum, igitur peccauit. antedecens patet: Tradidit septem viros de filijs Saul crucifigendos, vt ostendit historia secundi Regum. Nam cum Dauid dixisset Gabaonitis Sauli succensis, quid vultis vt faciam vobis? dixerunt regi: Virum qui attriuit nos, & oppressit inique, ita delere debemus, vt nec vnus quidem residuus sit de stirpe eius in cunctis finibus Israel. Dentur nobis septem viri de filijs eius, vt crucifigamus eos domino in Gabaa Saul quondam electi domini. Et ait rex, ego dabo. Huic respondeo obiectioni, Dauid non violasse suum iuramentum. Nec iuramento illo concesserat filijs Israel quod regnarent, sed quod viuerent, & iuxta illud Matthaei, Benefacite his qui oderunt vos, reddidit bonum pro malo. Adde quod non est transgressus, quia in omni iuramento, voluntas superioris intelligitur excepta, & maxime ipsius dei, cuius voluntate expressa, fuit punita posteritas Saulis, propter Gabaonitas. Nec debebat fieri huiusmodi punitio poena pecuniaria, sed morte aliquorum: idcirco non deliquit tradendo illos septem viros crucifigendos. Nec fuit deleta Saulis posteritas, quia Dauid referuauit Miphiboseth. Nam in eodem capite nunc citato dicitur: Pepercitque rex Miphiboseth filio Ionathae filij Saul, propter iusiurandum domini quod fuit inter Dauid & Ionatham filium Saul.

Lyranus.

2.Reg.21.

Matth.5.

CAPVT XIX.

1.Reg.27. **D**Auid non peccauit, cum pollicitus est se pugnaturum pro Achis rege Geth. ¶ Cum enim Dauid confugit ad Achim vt insanum Saulis furorē declinaret, & ne aliquando in eius manus incideret, nō decreuerat se debellaturum copias filiorū Israel, sed ne esset ingratus beneficij ab Achis accepti, à quo benigne & humanissime fuerat exceptus, pollicitus est illi suam operam, conatus, & industriam, vt tādē posset acquirere regnum Israel, sibi diuino munere collatum. Et cum Achis quæssisset à Dauide, In quem hodie irruisti? & respondisset Dauid, Cōtra meridiem Iudae, & contra meridiem Hieramel, & cōtra meridiem Ceni. Credit Achis hos Dauide fecisse impetus, dicens, Multa enim mala operatus est contra populum suum Israel. Erit igitur mihi seruus sempiternus. verū fallebatur Achis, non enim terrā illā spectabat ad filios Israel: & hac simulatione ac fictione utebatur Dauid, vt Achis crederet eū irruisse in regna filiorum Israel. hoc tamen Dauid vsus est commento, vt suae & suorum salutē confuleret. & quia Achis firmissime credebatur Dauidem grauissimam plagam intulisse filijs Israel, congregato Philistinorum agmine ad expugnandos filios Israel, dixit Achis ad Dauid: Sciens nūc scito, quoniam mecum egredieris in castris tu & viri tui. Dixitque Dauid ad Achis, nūc scies quae facturus est seruus tuus. Et ait Achis ad Dauid: Et ego custodē capitis mei ponam te cunctis diebus. Ad hūc locum enarrantur, dicit Lyranus Dauid non peccasse cum voluit pugnare pro Achis, & licet ante pugnam (quam tamen nō est ingressus, vt 1. Regum capite 29. ostenditur)

1.Reg.28.

Lyranus.

defenderit partes Philistinorum, non tamen intendebat simpliciter pugnare contra filios Israel: sed intendebat defendere Achis, cui pro beneficijs acceptis obstrangebatur. Nam Achis eum benigne receperat, & eum securum fecerat à persecutione Saulis. Et Achis cuius partes tuebatur Dauid, iustum forsitan habebat bellum contra Saulem, quod potuit esse, si Saul arreptus à dæmone, aliqua pacta fregerit siue iuramenta cum Philisteis inita, quia talia sunt seruanda. Vnde Sedechias 2. Paralipomenon capite 36. arguitur, quod fregerit iuramentum Nabuchodonosor factum. Aliam adfert excusationis rationem: Ad tempus paratus erat pugnare Dauid pro Achis, vt parata ab eo victoria, posset armis acquirere regnum Israel, facultate occurrente ad quod ius habebat, & in tali bello iusto poterat vti auxilio Philistinorum. Sibi enim suaferat si Philistei potirentur bello, ipsum Achis sibi praestiturum opem & subsidium ad possidendum regnum, quia habita victoria Philistei illud regnum non possederunt, sed in terram suam sunt reuersi, & Iphobeth filius Saulis successit regno, vt habetur secundi Regum capite secundo. Nobis fauet & Caetanus, explicans exordium vigesimiprimi capitis primi Regum, dicens Dauidem non intendisse pugnare cōtra filios Israel, neque praestitit auxilium Achim, vt esset inimicus filiorum Israel, & vt persequeretur Israelitas. Nam nuntiata sibi morte Saulis, fleuit, doluit, & ieiunauit, & occidit illum qui illud nuntiauerat. Et cum dicebat Achis, videbis quid faciet seruus tuus, id verbo dixit, non tamen intentione. Hinc vides quod licet fideli velle pugnare pro infideli ad tempus, contra fideles, non ea intentione vt infidelis occupet terras fidelium, sed vt parata ab infideli victoria, fidelis ille fidelium aut Christianorum regnum sibi debitum acquirat aut recuperet.

Caetanus.

CAPVT XX.



DAuid grauer deliquit iubendo numerari populum Israel. ¶ Hanc facile suadebo Assertionē ex his quae scribuntur in libris Regū, & ab exordio historiam narrabo. Addidit furor domini irasci contra Israel, commouitque Dauid in eis dicentem ad Ioab: Vade, numera Israel & Iudam, dixitque rex ad Ioab principem exercitus sui: Perambula omnes tribus Israel à Dan vsque ad Bersabee, & numera populum, vt sciam numerum eius. dixitque Ioab regi: Aduergeat dominus deus tuus ad populum tuum quantus nunc est, iterumque centuplicet in conspectu domini mei regis. Sed quid sibi dominus meus rex vult in re huiusmodi? Obtinuit autem sermo regis verba Ioab & principū exercitus. Egressusque est Ioab & principes militū à facie regis vt numerarent populū Israel. Cunque pertransissent Iordanem, venerunt in Aroer ad dexteram vrbis quae est in valle Gad, & per Iazer transierunt in Galaad, & in terrā inferiorem Hodsi, & venerūt in Dan syluestria, circumeuntēsq; iuxta Sidonē transierūt prope moenia Tyri & omnem terrā Euei & Chananei, veneruntque ad meridiem Iuda in Bersabee, & lustrata vniuersa terra affuerunt post nouem mēses & viginti dies in Hierusalem. Dedit ergo Ioab numerum descriptionis populi regi. Et inuenta sunt de Israel octingenta millia virorum fortium qui educerent gladium, & de Iuda quingenta millia pugnatorū. Percussit autem cor Dauid eum postquam numeratus est populus. Et dixit Dauid ad dominum, Peccaui valde in hoc facto, sed precor domine vt transferas iniquitatem serui tui, quia stulte egi nimis. Surrexit itaque Dauid mane, & sermo domini factus est ad Gad prophetam & videntē Dauid, dicens, Vade & loquere ad Dauid: Hae dicit dominus, Trium tibi datur optio, elige vnū quod volueris ex his, vt faciam tibi. Cūmq; venisset Gad ad Dauid, nuntiavit ei, dicens. Aut septem annis veniet tibi fames in terrā tua, aut tribus mensibus fugies aduersarios tuos, & isti te persequentur, aut certe tribus diebus erit pestilentia in terra tua. Nunc ergo delibera & vide quem respondeam ei qui me misit sermonem. Dixit autem Dauid ad Gad, Coarctor nimis, sed melius est vt incidā in manus domini (multa enim misericordiae eius sunt) quam in manus hominū.

1.Reg.24.

V.iiiij.

immisitque dominus pestilentiam in Israel, de mane usque ad tempus constitutum, & mortui sunt ex populo à Dan usque ad Bersabee septuaginta millia virorum. Cumque extendisset manum suam angelus domini super Hierusalem, ut disperderet eam, misertus est dominus super afflictionem, & ait angelo percutienti populum: Sufficit, nunc contine manum tuam. Erat autem angelus domini iuxta aream areana Iebusei. Dixitque Dauid ad dominum cum vidisset angelum cedentem populum: Ego sum qui peccaui, & ego inique egi, isti qui oves sunt quid fecerunt? Vratatur obsecro manus tua contra domum patris mei. Hæc sacra habet historia, quæ robur habent maximum ad tuendam illam Assertionem. Ex qua agnoscimus deum nonnunquam pro scelere nocentum, animaduertente in innocentes. Luxit Dauid tantum sceleris à se admissum fuisse, nec potuit non dolere sua improbitate, suaque arroganti præsumptione eos qui nihil mali commiserant, pestilentia percussos fuisse. Solus optabat tanti sceleris poenam sufferre, quod tamen diuina nolebat iustitia. Dicit Lyranus explicans illud caput, Dauid tumore repentinæ elationis inflatum, peccasse numerando populum, & etiam populum deliquisse, cuius peccatum fuit rebellio contra Dauid, sequendo Seba filium Bochri, qui erat homo pessimus & seditiosus, ideo populus erat puniendus, quod factum est per pestilentiam à deo immisam, nec tamen dubito quin aliqui paruuli & innocentes fuerint peste afflicti. Reddit Glossa ordinaria rationem quare Dauid peccauit numerando populum, exponens quod dicit Dauid primo libro Paralipomenon, agnoscens huiusmodi delictum: Peccaui nimis ut hoc facerem. Quia legis præcepta non obseruauit, in libro enim numerorum præcepit dominus Moyse: Tollite summam filiorum Israel, per cognationes suas, quicquid sexus est masculini à vicesimo anno & supra &c. Quia verò Dauid generaliter omnes iussit numerari, incurrit indignationem dei: In Exodo quoque ait dominus Moyse: Quando tuleris summam filiorum Israel iuxta numerum, dabunt singuli pretium domino pro animabus suis &c. Hoc oblitus facere Dauid, deum offendit. Non desunt viri docti qui dicunt Dauid fuisse obnoxium restitutioni, ob plagam illam suo populo illatam. Quia fuit in causa ut populus ille tam graue damnum senserit, & dedit causam læsioni quam iure non potuit facere. Et qui est causa priuatiua plagæ suo populo illatæ, quem tenetur speciali officio defendere, obstringitur damna reparare populo illata. Nec sum nescius quin etiam vir Ecclesiasticus teneatur reparare damna laicis, suo peccato suaque negligentia illata, qui tenetur portare peccata sui populi apud dominum. Et quãuis non legeris ipsum Dauid refarcisse damnum suo populo pro illa superba numeratione illatum, non tamen colligere debes, eum omisisse aut neglexisse.

CAPVT XXI.

DAuid non peccauit comedendo panes propositionis. Antequam verbis Christi hanc suffulciam Assertionem, paucis ex veteri instrumento ostendam, quid impulerit Dauid, ut sacros panes ederet. Cum venisset Dauid in Nobe ad Achimelech sacerdotem stupore attonitum, quod ad se contendisset Dauid, & ei dixisset: Quare tu solus, & nullus est tecum? dixit Achimelech sacerdoti: Rex præcepit mihi sermonem, & dixit, nemo sciat rem propter quam missus es à me, & cuiusmodi præcepta tibi dederim. Nam & pueris meis cõdixi in illum & illum locum. Nunc ergo si quid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi, aut quicquid inueneris. Et respondens sacerdos ad Dauid, ait illi: Non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum. Si mundi sunt pueri, maxime à mulieribus, manducant. Et respondit Dauid sacerdoti, & dixit ei: Et quidem, si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri & nudius tertius, quando egrediebamur, & fuerunt vasa puerorum sancta. Porrò via hæc polluta est, sed & ipsa hodie sanctificabitur in vasis. Dedit ergo ei sacerdos sanctificatum panem. Neque enim erat ibi panis, nisi tantum panes propositionis, qui sublati fuerant à facie domini, ut ponerentur panes calidi. Vides Achimelech sacerdotem

Lyranus.

Gloss. ordin.

1. Paral. 2. r. Num. 1.

Exo. 30.

1. Reg. 21.

commotum misericordia in ipsum Dauid, cuius extremam famem & inopiam sancto pane subleuauit. Et hoc factum adduxit Christus, ad confutandum calumnias pharisæorum obmurmurantium, quod eius discipuli esurientes, euulsiissent sabbato à fetibus spicas, ut suam famem sedarent. Et cum dixissent pharisæi volentes doctrinam Christi subuertere, Ecce discipuli tui faciunt quod non licet eis facere sabbatis. dixit eis Christus, Non legistis quid fecerit Dauid, quando esuriit, & qui cum eo erant, quomodo intrauit in domum dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei comedere, neque his qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus? Agnoscimus (nisi nos obsideant errorum tenebræ) Christum non inculpassè Dauid, cum comedit, quod institutione legis sibi erat illicitum & prohibitum: in extrema tamen necessitate licitum & permissum. Et Christus huiusmodi legem & prohibitionem interpretatus est, qui non vult hominem perire fame, si suæ vitæ consulendo vescatur cibus sacerdotum. Enarrans Hieronymus illum Matthæi locum, dicit Christum ad confutandam Pharisæorum calumniam, vereris recordari historiam, quando Dauid fugiens Saulem, venit in Nobe, & ab Achimelech sacerdote susceptus, postulauit cibos: qui cum panes laicos non haberet, dedit ei consecratos, quibus non licebat vesci nisi solis sacerdotibus & leuitis. Et hoc tantum interrogauit, si essent mundi pueri à mulieribus, & illo respondente ab heri & nudius tertius, non dubitauit panes dare, melius arbitratus, propheta dicente, Misericordiam volo & non sacrificium, de famis periculo homines liberare, quæ deo offerre sacrificium. Hostia enim placabilis deo, hominum salus est. Opponit ergo dominus & dicit: Si & Dauid sanctus est, & Achimelech pontifex à vobis non reprehenditur, sed legis vterque mandatum probabili excusatione transgressi sunt, & famis in causa est: cur eandem famem non probatis in Apostolis, quam probatis in cæteris? sed nec panes propositionis Dauid, nec pueri eius acceperunt, antequam se à mulieribus mundos esse responderent. Et idem sentit in Apologia aduersus Iouinianum: nec intelligas quod non potuissent ex lege comedere panes propositionis, nisi ostendissent se triduo mundos à mulieribus, id est meretricibus, quod damnabatur à lege, sed ab vxoribus, quibus licite iungebantur. Adde quod Chryostomus in explicatione eiusdem contextus dicit: Si pharisæi indulgere, atque veniam opportune scirent concedere, inedia causam pro integra satisfactione solam potuissent adducere: verum quoniam iniqui atque inhumani sunt, historia quoque recitatione comprimuntur. Nec solum sacerdos id fieri permisit, verum etiam diligentius administravit. Nec modo mihi illud opponas, quia Dauid propheta erat. Nam non prophetis quidem id licebat, sed soli sacerdoti hic honor conferebatur. Vnde & adiecit, Nisi solis sacerdotibus. Insuper Theophylactus eundem edisserens locum, dicit: Iterum pharisæi naturalem passionem arguunt, quum ipsi grauius peccent. Dominus per historiam Dauid admonet eos. Ille enim (inquit) propter famem maius quiddam ausus fuit. Panes autem propositionis erant duodecim, qui quotidie proponebantur in mensa: sex in dextra parte, sex in sinistra. Quauis autem & Dauid propheta erat, non tamen ei inde licebat edere, sed sacerdotibus: quanto magis non licebat his qui cum eo erant? attamen propter famem venia dignus erat, sic igitur & discipuli. Tum etiam dicit Hylarius canone 12. in Matthæum, Neque enim si non licebat fieri, Dauid creditus fuit fecisse sine crimine, verum sine criminis piaculo. Factum prophetat in lege, ut ipse cum cæteris, panibus propositionis expletus sit, ita ostendens Christum cum apostolis gentium salute satiandum: quod Iudæis illicitum videretur. Ad hæc facit, quod dicit ad hunc locum Lyranus, discipulos Christi euellentes spicas in sabbato, nihil egisse contra legem, quia aliquid quod est lege prohibitum, bene efficitur licitum, propter necessitatem imminuentem: sicut Dauid qui legitur sanctus, manducauit panes propositionis sibi datos à sacerdote in necessitate, & tamen in lege erat præceptum, quod soli sacerdotes comederent. Nec reprobatur sacerdos quod dederit alijs panes propositionis. Ex hoc patet quod necessitas faciebat aliquid licitum quod alias esset il-

Matth. 12.

Hieronymus

Osæ 6.

Chryostomus

Theophyl.

Hylarius.

Lyranus.

licitum. Etiam quanuis non esset licitum fricare spicas in die sabbati, tamen fiebat licitum propter necessitatem famis. Hæc ille. Nec putarem Carthusianū de salute animæ periclitari, si in loco semoto vesceretur carne, vt suam vitam tueretur, supponendo quòd nullo alio cibo, posset conualescere, & vbi potissimum nulli suorum sociorum adferret scādalum. Et posset is qui illi præest, interpretari votum de abstinentia ab esu carniū emissum, quòd scilicet vrgēte extrema necessitate sopitur obligatio voti de huiusmodi abstinentia: iure enim naturali & diuino, tenetur suæ vitæ consulere & patrocinari. Et hæc exempla à Christo proposita, vim habēt non modicam ad exhibendum illi opportunum consiliū de subleuanda vrgenti necessitate, aut depulsiōne morbi acutissimi ex esu carniū. Et huc spectat quòd à quibusdam dicitur, Quòd si debitor æris alieni incidit in extremam necessitatē, in quam & creditor eius collapsus est, non tenetur tunc temporis restituere creditori: quia licet iure gentium quod detineo sit alienum, tamen extrema necessitas abstulit illi ius gentium, & ius naturæ remanens, fouet possidentem, & dominus cecidit à suo dominio. Etiam si rerum dominia non essent iure humano distincta, obstringeret extrema vexatus inopia, lege naturæ illi non restituere, sed nullū ius humanum potest iuri naturali derogare. Igitur posita illa hypothesi, etiam admissa dominiorum distinctiōne, non teneor illi restituere: potius enim debeo meā, quàm alterius vitam tueri. Secus esset de persona publica, pro cuius salute deberem ob maximum reipublicæ commodum oppetere mortem: membrum enim periclitatur pro vita totius corporis. Et honestissimum est pro tuenda republica, interrito animo se exponere morti.

CAPVT XXII.

Hieronymus⁹ Auid non composuit omnes Psalms.] Hanc lepidissimis sacrorum doctorum scripturis suadebo Assertionem. Hieronymus Cypriano, in explicatione psalmi 89. dicit Mosen non solum nobis reliquisse quinque libros: Genesim, Exodum, Leuiticum, Numeros, & Deuteronomium, sed vndecim quoque psalmos, ab octogesimo nono, cuius principium est Domine refugium factus es nobis, vsque ad nonagesimum nonum qui inscribitur, Psalmus in confessione. Quòd autē in plerisque codicibus nonagesimus octa uis habet titulum, Psalmus David, in Hebraico non habetur. Hanc habente scriptura sancta consuetudinem, vt omnes psalmi, qui cuius sint titulum non habent, his deputentur, quorum in prioribus psalmis nomina continentur. Quatuor autem psalmi sunt qui habēt orationis titulum, sextusdecimus qui inscribitur, Oratio Dauid, & incipit, Exaudi domine iustitiam meam. Et octogesimus quintus, Inclina domine. Et octogesimus nonus qui nunc in manibus est, Domine refugium factus es nobis. Et ceterus primus qui titulum habet, Oratio pauperis cum anxius fuerit, & in conspectu domini effuderit precem suam David & pauper, qui cum diues esset, pro nobis pauper factus est, refertur ad Christum, qui sedit super pullum asinæ, iuxta Zachariā, pauper atque mansuetus. Et in eadem epistola existimat illos vehementer lapsos fuisse, qui deferunt omnes psalmos nomini David, ita enim loquuntur: Sciamus quoque errare eos, qui omnes psalmos David arbitrantur, & non eorum quorum nominibus inscripti sunt. Vnde & hunc psalmum volunt sub nomine Moyfi à David esse compositum: quòd scilicet legislator communem humani generis offensam & calamitatem, & deinde expectationem salutis, sacro ore describat, Domine habitaculū factus es nobis, in generatione & generationē. Septuaginta, Domine refugium factus es nobis, in omni generatione & generationē. Nec insiciatur Hieronymus in primum caput epistolæ Pauli ad Ephesios, ad locum illum, Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem: psalmum illum, Domine refugium factus es nobis, dictum fuisse à Mose. Et quis auderet calumniari antequam David psalmos edidisset, aut ab alijs editos in vnum integrum & perfectum redegerit opus, psalmum illum non solum fuisse à Mose decantatum in commendatio-

nem beneficiorum dei, verumetiam editum? Insuper dicit Hieronymus epistola ad Sophronium, vnum esse volumen psalms, & psalmos omnes eorum esse auctorum, qui ponuntur in titulis, David scilicet, Asaph, & Idithun filiorum Chore, Eman, Errahitæ, Moyfi, & Solomonis, & reliquorum quos Esdras primo volumine comprehendit, qui literas à Chaldæis cōbustas suæ integritati restituit, & psalmos à varijs authoribus scriptos, vno volumine complexus est. Tum etiam omnes Hebræi qui sano & incolumi iudicio pollent, hanc tutantur sententiā, quibus vnā cum Hieronymo astipulatur Lyranus in explanatione psalmi 89. tamen si Glossa ordinaria illic fauere videatur Augustino, quem credit communis opinio in ea fuisse sententia, vt dixerit David omnes fecisse Psalms. Et in præfatione omnium psalmsorum omnino Lyranus accedit Hebræis & Hieronymo, qui exactius hæc nouit quàm Augustinus. Ad hæc adstruenda accedit Hylarius in prologo explanationis in psalmos, dicens ingenue absurdum esse, Psalms David nominare, quia multi fuerunt authores psalmsorum, sed rectius dicitur Liber psalmsorum. Nec adblādiri possum his quæ euentilauit quidam psalmsorum interpret, vt obscuraret opinionem Hieronymi, dicens Asaph non fuisse authorem quorundam psalmsorum, sed duntaxat suppeditasse materiam Dauidi conficiendorum psalmsorum, cum tamen Hieronymus planè fateatur ipsum Asaph fuisse authorem quorundam psalmsorum, quod facile colligi potest ex 29. cap. 2. Paralipomenon. Quòd si quis accurate euoluerit 15. caput Exodi, planè cognosceret Mosen cōposuisse psalmum, cuius exordium est, Cantemus domino, gloriose enim magnificatus est. quæ cecinit post victoriam Aegyptijs & Pharaone submersis: & notissimum est canticum illud fuisse æditum etiam à Mose, antequam David redegerit post multa tempora in vnum volumen psalmos ab alijs lucubratos. Nec à nobis dissidet Origenes, homilia 6. super Exodo: Nec nos pigebit adferre quæ dicit Chrysostomus in stabilimentum nostræ assertionis, homilia 1. in psalmum quinquagesimum, Non enim (inquit) omnes psalmi in Dauid scripti sunt, nec omnes ab ipso conscripti sunt: neque enim tantummodo passiones edixit, sed & aliorū cecinit causas. Fatetur & Ambrosius præfatione in psalmos Dauidicos, multos prophetas præter David scripsisse cantica. Esaias scripsit canticum quo legentium corda mulceret, vnum Daniel, vnum Abacuc. Et licet Augustinus omnino iudicio, putet David omnes ædidisse psalmos, tamen dicit in titulo primi psalmi, nō omnes psalmos à David æditos esse. Ipse enim David ex omni populo quatuor principes spiritu sancto mundatos elegit, quorum nomina sunt, Asaph, Eman, Ethan, & Idithun, vt in quemcunque diuinus spiritus intrasset, hymnum deo caneret. David ergo solus nouem psalmos ore proprio cecinit: reliqui autem ab illis quatuor principibus iuxta titulorum inscriptionem, sunt dicti. Asserit tamen libro 17. de Ciuitate dei, cap. 14. Omnem ferè Dauidis prophetiam in psalmis esse, quos centum quinquaginta liber continet, quem psalmsorum vocamus. Et paulo post dicit, Mihi autem credibilius videntur existimare, qui omnes illos centum quinquaginta psalmos eius operi tribuunt, eumque aliquos prænotasse etiam nominibus aliorum. Nec tamen si diligenter expenderimus quid hæc sibi volunt, dicit David ædidisse omnes psalmos, alioqui videretur secum pugnare: sed quæ omnes psalmi eius operi accommodentur, quia (vt diuinare possum) coegit in vnum iustum opus omnes psalmos, quorum aliqui prænotantur nominibus aliorū.

CAPVT XXIII.

Daniel apertius de Christo vaticinatus est, quàm quiuis alius propheta.] Hanc ex Hieronymo eliciam Assertionem dicente in proemio Danielis, Illud in Præfatione commoneo, nullum prophetarum tam aperte dixisse de Christo. Non enim solum scribit, eum esse venturum, quod est commune cum cæteris, sed etiam quo tempore venturus sit, docet, & reges per ordinē dixerit, & annos enumerat, ac manifestissima signa prænuntiat. Quæ quia vidit Porphyrius vniuersa completa & transacta, negare non

Lyranus.

Hylarius.

Origenes.

Chrysost.

Ambrosius.

Esa. 38.

Danielis. 3.

Abac. 3.

Augustinus.

1. Paral. 15.

& 16.

Hieronymus.

poterat, superatus historiae veritate, in hanc prorupit calumniam, ut ea quae in summatione mundi de Antichristo futura dicuntur, propter gestorum in quibusdam similitudinem sub Antiocho Epiphane impleta contendat. Cuius impugnatione testimonium veritatis est. Tanta enim dictorum fides fuit, ut propheta incredulis hominibus non videatur futura dixisse, sed narraisse praeterita. In eadem praefatione admonet Hieronymus Danielem non haberi apud Hebraeos inter prophetas, sed inter eos qui hagiographa conscripserunt. In tres siquidem partes omnis ab eis scriptura diuiditur, in legem, in prophetas, & in hagiographa, id est in quinque, & octo, & in undecim libros. Nec tamen negat Hieronymus Danielem esse prophetam, quod tamen Rufinus male suspicatus est, cui & alij responder libro 2. contra Rufinum: sed quid de hac re sentirent Hebraei monstrauit. Nec etiam Daniel apud Hebraeos, Sufannae habet historiam, nec hymnum trium puerorum, nec Belis Draconis fabulas, quas tamen Hieronymus, quia in toto orbe dispersae sunt, veru anteposito, easque iugulante subiecit, ne videretur apud imperitos, magnam partem voluminis detruncasse. Quod autem Daniel fuerit eximius propheta, ostendunt praecleara eius vaticinia, qui ad somniorum interpretationes expertus erat, eique reuelabatur aperte diuinitas, ut dicit Iosephus libro decimo Antiquitatum Iudaicarum, capite 12. Expressit etiam hebdomadibus tempus quo Christus atrocissimum pro nostris delictis abluendis perpeffurus erat tormentum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, & non erit eius populus, qui eum negaturus est, & ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada vna, & in dimidio hebdomadis, deficiet hostia & sacrificium. Et erit in templo abominatio desolationis, & vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio. Et huiusce formidandae abominationis meminit Christus in Euangelicis literis: Cum (inquit) videritis abominationem desolationis quae dicta est a Daniele propheta stantem in loco sancto, qui legit intelligat: tunc qui in Iudaea sunt, fugiant ad montes: & qui in recto, non descendant tollere aliquid de domo sua: & qui in agro, non reuertatur tollere tunicam suam. Adnotabimus cur sim illas 62. hebdomadas continere 434. annos. Nam hebdomada secundum supputationem quam imitantur Hieronymus & Lyranus, continet 7. annos. 7. enim hebdomadae quarum meminit Daniel in eodem capite, amplectuntur 49. annos. Nec ex eo quod dicit Daniel Christum post 62. hebdomadas moriturum, debes colligere Christum subito finitis 62. hebdomadis passurum, sunt enim septem hebdomadae prius in propheta commemoratae, istis 62. adiungendae, nec adhuc post 69. hebdomadas statim occidetur Christus, sed addita illis vna hebdomada, in duas partes scissa, in fine 70. hebdomadae occisus est Christus. Et 70. hebdomadae insinuatur 490. annos lunares. Post igitur 62. hebdomadas cum 7. primis quae faciunt 69. occidetur Christus, in vltima scilicet hebdomada, quae incipit a baptismo Christi: quia post baptismum praedicauit tribus annis cum dimidio, & tunc passus est in medio illius hebdomadae. Augustinus epistola Hefychio, existimat hebdomadas sancti Danielis, pertinere ad primum domini aduentum, & non secundum, cuius oppositum putabat Hefychius. Arbitramur & illas hebdomadas esse completas, maxime quod in illo 9. capite Danielis scriptum sit, Et vngetur sanctus sanctorum. Et his compulsus verbis Augustinus, sentit comode cum alijs doctoribus. Nec argumentum Hefychij volentis suadere ex illis Christi verbis, Cum videritis abominationem desolationis quae dicta est a Daniele propheta, &c. hebdomadas Danielis non pertinere ad primum Christi aduentum, sed potius ad secundum: concludit, quia (ut dicit Augustinus) id intelligendum est de subuersione Hierusalem quae facta est post passionem Christi, & non de fine seculi, ut docet Lucas 21. capite sui Euangelij. Tum etiam dicit idem Augustinus libro 18. de Ciuitate dei, capite 34. Danielem tempus quo venturus fuerat Christus atque passurus, numero annorum definiuisse. Nec a nostra euariat assertione Lyranus, exponens epistolam Hieronymi

Iosephus.

Daniel. 9.

Matth. 24.

Hieronymus

Lyranus.

Augustinus.

Lucas 21.

Lyranus.

in Pentatheucum, vbi dicit nullum prophetam tam aperte scripsisse de Christo atque Danielem, & specialiter in nonum caput.

CAPVT XXIIII.



Arius non peccauit tradens Danielem Satrapis, ut conijceretur in lacum leonum.] Hanc imprimis adnitar suffulcire assertionem ex 6. capite Danielis, deinde ex Hieronymo. Cum Darius praefecisset Danielem Satrapis & caeteris principibus, coeperunt Satrapae & principes liuore perciti, coniuare in mortem Danielis viri iustissimi, iniquo ferentes animo Danielem esse regi a latere secundum & maxime familiarem, & cum non potuerunt reperire causam & suspensionem mali in ipso Daniele, eo quod esset fidelis in omnibus, & careret omni culpa, dixerunt: Non inuenimus Danieli huic aliquam occasionem, nisi forte in lege dei sui. Tunc principes & Satrapae surripuerunt regi, & sic locuti sunt ei: Dari rex, in aeternum viue: Consilium inierunt cuncti principes regni tui, magistratus, & Satrapae, senatores, & iudices, ut decretum imperatorum exeat, & edictum, ut omnis qui petierit petitionem a quocumque deo & homine, vsque ad dies triginta, nisi a te rex, mittatur in lacum leonum. Nunc itaque rex confirma sententiam, & scribe decretum, ut non immutetur quod statutum est a Medis & Persis, nec praeruaricari cuiquam liceat. Porro rex Darius proposuit edictum & statuit. Quod cum Daniel comperisset, id est constitutam legem, ingressus est domum suam, & fenestris apertis in coenaculo suo contra Hierusalem tribus temporibus in die fletebat genua sua, & adorabat, & confitebatur coram deo suo, sicut & ante facere consueuerat. Viri ergo illi curiosius inquirentes, inuenerunt Danielem orantem, & obsecrantem deum suum. Et accedentes, locuti sunt regi super edicto: Rex, nunquid constituiti ut omnis homo qui rogaret quemquam de dijs & hominibus vsque ad dies triginta, nisi a te rex, mitteretur in lacum leonum? Ad quos respondens rex, ait: Verus est sermo iuxta decretum Medorum atque Persarum, quod praeruaricari non licet. Tunc respondentes, dixerunt coram rege: Daniel de filijs captiuitatis Iudae, non curauit de lege tua, & de edicto quod constituiti, sed tribus temporibus per diem orat obsecratione sua. Quod verbum cum audisset rex, satis contristatus est, & pro Daniele posuit cor, ut liberaret eum: & vsque ad occasum solis laborabat ut erueret eum. Iam clare perspiciamus quam propenso fuerit animo Darius in Daniele, & doluit acerbe se illud edictum approbasse propter mortem Danieli imminentem, quem studuit omnimoda diligentia a Satrapis liberare. Et vsque ad vesperam conmixtus est frangere conatus & impetum principum, & aspernari accusatores. Verum cum illi vehemētius insultaret, & vrgerent regem ne edictum violaretur, permisit illos tandem iniicere manus in Danielem, eumque demittere in lacum leonum. Nec tamen intendebat mortem Danielis innocentissimi, immo certo sciebat deum Danielis, obturaturum ora leonum, & praepediturum, ne discerperent Danielem: nouerat enim focios Danielis deiectos in ardentissimam fornacem, vicisse ignes & incendia. Dixit autem rex Danieli eum consolando: Deus tuus quem colis semper, ipse liberabit te. Et ne videretur in exordio suae monarchiae statuta Persarum & edicta infringere, compulsus tradidit Satrapis Danielem, & ad vitandam seditionem, quae suboriri poterat, noluit edictum frangere, nec tamen haestabat Danielem a deo praeseruatum iri, & existimauit minus sibi videri malum, Danielem tradere Satrapis, quem credebat a deo liberandum, quam violando sancitum, incurrere periculum seditionis: secus contigisset, si intendisset ut a leonibus discerperetur. Et quia magis timebat ne homines saeuirent in Danielē, quam leones, allatum vnum lapidem super os laci, suo obsignauit anulo. Et properans diluculo ad lacum leonum, salutauit Danielem, qui euasit illaesus, iussitque accusatores Danielis vna cum vxoribus & liberis detrudi in horrendum leonum lacum, a quibus fuerunt dilacerati & comminuti. Et contrarium primo edidit decretum, ut in suo regno, omnes honorarent deum Danielis, & timerent. Adde quod in hanc vi-

Daniel. 6.

Hieronym⁹ detur Hieronymus descendere sententiam, dicens edisserendo illud caput: Darius cedit multitudini, & consentientibus aduersarijs mortem amici non audet negare, quodq; ipse obtinere nō potuit, dei tradidit potentia. Nec ambigue loquitur vt dicat, si potuerit liberare te, sed audacter & confidenter, Deus (inquit) tuus quem colis semper, ipse te liberabit.

CAPVT XXV.

Delbora prophetissa fuit, & in ordine iudicum supputatur.] Hanc velim eruere assertionem ex sacris literis. Scriptum est in libro Iudicum, Erat autem Delbora propheta vxor Lapidoth, quae iudicabat populum in illo tempore, & sedebat sub palma quae nomine illius vocabatur, inter Rama & Bethel in monte Ephraim, ascendebantque ad eam filij Israel in omne iudicium. Animaduerte donum prophetiae collatum fuisse Delborae. Nec solum prophético munere excelluit, sed iudicum ordini & catalogo ascripta est, quam existimamus ea praecelluisse prudentia, aequitate, & iustitia, vt de rebus arduis & maximae ponderis, accurate diiudicaret, quod rarum est in muliebri sexu. Ad explanationem illius contextus, dicit Glossa ordinaria, quae est Origenis: Quid enim confert si legamus quod Delbora mulier prophetissa, vxor Lapidoth, iudicabat Israel? Et licet plurimi iudices in Israel fuerint, de nullo tamen dicitur, quia propheta fuerit, sicut de Delbora muliere. Praestat in hoc deus consolationem muliebri sexui, ne pro infirmitate desperet se prophetiam posse suscipere, sed credat quia confert hanc gratiam mentis puritas, non sexus diuersitas. Attingens Lyranus hoc munus prophetiae vni mulieri collatum, dicit secundum quosdam interpretes, Lapidoth (cuius Delbora ferebatur vxor) fuisse illum eundem qui Barach dicebatur. Nec tamen videtur illius fuisse vxor: nam illa manebat in monte Ephraim, hic vero ab illa accersitus, fuit de Cedus quae erat in sorte Neptalim. Idcirco non videtur quod fuerit vir eius, quia separatim habitabat in diuersis tribubus. Et ideo dicit Rabbi Salomō, Lapidoth non esse nomen proprium, sed commune: & significare Lychniariam, quia faciebat lychnia pro lucernis, quae ardebant in tabernaculo domini, & sic vbi habemus vxorem Lapidoth, dicunt mulierē lychniatricē. Et moderni applaudunt huic Ra. Sa. sententiae. Cōprobabimus & assertionem ex Hieronymo, Epistola ad Furiam, de viduitate seruanda, vbi dicit: Quidam imperite & Delboram inter viduas numerant, ducemq; Barach arbitrantur Delborae filium, cum aliud scriptura cōmemoret. No bis ad hoc nominabitur quod propheta fuit, & in ordine iudicū supputetur. Et quia dicere poterat, Quam dulcia gutturi meo eloquia tua, super mel & fauum ori meo, Apis nomē accepit, scripturarū floribus pasta, spiritus sancti odore perfusa, & dulces ambrosiae succos prophetali ore cōponens. Delbora (authore Origene homilia 5. super librum Iudicum) apis interpretatur sine loquela. & Delbora in prophetiae forma accipienda est, quae est apis. Certū nanq; est, quod omnis prophetia, suaues caelestis doctrinae fauos, & dulcia diuini eloquij mella componat. Vnde & Dauid, Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel & fauum ori meo. Sed cōsiderandum est vbi residere dicitur prophetia, & vbi locus eius esse describitur: Sub palma (inquit) inter medium Rama, & inter medium Bethel. Sub palma, sedem habet prophetia, quia iustus (inquit Dauid) sicut palma florebit. per hoc quod suis institutionibus eruditum prophetia perducit ad palmam supernae vocationis in Christo Iesu domino nostro. Inter medium Rama, & inter medium Bethel sedere dicitur. Rama interpretatur excelsa: Bethel, domus dei. Videte in quibus locis residere dicitur prophetia, inter excelsa & domum dei. Nihil enim humile, nihil deiectum, nihil vile erga prophetiae sedem reperiri potest: sicut & Salomon nihilominus Sapientiae sedem describens, dicit de ea: quod vel in portis ciuitatum adfistat, vel in murorum moenibus habitet, vel in altis turribus libere agat. Hoc ergo modo prophetia quae nunc in Delbora describitur. inter domum dei, & inter excelsa dicitur habitare. Non enim nos docent, quae super terram sunt querere, sed quae in caelis sunt, & in

excelsis, vbi Christus est in dextera dei sedens, illuc nos prophetia hortatur ascendere, illuc discipulos molitur imponere. Haec ergo primo omnium (inquit) misit & vocauit ad se Barach. Barach interpretatur coruscatio. Coruscatio, est quae habet quidem lucem, sed non permanentem. Ad modicum enim temporis resplendet & definit. Hic ergo Barach mihi videtur formam gerere populi prioris, qui primo omnium per prophetiam vocatus est, & inuitatur ad audienda eloquia dei, & diuinae legis munera capienda, qui resulsit quidem, & ad legis splendorem ad breue tempus coruscavit, sed non diu permanfit, nec continuum lucis potuit obtinere fulgorem. Quae ad Delborae prophetiam spectant, lege Augustinum nostrae assertioni astipulantem, quaestione 26. & 29. super Iudicum.

CAPVT XXVI.

Dedicata est deo ad orientem Adoratio.] Haec ex Damasceno eruemus assertionem, quam multis probat argumentis, libro 4. suae Theologiae, capite 13. vbi dicit: Non simpliciter & fortuito ad orientem adoramus, sed quia ex visibili & inuisibili, id est intellectuali & sensibili conflati sumus natura, duplicem adorationem conditori nostro offerimus, vt & mente psallimus & corporalibus labijs, & baptizamur aqua & spiritu, & dupliciter domino vnimur, mysterijs participantes, & gratia spiritus. Quia igitur deus est lux intelligibilis, & sol iustitiae, & Oriens in scripturis nominatur Christus, dedicandus illi est oriens ad adorationem. Apud Zachariam dicitur, Ecce vir, Oriens nomen eius. Nec immerito illi dedicatur ad orientem adoratio. Nam omne praestantius magisque bonum illi offerendum est, à quo omne bonum benigne largitur. Dicit autem diuinus Dauid: Regna terrae cantate deo, psallite domino, qui ascendit supra caelum caeli ad orientem. Et quia dicit scriptura, Plantauit deus paradysum in Eden, ad orientem, vbi hominem quem plasmauit, posuit: quem transgredientem, exilio mulctauit, & è regione paradisi ipsum habitare fecit: ab occidente videlicet. Antiquam igitur patriam requirentes, & ad ipsam suspirantes, deum adoramus. Et Moisaicum tabernaculum ad orientem habebat velum & propitiatorium. Et tribus Iuda, vt honorabilissima, ad orientem castra ponebat. Et in famigerato Salomonis templo, porta domini ad orientem situabatur. veruetiam & Christus crucifixus, ad occidentem respiciebat, & sic adoramus ad ipsum suspirantes: & assumptus ad orientem ferebatur, & sic ipsum apostoli adorauerunt. Et sic veniet, quem admodum intuebatur ipsum eum in caelum, vt angeli dixerunt ad apostolos, & vt ipse dominus dixit: Quem admodum fulgur egreditur ab oriente & peruenit vsque ad occidentem, sic erit aduentus filij hominis. Dicit Clithoueus explicans illud Damasceni caput, Hebraeos olim ex diuina ordinatione adorasse deum ad occidentem, vt facile licet coniectare ex 8. capite Ezechielis, vbi inter abominationes quae fiebant in templo & ostendebantur prophetae in visione, apparuerunt in ostio templi domini inter vestibulum & altare quasi viginti quinque viri, dorsa habentes contra templum domini, & facies ad orientem, & adorabant ad ortum solis. Et huiusmodi sanctio praecipioque adorationis ad occidentem faciendae eis tradita putatur, vt reuocaretur ab idololatria, ritūque Gentilium adorantium solem pro deo, & ad orientem se in sua adoratione conuertentium. Verum sicut aliae traditiones Hebraeis à deo constitutae, per legis euangelicae professionem cōmutatae sunt in alias conuenientiores, quem admodum Circūcisio in baptismum, Agnus paschalis in sanctissimum Eucharistiae sacramentum, & Sabbatum in Diem dominicum: ita quoque tempore promulgationis legis euangelicae, hic ritus adorationis ad occidentem permutatus est in adorationis morem ad orientem, eo potissimum tempore, quo idololatria prorsus explosa per adorationem ad orientem, non relicta est Christianis causa aut occasio imitationis Ethnicorum. Si planè intellexerimus doctrinam Damasceni, nos minime latebit duplicem esse Adorationis formam: Alteram genuflectione, manuum ad caelum protensione, ac vocali oratione: Alteram vero spiritalem, quae sit animi affe-

Augustinus.

Damascen⁹


zacha. 6.

Psal. 67.
Gene. 2.Exo. 26.
Nume. 2.
3. Reg. 6.

Acto. 1.

Matth. 24.
Clithoueus

Ezechiel. 8.



Ioan. 4. ctu, & interna ad deum erectione. Et hanc Christus mulieri Samaritanæ explicuit, dicēs: Venit hora & nunc est, quādo veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate. nam & pater tales quærit qui adorēt eum. Spiritus est deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Nec scripta est hæc de Adoratione ad orientem apostolorum traditio, vt dicit Damascenus in calce prædicti capitis. Nec imiteris Lutherum reijcientem multa Ecclesiæ sancita & instituta, quod non sint in Evangelio aperte conscripta. Non enim oportet quæ Ecclesia prudenter instituit, expresse in sacris literis contineri: vt libro 5. huius operis ostendemus,

Origenes. Astipulatur Damasceno Origenes, & etiam nostræ assertioni, homilia 5. super Numeros, dicens: In ecclesiasticis obseruationibus sunt nonnulla huiusmodi, quæ omnibus quidem facere necesse est, nec tamen ratio eorum omnibus patet. Nam quæ verbi gratia, genua flectimus orantes, & quod ex omnibus cæli plagis ad solam orientis partem conuersi orationem fundimus, non facile cuiquā puto ratione comperit: sed & Eucharistiæ siue percipiendæ, siue eo ritu quo geritur explicandæ, vel eorum quæ geruntur in baptismo, verborum, gestorumque & ordinū, atque interrogationum, ac responsionum, quis facile explicet rationem? Et tamen hæc omnia operata & velata portamus super humeros nostros, cum ita implemus ea & exequimur, vt à magno pontifice, atque eius filijs tradita, & cōmendata suscepimus. Adde quod Augustinus libro vno disputationis primæ contra Fortunatum Manichæorum presbyterum, illorum mores non approbat, quod contra solem facerent orationem. Insuper distinctione 11. capite Ecclesiasticarum, in quo differit Augustinus de Ecclesiasticis constitutionibus, quæ non semper habent expresse suum robur ex sacris scripturis, dicitur: Quæ enim scriptura salutiferæ crucis signaculo fideles docuit insigniri? vel quæ trifariam digesta super panem & calicem proluxæ orationis vel consecrationis verba commendauit? Nam non modo quod in Euangelio continetur, vel ab Apostolo quod est insertum secretis dicimus, sed & alia plura adijcimus magnam quasi vim commendantia mysterijs. quæ orientem versus nos literarum orare forma docuit? Benedicimus fontē baptismatis oleo vnctionis.

CAPVT XXVII.

Augustinus. Diabolus non videt internas animæ cogitationes, nec per energicam operationem illabitur substantialiter humanæ menti. Priorem Assertionem partem ex Augustino suffulciam. Dicit Augustinus libro vno de Ecclesiasticis dogmatibus, capite 81. (si modo opus illud sit Augustini) Internas animæ cogitationes diabolu non videre certi sumus, sed motibus eas corporis ab illo & affectionum indicijs colligi experimento didicimus. Secreta autem cordis solus ille nouit, ad quem dicitur, Tu solus nosti corda filiorum hominum. Et libro 2. Retractionum, capite 30. retractat quod aliquando dixerat in libello de diuinatione dæmonum, dæmones aliquando & hominum dispositiones non sola voce probatas, verumetiam cogitatione conceptas, cum signa quædā ex animo exprimentur, in corpore tota facilitate perdiscere. Astipulatur & huic Assertioni Hieronymus, enarrās illud Matthæi, De corde exeunt cogitationes malæ, dicens: Non debemus opinari diabolus cordis occulta rimari, sed ex corporis habitu & gestibus æstimare quid versemus intrinsecus, verbi gratia, Si pulchrā mulierem nos crebro viderit inspicere, intelligit cor amoris iaculo vulneratū. Nec ab his diuersa sunt quæ dicuntur à Scholasticis doctoribus, Dæmonem siue angelum, non posse certo cognoscere futuras hominum cogitationes. Nam effectus futuri dependentes à causa impedibili & indifferēte, non possunt per certitudinem cognosci nisi ab illo qui certitudinaliter cognoscit quæ impediēt vel non impediēt causam, sed futuræ hominū cogitationes dependent à causa impedibili & indifferēte, scilicet à voluntate: igitur non possunt certo cognosci nisi ab illo qui certitudinaliter cognoscit quæ impediēt vel non impediēt causam, scilicet voluntatē, solus autē deus nouit quæ possunt voluntatē hominis obnubilare & impedire quo minus quod præ-

dit assequatur. Potest tamen dæmon cognoscere certitudine quadam præsentibus hominum cogitationes, quando effectus concludit causam. Si enim videat hominem currentem nullo impellente, scit illum velle currere. Si vero effectus non necessario concludat causam, tunc ab effectu solum cognoscit cogitationes hominis & affectus præsentibus, per coniecturam, sicut à tristi & terrico hominis vultu, conijcit latentem mœstitiam, & tristitiam. Et licet dæmon cognoscat intellectum hominis & voluntatem, non tamē certo cognoscit operationes vtriusque potentia, nec habitudinem ad obiectum secundum affirmationem vel negationem. Solus deus plane nouit quid homo cogitat vel quid non cogitat. Accedit & huic sententiæ Origenes, libro 1. super Iob, illud enarrans, Circuiui omnem terram quæ sub cælo est, dicit dæmonē ea quæ operibus sunt, vniuersā videre: ea vero quæ in corde atque intra animū tractantur, nescire. Si enim hominum cogitationes scisset, profecto nullum hominē saluum fieri permisisset, nihilque boni perficere, sed omnia bona mox vt cogitatione cœpta fuissent, continuo destrueret, cōtinuo perficere non permisisset. Nunc vere ea quæ cogitantur: vel tractantur ignorat. ea vero quæ in operibus sunt, & per vocem dicuntur, audit & videt, vt pote spiritus callidus ac subtilis, & qui vbiq; est præsens, atque totū mūdum subito peruolat. Altera pars Assertionis, est Augustini libro vno de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 83. vbi dicit: Dæmones per energicam operationem non credimus substantialiter illabi animæ, sed applicatione & oppressionem vniui. Illabi autem menti, illi soli possibile est, qui creauit, qui natura subsistēs, incorporeus, capabilis est suæ facturæ. Quodā interpres illius psalmi, Inimici mei animam meam circumdederunt, dicit diabolus in anima intrinsecus nescire quid cogitat homo, nisi per exteriores motus intelligat, & in quo vnumquēque delectare videt, diuersas suggestiones infert. Testatur Ioannes in suo Euangelio, Diabolū cœna domini facta immisisse in cor Iudæ, vt Christum prodideret. Sed quis nescit hanc immisionem fuisse callidissimam futuræ proditoris suggestionem? Missio ista (teste Augustino, locum hunc exponente) est spiritalis suggestio, quæ non fit per carnem, sed per cogitationē. Adde quod Hylarius enarrans illum Psalmographi locum, Cadent in reticulo eius peccatores, dicit quicquid iniquitatum homines gerunt, à diabolo suggeri.

CAPVT XXVIII.

Augustinus. Diabolus sui casus præscius esse non potuit. Hæc Augustiniana est Assertio libro 11. in Genesim, cap. 23. vbi dicit: Quod ergo putatur nunquā diabolus in veritate stetit, nunquā cum angelis beatā duxisse vitā, sed ab ipso suæ cōditionis initio cecidisse, non sic accipiendū est, vt nō propria voluntate deprauatus, sed malus à bono deo creatus putetur: alioquin non ab initio cecidisse diceretur. Neque enim cecidit si talis est factus, sed factus cōtinuo se à luce veritatis auertit, superbia tumidus, & propriæ potestatis delectatione corruptus, vnde beatæ atque angelicæ vitæ dulcedinē non gustauit, quā non vtiq; acceptā fastidiuit, sed nolēdo accipere, deseruit & amisit. Proinde nec sui casus præscius esse potuit, quæ sapientia pietatis est fructus. Ille autem continuo impius, cōsequenter & mente cæcus, non ex eo quod acceperat, sed ex eo quod acciperet, si subdū voluisset deo, quod profecto quia noluit, & ab eo quod accepturus erat, cecidit, & potestatem illius sub quo esse noluit, non euasit, factūque est in illo pōdere meritorum, vt nec iniustitiæ possit lumine delectari, nec ab eius sententia liberari. Obijciat quispiam, Sancti angeli fuerūt præscij æternæ vitæ & beatitudinis, igitur angeli in superbiam collapsuri, fuerunt futuri casus præscij. antedē est notissimum, nam incerti non fuissent beati. Huic respōdet obiectioni Augustinus libro eodē, cap. 17. forma tamen ambiguitatis: An dicimus hoc, deum diabolo reuelare noluisse: cum adhuc esset angelus bonus, vel quid facturus vel quid passurus esset, ceteris vero hoc reuelasse, qui essent in æternum in eius veritate mansuri. Quod si ita est, ideo iam non æqualiter beatus, imò iam nec plane beatus fuit, quādoquidem plane beati de sua

beatitudine certi sunt, vt eam nullus perturbet metus. Non defunt qui dicant hac ratione, angelum nō potuisse esse præscium sui casus. Si enim præcognouisset, aut malum illud præcognitum cōplacuisse voluntati eius, aut non: si complacuisse, iam culpa fuisset: si non, pœna eum torfisset. Sed impossibile est ante primū peccatum angeli, culpā fuisse aut pœnā, nec pœna potuit præcedere culpā. Quod si supponas deum reuelasse angelo casum futurū, intellexisset angelus reuelationem illam fuisse cōminatoriam, non tamen absolutam. Nec tamen negāt aliqui subtili ingenio hunc discutientes scrupum, Deum potuisse sua potentia absoluta, reuelare simpliciter angelo futuram sui damnationem: nec tamen extabuisset mœrore, aut desperasset. Nam deus huiusmodi casum reuelando, poterat præpedire ne incidisset angelus in desperationem aut dolorem, & suspendere (vt dicunt) actionē suam respectu vtriusque. Etenim angeli boni nolunt homines peccare, & tamen pro scelere hominis non torquentur aut dolore, aut tristitia, quāuis eueniat quod nolebant. Similiter vult diabolus hominem in vitium præcipitari: nec tamen de misero hominis præcipitio gaudet aut oblectatur, tamen si is quem vehementi tentatione afflixit, delinquat. Congruum tamen fuit & maxime cōueniens, nulli angelorum in exordio suæ creationis, datam fuisse præsciētiam sui status futuri. Nam habere certitudinem permanentis vitæ & æternæ felicitatis, magis spectat ad statum præmij, quàm ad statum meriti. Nec solet deus viatoribus reuelare quod definita certitudine sunt assequuturi mercedem æternam, aut saltem paucissimis reuelat. Et cum omnes angeli fuerint æqualis felicitatis ab exordio: vt dicit Augustinus 11. de Ciuitate dei, capite 13. Si vni reuelasset felicissimum statum, adquem honeste viuendo contendisset, & alteri forsitan reuelasset ruinam futuram. Alioqui diabolus quodammodo excusasset suum peccatum, quod scientiam sui futuri status non habuisset, quam & beati angeli habuissent. Videretur etiam deus puniuisse angelū casurum antequam malus fuisset, quod donum scientiæ illi subtraxisset, quod tamen alijs subtractum non erat, quibus non erat inferior, nec dignitate naturæ, nec merito vitæ. Hæc tamen non vrgent, sed probabilia sunt. Nemo enim debet in deum tragœdiam excitare, aut obmurmurare, si vni gratiam contulerit, alteri vero non. Non enim est volentis, neque currentis, sed dei misentis. Tu quis es qui deo resistis? An non habet figulus potestatem fingendi aliud vas in honorem, aliud in cōtumeliam? Et quid necesse est homini maiora se querere? Altiora te ne quaeris. & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus, non est enim tibi necessarium ea quæ abscondita sunt, videre oculis tuis.

CAPVT XXIX.

Digamia non est improbanda. Hæc ex Paulo & sacris doctoribus Assertionē approbabo. Dicit Paulus ad Corinthios: Alligatus es vxori? noli querere solutionē. solutus es ab vxore? noli querere vxorem: si autem acceperis vxorem, non peccasti. Tibi præcipit Euangelicam Christi doctrinam sectando, ne dissoluas arctissimum tui connubij vinculū. Qui enim dimittit vxorem excepta fornicationis causa, & alteram ducit, mœchatur: si tamen solutus fueris ab vxore mortua, non tibi præcipit ne secundam duxeris (neque præcipit dominus) sed consulit: existimat enim te ignem cupidinis & voluptatis extinxisse, & difficiles carnis impetus domuisse. Nec tibi deerunt curæ, & perturbationes, ac multæ molestiæ, ducendo secundā: ad vitādam tamen fornicationē & incendium libidinis, nec solum, sed etiā propter bona matrimonij, secundā accipe vxorē, nec te inculpabunt secundæ nuptiæ. Astipulatur & huic sententiæ Augustinus libro vno de Fide, ad Petrum Diaconum, cap. 42. vbi dicit nuptias esse diuinitus institutas & benedictas, & melius quidem si quisquā sine cōiugio sit, vt liberius atq; plenius cogitet quæ sunt dei, quomodo placeat deo, tamen illis qui continentiam non vouerūt, nullum esse peccatū, si vel mulier nubat, vel vir vxorem ducat. Nec

Roma. 9.

Eccles. 7.

Ecclesiast. 3.

1. Corint. 7.

Mat. 5. & 19

Augustinus.

solas primas nuptias à deo institutas, sed etiam secundas & tertias, pro eorum qui se continere non possunt infirmitate concessas. Et lib. 16. de Ciuit. dei, cap. 34. ostendit exemplo Abrahæ secundas nuptias non esse culpandas. Quid autē sibi vult (inquit) quod Abraham post mortem Sarai, Cethurā duxit vxorem? Vbi absit, vt incontinentiam suspicemur, præsertim in illa iam ætate, & in illa fidei sanctitate. An adhuc procreandi filij quærebantur, cum iam deo promittente tanta multiplicatio filiorum ex Isaac per stellas cæli & arenā terræ, fide probatissima teneretur? Sed profecto si Agar & Hismael (doctore Apostolo) significauerunt carnales veteris testamenti, cur non etiā Cethura & filij eius significant carnales, qui se ad testamentum nouum existimant pertinere? Ambæ quidem & vxores Abrahæ & concubinæ sunt appellatæ. Sara vero nusquā dicta est concubina, sed vxor tantū. Nam & quando data est Agar Abrahæ, ita scriptum est: Et apprehendit Sara vxor Abrahæ Agar Aegyptiam ancillam suam post decē annos, quā habitauerat Abram in terra Chanaan, & dedit eam Abrahæ viro suo vxorē. De Cethura autem quam post obitum Sarai accepit, sic legitur: Adiciens autem Abraham sumpsit vxorem, cui nomen Cethura. Ecce, ambæ dicuntur vxores Abrahæ. Ambæ porrò concubinæ fuisse reperiuntur, postea dicente scriptura: Dedit autem Abraham omnem censum suum Isaac filio suo, & filijs concubinarum suarum dedit Abraham dona, & dimisit eos ab Isaac filio suo adhuc se viuo, ad Orientem in terrā orientis. Habent ergo nonnulla munera filij concubinarum, sed non perueniunt ad regnum promissum, nec hæretici, nec Iudæi carnales. Et paulo post dicit: Quid si enim & hoc prouisum est contra hæreticos futuros, secundarum aduersarios nuptiarum, vt in ipso patre multarum gentium post obitum coniugis, iterum coniugari demonstraretur non esse peccatū? Tum etiam libro vno de Bono viduitatis, capite 4. (si tamen opus sit Augustini) edisserens illud Pauli, Mulier alligata est, quādiu vir eius viuuit: quod si mortuus fuerit vir eius, liberata est: cui vult nubat, tantum in domino: beatior autem erit si sic permanferit secundum meum consilium, dicit: Satis ostendit beatam esse in domino, etiam post mortem viri iterum nubentem fidelem, sed in eodem domino viduam beatiorē. Hoc est vt scripturarum non tantum verbis verū etiam exemplis loquar, beatam esse Ruth, sed Annam beatiorē. Quapropter hoc primum oportet vt noueris, bono quod elegisti non damnari secundas nuptias, sed inferius honorari. Nam sicut bonum sanctæ virginitatis quod elegit filia tua, non damnat vnas nuptias tuas, sic nec viduitas tua cuiusquam secundas. Hinc enim maxime Cataphrygum ac Nouatianorum hæreses tumuerunt, quas buccis sonantibus, non sapientibus etiam Tertullianus inflauit, dum secundas nuptias tantquam illicitas maledico dente concidit, quas omnino licitas Apostolus sobria mente concedit. Et capite 11. eiusdem operis, dicit secundas nuptias non esse crimen. Intellige Cataphryges censuisse secundas nuptias nihil à fornicatione differre, vt idem scribit Augustinus Ad quod vult deum. Adde quod Chrysostomus, explicans illum Pauli locum ad Titum, Sobrie & iuste viuamus in hoc seculo, dicit Paulum secundas permittere nuptias, & magnam vbique huius rei curam ostendere atque diligentiam, ac nusquam ipsius gratia supplicia inferre. Et homilia 14. in 5. caput primæ epistolæ Pauli ad Timotheum, loquens de viduis, dicit: Inspice diligentius, vt non secundis abstinere nuptijs, viduam faciat: sed alijs quoque plurimis illi opus sit. Cur enim, quæso, secundo matrimonium non quæsiuit? an quod reprehensibile existimaret? Absit, id quippe hæreticorum est, sed vt se iam spiritualibus deuouerent rebus, & virtuti instarent attentius. Neque enim immundæ sunt nuptiæ, sed occupationibus parent. Et homilia septima in secundum caput 2. epistolæ Pauli ad Timotheum, ita de hac re scribit: Non ista nunc loquor quod secundas prohibeam nuptias, aut immundas esse putē, neque enim nō permittit Paulus qui ori meo frenum imposuit, dicens: Si autem & nupserit, non peccauit, cæterum beatior erit, si sic permanferit: hoc est, multo istud excellentius est, quàm illud, multis ex causis.

X.ij.

Gala. 4.

Gene. 16.

Gene. 25.

1. Corin. 7.

Chrysostom.

Tit. 2.

Nam si non nubere, multo melius quam nubere est, pari ratione melius est id semel tantum facere quam saepius. In alijs tamen suorum operum scripturis videtur plane infectari secundas nuptias, & eas conferre fornicationi, sed tamen honestae. Nihil tamen reperi honestatis, nec reperire possum in fornicationis vitio, & luto libidinis, tamen non careat plerumque perturbatione mentis qui secundam ducit uxorem. Si enim eo sine duceret, ut postposito dei honore, & neglecta prole, suam expleret libidinem, vituperaretur. Dicit itaque idem Chrysostomus, homilia de Inventionem sanctae crucis, ubi videtur conferre permissionem repudij secundis nuptijs: Hac ratione & apostoli permiserunt secundas adire nuptias, propter incontinentiam hominum. Nam secundam quidem accipere, secundum praecipuum Apostoli est, secundum autem veritatis rationem vere fornicatio est. Si secundam, permittente deo publice, & licenter committitur, fit honesta fornicatio. Haec mihi nunquam grata fuerunt, nisi velis dicere quod tantopere commendat virginitatem, & primas nuptias, ut secundas parum approbet: aut quod esset fornicatio quantum ad causam, quae aliquando solum ad secundas nuptias incitaret, scilicet concupiscentiam, quae etiam ad fornicationem incitat. Nolim tamen somnari, neque diu nare in abditis hominum cogitatis. Eadem scribit is qui secundum Chrysostomi commentarios colligit in 19. caput Matthaei. Mitius tamen de hac controversia dicit Chrysostomus homilia 2. in 1. cap. Epistolae Pauli ad Titum, hunc edisserens locum: Si quis est sine crimine, vnius uxoris vir, Noctis (inquit) profecto omnes quod etsi per leges secundae nuptiae permittuntur, multis tamen ea res accusationibus patet. Et in eadem homilia dicit Paulum castigare impudicos, dum non eos permittit post secundas nuptias ad Ecclesiae regimen, dignitatemque pastoris assumi. Insuper nobis fauet Ambrosius libro vno de Viduis, dicens: Neque vero si qua in secundas nuptias inciderit (quas utique apostolica praecipua non danant) quasi fructu pudoris amissa, si rursus soluta fuerit viro ab effectu viduitatis arceretur. Habebit illa quidem vel serae meritum castitatis, sed probatior erit quae alterius non fuerit experta coniugium. Secundae tamen nuptiae eodem authore in 4. caput 1. epistolae Pauli ad Timotheum non benedicuntur. Homini enim vnam uxorem decrevit deus, cum qua benedicatur. Et licet Hieronymus durius aequo ac acerbius infectetur digamiam, & ardentissimo quodam pudicitiae amore, nonnunquam sit iniquior matrimonio iterato, tamen in epistola ad Geruntiam, non vituperat neque improbat digamiam, tamen si frigide eam laudet. Cum enim ediderit illum Pauli locum de adolescentioribus viduis: Volo ergo iuniores nubere, filios procreare, matres familias esse, nullam occasionem dare aduersario maledicti gratia, dicit Paulum praetulisse digamiam fornicationi, secundum indulgentiam duntaxat, non secundum imperium. Volo (inquit Paulus) adolescentulas nubere. Cur quae? quia nolo adolescentulas fornicari. Et paulo post, Multo tolerabilius est digamiam esse quam scortum: & secundum habere virum, quam plures adulteros. In altero enim est miseriarum consolatio, in altero poena peccati est. Ideo ergo Paulus secunda, & si necesse est tertia, incontinentibus aperit matrimonia, ut a Satana abstrahat, ut magis mulierem qualicumque viro iunctam faciat esse quam diabolo. Et in eadem epistola ostendens praesentissimam aduersus incontinentiam antidotum, dicit: Aliud est quod vult Apostolus, aliud quod cogitur velle: ut concedat secunda matrimonia, mea est incontinentia, non illius voluntatis: vult omnes esse sicut seipsum, & ea cogitare quae dei sunt, & solutos nequaquam ultra alligari: sed si labentes per incontinentiam ad barathrum stupri viderit peruenire, digamiam porrigit manum, ut cum vna magis quam cum pluribus volueretur. quod nequaquam ut amare dictum, & contra Apostoli regulam, secundus nuptiator exaudiat. Duae enim sunt Apostoli voluntates: Vna quae praecipit, Dico autem ininnuptis & viduis, bonum est illis si sic permanerint, sicut ego. Altera, qua indulget, Si autem non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quam vni. Primum quid velit, deinde quid cogatur velle, demonstrat. Vult nos permanere post nuptias, sicut seipsum. Et proposita beatitudi-

Tit. 1.

Ambrosius.

Hieronymus

1. Timot. 5.

1. Corint. 7.

nis Apostolicum ponit exemplum. sin autem nos viderit nolle, quod ipse vult, incōtinentiae nostrae tribuit indulgentiam, quam e duabus eligimus voluntatem, quod magis vult, & quod per se bonum est, an quod mali comparatione sit leuius, & quodammodo nec bonum est, quia praefertur malo. Ergo si eligimus quod Apostolus non vult, sed velle compellitur, imò acquiescit deteriora cupientibus, non Apostoli, sed nostrae facimus voluntatem. Mihi tamen (salua tanti viri reuerentia) videntur admodum amara quae hic dicit: Primum, digamiam non esse per se bonam. Nos à peritissimis didicimus doctoribus Matrimonium, & honorabile matrimonij sacramentum, esse per se bonum. Nam in se haec amplectitur bona: fidem scilicet, prolem, & sacramentum. Et ordinatur matrimonium ad procreandam prolem dei in gloriam, tanquam ad finem primarium, & ad vitandam fornicationem, tanquam ad finem secundarium. Ad haec, si eadem voluntate indulgentiam, velit Paulus inuuptas & viduas nubere, si continere non possint, & hoc quidem ad declinandam incontinentiam, & propter hanc rationem non sit per se bonum viduis nubere, neque eadem ratione, erit per se bonum inuuptis nubere, & sic cogeret fateri matrimonium etiam in primis nuptijs non esse per se bonum. Et temperando calamus dicit in eadem epistola: Quid igitur? damnamus secunda matrimonia? Minime, sed prima laudamus. Abijcimus de Ecclesia digamos? Absit. sed monogamos ad continentiam prouocamus. Sed paulo post dicit secundas nuptias esse extra numerum sementis Evangelicae, quae peperit fructum centesimum pro virginitatis corona: sexagesimum, pro labore viduarum: trigeesimum vero, pro foedere nuptiarum. Et quod me maxime mouet, asserit digamiam non oriri in terra bona, sed in vepribus & spinetis vulpium, quae Herodi impijssimo comparatur, ut in eo se putet esse laudabilem, si scortis melior sit, si publicarum libidinum victimas superet, si vni sit prostituta, non pluribus. Nec tamen auderem dicere, illam quae nupit secundo viro, esse prostitutam. Verbum illud apte competit meretrici. Et enarrans verbum illud Christi, Non legistis, quia qui fecit ab initio masculum & foeminam fecit eos? Sic scribit: Dicendo autem masculum & foeminam, ostendit secunda vitanda coniugia. Non enim ait masculum & foeminas, quod ex priorum repudio querebatur, sed masculum & foeminam, ut vnius coniugis consortia nequerentur. Nec tamen ita nos mouere debent haec Hieronymi verba, ut putemus Christum praecipuisse ut vitemus secunda coniugia, sed ostendit & consulit, ut magnum agnoscamus matrimonij sacramentum in Christo & Ecclesia, vnius quidem sponsi ad vnam sponsam. Fatetur tamen ingenue enarrans 16. caput Hieremiae, Digamiam non descendere ex lege, sed ex indulgentia. Sic enim scribit explicando illum Hieremiae locum, Et factum est verbum domini ad me, dicens: Noli accipere uxorem. Si tempore imminētis captiuitatis, vetitum sit prophetae uxorem ducere, ne tribulationem carnis habeat, & super dolorem proprium, uxoris quoque ac liberorum miseris torqueatur, quanto magis Apostolus iubet, quia abbreviatum tempus est, & imminet consummatio, ut etiam qui habent uxores, sic sint, quasi non habeant. Vnde superflua noui haeretici reprehensio, qua docuimus digamiam & trigamiam, non ex lege descendere sed ex indulgentia. Aliud est enim facere quod per se bonum est, aliud ideo concedi, ne peiora faciamus. Dicit enim & ipse causas cur velit adolescentulas viduas nubere, inferens: Iam enim quaedam earum abierunt retro post Satanam, simulque praceptor continentiae & perpetuae castitatis, & aequalem se blasphemans deo, laudat terna, quaternaque coniugia: quae ego non tam coniugia dicam, quam miseriarum solatia. Prospicis, si quid ex hac doctrina possis colligere, Hieronymum noluisse fateri secunda coniugia, simpliciter dici coniugia, quem arbitrantur & alij doctores paulo iniquiorem fuisse in secundas nuptias. Nec tamen incidit in errorem Tertulliani, qui monogamiam laudando, omnino despexit & reiecit digamiam. Dicit enim Hieronymus Epistolam ad Titum enarrans, Tertullianum scripsisse librum de Monogamia haeticum, qui operibus eius inferitur, quem Apostolo contraire

Matth. 13.

Lucæ 13.

Gene. 1.
Matth. 19.

Hierem. 16.

1. Corint. 7.

Ibidem.

1. Timot. 5.

nemo qui Apostolum legerit, ignorabit. Montanus etiam, & qui Nouati schisma sectantur, putant secunda matrimonia esse ab Ecclesia communione prohibenda, & toto caelo aberrant. Longe aliter sentit Hieronymus de secundis matrimonijs quam Terrullianus. Non enim (vt visum est) damnat secunda matrimonia, sed cum Paulo indulget. Tertullianus verò omnino damnat, & putat esse adulterium. Nam in libro de Monogamia, volens suadere secundas nuptias esse adulterium, dicit: Quid enim aliud est adulterium quam matrimonium illicitum? Nos autem adhaerentes Ecclesiae, negamus secundas nuptias esse matrimonium illicitum. Si enim secundae nuptiae essent illicitae, non dixisset Paulus ad Timotheum, Volo autem iuniores, scilicet viduas, nubere. Et Deuteronomij 25. cap. scriptum est, Quando habitauerint fratres simul, & vnus ex eis absque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri, sed accipiet eam frater eius, & suscitabit semen fratris sui: & primogenitum ex ea filium, nomine illius appellabit. Ruth etiam mulier mortuo suo primo viro, nupsit secundo, qui dictus est Booz. Tum etiam cum vinculum matrimonij non duret nisi vsque ad mortem, moriente altero coniugum, vinculum matrimonij cessat: ergo praecedens matrimonium non impedit, quominus quis possit mortua prima vxore, secundam ducere. Et secundum matrimonium verum est sacramentum. Nam in eo reperiuntur, quae necessaria sunt sacramento: Debita materia, quae facit persona legitima, & debita forma, scilicet expressio, consensus interioris per verba praesentia. Nec dubito quin secundum matrimonium in se consideratum, sit perfectum sacramentum: primo tamen comparatum, non nihil habet defectus sacramenti, quia non habet plenam significationem, cum non sit vna vnus, sicut est in matrimonio Christi & Ecclesiae, & ratione huius defectus, benedictio à secundis nuptijs subtrahitur, quando huiusmodi nuptiae sunt secundae, ex parte viri & mulieris. Si enim virgo nupsit vni viro qui habuit aliam vxorem, benedicuntur nuptiae, & integra est quodammodo significatio: licet enim Christus vnam Ecclesiam sponsam habeat, habet tamen plures personas desponsatas in vna Ecclesia, nec anima potest esse alterius sponsa quam Christi. Et secundum matrimonium in se consideratum, perfectam habet significationem, non tamen primo collatum, & propter defectum sacramenti quodammodo in secundis nuptijs repertum, bigamus non recipit sacros ordines.

CAPVT XXX.

Diuitem difficile est admodum ingredi regnum caelorum.] Hæc Euangelica est Affectio. Cum enim Christus cuidam adolescenti consulisset, vt suas opes diuideret, & eas pauperibus impartiretur, quo posset tranquillius perfectam agere vitam, & immortalis gloria perfrui, nec tamen caeco pecuniarum amore captus, monitioni & prudenti consilio paruisset, dixit discipulis suis: Amen dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnum caelorum. Et iterum dico vobis: facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum caelorum. Auditis autem his discipuli, mirabantur valde, dicentes: Quis ergo poterit saluus esse? Aspiciens autem Iesus, dixit illis: Apud homines hoc impossibile est, apud deum autem omnia possibilia sunt. Enarrans Hieronymus hunc Matthæi locum, mouet ratiunculam, vt hic contextus facilius exprimi possit. Quomodo Abraham, Isaac, & Iacob diuites, intrarunt in regnum caelorum? & in Euangelio, Matthæus & Zachæus diuitijs derelictis domini testimonio prædicatur? Sed considerandum (inquirit) quòd eo tempore quo intrauerunt diuites esse desierunt. Tandiu ergo non intrabunt, quamdiu diuites fuerint. Et tamè quia difficulter diuitiae contemuntur, non dixit, Impossibile est diuites intrare in regnum caelorum, sed difficile. Vbi difficile ponitur, non impossibilitas præteneditur, sed raritas demonstratur. Sed cõparatione cameli & similitudine subiuncta, non difficile ostenditur, sed impossibile. Si enim quomodo camelus non potest intrare per foramen acus, sic diues intrare non potest in regnum caelorum, sed intellige impossibilitatem

1. Timot. 5.

Deut. 25.

Ruth 4.

Matth. 19.
& Marc. 10.
Luca 18.Hieronymus
Gene. 13. &
36.

non quidem simpliciter, sed secundum quid vocatam: ita quod diues nisi deposuerit grauem suarum diuitiarum & peccatorum sarcinam non poterit æternam indispici felicitatem, & quod humana ex se vires non possunt: potest tamen diuina misericordia. Et libro 1. Dialogorum aduersus Pelagianos, dicit Hieronymus Abraham & ceteros, quos in veteri testamento diuites legitimus ingressos regna caelorum, non sibi sed alijs diuites fuisse, & dispensatores magis dei, quam diuites appellados. Et quæst. 1. Hedibæ, explicans illud Christi verbum, Facite vobis amicos de iniquo mammona, qui vos recipiant in æterna tabernacula, ait: Pulchre dixit de iniquo. Omnes enim diuitiae de iniquitate descendunt, & nisi alter perdiderit, alter non potest inuenire. Vnde & illa vulgata sententia mihi videtur esse verissima, diues aut iniquus, aut iniqui haeres. Hæc ille. Et in eadè epistola explicat ea quae dicuntur à Christo de diuite, quem difficile est ingredi regnum caelorum, Diuitem illum, secundum intelligentiam Euangelij putamus dici, qui suis diuitijs non vitatur ad bona opera, sed semper nititur in aceruum congerere, nec suis imperat opibus, sed famulatur, nec satiari potest. Illi siquidem diuitiae sunt oneri, & non vsui, quas & alijs baiulat, & non sibi. Diuitiae plerumque nos ab Euangelica pietate auocant. nec damnandae sunt diuitiae, sed nimius amor & affectus, ac inexplebilis congerendarum facultatum cupiditas. Adde quòd Chrysostomus exponens eundem Matthæi locum de Diuite suis obrato diuitijs, dicit Christum non carere pecunia, sed pecunia detentos. quòd si diuites simpliciter difficile saluantur, quid facient rapientes? Nam si sua non dare, impedimento ad regnum est, quantum sibi contrahit ignem, qui aliena occupat? Theophylactus eandem attingens sententiam, sentit cum Hieronymo, Quòd scilicet diues (quandiu diues est) & ipse quidem habet superflua, & alij non vel necessaria: non ingreditur in regnum. Postquam autem excussa fuerint omnia, tunc non est diues, & postea intrabit. Impossibile est enim multa habentem, intrare, sicut & camelum impossibile est per foramen acus. Hæc ille. Spinae diuitiarum (vt nouimus ex Parabola agricolae iacentis semetipsum) suffocant hominem, & in multis diuitijs violentius est vinculum. Beatus quoque Hylarius Canone 19. in Matthæum, dicit habere diuitias, criminis non esse, sed modus in habendo retinendus est. Nam quomodo impertendum est, quomodo communicandum, si impertiendi & communicandi materia non relinquatur? Ergo nocenter magis habere, quam illud ipsum habere, sit crimen. Sed periculosa cura est, velle ditescere, & graue onus innocentia subit incrementis opum occupata. Hæc ille. Mihi præclare visus est Paulus dixisse, Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nocua, quae mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Et Ecclesiastes dicit de contemnenda diuitiarum sollicitudine: Est & aliud malum quod vidi sub sole, & quidem frequens apud homines: Vir cui dedit deus diuitias, & substantiam, & honorem, & nihil deest animae suae, ex omnibus quae desiderat, nec tribuit ei potestatem deus, vt comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud. hoc vanitas & miseria magna est. Præterea Origenes homilia octaua, in Matthæum, declarans difficultatem nuper adductam, dicit: Considerandus est sermo Christi cautissimus, quoniam non simpliciter dicit: Diues non intrabit in regnum caelorum, quod si dixisset, exclusisset vtique diuites à regno caelorum. Nunc autem dicit, Diues difficile introibit, difficultatem quidem salutis diuitum manifestans, non autem impossibilitatem suae potentiae damnans. Quod ex hoc ipso textu manifestissime declaratur, posse diuitem cum difficultate quidè resistere passionibus suis atque peccatis, tamen posse. Insuper Augustinus interpretans libro primo quaestionum Euangeliorum, quaestione 47. illa Christi verba, Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum dei, dicit Diuitem hic appellari cupidum rerum temporalium, & de talibus superbientem. His diuitibus contrarij sunt pauperes spiritu, quorum est re-

Luca 16.

Chrysostomus.

Theophyl.

Matth. 13.

Hylarius.

1. Timot. 6.

Eccles. 6.

Origenes.

Augustinus

Matth. 5.

X. iij.

gnum calorum. Nam eo manifestatur omnes cupidos, etiam si facultatibus huius mundi careant, ad hoc genus diuitum, quod est reprehensum pertinere, quia postea dixerunt, qui audiebant: Et quis poterit saluus fieri? &c.

CAPVT XXXI.

Iacob. 3.



Domare linguam non quia volumus, possumus. Hanc imprimis Assertionem probabo ex illo quod dicit Iacobus in sua epistola canonica, Omnis enim natura bestiarum & volucrum & serpentium & cetorum domantur, & domita sunt a natura humana. Linguam autem nullum hominum domare potest, inquietum malum, plena veneno mortifero. In hac

Augustinus
Marth. 5.

quoque sententiam descendit Augustinus Sermone 4. de verbis domini, explicans illam Christi sententiam: Qui enim dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennae ignis. Linguam (inquit) nullus hominum domare potest: Et homo domat fera, non domat linguam: domat leonem, & non refrenat sermonem: domat ipse, & non domat seipsum: domat quod timebat, & ut se domet, non timet, quod timere debebat. Sed quid inquit sententia vera? & ista processit de oraculo veritatis. Linguam autem nullus hominum domare potest. Quid ergo faciemus fratres mei? Video me ad multitudinem loqui, sed quia vnum sumus omnes in Christo, tanquam in secreto consilium capiamus. Nullus nos audit extraneus, vnum sumus: quia in vnum sumus, quid faciemus? Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennae ignis. Linguam autem nullus hominum domare potest, ibunt ergo omnes in gehennam ignis? Absit,

Psal. 82.
Psal. 138.

Domine refugium factus es nobis, a generatione in generationem, ira tua iusta est. neminem in gehennam mittis iniuste. Quo ibo a spiritu tuo, & a te quo fugiam, nisi ad te? Ergo intelligamus charissimi, quia si linguam nullus hominum domare potest, ad deum confugiendum est, qui domet linguam nostram. Si enim tu eam domare volueris, non potes, quia homo es: Linguam nullus hominum domare potest. Attendite similitudinem ab ipsis bestiis quas domamus. Equus non se domat, camelus non se domat, elephantis non se domat, aspis non se domat, leo non se domat, sic & homo non se domat: sed ut dometur equus, bos, camelus, elephantis, leo, aspis, quaeritur homo: ergo deus quaeratur, ut dometur homo. Hae ille, & longe plura. Minus dixi quam Iacobus & Augustinus, tamen eadem sit sententia, ne momus & inuidus calumniator, causaretur nos velle liberum arbitrium tollere, licet voluntas hominis diuino adiuta patrocinio, possit frenare linguam & cohibere: non tamen quia vult, hoc potest. Didici aliquando a rationali Philosophia, causalem propositionem non effici veram, nisi antecedens sit causa tota & integra consequentis: modo voluntas hominis non est causa sufficiens & tota, ut importuna & lubrica hominis lingua dometur, sed dei gratia vna cum conatu voluntatis. Nec abs re dixit Paulus: Non quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio. Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Et aliubi, Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere, pro bona voluntate. Et potissimum intelligenda erit illa assertio, de voluntate sensuali, & peccato primi parentis vulnerata, quoniam nec etiam voluntas rationalis possit absque dei auxilio domare linguam hominis. recurrit ad ea quae tractauimus capite nono huiusce voluminis. Adde quod Augustinus plane ostendit libro secundo de Libero arbitrio, capite 20. hominem non posse ex se solo refurgere a peccato. Sed quoniam (inquit) non sicut sponte homo cecidit, ita etiam sponte surgere potest, porrectam nobis desuper dextram dei, id est dominum nostrum Iesum Christum firma fide teneamus. Idem habet libro 3. capite 18. vbi ita differit, Cum enim omnia bona dicerentur ex deo, & magna, & media, & minima, in medijs quidem bonis inuenitur liberum voluntatis arbitrium, quia & male illo vti possumus: sed tamen tale est, quod sine illo recte viuere nequeamus. Et quia omnia bona ex deo sunt, sequitur ut ex deo sit & bonus vsus liberae voluntatis. Et quod scribit libro 2. quaestionum ad Simplicianum, quaestione prima, vim habet non modicam ad tuendum nostram Assertionem, vbi dicit: Quamuis sit in cuiusque potestate

Roma. 7.

Philip. 2.

quid velit, non est tamen in cuiusquam potestate quid possit, quod plane explicat, libro secundo Retractionum, capite primo. Quod ideo dictum est, quia non dicimus esse in potestate nostra, nisi quod cum volumus, fit: vbi prius & maxime est ipsum velle. Sine villo quippe interuallo temporis, praesto est voluntas ipsa cum volumus, sed hanc quoque ad bene viuendum, desuper accipimus potestatem, cum praeparatur voluntas a domino. Lege quae scripsit Hieronymus in dialogis aduersus Pelagianos, qui dicebant hominem si velit, simpliciter posse esse sine peccato, & suo conatu ac libero arbitrio mereri gratiam dei, nos illis repugnantes dicimus, quod est architectus discipulo, hoc est gratia dei libero arbitrio, sine cuius ope nihil possumus mereri, nec beate viuere.

Hieronymus?

CAPVT XXXII.



Decretales Epistolae non exaequantur autoritate Canonibus Conciliorum & definitionibus. Hanc facile suadebo Assertionem. Minus auctoritatis habet Romanus pontifex, quam tota & vniuersalis ecclesia, quam repraesentat concilium generale rite congregatum. Nam Papa in fide errare potest, ut dicit Innocentius huius nominis quartus pontifex, in capitulo primo de summa Trinitate. Et tota mihi aberrare via videtur, qui aliter sentit: & plus veritati tribuendum est, quam amico. assentatur sane Romano pontifici qui faciunt eum immunem a peccato & a lapsu haereseos & scismatis, cum non sit diuino munere confirmatus in gratia: at Concilia generalia legitime congregata non possunt in fide aberrare, pollicitus est enim Christus suis apostolis fide & charitate instructis, suam omnibus in rebus praesentiam, quos suo nunquam destitueret auxilio. Nec spiritus sanctus defuit vnquam ecclesiae & stabilissimo Apostolorum Concilio, qui dubia quaeque discutit, & discutiendo docet omnem veritatem. Quam obrem quibusdam viris doctissimis duplicet quod dixit Gratianus distin. vigesima, Decretales Epistolae Canonibus Conciliorum pari iure exaequari. Et distinctione decimanoona, censuit Decretales Epistolae esse diuinis scripturis annumerandas, & in earum ordinem cooptandas, motus autoritate Augustini non recte citata, sed potius aut inuersa aut deprauata. Sic enim ea profert ut suae Assertionis fide expressius facere possit, In Canonicis scripturis Ecclesiarum catholicarum quam plurimum diuinarum scripturarum solertissimus indagator, auctoritatem sequatur, inter quas sane illae sunt, quas apostolica sedes, & ab ea alij meruerunt accipere Epistolae. Sed Augustinus aliter scripsit & intellexit, libro secundo, de doctrina Christiana, capite octauo, In Canonicis, inquit, scripturis, ecclesiarum catholicarum, quam plurimum auctoritatem sequatur, inter quas sane illae sunt, quae apostolicas sedes habere, & Epistolae accipere meruerunt. Vult innuere Augustinus, illos libros pro Canonicis habendos, qui a pluribus catholicis ecclesijs recipiuntur, inter quas ecclesias, Augustinus firmiter credit, eas esse computandas, quae apostolicas sedes habuerunt, de eis scilicet ecclesijs intelligens, quas apostoli velut earum Episcopi rexerunt, & in hunc modum interpretatur Alphonus a Castro minorita, libro primo aduersus haereses, capite secundo Augustini sententiam, qui nec latum quidem vnguem a nostra Assertionem discessit. Nec inficiari velim sanctissima Romanorum pontificum edicta plurimum auctoritatis obtinere, & quae a supremo ecclesiae concilio approbata sunt, nos possunt obstringere ut non solum ab illis non dissentiamus, verum etiam ut obtemperemus: toto enim studio conati sunt plerique Romani pontifices summis monumentis illustrare Ecclesiam, eiusque inconcussum nauem a turbidis haereticorum fluctibus, & varijs procellarum tempestatibus protegere, multa denique ab illis prudenter instituta sunt ad vtilitatem populi Christiani, & ad corrigendos improborum mores, minori tamen auctoritate praestant quam generalia vniuersalis Ecclesiae Concilia, quae nunquam a recto tramite deflectere possunt, nec illorum Epistolae & scripturae cum Canonicis disciplinis connumerandae sunt, nec ex aequo conferendae. Nulli enim licet diuinas & canonicas scripturas euertere aut immuta-

Matth. 28.

Ioan. 14.

Gratianus
Distin. 20.
& 19.

Augustinus

Alphonus
a Castro.


re. Decreta autem Romanorum pontificum nouis succedentibus causis antiqua
ta sunt. Adde quod si exaequantur auctoritate Canonibus Conciliorum, ob-
stringerentur posteriores summi pontifices illa seruare, quod est falsum. Par-
enim in parem non habet imperium, imò plerumque reuocantur per alios
pontifices, & per contrariam consuetudinem abrogantur. De Decretali-
bus Epistolis vim auctoritatis habentibus, scribit Nicolaus Papa Archi-
episcopis & Episcopis, per Galliam constitutis, in quibus monet, vt
approbent quae Romani pontifices approbauerunt, & reproben-
t quae reprobauerunt. Sic enim scribit, & habetur Distinctione de-
cimanona, Si Romanorum pontificum decreto, caeterorum
opuscula tractatorum approbantur, vel reprobantur, ita vt
quod vere sedes apostolica probauit, hodie teneatur ac-
ceptum, & quod illa repulit, haecenus inefficax habe-
tur. Et in eadem distinctione dicitur: Restat nimirum
quod Decretales Epistolae Romanorum pontifi-
cum sunt recipiendae, etsi non sint Codici Ca-
nonum compaginatae. Hanc amplexamur
sententiam, quae non exaequat Decreta-
les Epistolas, & Romanorum pontifi-
cum Sancita, Canonicis scriptu-
ris, nec Canonibus siue De-
cretis Concilij ge-
neralis.

FINIS QVARTI LIBRI.

Theosophiaë Ioannis Arborei

LAVDVNENSIS LIBER V.

CAPVT I.



Noch nondū est defunctus sed translatus, quem pri-
mogenitum fuisse Cain nō planè indicat Genesis.]
Priorem huiusce Assertionis partem eruaucum ex
historia Geneleos, tum ex approbatissimis auctori-
bus. De Enoch ita loquitur Moses, Ambulauit Enoch Gene. 5.
cum deo. Et vixit Enoch postquam genuit Mathusa-
lem trecentis annis, & genuit filios & filias. Et facti
sunt omnes dies Enoch trecenti sexagintaquinque
anni, ambulauitque cū deo, & non apparuit, quia tu-
lit eum deus. Quod autem non amplius hominibus
apparuerit, & cum tulerit deus, non indicat illum es-
se mortuū, sed solum translatum. Dicit etiam Paulus ad Hebræos, Fide Enoch tras-
latus est ne videret mortem, & non inueniebatur, quia transtulit illum deus. ante
translationem enim testimonium habuit placuisse deo, & hæc Paulus bona ex parte
ex Genesi deprompsit. Chrysostomus hunc Pauli locum edisserēs dicit: Vt enim Chryso.
transferretur causa fuit, quod placuerat. Vt autem placeret deo causa erat fides, ni-
si enim sciret quia recepturus esset retributionem, quomodo placeret deo? Sine fi-
de enim impossibile est placere deo. Quomodo hoc? Credebat enim, quia si quis cre-
diderit esse deum, etiam retributionem habebit. Et paulo post subnectit, multi au-
tem quærunt quo translatus sit Enoch, & quare translatus sit, & quare non fuerit
mortuus neque ipse, neque Helias, & si adhuc viuunt, quomodo viuunt & in quali 4. Reg. 2.
habitu. Sed superuacaneum est ista requirere. Quia verò translatus est iste, & quia
assumptus est ille, scripturæ dixerunt: vbi autem sint, & quomodo, non addiderunt.
nihil autem amplius, quam quæ necessaria sunt, dicunt. Hoc enim factum est, hoc
est quod de translatione dicitur ipsis initijs statim, vt anima humana spem accipe-
ret, & quia solueretur mors, & damnaretur diabolica tyrānis. Translatus est enim,
non mortuus, sed vt non videret mortem: propterea addidit, viuus translatus est,
quia placuit deo. Et Sermone de resurrectione, dicit dominū deū propterea Enoch
transtulisse, & Heliam rapuisse, vt per eos doceret resurrectionis materiam. Astipu-
latur & huic sententiæ Hieronymus libro 1. aduersus Iouinianū, vbi dicit Enoch nō
idcirco translatus, quod vxorem habuerit, sed quod primus inuocauerit deum, & Hieronymus
Esa. 65.
crediderit in saluatorem. Et explicando illud Esaie: Hæc dicit dominus, Quomodo
si inueniatur granum in botro, & dicatur, ne dissipet illud, quoniam benedictio est:
sic faciā propter seruos meos, vt nō disperdam totum ait, Enoch inter peccantium
plurimam multitudinem solus raptus ad deum est. Et ad illum Amos prophetae lo-
cum: Si descenderint vsque ad infernum, inde manus mea educet eos: & si ascen-
derint vsque in cælum, inde detraham eos, dicit: Enoch & Helias rapti cum corpo-
ribus in cælū, dei reguntur arbitrio. Subscribit & Augustinus huic assertioni, libro 1. Augustinus
de Peccatorū meritis & remissione, capite tertio, vbi dicit: Neque Enoch & Helias
per tam longam ætatem senectute maruerunt, nec tamen credo eos iam in illam
spiritalē qualitatem corporis commutatos, qualis in resurrectione promittitur,
quæ in domino prima præcessit: nisi quia isti fortasse nec his cibis egent, qui sui cō-
sumptione reficiunt, sed ex quo traslati sunt, ita viuunt vt similes habeant satieta-
tem illis quadraginta diebus, quibus Helias ex calice aquæ & ex collyride panis si- 3. Reg. 19.
ne cibo vixit: aut si & his sustentaculis opus est, ita fortasse in paradiso pascuntur,

ficut Adam priusquam propter peccatum exinde exire meruisset. Habebat enim quantum existimo & de lignorum fructibus refectionem contra defectiorem, & de ligno vitæ stabilitatē contra vetustatem. Quid autem præfiguraret Enoch trāsflatio, explicat libro 15. de Ciuitate dei, capite 19. vbi dicit: Enoch trāsflatio, nostræ dedicationis est præfigurata dilatio. Quæ quidem iam facta est in Christo capite nostro, qui sic resurrexit vt nō moriatur vltorius, sed etiam ipse translatus est. Restat autem altera dedicatio vniuersæ domus cuius ipse Christus est fundamētum, quæ differtur in finem, quando erit omnium resurrectio non moriturorum amplius. Insuper Tertullianus libro vno de Resurrectione carnis, huic suffragatur opinioni, dicens: Enoch & Helias nondum resurrectione disuncti, quia nec morte funēti, quia tamen de orbe translati, & hoc ipso iam æternitatis candidati, ab omni vitio, & ab omni damno, & ab omni iniuria & cōtumelia emunitatem carnis ediscūt, cui nam fidei testimonium signant, nisi qua credi oportet, hæc futuræ integritatis esse documenta. Tum etiam Cyprianus Tractatu de Sina & Sion, ne quidem lato vngue ab hac sententia digreditur, vbi dicit, Enoch qui ante diluuium deo iustus complacuit, & ideo de isto mundo in carnis suæ natiuitate viuus translatus est in locū, vbi scit, ex quo loco consummationem mundi innouare habet in mundo, vnde etiā translatus est ad confundendum & reuincendum Antichristum. Quo interfecto martyria sua complebunt viuētes in æternum in secula seculorum. Et ideo Enoch interpretatur innouatus. Adde quōd Cyrillus libro tertio, contra Iulianum, in hanc descendit sententiam, dicens: Post par fratrum facti sunt & alij iustitiæ curatores, virtutibus admirabiles, & ad omne opus bonum alacritate præ alijs omnibus primatū nacti, quorum vnum fuisse dico beatissimum Enoch, de quo dicit scriptura sacra quōd non inuentus sit, transfulerat enim eum deus: itaque Enoch quidem transtulit vrpote amicum & familiarem suum. Posteriorem Assertionis partem deducam ex Augustino, libro 15. de Ciuitate dei, capite 8. Si enim Genesis planè suaderet & conuinceret Enoch fuisse primogenitum Cain, præsertim ex illo loco, Cognouit autem Cain vxorem suam, quæ concepit & peperit Enoch, sed ostēdit Augustinus non propterea consequens esse vt Enoch fuisse primum filium Cain credamus. Sic enim scribit: Quod igitur scriptum est, Et cognouit Cain vxorem suā, & concipiens peperit Enoch, & erat ædificans ciuitatem in nomine filij sui Enoch, non est quidē consequens vt istum primum filium genuisse credatur. Neque enim hoc ex eo putandum est, quia dictus est cognouisse vxorem suam, quasi tunc se illi primitus concumbendo miscuisset. Nam & de ipso patre omnium Adam, nō tunc solum hoc dictum est, quando conceptus est Cain, quem primogenitum videtur habuisse, verū etiam posterius eadem scriptura, cognouit (inquit) Adam vxorem suam, & concepit & peperit filium, & nominauit nomen illius Seth. Vnde intelligitur ita solere illam scripturam loqui, quāuis non semper, cum in ea legitur factos hominum fuisse cōceptus, non tamen solum cum primum sibi sexus vterque miscetur. Nec illud necessārio argumento, vt primogenitū patri existimemus Enoch, quōd eius nomine illa ciuitas nūcupata est: non enim ab re est, vt propter aliquam causam cum & alios haberet, diligeret eum pater cæteris amplius. Neque enim & Iudas primogenitus fuit, à quo & Iudæa cognominata est, & Iudæi. Sed etiā si conditori ciuitatis illius iste filius primus est natus, non ideo putādum est tunc à patre conditæ ciuitati nomen eius impositum, quando natus est, quia nec constitui tunc ab vno poterat ciuitas. Quæ nihil est aliud quā hominum multitudo aliquo societatis vinculo colligata, sed cum illius hominis familia tanta numerositate cresceret, vt haberet iam populi quantitatem, tunc potuit vti que fieri, vt ei constitueret & nomen primogeniti sui cōstitutæ imponeret ciuitati. Hæc ille. Fatetur tamē Iosephus libro primo antiquitatum Iudaicarum, capite 4. Enoch fuisse filium senioreni Cain, à quo Enochiam ciuitatem appellauit, sed is quod primum legentibus videri in sacris literis possit, est secutus. nolim tamē nec affirmare, nec etiam

negare Enoch fuisse primogenitum Cain. cum enim dicat historia Geneseos, Cain cognouisse vxorem suam quæ peperit ei Enoch, nec differit de aliquo prius genito, videtur esse primogenitus, quamuis argumentum nō necessārio colligat, solum diximus cum Augustino locum illum nuper pronuntiatum, non planè & manifeste indicare Enoch fuisse primogenitum Cain.

CAPVT II.

ESaias vniuersa domini sacramenta cōtinens, non solum est Propheta, verum etiam Euangelista & Apostolus, & magis Euangelista quā propheta. Hanc eruemus Assertionem ex Hieronymo, qui summopere extollens sublimem & omnium excellentissimam huiusce nobilissimi viri prophetiam, in Proemio ad Esaiam dicit, Nullus putet me voluminis istius argumentum breui cupere sermone comprehendere, cum vniuersa domini sacramenta præsens scriptura contineat, & tam natus de virgine Emmanuel, quā illustrium patrator operum atque signorum, mortuus ac sepultus, & resurgens ab inferis, & saluator vniuersarum gentium prædicetur. Quid loquar de Physica, Ethica & Logica? quicquid sanctarum est scripturarum, quicquid potest humana lingua proferre, & mortalium sensus accipere, isto volumine continetur. De cuius mysterijs testatur ipse qui scripsit, Et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti literas, dicent lege istū, & respondebit, non possum, signatus est enim. Et dabitur liber nescienti literas, dicerūq; ei lege, & respondebit, nescio literas. Siue igitur hunc librum dederis nescienti literas populo nationum, respondebit non possum legere, quia non didici literas scripturarū: siue dederis Scribis & Phariseis, qui legis literas nosse se iactant, respondebunt, non possumus legere, quia signatus est liber. Qui idcirco eis signatus est, quoniam non receperunt eum, quem signauit pater, qui habet clauem David, qui aperit & nemo claudit, qui claudit & nemo aperit. Quod autem Esaias sit propheta, testatur de seipso dicens: Visio Esaiæ filij Amos. Prophetæ prius vocabantur vidētes. Quod sit Euangelista, ipse enim de se & de cæteris Euangelistis ait: Quam speciosi pedes euangelizantium bona: euangelizantium pacem. Et ad ipsum quasi ad apostolum loquitur deus, Quem mittam & quis ibit ad populum istum? Et ille respōdit, Ecce ego, mitte me. Quod autem magis dicatur Euangelista quā propheta, testatur Hieronymus in Apologia aduersus Rufinum, & ita suadet, Vniuersa Ecclesiæ Christi mytheria, sic ad liquidum est persecutus, vt non de futuro vaticinari, sed de præteritis historiam texere crederetur. Ap probat Augustinus limatum ac exactum Hieronymi iudicium libro 18. de Ciuitate dei, capite 29. quamuis supprimat nomen Hieronymi, sic enim scribit: Esaias inter illa quæ iniqua arguit, & iusta præcepit, & peccatori populo mala futura prædixit, etiam de Christo & ecclesia, hoc est de rege, & ea quam condidit ciuitatē multo plura quā cæteri prophetauit, ita vt à quibusdam Euangelista quā propheta potius diceretur. quōd autem Esaias aperte & dilucide scripserit, non solum testatur Hieronymus, sed etiam Augustinus libro nono Confessionū, capite 5. vbi dicit Esaiam præ cæteris, Euangelij, vocationisque gentium fuisse prænuntiatorem apertioreni, videtur sanè omnium iudicio & consensu nō ventura prædicere inuolucris & ambiguis verbis ac obscuritate velatis, qui mos est vatum, sed aperte, detecteque præterita enarrare, quem Hieronymus ad Paulā & Eustochium, scribit nobilē fuisse virum, disertum & vrbanae eloquentiæ, nec habentē quicquam in eloquio rusticitatis admixtum. Prophetauit autem in Hierusalem & Iudæa, siue vt vult Hieronymus super Iudam & Hierusalem sub 4. regibus, Ozia, Ioatham, Achaz & Ezechia. Fatetur Cyrillus libro primo, contra Iulianum, Eliam & Eliseum prophetasse 268. anno captæ Troiæ, & 280. anno post captā Troiam prophetarunt Osee, Amos & Esaias. Serratus est autem à Manasse rege Iuda focero suo, vt Hebræi ferunt, ferrati lignea. Vnde quod ad Hebræos vndecimo, de sanctorum supplicijs legitur, ferrati sunt, ad Esaiam referri solet. & causa propter quam impie interfectus est à maio-

Hieronymus

Esa. 29.

Apoca. 3. & Esa. 22.

Esa. 1.

Esa. 52.

Esa. 6.

Augustinus

Hebræi. 11.

ribus suis, est, quod dixerit se vidisse dominum Sabaoth, quod si (inquit Hieronymus Epistola Damasus) Moyses viderit faciem ad faciem dominum deum, etiam & Esaias: & si eam ob causam occiderint Esaiam, quod dixerit se vidisse deum, etiam debebant occidere Moysen, qui testatus est se vidisse deum faciem ad faciem. Scribit Origenes homilia prima in Esaiam, hunc prophetam sectum fuisse a populo, quasi le gem praevuaricantem, & extra scripturas annuntiantem: scriptura enim dicit, nemo videbit faciem meam & viuet, iste vero ait: Vidi dominum Sabaoth. sed illi lapsi sunt, non potentes scripturas adiuuicem conferre. non enim sciebant quia duabus alis velauerunt faciem dei Seraphim. vidit quidem Esaias dominum, sed faciem non vidit. Differuit & Augustinus libro 18. de Ciuitate dei, capite 24. de morte Esaiæ, qui sub Manasse sectus in duas partes occubuit, vbi dicit: Numa regnante Romæ, & apud Hebræos initio regni Manasse, à quo impio rege propheta Esaias perhibetur occisus, Samiam fuisse Sibyllam ferunt. Intelligant omnes Esaiæ prophetiam, multum habere authoritatis & virium ad reuincendos Iudæorum errores, & ad diluendas eorum rationes, vt docet Augustinus in oratione contra Iudæos, capite octauo: & cum audis Esaiam, non tam hominis quam spiritus sancti vocem audis, de cuius admiranda virtute dicit Chrysostomus homilia tertia de incomprehensibili dei natura contra Anomæos: Cum Esaiam dico, sententiam spiritus sancti intelligo. Propheta enim non nisi quæ diuinitus inspirantur, scribit & loquitur.

CAPVT III.

Eccllesia incepit ab angelis. Hanc conabor Assertionē stabilire ex Apocalypsi & ex doctrina Augustini, sublimia Apocalypseos mysteria interpretatis: Antequam primi parentes inferti fuissent ecclesie militanti, sincera fide credentes deo, & diuinis personis, erat apertum templum dei in celo, id est in ecclesia, vt exponit Augustinus, in qua incarnationis Christi mysteria patefacta sunt: vnde ostenditur ecclesia, celum esse. Et qui primum crediderunt in vnum deum, & in ecclesia dei fide coluerunt, haud dubie fuerunt angeli. Et cum exponit illud Apocalypseos: Et factum est prælium magnum in celo, dicit in ecclesia, & Michael & angeli eius praeliabatur cum Dracone, non quod putemus Diabolum & angelos eius in celo aulos esse pugnare, scilicet eo in loco, in quo beati æterna beatitudine fruuntur, sed in ecclesia militante, primum Michael & angeli eius, praeliati sunt, & draco vnà cū suis angelis propter tumidam superbiam à celo videlicet ab ecclesia dei deiecti sunt, quod subnectit Ioannes, & draco pugnabat & angeli eius, & non valuerunt, neque locus inuentus est eorum amplius in celo, & proiectus est draco ille magnus serpens antiquus, qui vocatur diabolus & satanas, qui seducit vniuersum orbem, & proiectus est in terram, & angeli eius cum illo missi sunt. Et licet omnes angeli fuerint vocati ad hæc ecclesiam illustrandam, tamen qui sua arrogantia lapsi sunt, non fuerunt electi, nec libro vitæ agni, inscripti. Quod aliubi ostendit diuus Ioannes, dicens: Et datum est illi bellum facere cum sanctis, & vincere eos. Et data est illi potestas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem, & adorauerunt eam omnes qui inhabitabant terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ agni, qui occisus est ab origine mundi. & hunc enarrans locum Augustinus, ita loquitur: De diabolo dixit vel eius populo, non est scriptum nomen eius in libro vitæ signati ab origine mundi, quia in præscientia dei ecclesia antè præordinata est atque signata. Et exponens illud psalmodographi: In terra quam fundauit in æternum, dicit ecclesiam esse in æternum fundatam. Adde quod si mysterium vitæ æternæ, & sacramentum redemptionis Christi ab exordio generis humani, primū fuerit per angelos prædicatum (vt dicit Augustinus libro septimo de Ciuitate dei, capite 32.) verisimile est angelos huiusce sacramenti fidem habentes, primos fuisse ecclesie militantis colonos, & licet ecclesia inceperit ab angelis, tamen in antiquis patribus fuit, & in prophetis vsque ad aduentum saluatoris nostri, vt ostendit Augustinus Sermone 217. vbi dicit: ecclesia ca-

tholica fratres non solum post aduentum domini, & saluatoris nostri prædicata est, sed etiam ab initio mundi, multis figuris & sacramentis secretioribus designata. Nā & in sancto Abel, ecclesia catholica fuit, & in Noe, & in Abrahamā, & in reliquis, vsque ad aduentum domini saluatoris. Hæc ille. Nec addubito quin ecclesia deceter fuerit in Abel adumbrata, qui syncero affectu obtulit munera deo, de primogenitis gregis sui. Ad quem respexit dominus, & ad munera eius. Hoc exprimitur sacramento & adumbrata figura, oblationes, sacrificia, & munera, quæ in nostra ecclesia integritate animi & puro pectore, deo offeruntur, quæ gratissima sunt domino, si prius offerentis animus illi gratus fuerit. Suum etiam habuit ecclesia typum in Arca Noe, in qua erant munda & immunda animalia, sunt etiam in ecclesia dei, homines mundi & immundi, iusti & iniusti, & palea frumento iuncta. Præfiguravit & sacrificium Abrahamæ in immolatione sui filij, sacrificium quod Christus obtulit in Ara crucis pro abstergendis ecclesie sordibus, fuit etiam ecclesia dei, in Adam præfigurata, qui hoc de magno matrimonij sacramento vaticinium protulit: Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrē, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna, cuius sublimem intelligentiam expressit Paulus ad Ephesios dicens: Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo & in ecclesia. Cœpit etiam ecclesia apostolorum, & quæ nostra est, ab Hierusalē: vt ostendit Augustinus in psalimum 147. ad locum illum: Qui posuit fines tuos pacem, vbi dicit: Remissio peccatorum in Christi nomine prædicatur. Vbi prædicatur? Per omnes gentes. Vnde incipit? ab Hierusalē. Communica huic ecclesie, quare litigamus? Cœpit enim hæc ecclesia ab Hierusalē ista terrena, vt gaudeat de deo in illa Hierusalē cælesti. Ab hac enim incipit, ad illam terminat. In illa, tota ecclesia erit: ab ista, exordium fidei sumpsit, sed intellige secundum repromissiones factas populo Iudaico, & primordia euangelicæ professionis. deinde subnectit, Lege Actus apostolorum si forte mentior, quomodo ibi erant congregati discipuli cum venisset spiritus sanctus, vt ostendatur tibi quod dixit dominus: Incipientibus ab Hierusalē, quomodo linguis omnium locuti sunt, in quos venit spiritus sanctus. Et hæc est ecclesia quæ creata est donec occupet omnes linguas. & deinde ostendit qua inceptio forma inceperit ecclesia ab Hierusalē, vt per omnes gentes propagaretur. Hieronymus passim vocat in 16. caput Ezechielis, Hierusalē, ecclesiam, quæ dicta est visio pacis. De qua scriptum est, Factus est in pace locus eius. Et Hierusalē quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipsum. Et in apostolo: Quæ autem sursum est Hierusalē, libera est, quæ est mater nostra. Et in eodem, Accessistis ad Sion motem & ad ciuitatem dei viuentis, Hierusalē cælestem, & milia angelorum frequentium, & reuertetur cum filiabus suis quæ in toto orbe dispersæ sunt. Dicit quidam interpretes ad illam Christi sententiā: Hierusalē, Hierusalē quæ occidis prophetas &c. Hierusalē hic, semper ecclesiam intellige, quæ dicitur ciuitas pacis, cuius fundamenta posita sunt super montes scripturarum. Sicut ergo illi Iudæi qui fuerant Hierusalē spiritualis, ingressi crediderunt in Christum, illi autem qui erant Hierusalē corporalis, manentes in corporali Iudaismo, persequebantur spirituales Iudæos, id est apostolos, cæterisque ex circuncisione credentes, sic & de ista noua Hierusalē, id est ecclesia, qui spirituales Christiani fuerunt, relicta corporali ecclesia, quæ perfidi occupauerant violentia, exierunt ab illis. Magis autem illi exierunt à nobis, sicut Ioannes exponit: Non enim ille de ecclesia exire videtur, qui corporaliter exit, sed qui spiritualiter veritatis ecclesiasticæ fundamenta relinquit. Nos enim ab illis exiuimus corpore, illi autem à nobis animo. Nos ab illis exiuimus loco, illi à nobis fide. Nos apud illos reliquimus fundamenta parietum, illi apud nos reliquerunt fundamenta scripturarum. Nos ab illis egressi sumus, secundum aspectum hominum, illi autem à nobis secundum iudicium dei. Ideo & illi corporales Christiani, persequantur nostros spirituales, specie colorata, varietate fundata. Hæc ille. Hæc sensilis Hierusalē, siue nostra ecclesia militans, nobis munit viam ad cælestem

Origenes.

Exo. 33.
Esa. 6.

Augustinus

Chryso.

Augustinus

Apoca. 11.

Apoca. 12.

Apoca. 13.

Psal. 77.

Gene. 4.

Gene. 7.

Gene. 22.
Gene. 2.

Eph. 5.

Psal. 147.

Acto. 2.

Hieronymus
Psal. 75.
Psal. 121.
Gala. 4.
Hebræ. 12.

Matth. 23.

1. Ioan. 2.

Augustinus. Ecclesiam, & spiritalem beatorum Hierusalem indipiscendam, in qua cum spiritibus angelicis coniungemur, quod erudite ostendit Augustinus libro vno Enchiridij ad Laurentium, capite 61. vbi dicit Ecclesiam quae in sanctis angelis & virtutibus dei est, tunc nobis sicuti est, innotescere, cum ei coniuncti fuerimus in finem, ad simul habendam aeternam beatitudinem. Ista vero quae ab illa peregrinatur in terris, eod nobis notior est, quod in illa fumus, & quia hominum est, & nos fumus. Haec sanguine mediatoris nullum habentis peccatum, ab omni redempta est peccato, eiusque vox est ad Romanos: Si deus pro nobis, quis contra nos? Qui filio suo proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, non enim pro angelis mortuus est Christus. Et in psalmum 9. ad locum illum, Psallite domino qui habitat in Sion, inquit: Praecedat speculatio visionem, sicut ista Ecclesia quae dicitur militans, praecedat eam (quae promittitur) ciuitatem immortalem & aeternam. Sed praecedit tempore, non dignitate, quia honorabilius est quo peruenire nitimur, quam id quod agimus, ut peruenire mereamur, agimus speculationem ut perueniamus ad visionem. Et in 21. caput Euangelij Ioannis, ad locum illum: Sequere me, dicit hanc Ecclesiam esse specie beatam in hac vita aeternam, cuius Petrus apostolus propter apostolatus sui primatum gerebat figurata generalitate personam: & quod illi dictum est: Tibi dabo claves regni caelorum, & quodcunque ligaueris super terram &c. vniuersam significabat Ecclesiam, quae in hoc seculo, diuersis tentationibus, velut imbribus, fluminibus, tempestatibusque quatitur, & non cadit, quoniam fundata est super petram. Est autem alia vita immortalis (vt postea subiungit) quae non est in malis, ibi facie ad faciem videbimus, quod hic per speculum, & in aenigmate videtur, quando multum in conspicienda veritate proficitur. Duas itaque vitas sibi diuinitus praedicatas, & commendatas nouit Ecclesia: quarum est vna in fide, altera in specie: vna in tempore peregrinationis, altera in aeternitate mansionis: vna in labore, altera in requie: vna in via, altera in patria: vna in opere actionis, altera in mercede contemplationis: vna declinat a malo & facit bonum, altera nullum habet, a quo declinet malum, & magnum habet quo perfruatur bono: vna cum hoste pugnat, altera sine hoste regnat: vna fortis est in aduersis, altera nihil sentit aduersi: vna carnales libidines frenat, altera spiritualibus delectationibus vacat: vna est vincendi cura sollicita, altera victoriae pace secura: vna in tentationibus adiuuatur, altera sine vlla tentatione, in ipso adiutore laetatur: vna subuenit indigenti, altera ibi est, vbi nullum inuenit indigentem: vna aliena peccata vt sua sibi ignoscantur ignoscit, altera nec patitur quod ignoscat, nec facit quod sibi poscat ignosci: vna flagellatur malis, ne extollatur in bonis, altera tanta plenitudine gratiae caret omni malo, vt sine vlla tentatione superbiae, cohaereat summo bono: vna bona & mala discernit, altera quae sola bona sunt, cernit: ergo vna bona est, sed adhuc misera, altera melior & beata, quae significata est per Ioannem, illa per apostolum Petrum, quae tota hic agitur vsque in huius seculi finem & illic inuenit finem, differtur coplenda post huius seculi finem, sed in futuro seculo non habet finem. Ideo huic dicitur, Sequere me, de illo autem: Si eum volo manere donec veniam, quid ad testu me sequere. Haec ille. Insuper congruentius fuit Ecclesiam incepisse ab angelis quam ab hominibus. Habet enim Ecclesia radices potius in caelo fixas, quam in terra, vt dicit Chrysostomus homilia 4. de verbis Esaiæ, Vidi dominum &c. Et deus latius fundauit Ecclesiam quam caelum: est enim caelo honoratior Ecclesia. Nam caelum conditum est propter Ecclesiam, Ecclesia non est condita propter caelum. Caelum conditum est propter hominem, non homo propter caelum. Id perspicuum est ex his quae fecit Christus. Non enim caeli corpus assumpsit, sed hominis. Et homilia 3. In Acta Apostolorum, differens de primae Ecclesiae statu, in vno & eodem erga Christum amore, quo Apostoli non erant abinuicem diuisi, existimat exponendo illud Lucæ, Viri fratres, oportet impleri scripturam &c. eam esse Ecclesiae dignitatem & statum angelicum, vt quemadmodum ex ordine Apostolorum nullus erat ab alijs diuisus, non masculus, non foemina, nec

aliquis erat sollicitus de his quae ad corporis victum pertinent, nec quemque torquebat cura rei domesticae: ita inter veros Christianos & potissimum inter insignes Ecclesiae praelatos, a quibus firmissima Ecclesiastica nauiculae anchora depedit, nullus debet ab altero distingi, nec sibi praeter ceteris fastuosam dignitatem vendicare, nec summos ambire honores, nec anxia tuendi corporis cura torqueri. Tales summo opere optat & nunc esse congregationes, quibus Ecclesia Christi nobilitatur & florētissima redditur. Praeterea, si fundamentum Ecclesiae, sit fides, vt dicit Hylarius lib. 6. de Trini. & idem sentit omnes sacri doctores, ab illis iure incepit Ecclesia, a quibus incepit fides, & in quibus prima fidei plataria inuenta sunt. sed ab angelis incepit fides, quibus mysterium incarnationis fuit primo reuelatum, & in eis fides primum fuit platarata, & insita: igitur & ab angelis incepit Ecclesia. Adde quod Origenes homil. 2. in Cantica Cantorum nobis fauet, vbi dicit: Antequam aduenisset tempus incarnationis Christi, in multis, angelorum ministerio excolebatur spōsa, scilicet Ecclesia, qui apparebant tunc hominibus & loquebantur ea quae res poscebat & tempus. Non enim tu mihi ex aduentu saluatoris in carne, spōsam dici aut Ecclesiam putes, sed ab initio humani generis, & ab ipsa constitutione mundi: immo vt Paulo duce, altius mysterij huius originem repetam, ante etiam constitutionem mundi. Sic enim dicit ipse, Elegit nos in Christo, ante constitutionem mundi, vt essemus sancti & immaculati coram ipso in charitate, praedestinans nos in adoptionem filiorum. Sed & in psalmis scribitur: Memoro congregationis tuae domine, quam congregasti ab initio. Sed intellige originem Ecclesiae, fuisse ante mundi constitutionem secundum praescientiam diuinam, & non simpliciter. Nam antequam deus condidisset mundum, nullus erat qui crederet in deum. Deinde dicit Origenes: Prima fundamenta congregationis Ecclesiae, statim ab initio sunt posita. Vnde & Apostolo dicitur edificari Ecclesiam non solum super Apostolo. fundamentum, sed etiam prophetarum. Inter prophetas autem numeratur, & Adā, quia magnū mysterium prophetauit in Christo & in Ecclesia, dicens: Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suae &c. Euidenter enim de his dictis eius dicit Apostolus quia mysterium hoc magnū est. Ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Sed & idem apostolus eum dicit, Sic enim Ecclesia dilexit, vt semetipsum traderet pro ea, sanctificans lacuacro aqua, non vtiq; ostendit eam prius non fuisse. quomodo enim dilexisset eam quae non erat? Sed eam sine dubio dilexit, quae erat. Erat autem in omnibus sanctis, qui ab initio seculi fuerunt facti: diligens igitur eam, venit ad eam. Et sicut pueri sui communicauerunt carni & sanguini, similiter & ipse particeps factus est eorumdem, ac semetipsum pro eis tradidit. Ipsi enim erant Ecclesia quam dilexit, vt eam vel numerositate auget, vel virtutibus excoleret, vel perfectionis charitate de terris transferret ad caelum. ministrauerunt ergo & prophetae ab initio, ministrauerunt & angeli. Quid enim aliud fiebat tunc, cum apparuerunt tres viri Abrahamae sedenti ad quercum Mambræ? Licet illa angelorum species, plus aliquid quam angelicum ostenderit ministerium: nam trinitatis ibi mysterium predebat. Hoc erat & in Exodo, cum angelus domini dicitur in flamma ignis apparuisse Moyse in rubo. Continuo autem & in subsequētibus, dominus & deus loqui in angelo scribitur, & ipse deus esse Abrahamae, & deus Isaac, & deus Iacob designatur. Et in eadem homil. dicit Origenes, sanctos angelos ante aduentum Christi velut paruulæ adhuc sponsae tutelam procurasse. Dicit Lyranus in primū caput Canticorum, quod licet Ecclesia a principio mundi inceperit, tamē specialiter nomen spōsae primo in datione legis in monte Sinai accepit, per quam plebs Israel fuit desponsata deo per fidem & patriam, alijs gentibus ad idololatriam declinatibus. Videtur tamē a nobis, dissentire. Nam dicit in 15. cap. Actorum Apostolorum, enarrans locum illum, Et huic concordat verba prophetarum, sicut scriptum est, vna esse Ecclesiam quae incepit a primo Abel iusto vsque ad vltimum electum, qui in fine mundi est nasciturus: & hoc desumpsit ex doctrina beati Gregorij. Idem scribit, in 9. cap. Amos prophetae vbi dicitur, In die illa suscitabo tabernaculum Dauid quod cecidit. Et in 10. ca. Zachariae ad locum illum, Et multiplicabo eos sicut ante fuerat multiplicati. Nec tamē existimo Lyranum nobis aduersari. Qui

enim dicunt Ecclesiam ab Abel incepisse, ex eo putat prima Ecclesiam fundamenta & femina in Abel reperta fuisse, quod primus martyrium passus sit, & reliquit Ecclesiam sectanda sui sanguinis effusi vestigia, & etiam propter oblationes sincera fide & ardenti deuotione deo consecratas: non tamen quod fides Ecclesiam primum coeperit ab Abel iusto. Nec discedimus a doctrina Beati Gregorij dicentis a sanguine Abel passionem Ecclesiam coepisse. ¶ Attende diligenter, quod sicut vna est fides, vnu baptisma, vnus dominus, ita & vna Ecclesia, quam Christus eius sponsus sanctificauit, & mundauit laua cro aquae in verbo vitae. Nec dixit Paulus sacramentum istud magnum est in Christo & in Ecclesijs, sed in Ecclesia, vt vnus caelestis sponsus vna sit & caelestis sponsa. Dicit & Ioanes, Qui habet sponsam, sponsus est, amicus autem sponsi qui stat & audit eum gaudio gaudet, propter vocem sponsi. Adde quod Augusti. Episto. Honorato, professens illud prophetae, Et de manu canis vnica meam, dicit, Nihil aptius quam vnica Ecclesia mihi videtur intelligi. Et Ecclesia vnica, est vnica catholica, qua toto orbe copiosa diffunditur, quae vsq; ad vltimas gentes crescendo porrigitur. Vnde in Euangelio dicit Christus, Et praedicabitur hoc Euangelium in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet filius hominis. Et Epist. 66. redarguens Donatistas, eos hortatur vt teneant vnitatem Ecclesiae. Si enim teneant Christum, cur non tenebunt Ecclesiam? Nec dicat schismatum assertores: Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego verum Cephe, ego autem Christi. demus opera vt omnes simus Christi, quia nec diuisus est Christus. Et lib. 2. contra Epistolam Parmeniani, ca. 8. proferens illud Pauli ad tuendam Ecclesiam vnitatem: Vnus enim deus, vnus & mediator dei & hominum, homo Christus Iesus, dicit in Christo nos vnum esse, si seruemus vnitatem spiritus in vinculo pacis. In super libro vno de vnitatem Ecclesiae contra Petilianum Donatistam Epistolam, dicit, cap. 2. vbi inquit vtrum Ecclesia sit apud Donatistas, an porius inter verum Christianos, vnam esse Ecclesiam, quam maiores nostri catholicam nominarunt: quod si quis non sit in membris Christi, Christianam salutem habere non potest. Et exponens illud Psalmographi, Domine quando respicies, restitue animam meam ab astutijs eorum, a leonibus vnica meam, vocat hanc vnica, Ecclesiam dei, quam dominus liberat a saeuicibus potestatis: sed quae sit illa vnica, lege subsequetur: Confitebor tibi domine in Ecclesia magna, in populo graui laudabo te, plane (inquit) in Ecclesia, multa confitebor tibi, in populo graui laudabo te. fit enim confessio in omni multitudine, sed non in omnibus deus laudatur. Tota multitudo audit confessionem nostram, sed non in omni multitudine laus dei est, in ista enim omni multitudine, id est, in Ecclesia quae toto orbe terrarum diffusa est, palea est, & frumentum manet. Et in psalmum 64. vbi dicit Dauid, fluuius dei repletus est aqua, conficit quandam similitudinem fluuii ad Ecclesiam, dicens: Si flumina & vnus fluuius, quia propter vnitatem multi vnum sunt, multae Ecclesiae, & vna Ecclesia: multi fideles, & vna sponsa Christi. Et enarrando illum eiusdem prophetae locum, Et tu cognouisti semitas meas, dicit propter vnitatem Ecclesiae, vna esse Ecclesiam, vna est enim coluba mea, vna est matris suae, propter congregationes fratres nas, per loca, multae sunt Ecclesiae, Ecclesijs (inquit Paulus) Iudaeae, quae erant in Christo, era ignota facie. & vna dixit Ecclesiam ad Corinth. Sine offensione estote Iudaeis & gentibus, & Ecclesiae dei. Adde quod beatus Cyprianus libro 1. Epistolarum, Epistola 6. Magno filio dicit, Ecclesiam esse vnam, quae vna & intus esse, & foris non potest, & haec Ecclesiae vnitatis figuris designata est. Scriptum est enim de sacramento paschae & agni, qui agnus Christum designabat, In domo vna comedetur, non eiecietis de domo carnem foras. Quod ite circa Raab, quae ipsa quoque typum portabat Ecclesiae, expressum videmus, cui mandatur & dicitur, Patrem tuum & matrem tuam, & fratres tuos, & totam domum patris tui colliges ad te ipsam in domum tuam, & omnis qui exierit ostium domus tuae foras, reus sibi erit. Quo sacramento declaratur in vna domum solam, id est in Ecclesiam victuros, & ab interitu mundi euasuros colligi oportere. Quisquis autem de collectis foras eiecerit, id est, si quis in Ecclesia gratiam consecutus recesserit, & ab Ecclesia exierit, reus sibi futurum, id est ipsum sibi quod pereat imputaturum. Haec ille. Adnotat

quidam, quod sicut vna est fides antiquorum & modernorum, variata tamen secundum maiorem & minorem explicationem: sic est vna Ecclesia, variata tamen secundum maiorem & minorem coniunctionem ad deum. quia magis coniuncta est tempore noui testamenti. & hoc modo accipit Ecclesiam Beatus Gregorius in suis hom. dicens: Quis similitudinem patris familias rectius tenet quam conditor noster? qui eos quos condidit sic possidet, quasi subditos in domo qui habet vineam, scilicet vniuersalem Ecclesiam, quae a primo Abel iusto vsq; ad vltimum electum, qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos prouulit, quasi tot palmites misit.

CAPVT IIII.

Ecclēsia potest multis persecutionibus cocuti, etiā vsq; ad finē mundi, sed nō potest subuerti. ¶ Tametsi nobis suppetat plurimi sacrae scripturae loci ad tuendam hanc Assertionem, aliquot tamen vrgentiores, & qui magis conducunt, adferemus. Cū Christus misisset suos discipulos per vniuersam Iudaeam ad promulgandam Euangelicam libertatis doctrinam, quos tamen nō ignorabat durissima persequeros tormenta, dixit illis: Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut colubae. Cauete autem ab hominibus. Tradet enim vos in concilijs, & in synagogis suis flagellabunt vos, & ad praesides & reges ducemini propter me, in testimonium illis & gentibus. Cū autem tradet vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. nō enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & insurgent filij in parentes, & morte eos afficiet, & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. qui autem perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit. Cū autem persequeretur vos in ciuitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis, nō consummabitis ciuitates Israel donec veniat filius hominis. Hac verborum lenitate suos consolatur discipulos, & animat ad alacrius turbulētis persecutionum procellis obfistendum, quos suo nunquam subsidio destituet. Et quo crudeliora subibunt tormenta constanti & inuictō animo, eo fortiores euadent, & maius gloriae praemium consequentur. Verū vt minus cominationes tyrannorum, & paratos etiā iugulo gladios reformidarēt, dixit: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam. Et acerba reprehensione Petri, sed tamen iusta, docuit supplicia ab impijs inferenda non esse extimesceda, cui dixit volenti impedire ne ad crucem sufferendam properaret: Vade post me sathana, scandalum es mihi, quia nō sapis quae dei sunt, sed ea quae sunt hominum, tunc ad discipulos conuersus, ne metu mortis frangeretur, dixit: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Quid enim prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animam verò suam detrimentum patiat? Aut quā dabit homo computationem pro anima sua? Et ad sceleratissimos persecutores qui aliquando suae miserae & nephandae vitae poenas luent, haec loquitur: Ecce ego mitto ad vos prophetas, & sapientes, & scribas: & ex illis occidetis & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis vestris, & persequemini de ciuitate in ciuitatem, vt veniat super vos omnis sanguis iustus qui effusus est super terram a sanguine Abel iusti vsq; ad sanguinem Zachariae filij Barachiae, quem occidistis inter templum & altare. Amen dico vobis veniet haec omnia super generationem istam. Sed quae beatum sit & vtile durare aduersus omnia caeli incommoda, & inauditas hominum iniurias, docuit Christus post suam passionem, qui vndecim discipulis in Galilaeam abeuntibus, dixit, Data est mihi omnis potestas in caelo & in terra. eūtes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, docentes eos seruire omnia quaecunque mandauit vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsq; ad con summationem saeculi. Et aliubi dixit suis quoque discipulis: Ego rogabo patrem, & alium paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in aeternum. Quid diuinius & optabilius, hac promissione Apostolis & toti Ecclesiae facta? quae varijs agitata haereticorum

Gregorius

Matth. 10.

Matth. 16.

Matth. 23.

Gene. 4.

Hebrae. 11.

2. Paral. 24.

Matth. 28.

Ioan. 14.

Y. ij.

& scismaticorum fluctibus, nunquam cedit, nunquam denique submergetur, neque subuertetur. Adde quod nobis omnino fauet Hieronymus in 9. cap. Amos prophetae, edisserens locum illum, Ecce dies veniunt dicit dominus, & comprehendet arator mesorem, & calcator vnam mittentem semen. Et stillabunt montes dulcedinem, & omnes colles culti erunt, ubi dicit: Ex quo intelligimus Ecclesiam usque ad finem mundi, cocuti quidem persecutionibus, sed nequaquam posse subverti: tetrici, non superari. Et hoc fiet, quia dominus deus omnipotens, siue dominus deus eius, id est Ecclesia se facturum esse pollicitus est, cuius promissio, lex naturae est. Tu etiam Augustinus enarras illud Psalmogra. A finibus terrae ad te clamaui, dum angeretur cor meum, ostendit Ecclesiam percuti veteris, flumine & pluuijs, ac angustis afflictionibus, non tamen superari, ubi dicit Ecclesiam clamare, Exaudi deus deprecationem meam, intende orationi meae: & licet sit per omnes gentes diffusa, non tamen est sine tetricatione, namque vita nostra in hac peregrinatione non potest esse sine tetricatione, quia perfectus noster, per tetricationem nostram fit, nec sibi quisquam innotescit, nisi tetricatus, nec potest coronari nisi vicerit, nec potest vincere nisi certauerit, nec potest certare, nisi inimicum & tetricationes habuerit. angitur ergo iste a finibus terrae clamans, sed tamen non relinquitur. Nec desinat Ecclesia cruciatus perferre & multas molestias: nam quando patitur, non sola patitur, sed & Christus patitur, ut idem doctor ostendit Epistolae. Honorato, de gratia noui testam. ca. 6. ubi dicit: Quid ergo dedignamur audire vocem corporis, ex ore capitis? Ecclesia in illo patiebatur, quando pro Ecclesia patiebatur. Sicut etiam in Ecclesia patiebatur ipse, quando pro illo Ecclesia patiebatur. Nam sicut audiimus Ecclesiam vocem in Christo patiens: Deus, deus meus respice. &c. Sic etiam audiimus Christi vocem in Ecclesia patiens: Saule Saule, quid me persequeris? Et tantam vim habet Ecclesia, tantamque fortitudinem aduersus astutissimas demonis insidias, ut nunquam ab eo etiam in carcere soluto vincatur, quod expressit Augustinus lib. 20. de Ciuitate dei, ca. 8. in quo proferens illud Apocalyp. de diabolo per mille annos ligato, ut non seducat amplius gentes, donec consummetur mille anni, & post hoc oportet illum solui modico tempore, dicit: Si hoc est diabolo ligari & includi, Ecclesiam non posse seducere, haec ergo erit solutio eius, ut possit abire, nunquam enim ab illo Ecclesia seducatur praedestinata & electa ante mundi constitutionem, de qua dictum est, nouit dominus, qui sunt eius, & tamen hic erit Ecclesia illo tempore etiam quo soluedus est diabolus, sicut ex quo est instituta, hic fuit, & erit omni tempore in suis vtiq; qui succedunt nascendo morientibus. Et in eodem capite declarat quidnam sit alligatio diaboli, est non permitti exercere totam tetricationem, quam potest vel vi vel dolo ad seducendos homines in parte sua cogendo violenter, fraudulenterve fallendo. quod si permitteretur, in tam longo tempore, & tanta infirmitate multorum, plurimos tales, quales deus id perpeti non vult, & fideles deijceret, & ne crederet, impediret, quod ne faceret, alligatus est. Tunc autem soluetur quando & breue tempus erit. Nam tribus annis & sex mensibus legitur totis suis, suorumque viribus saeuurus: & tales erunt, cum quibus ei belligerandum est, ut vincat tanto eius impetu, insidiisque non possint. Si autem nunquam solueretur, minus appareret eius maligna potentia, minus factae ciuitatis fidelissima patientia probaretur, minus denique perspicere, quam magno eius malo tam bene fuerit versus omnipotens deus, qui eum nec omnino abstulit a tetricatione sanctorum. Plura ibidem lege si velis. Et in 21. ca. Euangelio. Ioan. edisserens illam sententiam, Sequere me, dicit Christum pollicitatione Petro facta, Tibi dabo clauas &c. Vniuersam significasse Ecclesiam, quae in hoc seculo diuersis tetricationibus, velut imbribus, fluminibus, tetricationibusque quatitur, & non cadit: quoniam fundata est super petram. Et lib. 1. de Symbolo ad Catechumenos ca. 5. dicit Ecclesiam catholicam contra omnes haereses posse pugnare, sed non posse expugnari. Haereses omnes de illa exierunt, tanquam farragines inutilia de vite praecisa, ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in charitate sua, portae inferorum non vincunt eam. Insuper Sermon. 217. exponens quod dicit Salomō, mulierem fortem quis inueniet? dicit hanc fortem mulierem esse Ecclesiam, quomodo non est fortis quae ab initio mundi tantis tribulationibus fatigatur, & tamen non vincitur? Astipulatur & huic Assertioni Chryso. homil. 12. de muliere Chananea, ubi di-

git, Non cessat impugnari Ecclesia, non cessat insidias pati, sed in nomine Christi, semper superat, semper vincit: & quantum alij insidiatur, tantum ista dilatur. Et fluctus quidem illiduntur, sed fundamentum quod supra petram est, non quassatur. Qui impugnat Ecclesiam, seipsum dissoluit, & fatigat, Ecclesiam autem fortiorē ostendit: qui aduersatur, virtutem suam destruit. Et Sermo. 26. de petecoste dicit sanguinem Christi irrigare Ecclesiam, & ideo plataria eius marcescere non possunt, nec amittunt folia arbuta eius, non subiacet necessitati temporis, nec est conditioni obnoxia, ut per aestatem coma foliorum tegatur, hyeme amittatur: non tenetur temporum qualitate, sed spiritus eam sancti gubernat gratia: & ideo non senescit, nec contrahitur, & multis impugnantibus non opprimitur. Quam ab initio impugnantur Ecclesiam, cum fidei semina iacerentur, & arma contra eam commota sunt, sed quantum impugnabatur, tanto clarior reddebatur. deinde dicit, Vbi sunt nunc qui audebant Ecclesiam contrahere? Quando nouella erat, in nullo potuit laedi, & nunc quando usque ad caelum peruenit, existimas eam posse superari? Et Christus vocauit petram, Ecclesiam, fluctus suscipientem, & non titubantem. Etenim Ecclesia suscipit tetricationes, non tamen vincitur. Rursus tempestates suscipit Ecclesia, sed non demergitur: iacula in eam mittuntur, sed non perforatur: machinamenta praeparantur, sed turris non eliditur. Haec ille. Nemo nescit nauiculam Petri fuisse agitata fluctibus, non tamen submersam, sed eam Christus a naufragio eripuit. Ecclesia deo permittente, tribulationibus vexatur, & multis tyrannorum ac haeticorum oppressionibus affligitur, non tamen cedit neque succumbit. Et licet multa Ecclesiae membra pereant, & non solum persecutionibus cocutiantur, verum etiam & cocussa subuertatur, tamen tota ac vniuersalis Ecclesia perire non potest neque subverti. quod autem multi perreant qui traditi sunt in reprobum sensum, ostendit Ioannes in sua Apocalyp. dicens, Et primus angelus tuba cecinit, & facta est grando & ignis, mixta in sanguine, & missum est in terram, & tertia pars terrae cocubusta est, & tertia pars arborum cocremata est, & omne foenum viride cocubustum est. Et secundus angelus tuba cecinit, & tanquam mons magnus igne ardens missus est in mare: & facta est tertia pars maris, sanguis, & mortua est tertia pars creaturae eorum quae habebant animas in mari, & tertia pars nauium interijt. Et tertius angelus tuba cecinit & cecidit de caelo stella magna, ardens tanquam facula, & cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum, & nomen stellae, dicitur Absynthium. Et facta est tertia pars aquarum in absynthium, & multi homines mortui sunt de aquis, quia amarae factae sunt. Et quartus angelus tuba cecinit, & tertia pars solis percussa est, & tertia pars lunae, & tertia pars stellarum, ita ut obscuraretur tertia pars eorum, & diei non luceret pars tertia, & noctis similiter. Et alibi, cum cecinisset sextus angelus, & ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum, de igne, & de fumo, & sulfure. Et huic accedit sententia Cypriani lib. 1. Epistolae. Epistola 3. ubi dicit: Cum Petrus dixit Christo, Domine ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes, & nos credimus & cognouimus, quoniam tu es filius dei viui, significauit, & ostendit eos qui a Christo recesserint, culpa sua perire, Ecclesiam tamen quae in Christum credat, & quae semel id quod cognouerit, teneat, nunquam ab eo discedere, & eos esse Ecclesiam, qui in domo dei permanet. Haec ille. Tantum ego & auctoritatis & religionis, Ecclesiae Romanae (quam Lutherani omni studio subuertere nituntur) attribuendum censeo, ut eam firmissime credam, esse Christianorum arcem inuictissimam, & tutissimum propugnaculum: a qua qui deficiit & degenerat, incidit in laqueos diaboli: quam dicit Hieronymus Epistola ad Damasum, omni tempore persistere firmam & immobilem.

CAPUT V.

Ecclēsia fundata est super Petram, & non super Petrum.] Hanc probabo Assertionem ex Euangelio. Cum enim Christus recessisset in partes Caesareae Philippi, & interrogasset discipulos suos, dicens: Quae dicunt homines, esse filium hominis? At illi dixerunt: Alij Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij vero Hieremiam, aut vnum ex prophetis, ad suos tandem conuersus, dixit: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus, filius dei viui. Respō-

Y. iij.

dens autē Iesus dixit ei, Beatus es Simō Bar Iona, quia caro & sanguis nō reuelauit tibi, sed pater meus qui in cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petrā ædificabo Ecclesiam meā, & portæ inferi nō praualebūt aduersus eam. Nec dixit Christus se extructurū Ecclesiam suā, super Petrum. Nam debile fuisset Ecclesie fundamētum. Petrus enim volens impedire ne Christus ad crucē properaret, fuit obiurgatus acerbè, & nomine Satanæ vocatus, Etiam venti ancillarum flātes, subuerterunt Petrū: sed dixit, super hanc petrā, cuius solidissimum est fulcimentū, ædificabo Ecclesiam meā, domum equidem meā quæ procellosis agitata fluctibus, & vētis aquilonijs, non cecidit. Adde quod huic astipulatur sentētiæ Chryso. Sermo. 26. de pentecoste, nō dixit (inquit) Christus super Petrū, sed super hanc petram: nō enim super hominem, sed super fidē ædificauit Ecclesiam suā. Quid autem erat fides? Tu es Christus filius dei viui. Petrā vocauit Ecclesiā, fluctus suscipientē & nō titubantē. Etenim Ecclesia suscepit tētationes, nō tamen vincitur. Quid est super petram, hoc est super cōfessionem, super sermones pietatis. Si forsītā interrogabis vtrū hæc ædificatio suscipiat lapides aut ligna aut ferrum, nō inquit, nec enim est insensibilis ædificatio, quod si talis esset, solueretur tēpore: cōfessionem autē pietatis, neq; dæmones neque vlla creatura vincere potest. Testātur martyres, quorum latera radebātur, sed fides non frāgebatur. O noua rerū materies, paries effoditur, & thesaurus nō aufertur: caro scinditur, & fides non rumpitur: talis quippe martyriū virtus. Etenim super hanc petrā ædificabo Ecclesiā meam, & portæ inferi nō praualebunt aduersus eā, pericula scilicet quæ mortē pariunt. Et enarrās locū Matthæi iam citatū, hanc petrā vocat fidē Petri & cōfessionē: in eadem tamē homilia sentire videtur Christū ædificasse suam Ecclesiā super Petrū, sed vocat Petrū eo in loco fidē Petri & cōfessionē. Etiam id dixit per Tropū. Tum etiam August. enarrās quod dicit Christus in Euāgelio Ioānis: Sequere me, in eandē descendit sententiā, vbi dicit Ecclesiā fundatam esse super petrā, à qua Petrus nomē accepit, nō tamen à Petro petra, sicut nō Christus à Christiano, sed Christianus à Christo. Super igitur hanc petrā quam cōfessus es, ædificabo Ecclesiā meam. Petra enim erat Christus, super quod fundamentū, etiam ipse ædificatus est Petrus: fundamentū quippe aliud nemo potest ponere præter id quod positū est, quod est Christus Iesus. Ecclesia ergo quæ fundatur in Christo, clauēs ab eo regni cælōrum accepit in Petro, id est potestatē ligandi soluendiq; peccata. quod enim est per proprietatem in Christo Ecclesia, hoc est per significationē Petrus in petra, qua significatione intelligitur Christus petra, Petrus Ecclesia. Ex hac August. doctrina possumus colligere Ecclesiā esse in Christo per proprietatē, & Petrū in petra per significationē: maius autē est & excellentius esse in Christo per proprietatē, q̄ esse in petra per significationē, quare absolutius & lōge verius dicimus Ecclesiā esse petram, q̄ Petrum petrā. Et sic nō difficile erit intelligere quod quidā dicunt, Ecclesiam fundatā esse super Petrū, significatione quidē, quod repræsentet petrā, magis tamē placuit Augustino dicere Ecclesiā fundatā esse super petrā, quod expressit lib. 1. Retractionū cap. 21. vbi meminit libri quē scripsit cōtra Epistolā Donati hæretici. In hoc (inquit) libro, dixi in quodā loco de apostolo Petro, q̄ in eo, tanq̄ in Petro fundata sit Ecclesia, qui sensus etiā cantatur ore multorū in versibus beatissimi Ambrosij vbi de gallo gallinaceo ait: Hoc ipsa petra Ecclesia canēte, culpā diluit. Sed scio me postea sapissime sic exposuisse quod à domino dictū est, Tu es Petrus, & super hanc petrā ædificabo Ecclesiā meā: vt super hanc, intelligeretur, quē cōfessus est Petrus dicēs, Tu es Christus, filius dei viui, ac si Petrus ab hac petra appellatus, personā Ecclesie figuraret, quæ super hanc petrā ædificatur, & accepit clauēs regni cælōrum. Non enim dictū est illi, Tu es petra, sed tu es Petrus. Petra autē erat Christus, quē cōfessus Simon, sicut eū tota Ecclesia cōfiteatur, dictus est Petrus. Harū autem duarū sentētiarum quæ sit probabilior, eligat lector. Hæc ille. Insuper Hieronymus edifferens illud Christi verbū, fundata erat supra petrā, dicit dominū super hanc petrā, fundasse Ecclesiā, ab hac

Matt. 26. &
Ioan. 18.

Matth. 7.
Chryso.

Ioan. 21.
Augustinus.

1. Corin. 10.

1. Corin. 3.

Matth. 7.
Hieronym.

petra, apostolus Petrus, fortitus est nomē. Super huiuscemodi petrā nō inueniūtur serpentis vestigia. De qua & propheta loquitur cōfidenter: Statuit supra petrā pedes meos. Et in alio loco, Petra refugium leporibus siue herinacijs. Timidū enim animal in petrā cauernas se recipit, & cutis aspera & tota armata iaculis, tali se protectione tutatur. Vnde & Moyfi dicitur eo tēpore quo de Aegypto fugerat, & lepuseculus domini erat: Sta in foramine petræ, & posteriora mea videbis. Et cū enarrat illā Christi pollicitationē, Tu es Petrus & super hanc petrā ædificabo Ecclesiā meā, dicit: Sicut ipse lumē apostolis donauit, vt lumen mūdi appellarentur, ceteraq; ex domino sortiti sunt vocabula, ita & Simoni qui credebatur in petram Christū, Petri largitus est nomē. Ac secundū metaphorā petræ, recte dicitur ei, ædificabo Ecclesiam meā super te. verū intellige quod innuere cupit Hieronymus, nō super te, vt homo particularis cōsideret, sed super fidem, quā de me exiisse sensisti, libere tamē protulisti & credidisti. Et quia primus inter Apostolos cōfessus es me esse filiū dei viui, idcirco præ ceteris te in meā Ecclesiam gubernandā elegi, & hoc singulare munus tibi cōtuli, vt vocareris Petrus, sed à petra. Et eodē modo intellige quod dicit idem doctor egregius Epistola ad Marcellā aduersus Montanū, dominū fundasse suam Ecclesiā super Petrū. Idem quoq; sentit Cyprianus, lib. 1. Epistolarū epistola 3. Adblāditur plurimū nostrā Assertioni Cyrillus lib. 4. dialogorū de Trinitate, exprimens illum Matthæi locū aduersus illos qui dicunt filiū dei esse creaturā, Petrā (inquit) opinor, per agnominatōnē, aliud nihil quàm inconcussam & firmissimā discipuli fidē vocauit, in qua Ecclesia Christi ita fundata & firmata esset, vt nō laberetur, & esset inexpugnabilis inferorū portis, in perpetuū manens. Petri autē fides sic in filiū non incōsiderate fiebat & tumultuarie, nec ex humanis mēribus scaturiebat, sed ex ineffabili eruditione superna, deo ac patre manifeste suum filiū indicante, & immittēte in animas sinceras, certā de illo manifestationē. Minime enim mēretur Christus dicēs, Caro & sanguis nō reuelauit tibi, sed pater meus cælestis. Iā si beatus Petrus, tam nobiles honores assecutus est, filiū dei viuentis illū cōfessus, quomodo nō ter miser & abiecti, qui id etiā quod deo ac patri bene habere, & verū esse videtur, tāta temeritate, cōtumelia afficiūt, quiq; substantiæ illius fructū ad facturā detrahūt, & vitæ germē cōternū inter eos qui aliūde datam vitā habent, insipientissime connumerāt? Tum etiā explicans Origenes homil. 1. in Matthæū, eandē Christi sententiam, non solū putat Ecclesiā fundatam esse super fidē Petri, tametsi primario fundata fuerit, sed super omnium Christianorū fidem. Sic enim loquitur, Si super vnū illum Petrū arbitraris vniuersam Ecclesiā ædificari à deo, quid dicis de Iacobo & Ioāne filijs tonitru, vel de singulis apostolis? Vere ergo ad Petrū quidem dictū est, Tu es Petrus, & super hanc petrā ædificabo Ecclesiam meā, & portæ inferorū non praualebūt ei: tamē omnibus apostolis, & omnibus quibusq; perfectis fidelibus dictū videtur, quoniā omnes sunt Petrus, & petræ, & in omnibus ædificata est Ecclesia Christi, & aduersus nullū eorū qui tales sūt, portæ praualēt inferorū. Præterea Hylarius cōmendans Canone 16. in Matthæū hanc integrā Petri fidē, dicit Petrū cælestis patris reuelatione dei filiū conspiciētē, dignū iudicatū, vt quod in Christo, dei esset, primus cognosceret. O in nūcupatione noui nominis, felix Ecclesie fundamentū, dignaq; ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis claustra dissolueret. Ad hæc, facit quod scripsit Ambro. de eadē Christi pollicitatione facta Petro, in 9. ca. Luc. Christus (inquit) discipulo suo, vocabuli petræ gratiā nō negauit, vt & ipse sit Petrus, quod de petra habeat soliditatē constantiæ, fidei firmitatē. Enitere ergo & tu vt petra sis, itaq; non extra te, sed intra te petrā require, petra tua actus est: petra tua mēs est. Super hanc petrā ædificetur domus tua, vt nullis possit nequitia spiritalis euerberari pcellis. petra tua fides est, fundamentū Ecclesie, fides est, si petra fueris, in Ecclesia eris, quia Ecclesia supra petrā est: si in Ecclesia fueris, portæ inferi nō praualebūt tibi: portæ inferi, portæ mortis sunt. Hæc ille. Differēs Theophyl. in 16. cap. Matthæi, de munere quod adeptus est Petrus à Christi.

Psal. 39.
Psal. 103.

Exo. 33.

Cyprianus.
Cyrillus.

Origenes.

Hylarius.

Ambrosius.

Theophyl.

sto, propter illibatam illam & synceram fidem dicit, Remunerat Petrum dominus, mercedem illi dans magnam, quod super eum aedificauit Ecclesiam. Quia enim confessio erat cum dei filium Petrus, dixit, quod haec confessio quam confessus est, fundamentum erit futurum credentium, ita ut omnis homo extructurus fidei domum, hoc iacturus sit fundamentum. Nam licet innumeras condamus virtutes, non habeamus autem fundamentum, rectam confessionem, inutiliter aedificamus. Quum autem dixit Ecclesiam meam, ostendit se dominum vniuersi, deo enim seruiunt omnia. Portae autem inferi, temporales sunt persecutores, qui ad infernum mittere conantur Christianos. Et haeretici quoque portae sunt, ad infernum ducetes: multis igitur persecutoribus, & multis haeticis praualuit Ecclesia. Est autem & vnusquisque nostrum Ecclesia, quae sit domus dei, sed intellige particulatim pro fide vnus cuiusque & non absolute. Quod si, inquit, in confessione Christi confirmati fuerimus, portae inferni, hoc est peccata non praualebunt nobis. Ex omnibus doctorum sententijs quae pugnare videntur, tamen non pugnent, breui colligemus epilogo, Ecclesiam simpliciter & aptissime fundatam esse super petram, & super Petrum, significatione quadam & tropo. Consideremus deinde Ecclesiam nullo alio quam fidei, inniti fundamentum, super quod & spe & charitatem, suam sedem habere dicimus, & ab hac emergere virtute, cui innitendum est, & ab optimo fidei propugnaculo, honestae vitae, bonorumque operum subsidia pendunt. Quod si sustuleris fidem, & Ecclesiam subuertes.

CAPVT VI.

Ecclēsia vniuersalis non potest errare in fide & moribus.] Hanc ex sacris scripturis suffulciamus Assertionē. Et imprimis ab eius purissima sanctitate & munditia probabimus eam non posse errorum labe coinquinari & foedari, de cuius sanctificatione differens Paulus ad Ephesios, dicit: Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta & immaculata. Nec illic loquitur Paulus de Ecclesia triumphante & caelesti ciuitate, quia in illa non absterguntur sordes, nec illius ciues & incolae abluuntur fonte baptismatis, sed de Ecclesia militante, quam Christus sui sanguinis effusione abluit & repurgauit, & purissimo vitalis aquae lauacro sanctificauit, quae aliquando fuit meretrix ex gentibus, sed per fidem Christi facta est sancta & pudica, quam repraesentat Thamar meretrix, cui fuit iunctus Iudas filius Iacob, ut dicit quidam interpres in Matthaeum, homilia prima in secundis commentarijs, qui Chrysoptomi nomine circumferuntur. Fatetur Hieronymus Epistola Ruffino, Ecclesiam aliquando fuisse meretricem, quamuis prima fronte hoc videatur esse blasphemum. Si recurramus ad prophetam, inueniemus Osee accepisse vxorem fornicariam, & mulier illa meretrix in Euangelio quae pedes Iesu lachrymis lauit & crine deterfit, & cui peccata omnia dimissa sunt, manifeste pingit Ecclesiam de gentibus congregatam. Fuit etiam Ecclesia ab inferis per passionem Christi in lucem reuocata. Cum igitur Christus Ecclesiam militatē exhibuerit sanctam & immaculatam, quoniam pacto comperietur in ea macula erroris, aut ruga iniquitatis? Expriimit Origenes homilia 2. in primum caput Lucae, ad locum illum: Erant autem iusti ambo in conspectu dei, quomodo Ecclesia non habet maculam, adnotando bifariam intelligi, esse sine peccato: alterum sit nunquam omnino peccasse, alterum defuisse peccare. Primus modus nulli conuenit puro homini, nisi singulari dei gratia praeruetur a peccato. Secundus, honestis viris conuenit. potest enim fieri ut qui ante peccauerit, & peccare desierit, sine peccato esse dicatur. Sic & dominus noster Iesus Christus exhibuit sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, non quia Ecclesiasticus vir nunquam habuerit maculam, sed quia nequaquam ultra maculetur, non habentem rugam, non quod ruga veteris hominis in eo aliquando non fuerit, sed quod eam habere desierit. In hunc modum & illud quod sequitur, est intelligendum.

1. Corint. 3.

Ephes. 5.

Gene. 38.

Hieronymus

Osee. 1.

Lucas 7.

Origenes.

Lucas 1.

ut sit sancta & immaculata, non quod a principio immaculata fuerit. Hoc enim suspicari de homine non potest, quod anima eius maculosa non fuerit, sed quod reputetur pura atque sincera, quae maculari ultra desierit. Adde quod Augustinus dicit Sermone 29. de verbis Apostoli: Ecce tamen non habeat rugam neque maculam, nunquam tamen est in hac via sine peccato quotidiano, id est, veniali. Nam precando deum, dicit: Et dimitte nobis debita nostra. Et libro 2. Retract. cap. 18. dicit: Non ita accipiendum est Ecclesiam non habere rugam neque maculam, quasi iam sit, sed quae praeparatur ut sit, quando apparebit etiam gloriosa. Nunc enim propter quasdam ignorantias & infirmitates membrorum suorum, habet vnde quotidie dicat, Dimitte nobis debita nostra. Hae ille. Nec negamus in domo dei immaculata, quaedam esse vasa fictilia & alia aurea & argentea, & vsque ad consummationem seculi zizania miscebuntur frumento, & palea tritico. Tum etiam differens Paulus de Matrimonio, dicit: Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia. ex quo verbo ostenditur spirituale matrimonium Christi, & Ecclesiae perpetuo esse duraturum, & Ecclesiam in totum nunquam esse subijciendam vitijs & erroribus. Amplius, dicit Paulus ad Timotheum: Vt scias quomodo oporteat te in domo dei conuersari, quae est Ecclesia dei viui, columna & firmamentum veritatis. Et quoniam pacto subuerti posset solidissimum veritatis fulcrum, & vanis erroribus deprauari? Sacrae scripturae huic innituntur columna, hac inconcussa, pestiferae haereses concutiuntur & earum fundamenta diruntur. Nullis igitur errorum nauis, nullis denique sordibus in vniuersum squaller Ecclesia. Denique beatus Iohannes apostolus in Apocalypsi, loquens de Ecclesia militante, dicit: Vidi ciuitatem sanctam Hierusalem, nouam descendentem de caelo, a deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. Et audiui vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum dei cum hominibus, & habitabit cum eis: & ipsi populus eius erunt, & ipse deus cum eis, erit eorum deus. Nec verba haec accommodantur Ecclesiae triumphanti, cum ipsa de caelo non descendet, sed perpetuo inhabitat caelum: militans vero Ecclesia, quae adhuc desudat in agone, recte dicitur de caelo descendere, quod ad formam, statum, & modum triumphantis Ecclesiae sit in suis gradibus, functionibus & officijs efformata, ut praclare ostendit diuus Dionysius in libro de Ecclesiastica hierarchia: Hae autem adhuc in castris decertans Ecclesia, dicitur hic a deo parata, pulchroque ordine instituta, dicitur & sponsa Christo sponso suo ornata, dicitur & sancta, immunisque omnis contagionis, & tabernaculum dei cum hominibus. Sed nunquid deus in tabernaculo tenebris errorum obducto, aut morum feciditate contaminato, habitare dignabitur? Nunquid item sponsam suam dilectam ita negliget, ut sinat eam in totum erroribus inuolui, aut spurcitia vitiorum commaculari? Perspicuum est igitur Ecclesiam vniuersalem non posse deuo trahi errore, circa ea quae sunt fidei & morum. Alijs denique sacrae scripturae munimentis eandem protegemus veritatem. Qui fidem Petri rantopere commendauit, quod dixisset Christum esse filium dei viui, non solum suam extruxit Ecclesiam: super petram illam, sed illi tantum roboris praestitit, ut aduersus eam portae inferorum praualere non possint. Et meruit firmitudo illius confessionis, & promptissima fidei confessio, ut nullis haeticorum insultibus, nullis denique errorum propugnaculis expugnari possit. Adde quod si Ecclesia vniuersalis in fide & moribus errare posset, temere dixisset Christus Petro Ecclesiam repraesentanti, Tibi dabo clauas regni caelorum, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in caelis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in caelis. Nec dicere quis potest verba illa non esse intelligenda de Ecclesia militate. In qua enim Ecclesia, dic quae so, erit potestas ligandi atque soluendi, nisi in Ecclesia militante? Et huic coherent sententia, quae aliubi in eodem Euangelio dixit Christus suis discipulis, caelos conscensurus, Eunt, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti: docentes eos seruare omnia quaecumque mandauit vobis. Et ecce ego

Augustinus.

Matth. 6.

2. Timot. 2.

Ephes. 5.

1. Timot. 3.

Apoca. 21.

Dionysius.

Matth. 16.

Matth. 28.

vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Nec solum dicta sunt hæc Apostolis, nam aliquando erant ex hac vita decessuri, sed eorum in Ecclesiastico moderamine successoribus, quibus pollicetur Christus se affuturum vsque ad consummationem seculi. Quod si velit deus suum spiritum Ecclesiasticæ nauiculæ directorem primarium, toti semper assistere Ecclesiæ, quis nisi obrutus delirij, & beluini errorum somnijs, audebit dicere, Ecclesiam posse à recto deflectere tramite, & ignorantia tenebris incarcerari? Quod si posses diuinam Christi voluntatem subvertere, non addubito quin facile Ecclesia in varia errorum præcipitia dilaberetur. Primum ne attentis secundo difficilius, ne quod in cælum expueris, in te recidat. Nec diuersum est ab his quæ nunc diximus, quod in Euangelio Ioannis scriptum est: Ego rogabo patrem, & alium paraclætum dabit vobis, vt maneat vobiscum in aeternum. Quibus verbis lætitia resperis, pollicetur Christus cælum conscensurus, suis Apostolis, iugem & perpetuam spiritus sancti assistentiam. Insuper volens Christus & alia solaminis forma suos consolari Apostolos, dixit: Paraclætus autem spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixerit vobis. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Quod si Apostoli Ecclesiam representantes, afflatu spiritus sancti, nouerint omnia quæ spectant ad gubernandam Ecclesiam, quis dicet (nisi insanus & imperitissimus) Ecclesiam in vniuersum posse in fide & moribus aberrare? Et ne fides Ecclesiæ, ingruentibus persecutionum procellis periret, & multis tempore passionis Christi fluctibus agitata submergeretur, dixit Christus Simoni: Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, vt non deficiat fides tua. & tu aliquando conuersus, confirma fratres. Nec tam verba illa intelligenda sunt de fide Petri & huius hominis, quam de fide totius Ecclesiæ, quam Petrus expressit. ¶ At obijciunt aduersarij, Nauicula in qua erat Petrus & cæteri discipuli, fuit graui agitata tempestate, & tot tantisque ventorum procellis concussa, vt penè operta fuerit fluctibus. Per illam autem, intelligimus Ecclesiam in hoc procelloso mari fluctuantem: igitur Ecclesia errorum procellas perpessa est, & quotidie perpetitur. ¶ Non recte colligis, non enim nauicula illa fuit submersa, tametsi vacillauerit, & afflictata fuerit vndis. Nam cū dixissent discipuli ingenti terrore percussi, Domine salua nos, perimus: dixit eis Iesus, Quid timidi estis modicæ fidei? Tunc surgens imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna. Permisit Christus suos discipulos turbari, & perturbationum fluctibus concuti: vt eorum fidem & constantiam in aduersis experiretur, permittit etiam Ecclesiam exerceri tribulationibus, & à tyrannis & hæreticis vexari, non tamen finit eam cædere & succumberè: sed quo magis percutitur & cõtrarijs flatibus agitur, eo magis renititur, & inuicta resurgit. ¶ Insistunt & acrius, Fides potest conseruari in solo vno homine, & permanere illæsa, cæteris in infidelitatem prolapsis: quæadmodum dicunt tempore passionis dominicæ fidem remansisse in sola sacratissima virgine & dei matre benedicta, reliquis omnibus scandalū passis, & à fide collapsis. In cuius rei argumētum in officio matutino, quod vesperi agitur feria quarta, quinta, & sexta hebdomadæ sanctæ, extinctis subinde cæreis omnibus primum accensis, vnicus seruat careus accensus: vt symbolum fidei in sola sacra virgine Maria tunc superstitis. Atqui solus vnus homo non est Ecclesia, cum Ecclesia sit fidelium congregatio. Et per hypothēsīm, tota hominum multitudo errauit in fide, igitur tota Ecclesia potest in fide aberrare. ¶ Diluam facile argumentum, negando fidem posse conseruari in vno solo homine, cæteris à fide defecentibus. Rogauit enim Christus Ecclesiam, sponsus non solum pro persona Petri, sed & pro tota Ecclesia, cui præficiendus erat vt nō deficeret fides eius, vt paulo ante diximus, & exaudita est oratio eius à deo. quare integritas fidei nunquā ad vnā solā redigetur personā. Nec admittimus in sola virgine Maria fidem remansisse, tempore passionis Christi: quāuis enim Apostoli omnes tunc à fide defecerint, secundum prædictionē Chri-

Ioan. 14.

Lucæ 22.

Matth. 8.

sti ipsi factam, Omnes vos scandalū patiemini in me, in ista nocte, attamē in multis alijs ciuitatibus & castellis Iudææ & Galilææ, complures erāt fideles, per prædicationem Christi & discipulorum eius conuersi, aut per miraculorum ipsius operationem, vt Regulus in Capharnaum. Et leprosus ille quem Christus curauit. Nec Centurio discessit à fide. Et mulier illa quæ sanguinis fluxum patiebatur, in fide stetit inuicta. & duo cæci, & Chananea eximium fidei exemplar, & Centurio cum vidisset Christum exclamādo expirasse, dicebat: Vere hic homo, filius dei erat. Et Ioseph nobilis decurio qui petijt à Pilato corpus Christi, quod inuoluit in sindone munda. ¶ Rursus obijciunt, Ecclesia, aliquo temporis interstitio defendit quandam Assertionē, cuius tamē pars opposita fuit postea per vniuersale conciliū definita. Nā sanctissimi viri & doctissimi in ea aliquando fuerunt sententia, vt crediderint virginem Mariam fuisse in peccato originali conceptam. Attamen in sacrosancta synodo Basiliensi definitū fuit, ipsam virginem Mariam nunquam fuisse labe originali labefactam: quam equidem determinationem magno applausu & consensu recepit Ecclesia, & secuta est. ¶ Respondeo, falsum esse totam Ecclesiam tenuisse aliquando quādam assertionē, cuius oppositam partem postea defendit, alioqui Ecclesia turpissime recineret palinodiā, & in ea inueniretur varietas & mutatio, nec vnquam sensit sacratissimā virginem Mariam fuisse culpæ originali obnoxiam, tametsi multi viri & sancti & eruditi, id senserint, & scriptum reliquerint, & vtinam ab illorum operibus error ille esset dimotus. Nec tamen illi incurrebant notam hæreseos, quia huiusce rei veritas nondum erat determinata & discussa, nunc autem imo à multis annis est definita & diulgata. ¶ Iterum obijciunt, In multis Concilijs generalibus, multa fuerunt de nouo circa fidem determinata, vt dixerint & asseruerint filij dei consubstantialitatem cum patre in Concilio Niceno, spiritus sancti diuinitatem in Concilio primo Constantinopolitano, quod virgo Maria fuerit dei mater in Concilio primo Ephesino, duarum in Christo naturarū diuersitatem in vnitatem personæ in Concilio Chalcedonenfi: sed ante hanc censuram & determinationem, Ecclesia aut oppositam tenuit sententiam, aut circa rem illam hæsitauit. ¶ Responso, non est admittendum Ecclesiam in his quæ sunt fidei, aliquando suam tulisse sententiam, & alio tempore inuariasse, & oppositum sensisse, alioqui nihil haberet Ecclesia firmitatis in suis ferendis censuris, & plerunque hæreret luto, & fluctuaret in ambiguo. Et inconcussō semper iudicio censuit filium dei esse patri consubstantialem, & spiritum sanctum esse deum, & virginem Mariam esse matrem Christi. Veruntamen propter hæreses quæ de eadem re nouo dæmonis flatu excitabantur, & antiqua pestis grandæscibat, oportuit ad confirmandam simplicium & infirmorum fidem, eadem in prædictis concilijs apertius exprimi & dilucidius declarari, quàm antea fuerant. Scite & venuste hæc mouit argumenta Clitho ueus in opere Veritatum, capite primo, eadēque abunde discussit. Animaduerte tam arctum esse vinculum concilij generalis cum ipsa Ecclesia quam representat, vt si Ecclesia non possit aberrare in fide & moribus, nec concilium generale. Si enim Christus assistat sua gratia duobus vel tribus in eius nomine congregatis, quos ad recte agendū dirigit, à fortiori assistet toti concilio pro tuenda Christianorū eligione collecto. Nec absuit spiritus sanctus concilio Hierosolymitano ab Apostolis celebrato, super quæstione de obseruandis legalibus, in qua plane discutienda felix fuit exordiū: Visum est spiritui sancto & nobis. Et scribēs Augustinus de hac insigni cõcilio autoritate, dicit: Illa quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidē toto orbe terrarū obseruantur, datur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenarijs concilijs (quorū est in Ecclesia saluberrima autoritas) cõmendata atq; statuta retineri.

Matth. 26.

Ioan. 4.
Matth. 8.
Matth. 9.
Matth. 25.
Marc. 15.
Matth. 27. &
Lucæ 23.

Matth. 18.

Act. 15.
Augustinus

CAPVT VII.



Cclesia recte & prudenter sacris ordinibus initiatos, adstringit ad cælibatum, perpetuamque continentiam. Hanc suadebo Assertionem ex scripturis Romanorum pontificum, & aliquot suasionibus non pœni-

Gregorius tendis. Gregorius Petro Subdiacono scribens de hac re, vt habetur 28. distinctione, capite Nullum, dicit: Nullum facere subdiaconum præsumant episcopi, nisi qui se caste victurum promiserit: quia nullus ad ministerium altaris accedere debet, nisi cuius castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata. Et Innocentius secundus in eadem distinctione, capite Decernimus, ita sanxit: Decernimus vt ij qui in ordine subdiaconatus, & supra, vxores duxerint aut concubinas habuerint, officio atque ecclesiastico beneficio careant. Hæc ille. Nec sine summa vtilitate id facit Ecclesia, vt sacris ordinibus initiati, in sinceritate corporis & animæ, diuino altari ministrent. ¶ Verum decertabit quispiam, Dicit Paulus ad Corinthios: Qui non se continent, nubant: melius est enim nubere quàm vri, ergo si sacerdos non possit continere, non peccabit ducendo vxorem. Dico Paulum de ijs differere, qui omnino soluti sunt ab omni vinculo vetante ipsis fœdera nuptiarum, & quibus liberum est, si velint contrahere matrimonium, aut cælibem vitam agere, non autem de ijs qui vel voto, vel sacramenti susceptione vt sacri ordinis, sunt obuincti atque obstricti ad obseruandum huiusmodi cælibatum. Quomodo enim nubere poterunt, qui domino perpetuam continentiam vouerunt? Quod enim deo consecratum est, non potest deinceps in alios vsus applicari. Hieronymus edisserens illum Pauli locum, dicit illos non peccare si nubant, qui nondum vouerunt deo castitatem. Caterum qui vel in corde suo promisit, si aliter fecerit, habebit damnationem: quia primam fidem irritam fecit. Quod enim erat licitum, per votum sibi fecit illicitum, sicut Ananias & Sapphira, quibus post votum de precio possessionis suæ nihil retinere licuit, illicite tenuerunt. Ob quam causam subita morte prostrati sunt. Consimilem exprimit sententiam de viduis & virginibus, primo libro contra Iovinianum, dicens: Si nupserit virgo non peccauit, non illa virgo quæ se semel cultui dei dedicauit. Harum enim si qua nupserit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit. Si autem de viduis dictum obiecerit, quanto magis de virginibus præualebit? cum etiam his non liceat, quibus aliquando licuit. Virgines enim quæ post consecrationem nupserint, non tam adulteræ sunt quàm incestæ. Hæc ille. ¶ Rursum obijciat, Sacerdos aut sacris ordinibus initiatus, non exprimit verbo quod voueat castitatem, neque verbis episcopi ad vitæ continentiam obstringitur, sed tantum de cætero admonetur vt caste viuat. Respondeo votum illud castitatis in ijs qui sacros ordines subeunt, non fieri prolatione vocis coram assistentibus, & ea ratione tacitum est. Sed illud ipsum publico factò, & in facie ipsius Ecclesiæ est expressum, cū solenni consecratione suscipiuntur à pontifice sacrorum administratore ij ordines quos ipsa Ecclesia à spiritu sancto edocta sanxit nullis esse conferendos, nisi qui promiserint se deinceps caste victuros. Et votum celebri factò operèque solenni expressum cum ipsius mentis consensu, tanti est roboris & ponderis, atq; si labijs ederetur. Adde quod qui vult antecedens ad quod sequitur consequens, vult & ipsum consequens. Sed Socrates vult sacris ordinibus initiari: & ad huiusmodi sacramentum ac singulare mysterium, sequitur castitas: vult igitur castitatem. Et quia non præcipiebatur Socrati ordinari, sed consulebatur, nec prius obstringebatur ad continendum: quare non simpliciter eum coegit Ecclesia, sed cogit ad obseruandum quod sponte promisit, sicut cogit recipientem fidem, vt seruet quod promisit. Et in ordine quem dat, potest imponere legem quam vult: vt dicit Glossa in distinctione 28. ad caput Nullum, sicut quilibet alius transferendo dominium rei suæ. Et in susceptione sacri ordinis, est votum præsumptum, præsumptione iuris: quare qui sacros suscipit ordines, quamuis non intenderet caste viuere, tamen obligatur ad continentiam vi statuti & non voti: & quia latum est huiusmodi statutum, ideo quicumque suscipit ordinem, præsumitur consentire in id quod est ordini annexum, & ideo dicitur votum, cum potius sit statutum: sed in professione religionis est verum votum & expressum, cuius materia est à iure diuino, eo quod is qui talem facit professionem, se astringit deo in perpetuam seruitutem: solennitas

vero ab Ecclesia. In ordine sacro (vt quidam dicunt) essentia voti est ab Ecclesia, quæ connectit eam ordini: solennitas vero à deo. Et prouenit illa institutio in voto sacri ordinis, ex traditione Apostolorum, qui neminem subdiaconum admittebant ad coniugium. Nec curat Ecclesia ex qua desumitur obligatio ad seruandam huiusmodi perpetuam continentiam, si ille qui sacris initiatur ordinibus, intendit caste viuere. Nam Ecclesia videt quæ foris sunt, & secundum ea iudicat, idcirco coram Ecclesia est votum tacitum vel expressum, & qui ordinatur, promittit tacite vel expresse se obseruaturum perpetuam continentiam: sicut suscipiens ordinem sacerdotij, aut qui apparet omnibus suscipere, tamen non intendat recipere, ab Ecclesia reputatur sacerdos, licet secundum veritatem non sit sacerdos: & quamuis sic promittens verbis non teneatur ad obseruandum promissum ratione voti, teneatur tamen ratione ecclesiastici statuti. Si enim fraus & dolus nulli patrocinari debeat in præiudicium vnus personæ, multo minus in præiudicium Ecclesiæ. Comperitum est autem, quod si quis promiserit alicui quidpiam vtile coram testibus, siue habuerit animum promittendi, siue non: cogitur à iudice humano obseruare, alioqui nullus posset cogi ad seruanda promissa, quia semper ignoramus animum promittentis. Etiam dissoluerentur matrimonia, vbi vxor diceret viro se nunquam habuisse animum promittendi nec consentiendi, & sacerdotes fierent laici, & omnes contractus rescinderentur. Nobis non mediocre præstat adiumentum Augustinus, Sermone 37. differens de patientia & castitate à sacerdotibus obseruanda. Et vbi laudat continentiam & castitatem, sine qua quis est factus omnium reus, nec deo placet, nec vasa domini ferre potest, dicit: Si coniugium sacerdotibus prohibetur, quanto magis crimen fornicationis in nobis æstimabitur. Ecce enim fratres, laicis coniugatis ad tempus abstinere præcipitur, vt vacent orationi, & sacerdotes quos corpus domini consecrare omni die oportet, concubinas in domo tenere non erubescunt? Ecce quomodo vasa vestra possidere in sanctificatione sciatis. Scitis enim fratres quod die quadam Dauid venit ad Achimelech sacerdotem, & ait Dauid esuriens: Da mihi aliquid cibi. Et respondens: non habeo panes laicos ad manus, sed tantum panem sanctum, & ideo dic mihi Dauid, suntne pueri tui à mulieribus mundi? Et ait: Sunt ab heri & nudius tertius. Et sic sacerdos dedit eis panes propositionis. Si ergo interrogauerit sacerdos vtrum serui Dauid mundi essent propter panes propositionis accipiendos, quid facere debemus miseri sacerdotes propter corpus domini accipiendum? Insuper Ambrosius edisserens illud Pauli ad Timotheum, Diacones sint vnus vxoris viri, ostendit sacerdotes nouæ legis debere omnino abstinere à venere & congressu mulierum: licet sacerdotes antiquæ legis non omnino abstinuerint. Veteribus (inquit) idcirco concessum est leuitis aut sacerdotibus vxores ad vsu habere, quia multum tempus otio vacabant à ministerio aut sacerdotio. Multitudo enim erat sacerdotum, & magna copia leuitarum, & vnusquisque certo tempore seruebat diuinis cæremonijs secundum institutum Dauid. Hic enim viginti & quatuor classes constituit sacerdotum, vt vicibus deseruirent. Vnde Abia octauam classem habuit, cuius vice Zacharias fungebatur sacerdotio, sicut continetur in Paralipomenon: ita vt tempore quo non illos contingebat deseruire altari, domorum suarum agerent curam. At vbi autem tempus imminebat ministerij, purificationis aliquantibus diebus accedebant ad templum offerre deo. Nunc autem septem diaconos esse oportet, aliquantos presbyteros, vt bini sint per Ecclesias, & vnus in ciuitate episcopus, ac per hoc omnes à conuentu fœminæ abstinere debere, quia necesse est eos quotidie præsto esse in Ecclesia, nec habere dilationem vt post conuentum legitime purificentur sicut veteres. Hæc ille. Quod si viri sanctissimi & ingenio & singulari doctrina præstantes, vetuerint sacerdotibus euangelicæ legis, ne vxores ducerent, & ecclesiasticam de hac re sanctionem adamussim obseruauerint. Quid igitur accendit Lutherum, vt auderet furere, destomachari, & toto ingenio inuehi in commedatissima Ecclesiæ decreta, de cælibatu à sacerdotibus obseruando? furij

Augustinus.

Iaco. 2.

1. Corin. 7.

1. Thef. 4.

1. Reg. 21.

Ambrosius.

1. Timoth. 3.

2. Paral. 24.

Lutherus.

vt existimo infernalibus, & petulantissima libidine commotus, non solum reprehendit sacerdotum cælibatum, verumetiam dicit sacerdotes non debere esse cælibes. Ridet & ille, & plenis cachinnis subsannat Ecclesiam, quod astringat sacerdotes abstinere ab vxoribus. Et licet in primitiua Ecclesia obseruatum fuerit, quod qui vxorem duxerat, poterat promoueri ad sacerdotium, non tamen requirebatur ab eo qui promouendus erat vt prius vxorem duxisset. Nam Ioannes Euangelista virgo fuit, & beatus Paulus, vt sacri doctores testantur: quos tamen constat fuisse sacerdotes. quare non erat necessarium vt qui consecrandus erat in sacerdotem, prius duxisset vxorem, quamuis id aliquando licuerit. Neque debet ille suum protegere errorem ex illo quod dicit Paulus ad Timotheum: Oportet episcopum esse vnus vxoris virum. Nam illa Pauli verba per exclusionem bigamorum accipienda sunt, vt intelligatur indignus esse episcopatu, qui bigamus fuerit, aut secundam duxerit vxorem. Consuetudo illa secundum quam permittum erat vt alligatus matrimonio promoueretur ad sacerdotium, inualuit vsque ad tempora Niceni concilij, in quo (vt fertur) generali decreto statutum est, ne aliquis vxorem habes consecratur sacerdos. Quod equidem statutum cum ab aliquibus minime obseruaretur, Sirius papa qui parum post predictum Concilium, Ecclesie vniuersali præsuit, illos acerbissime reprehendit. Præterea vicesimus septimus Canon Apostolorum de hac eadem re edisserens, dicit: In nuptijs autem qui ad clerum prouecti sunt, præcipimus vt si voluerint, vxores accipiant, sed lectores, cantoresque tantummodo. Item Concilium Neocæsariense capite primo suorum decretorum, hæc definiuit: Presbyter si vxorem duxerit, ab ordine illum deponi debere statuimus. Quod si fornicatus fuerit, vel adulterium comiserit, extra Ecclesiam abijci, & ad poenitentiam inter laicos redigi oportet. Et quod maxime facit ad confirmandam hanc sententiam, est: quod Græci quibus mos est coniugatos ad sacerdotium promouere, nunquam permiserunt aliquem, post susceptum sacerdotium, ducere vxorem. Vnde Innocentius papa huius nominis tertius, in capitulo Cum olim, titulo de Clericis coniugatis, dicit Orientalem Ecclesiam votum continentie non admisisse, quoniam Orientales in minoribus ordinibus contrahunt, & in superioribus vtuntur matrimonio iam contracto. Nec dicit illos post sacrum ordinem susceptum, ducere vxorem: sed si prius duxerint, vtuntur coniugio contracto. Tum etiam Gratianus in volumine Decretorum, 28. distinctione, capite Syracusana, prope finem capitis, idem refert expressius, dicens: Orientalis Ecclesia non suscipit votum castitatis. Hoc tamen indefinente obseruatione custodit, vt post adeptum sacerdotium, defuncta priori vxore cum qua sacerdos factus fuerat, si alterum duxerit, deponatur. Hæc ille. Nec tamen putes iure diuino necessarium esse cælibatum ad sacrorum ordinum susceptionem. Nam dicit concilium Gangrense, capite 4. suorum Decretorum, Si quis discernit presbyterum coniugatum, tanquam occasione nuptiarum offerre non debeat, & ab eius oblatione ideo se absteineat, anathema sit. De hac disputatione, scite scripsit Alphonsus à Castro libro 13. aduersus hæreses, hæresi 4. Nec notandum est Lutherus quod dixerit sacras scripturas non inhibuisse sacerdotibus coniugia, sed quia contra statutum Ecclesie docuerit sacerdotes debere matrimonia contrahere. Attende diligenter vnum, ordinem sacrum impedire matrimonium contrahendum & dirimere contractum, non quidem quatenus ordo est, sed quatenus sacer: cuius sacramento perunctus sacerdos, pollicetur deo se caste & munde sacra obiturum officia, nec accessurum ad augustissimum Euchariæ sacramentum atrectandum illotis manibus. Dedit plurimum dei ministros sacras polluto animo & scelerata vita, attingere hostias. Tam enim excellens est sacerdotis dignitas, tamque augusta, vt nec regum, nec principum maiestas etiam amplissima, illi conferri possit. Noscat vnusquisque vocationem ad quam accersitus est, & potissimum Ecclesia impedit, ne sacris initiati ordinibus, ducant vxores: quia facit & ostendit eos esse personas illegitimas & ineptas ad contrahendum ma-

1. Timoth. 3

Canon Apostolorum.

Concilium Neocæsariense.

Innocentius

Gratianus.

Concilium Gangrense.

Alphonsus à Castro.

trimonium: quod si contraxerint, debet dirimi tanquam nullum. Si maus quod crassa Minerua dicunt alij, sacer ordo impedit dispositiue matrimonium contrahendum, & dirimit contractum: Ecclesia vero impedit completiue. Hæc tamen & quæ diximus in eandem recurrunt intelligentiam.

CAPVT VIII.

Ecclésiastica constitutiones à Christianis obseruandæ, sunt partim humanæ & partim diuinæ. Hanc suadebo Assertionē, & imprimis ostendam ex sacris literis ecclésiasticas sanctiones partim esse diuinas. Christus dixit suis discipulis euangelicum munus obeuntibus, ne eorum auctoritas ab his quibus euangelicam philosophiam prædicarent, contemptui haberetur, Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Nec solum intelligenda sunt hæc verba de sacris scripturis quas docerent discipuli, sed etiam de his quæ prudenter sancita essent ab Apostolis, quos dirigebat spiritus sanctus ad instituenda quædam præcepta & decreta pro vtilitate Christianorum. Et ne cõminationibus hominũ & persecutionibus terrentur, dicebat: Non estis vos qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Et rursus voluit saluator noster turbã (quam præclaris sæpissime monitis instituerat) obtèperare iussis scribarum & Phariseorum, Omnia (inquit) quæcũque dixerint vobis seruate & facite. Et in Actis apostolorum scriptum est: Cum Paulus & Barnabas pertransirent ciuitates, tradebant eis custodire dogmata quæ erant decreta ab Apostolis & senioribus qui erant Hierosolymis. Tum etiam scribit Paulus ad Thessalonicenses: Scitis quæ præcepta dederim vobis per dominum Iesum. Adde quod dici debet quodam modo Ecclésiasticas constitutiones, diuinæ: propter materiam circa quam versantur, pertinentem ad dei cultum & honorẽ, & ad rei ecclésiasticæ dignitatem, etiam propter deductionem eorum quæ ex sacris literis recto consequio inferuntur. Sunt tamen humanæ, quod ab hominibus primum in propatulo latæ sint & promulgatæ, non præcepta à deo peculiari quidem præceptione, & exteriori ad id faciendũ iussione. Nec nostræ aduersatur assertioni Augustinus, nos commonefaciens, vt credamus quod credit Ecclesia, etiam si sacrarum scripturarum non sit expressa auctoritas. Dicit enim Epistola Euodio, Christum soluisse ab inferis primũ hominem, patrem generis humani, & de illo Ecclesia ferè tota consentit, quod eam non inaniter credidisse, credendum est, vnde eum; hoc traditum sit, etiam si canonicarum scripturarum hinc expressa non proferatur auctoritas. Et epistola Ianuario, de Ritibus Ecclésiasticis, ostendit constitutiones Ecclésiasticas obseruandas esse, vbi diuinis legibus non aduersantur, nec obsunt saluti Christianorum. Miror (inquit) quid ita volueris, vt de ijs quæ varie per diuersa loca obseruantur, tibi aliqua conscriberem, cum & non sit necessarium, & vna in his saluberrima regula retinenda sit, vt quæ non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, vbicunq; institui videmus, vel instituta cognoscimus: non solum non improbemus, sed etiam laudando & imitando sectemur, si aliquorũ infirmitas non ita impedit, vt amplius detrimetum sit. Et libro 10. de Genesi ad literam, capite 23. dicit consuetudinem Ecclésiasticam non esse spernendam. Et libro vno de Cura pro mortuis gerenda, capite 1. summopere commendat Ecclesiam, quod pie gerat curã pro mortuis. Tum etiam libro 2. de Baptismo, contra Donatistas, capite 7. extollit saluberrimam Ecclésiasticam consuetudinem, quæ in ipsis schismaticis & hæreticis corrigit quod prauum est, non iterat baptismum datum, sanat quod vulneratum est, non curat quod sanum est. Quam consuetudinem (inquit) credo ex apostolica traditione venientem, sicut multa non inueniuntur in literis eorum, neque in Concilijs posteriorum, & tamen quia per vniuersam custodiuntur Ecclesiã, non nisi ab ipsis tradita & cõmendata creduntur. Et lib. 7. Cõfessionum, cap. 7. tatum attribuit potestatis Ecclésiasticæ, vt dicat auctoritatem catholicæ Ecclésiasticæ commẽdare sanctas scripturas, & id non immerito. Nam credimus sacris literis, quia Ecclesia nos impellit ad

Lucæ 10.

Math. 10.

Math. 23.
Acto. 16.

1. Thes. 4.

Augustinus.

credendum, nec tamen credis nisi velis. Vnde libro vno contra epistolam Manichei, capite 5. dicit: Ego Euangelio non crederem, nisi me catholica Ecclesia commoueret autoritas. Et libro vno expositionis epistolae ad Romanos inchoatae, dicit Ecclesiam omnium sanctorum matrem, dono spiritus sancti diffundi per totum terrarum orbem, quae nulli vnquam haeretico vel schismatico spem liberationis si se corrigat, amputauit: nec cuiquam placandi dei aditum clausit, & omnes ad vbera sua qui eam superbo fastidio reliquerunt, cum lachrymis reuocat, quod si dono spiritus sancti per totum orbem increbrescat, quis tam dementi erit ingenio, vt dicere audeat ecclesiastica edicta a fonte spiritus sancti non emanare? Insuper libro II. contra Faustum Manicheum, capite 2. plane ostendit nos debere omnia nostra studia submittere insigni Ecclesiae auctoritati, vbi dicit Ecclesiae catholicae auctoritatem ab ipsis fundatissimis sedibus apostolorum vsque ad hodiernum diem succedentium sibimet episcoporum serie, & populorum consensione firmari. Et libro primo contra Cresconium Grammaticum, cap. 33. dicit sacrarum scripturarum auctoritatem commendare Ecclesiam: quod si quis alicubi haesitauerit, consulat Ecclesiam. Nec sine ratione ad sacram Ecclesiae anchoram confugere debet, quae suis sanctionibus suisque optimis legibus ostendit quid prosequi & fugere debeamus, nihilque nobis praecipit quod in nostram cedat perniciem: nihilque monet faciendum, quod abhorreat ab euangelica philosophia, & ab ipsa ratione, quam qui sequitur, nunquam a recto tramite aberrabit. qui vero eam deserit, eiusque praecipua contemnit, in varios errorum scopulos, & syrtes malorum decidit. Praeterea Hieronymus nobis a stipulatur Epistola ad Lucinum, vbi ita scribit de obseruandis Ecclesiae institutis: Sed ego illud te breuiter admonendum puto, Traditiones ecclesiasticas (praefertim quae fidei non officiant) ita obseruandas, vt a maioribus traditae sunt. Nec aliorum consuetudinem, aliorum contrario more subuerti. Et paulo post edisserens de commendatione Ieiuniorum dicit, vnumquodque debere arbitrarum praecipua maiorum, esse leges Apostolicas. Et enarrans illum Ecclesiasticae locum, Qui dissipat sepem, mordebit eum coluber, dicit: Sepis autem maceriaeque euulsio, ecclesiastica dogmata sunt, & institutio ab Apostolis prophetisque fundata, quae qui dissoluerit & voluerit praeterire, in eo ipso quo negligit, a serpente percussus. De quo serpente & in Amos scriptum est: Si descenderint in infernum, mandabo serpenti, & mordebit eos. Haec ille. Quod si tam sancta sint Ecclesiae instituta, & ea diligenti cura a nobis obseruanda, non debemus in nostris concionibus praedicare, nisi quae sacra sunt & ecclesiastica, & non humana & ethnica quae ab Ecclesia minime sunt approbata, vt dicit idem Hieronymus quaestione 10. Hedibiae. Nec imitari debemus quosdam hystriones, qui figmentis, gestulationibus & hiberis nenijs, cum nihil habeant ex sacrarum literarum promptuario collectum, ludunt & decipiunt simplices, sed sunt audiendi & honorandi qui ab Ecclesia mittuntur, & qui legatos Ecclesiae honorant, & ipsam Ecclesiam honorant. Vnde Chrysostomus enarrans illud Pauli ad Corinthios, Ostensionem ergo quae est charitatis vestrae, & nostra gloria pro vobis, in illos ostendite in facie Ecclesiarum, dicit: Si illos honoraueritis, Ecclesias quae miserunt honoraueritis. Non enim illorum duntaxat honor erit, sed etiam eorum qui miserunt & elegerunt, & ante omnia in gloriam dei: quando enim honorauerimus eos, qui ipsi ministrant, in ipsum gloriam pertingit, in commune Ecclesiarum. Non parum autem & hoc fuerit. Etenim magna est potentia Synodi, id est Ecclesiarum. Oratio earum Petrum a vinculis soluit, Pauli os aperuit, earum suffragium etiam eos qui ad spirituales principatus venturi sunt, non parum ornat, propter hoc & ordinaturus etiam tunc illorum vocat preces, & ipsi sententias ferunt & acclamant, id quod initiati sciunt. Adde quod Cyrillus enarrans illum Ioannis locum, Erat autem Ioannes baptizans in Aenon iuxta Salim, vituperat & obiurgat illos qui cupiunt Ecclesiae dogmata subuerrere, vbi dicit, Nullum tam turpe facinus quod imperitia non audeat aggredi, nulla blasphemiam tam magna, vt aduersus sacratissima Ecclesiae do-

Hieronymus

Eccli. 10.

Amos 9.

1. Corint. 8.
Chrysosto.Cyrillus.
Ioan. 3.

gmata, non dicatur libenter ab ijs, qui omnia recta peruertunt. Aduerte diligenter his quae sumus dicturi. Sanctissimas vniuersalis Ecclesiae traditiones, aut definitiones in his quae fidem spectant, etiam si scriptura in earum comprobatione desit, non minoris esse auctoritatis, quam ipsam sacram scripturam. Et ratio est, non enim minus efficax est ad docendum fidem & mores, vox docentis quam scriptura, imò longe efficacior. Habet enim quid latentis energiae, viuae vocis actus, & in aures discipuli de aethoris ore transfusa, fortius sonat, vt dicit Hieronymus in epistola ad Paulinum. Cum igitur sacras literas doceat Ecclesia, & sola interpretetur, cuius interpretationem tenentur Christiani sectari, maioris erit auctoritatis quam sacra scriptura. Cur, dic quaeso, credis hoc Euangelium esse Matthaei, illud vero Lucae: an quia inscribitur nomine Matthaei, vel Lucae? Fallimur plerumque; titulorum inscriptionibus: an quia Ecclesia ita testatur, & te docet hoc credendum? Respondebis, ni vehementer hallucineris, quia Ecclesia ita testatur, & te instituit vt id crederes. Quod si in me rerundas aliam & retorqueas, quod solum probauerim Ecclesiam esse maioris auctoritatis quam sacram scripturam, quando explicat sacras literas, non autem quando sibi deest ex sacro Bibliorum fonte probatio. Haec (quam subnectam) ratione, tecum congregiam. Credis Ecclesiae dicenti hoc Euangelium esse Matthaei, illud vero Lucae: cur igitur non credis eidem Ecclesiae dicenti reliqua, et si scripturis ea minime confirmet? Nunquid vt crederes Ecclesiae dicenti hoc Euangelium esse Matthaei, exis ab ea ex sacris scripturis testimonium, sine quo minime crederes: quod si fidem adhibueris Ecclesiae tibi dicenti hoc Euangelium esse Matthaei etiam citra testimonium sacrae scripturae, & ita ad credendum atringeris, & in ceteris Ecclesiae institutis & praescriptis obstringeris Ecclesiae fidem adhibere, etiam si suas traditiones non stabiliat ex sacris scripturis. Quod si ita sit, nec addubito ita esse, non semper sacris literis reuellendi sunt haeretici, qui mordacissimis subsannant cachinnis Ecclesiae statuta, sed aliquando citra vllum Bibliorum testimonium, solis Ecclesiae sanctionibus, quibus pertinaciter oblectatur, oppugnandi sunt. Probabis ne constanti sacrae scripturae testimonio virginem Mariam non fuisse in peccato originali conceptam, aut nulli licere Christiano absque virginitate necessitate vesci carnibus die Veneris: qui tamen istis cum pertinacia assertionibus reclamant & obstitit, sciens Ecclesiam ita determinasse, censendus est haereticus. Si curiose scisciteris a quonam didicit Ecclesia vt ita statueret, dicam a spiritu sancto, qui docet Ecclesiam omnem veritatem ad fidem & optimos mores spectantem. Ad haec, si credas Euangelista diuino spiritus sancti numine afflato, cur non credis Ecclesiae: tanto enim Ecclesia praecellit Euangelista, quanto integrum corpus vni membro praestat. Et quis oculatior & efficacior testis esse potest quam Ecclesia? quae spiritu veritatis afflata, mendacium incurrere nequit. Insuper Origenes homilia 5. in librum Numme. & manibus & pedibus in hanc descendit sententiam, sic enim ait, In ecclesiasticis obseruationibus sunt nonnulla quae omnibus quidem facere necesse est, nec tamen ratio eorum omnibus patet. Nam quod verbi gratia, genua flectimus orantes, & quod ex omnibus caeli magis ad solam orientis partem conuersi, orationem fundimus, non facile cuiquam puto ratione compertum. Sed & Eucharistiae siue percipiendae, siue eo ritu quo geritur explicandae, vel eorum quae geruntur in baptismo verborum, gestorumque, & ordinum atque interrogationum ac responsionum quis facile explicet rationem? Et tamen haec omnia operata & velata portamus super humeros nostros, cum ita implemus ea & exequimur, vt a magno pontifice & eius filijs tradita & commendata suscipimus. Haec Origenes. Sana huius & aliorum doctrina moueri debuerant acerrimi Ecclesiae persecutores, Ioannes Vuitclefus, Ioannes Huf, & Martinus Lutherus, suaque Ecclesiasticis institutis submittere ingenia, nec plus sapere quam oportet, qui turbulento inanis gloriae vento concitati, in dexteram declinant. At dicit quispiam, Dicebat aliquando Christus Scribis & Pharisaeis, Quare vos transgredimini mandatum dei propter traditionem vestram? Na deus dixit: Honora patrem & matrem, & qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis,

Origenes.

Matth. 15.
Exo. 20.
& 21.
Deuter. 5.
Eph. 6.

Z. j.

Leuit. 26.
Prouer. 20.
Esa. 29.

Quicumque dixerit patri vel matri, Munus quodcumque est ex me, tibi proderit, & non honorificabit patrem suum aut matrem suam, & irritum fecistis mandatum dei propter traditionem vestram. Hypocritae, bene prophetauit de vobis Esaias, dicens: Populus hic, labijs me honorat, cor autem eorum longe est a me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. His verbis videtur Christus inculcare humanas constitutiones, & hominum praecipua aspernari. Nec sane haec Christi verba nobis aduersantur, si diligenter inspexerimus, quibus loquitur, & de quibusnam rebus Pharisei & Scribae praetextata religione & simulata vitae sanctimonia, quibusdam ineptissimis traditiunculis simplicium mentem fascinant, & deludebant, & maiorem impendebant curam praecipua hominum & extraneis lotionibus, quam diuinis mandatis: eaque vana superstitione laborabant, vt putaret nequas esse accumbere mensis illotis manibus. Improperabant enim Christo, dicentes: Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? non enim lauant manus suas cum panem manducant, vt in eodem capite scriptum est. debuerant illi primum abstergere noxias animi fordes, & primum diuinis studere praescriptis, quod tamen non faciebant, sed diligentiori studio vacabant humanis traditionibus quam diuinis: minima expendebant erratula, nephanda autem scelera quibus contaminabantur, floccipendebant: de quibus vere dictum est, Liquantes culicem, & camelum glutientes. Et idcirco Christus vt illorum supercilium & tumidam arrogantiam increparet, dixit: Quare transgredimini mandatum dei propter traditionem vestram? debuerant illi parentibus praestare obsequium, & inopiae patris ac matris succurrere, secus tamen agebant. Qui vero obseruant sanctissimas Ecclesiae constitutiones, non propterea transgrediuntur dei mandata: sed primum curant mandata dei obseruari, deinde Ecclesiae: nec ecclesiastica praescripta dei praescriptis anteponunt, alioqui grauius delinquent. Primum oportet haec facere, & illa non omittere.

Matth. 23.

Ibidem.

CAPVT IX.

Ecclēsia Christi diuersos gradus atq; ordines sortitur, quibus decenter & concinne distinguitur. Hanc suadebo Assertionem primum ex sacris literis, deinde doctrina peritissimorum hominum. Voluit spiritus sanctus suo prouidentissimo consilio Ecclesiam cui assistit perpetuo, varijs illustrare donis & gratijs, & nulli sua omnia munera (ne ceteri obmurmarent) contulit: ne denique mystica Ecclesiae membra obtorperet, quod pulchre docet Paulus ad Corinthios, vbi sic loquitur: Diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus: & diuisiones ministracionum sunt, idem autem dominus: & diuisiones operationum sunt, idem vero deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiae, alij autem sermo scientiae secundum eundem spiritum: alij fides in eodem spiritu, alij gratia sanctorum in vno spiritu, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Haec autem operatur vnus atq; idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Et in eodem capite affabre & concinne distinguit Ecclesiae ordines: Et quosdam (inquit) posuit deus in Ecclesia primo apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias curacionum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Et iterum ad Ephesios differens de varijs Ecclesiae gradibus, dicit: Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero euangelistas, alios autem pastores & doctores ad consummationem sanctorum: in opus ministerij, in aedificationem corporis Christi. Hunc locum enarrans Hieronymus, dicit Christum hic posuisse in Ecclesia apostolos, prophetas, &c. Illic vero, scilicet in epistola ad Corinthios, patrem eisdem posuisse, vt sit vna & eadem operatio diuersarum personarum. Quod non intelligens Sabellius, patrem confundit & filium, dum eandem operationem esse non putat diuersorum. Tum etiam Christus bea-

1. Corin. 12.

Ephē. 4.

Hieronymus

tum Petrum constituit rectorem praecipuum super totam Ecclesiam, cum dixit: Tibi dabo clauis regni caelorum, & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in caelis: & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in caelis. Et haec verba peculiariter ad eum solum direxit. Reliquis vero apostolis concedita est Ecclesiae gubernatio in certis & determinatis terrae finibus exercenda. Quemadmodum beato Iacobo fratri domini commendata est Ecclesia Hierosolymitana, Ioanni apostolo & euangelista Ephefina, Andrea Ecclesia Achaiae, Matthaeo Aethiopiae, Thomae Indica, & ita de ceteris locis, vbi dirigente spiritu sancto sortiti sunt prouincias ad Euangelij praedicationem. Praeter hos autem apostolos praecleara dignitate insignitos, & primarios Ecclesiae rectores, designauit Christus & alios septuaginta duos discipulos, apostolis inferiores, misitque illos binos ante faciem suam, in omnem ciuitatem & locum quo erat ipse venturus. At beato Petro in apostolica sedis moderatione successerunt ad haec usque tempora diuina ordinatione summi pontifices, ceteris autem apostolis episcopi, & septuaginta duobus discipulis, sacerdotes minores (qui vulgo Curati appellantur) suffecti sunt, etiam ex diuina sanctione, quemadmodum perhibet liber Decretorum, vice prima distinctione, capite In nouo testamento, ex Anacleti summi pontificis sententia. Insuper sapientissimus ecclesiasticae fabricae architectus, qui secundum Salomonis sententiam aedificauit sibi domum Ecclesiam, & excidit columnas septem charismatum spiritus sancti ad eam stabiliendam, de bono & fideli oeconomus, dicit in Euangelio, Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit dominus super familiam suam vt det illis in tempore, tritici mensuram? Ecce audimus dispensatorem a domino constitutum super familiae suae populique Christiani regimen. Et ad Corinthios dicit Paulus: Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum dei. Et in Actis apostolorum ad episcopos Asiae verba faciens: Attendite (inquit) vobis & vniuerso gregi, in quo vos spiritus sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam dei, quam acquisiuit sanguine suo. Demum beatus Petrus admonet Ecclesiae rectores, quod sint vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiae dei. Hortatur eosdem deinceps, quod pascant qui in eis est gregem dei, non vt dominantes in clericis, sed forma facti gregis ex animo. Et longo ante tempore fuerat ei dictum a Christo, Pasce oves meas, & pasce agnos meos. Sed quoniam pacto haec salutaria monita perficeretur, si nullus est in Ecclesia praesidentium ordo? quomodo etiam pastores gregem sibi commissum pascent, si nullum fuerit discrimen potestatis ab ouibus, sed sint omnino eiusdem auctoritatis? Tum etiam Paulus scribens ad Romanos, confert corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia sancta, ad corpus naturale: Sicut (inquit) in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi vnus vnus corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra: habentes autem donationes secundum gratiam quae data est nobis differentes. Et eadem exprimit, sed multo fusius in prima ad Corinthios epistola, dicens: Sicut corpus vnum est, & membra habet multa: omnia autem membra corporis cum sint multa, vnum tamen corpus sunt, ita & Christus. Et corpus non est vnum membrum, sed multa. Si dixerit pes quoniam non sum manus, non sum de corpore, non ideo non est de corpore? Et si dixerit auris, quoniam non sum oculus, non sum de corpore, non ideo non est de corpore? Si totum corpus oculus, vbi auditus? si totum auditus, vbi odoratus? Nunc autem posuit deus membra, vnumquodque eorum in corpore, sicut voluit. Quod si essent omnia vnum membrum, vbi corpus? Nunc autem multa quidem membra, vnum autem corpus. Sed in corpore naturali membra certum habent situm, & distinctum ordinem secundum praeminentiam & subsidentiam: ergo etiam in mystico Christi corpore, diuersi sunt gradus & distincti ordines, quibus tamen Ecclesia eleganter & concinne constituitur. Tum etiam dicit Ioannes in sua Apocalypsi de Ecclesia adhuc in agone difficili defudante, Z. ij.

Matth. 16.

Prouerb. 9.

Lucae 12.

1. Corin. 4.
Acto. 20.

1. Petr. 4.

1. Petr. 5.

Ioan. 21.

Rom. 12.

1. Corin.

Apoc. 21. Ego Ioannes vidi sanctam ciuitatē Hierusalem, nouā descendentem de cælo, à deo paratā, sicut sponsam ornatā viro suo. Hanc sanctā ciuitatem vocat Ecclesiam, cuius legibus & institutis obtēperare debent Christiani, quo etiam nomine eam nominat Psalmographus, dicēs: Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas dei. Et iterū, Fluminis impetus lætificat ciuitatē dei, sanctificauit tabernaculum suum altissimus. Et rursum, Magnus dominus & laudabilis nimis, in ciuitate dei nostri, in monte sancto eius. Præclara autē ciuitas & recte instituta, in se complectitur magistratus, plebis moderatores, & principes qui populum regant, & qui alios antecellāt auctoritate: & hisce primarijs mēbris coalescit ciuitas. Adde q̄ cælestis hierarchia ordinatissima dispositione dirimitur in diuersas angelicorū spiritū hierarchias & sacros principatus: hos quidem supremos, istos medios, illos vero postremos: inter quos decentissimus iste seruatur ordo, vt supremi diuinæ bonitatis munera, proxime nullōq; interstite à deo accepta, diffundant in medios quibus supereminēt, & medijs in postremos, ipsi subdientes, vt præclare ostēdit diuus Dionysius in libro de Cælesti hierarchia. At ecclesiastica hierarchia, eodē authore, constituitur ad similitudinem, formam, & modū cælestis hierarchiæ, ordinationisq; angelicarū in cælis substantiarū, vt sancta Ecclesia adhuc in terris militās, decentissimo tum cōsistat ordine, cum illi in superna ciuitate Hierusalem triūphanti, cælestiū spirituum principatui cōformatur, ac euadit persimilis in suis functionibus & operibus. Et in eodē opere Dionysius describens primitiua Ecclesiæ ordinē & dispositionem, dicit pontificē obtinere supremū in ecclesiastico principatu locum, sub illo constitui sacerdotes, illis verò sanctos ministros subijci, quos subdiaconos & diaconos nuncupant, postremum deniq; locum obtinere plebem sanctā, prædictis sacrorum ministris subiectam. Neq; dissentit à Dionysio Ignatius, Ecclesiæ Antiochenæ tertius à Petro apostolo episcopus, & sancti Ioannis Euangelistæ discipulus, qui in varijs suarū epistolarū locis, episcopos à presbyteris, & hos à diaconis distinguit secundū legitimam primitiua Ecclesiæ ordinationem, & potissimum in prima sua epistola quam scribit ad Trallianos ex Smyrna, vbi postquam admonuit salubriter illius Ecclesiæ fidelē populum q̄ episcopo subditi sint, & morigeri, necnon presbyteris similiter & diaconis, subiungit: Quid enim est episcopus nisi omnē principatum & potestatē illorum omnino tenēs, quemadmodum deceat hominem tenere, imitatorē dei factum secundū virtutem? Quid est presbyterium nisi institutio sancta consiliarij & confessoris episcopi? Quid etiam diaconi, nisi imitatores Christi, ministrantes episcopo, sicut Christus patri, & operantes illi operationem mundam & immaculatam? Quomodo sanctus Stephanus, beatissimo Iacobo: & Timotheus & Linus Paulo: & Anacletus & Clemens Petro? Qui igitur istis inobediens fuerit, hic sine deo omnino erit, & impius & contemnens Christum, & ordinationem ipsius minorans. Hæc ille. Beatus etiam Cyprianus eosdem Ecclesiæ gradus astruit, & potissimum nona epistola 3. libri epistol. quam scribit ad Rogatianū episcopū de quodā diacono, qui intolerabili insolentia, cōtra eundem episcopū rebellis & cōtumeliosus fuerat, vbi postquam ostendit quātus debeat honor sacerdotali dignitati, quōdōq; illius contemptores, etiam & deum spernāt, subnectit: Meminisse autē diaconi debēt, quoniā apostolos, id est episcopos & præpositos dominus elegit. Diaconos autē post ascensum domini in cælos Apostoli sibi constituerunt, episcopatus sui & Ecclesiæ ministros. Quod si nos aliquid audere contra deum possumus, qui episcopos facit: potest & hic contra nos audere, à quibus diaconi fiunt. Et ideo oportet diaconum, de quo scribis agere audaciæ suæ pœnitentiam, vt honorem sacerdotis agnoscat, & episcopo præposito suo plena humilitate satisficiat. Hæc sunt enim initia hæreticorū, & ortus atque conatus schismaticorum male cogitantium, vt sibi placeāt, vt præpositum suum perbo tumore cōtemnant. Sic de Ecclesia receditur, sic altare prophanum foris collocatur, sic contra pacem Christi & ordinationem atque vnitatem dei rebellatur. Hæc Cyprianus. His rationibus & pluribus alijs congregitur Clithoueus, quem

Dionysius.

Ignatius

Cyprianus.

Acto. 6.

non satis extollere possum, libro secundo Antilutheri, capite secundo & tertio, contra Lutherum qui comminiscitur Ecclesiam humana & non diuina constitutione in suas partes ductam esse. Excutiemus & alia doctorum testimonia: Differens Ambrosius libro vno de Dignitate sacerdotali, capite tertio, vbi monet episcopū nō tam debere nosci professione, quā bono opere, & plus meritis quā nomine, dicit tandē, Aliud est enim quod ab episcopo requirit deus, & aliud quod à presbytero, & aliud quod à diacono, & aliud quod à clerico, & aliud quod à laico, vel à singulis quibusq; hominibus. Et licet omnium hominum opera deus in suo examinet iudicio, plus tamen ab eo exigitur, cui plus committitur. Ampliores enim pœnas luit, cui numerosior regendorum populorum fuerit cura commissa. Præterea Augustinus exponens psalmum 39. dicit ad locum illum, Videbunt iusti & timebunt, de Ordinatis Ecclesiæ gradibus, In Ecclesia iste ordo est, alij præcedunt, alij sequuntur: & qui præcedunt, exemplum se præbent sequentibus: & qui sequuntur, imitantur præcedentes. Sed & illi qui se exemplum præbent sequentibus, nūquid neminem sequuntur? si neminem sequuntur, errabunt: sequuntur ergo & illi aliquem, ipsum iam Christum. Meliores quique in Ecclesia quibus non remansit iam homo quem imitentur, quia omnes proficiendo superauerunt, ipse Christus eis remanet quem vsque in finem sequantur. Et cernitis ordinatos gradus per Paulum apostolum dicentem: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Ergo qui iam directos gressus habent in petra, forma sint fidelibus. Sed forma (inquit) estote fidelibus. Ipsi fideles sunt iusti, qui attendentes eos, qui se in bono præcedunt, imitando sequuntur. Hæc ille. Imitemur primum in Ecclesia bonis operibus saluatorem nostrum, quem proxime Romanus pontifex sequitur. Hunc episcopi, episcopos sacerdotes, sacerdotes vero diaconi, & subdiaconi, vt sanctum Ecclesiæ corpus persistat semper sanum & incolume. Nobis ad hanc tuendam assertionem plurimum confert adiumenti Chrysostomus, exponēs tomo 2. homilia 13. illud Matthæi, Vt mundo à scandalis. Necessè est enim vt veniant scandala, vbi dicit quod Christus apostolis loquebatur, in quibus fundata erat Ecclesia, loquebatur & Ecclesiæ. Nam Ecclesia corpus vnum habet, sed multa membra habet. Hoc loquitur & Apostolus ad Corinthios, Quia sunt prophetae, sunt doctores, sunt sacerdotes, sunt signa facientes, & alia virtutes. vbi de spiritualibus gratis disputauit, & ibi dicit: Nunquid potest dicere oculus manui, non necessariam te habeo: aut rursus manus dicere pedi, necessariam te non habeo? Et hoc dicit ad exemplum, quia ex multis membris vnum Ecclesiæ corpus efficitur. Ecclesia habet veros oculos videlicet Ecclesiasticos atque doctores, qui vidēt in scripturis mysteria dei, de quibus dicuntur Videntes. Isti igitur qui vident, recte appellantur oculi Ecclesiæ. Rursus habet & manus, facit videlicet viros qui oculi non sunt, sed manus. Nunquid norunt mysteria scripturarum? tamen sunt potentes in operibus. Habent & pedes qui nec vident, nec operantur, sed habent diuersos discursus: sed propterea currit pes, vt inueniat manus quod operetur. Nec oculus contemnat manum, nec manus contemnat pedem, nec rursum illa tria contemnat, quasi otiosum ventrem. Sæpe euenit vt illa membra, quæ videntur esse verecundiora, ipsa magis vtilia sint. Hæc ille. Eō tendunt hæc verba vt Ecclesia varijs decorata officijs, maximum sentiat commodum in coniunctissima suorum membrorum connexionem, nec vnum alterius opera & subsidio carere potest. Et exponens illud ad Corinthios iam aliquoties prolatum, Si omnia sunt vnum membrum, vbi corpus? dicit: Si non est quadam inter vos certa diuersitas, ne corpus quidem estis: si porrò non estis corpus, neque vnum eritis: si non vnum, quomodo par fuerit omnium dignitas? Contrà igitur, si æque quidē omnes polletis, corpus non estis: si non estis corpus, neque vnum: si non vnum, quomodo eritis æque honorati? Idcirco igitur quod non eodem omnes spiritus ornamento polletis, sed munus aliud alijs habet, corpus estis. Corpus verò cum sitis, vnum estis etiam: nihilque eo quod corpus estis, differtis inter vos iam quicquam.

Z. iij.

Ambrosius.

Augustinus
Psal. 39.

1. Corin. 12.

Chrysostomus
Matth. 18.

1. Corin. 12.

Ecclēsia non potest nouum fidei Articulum condere.] Hanc suadebo Assertionem non imbecilla ratione. Omnis assertio ex eo Catholica dicenda est, quia à deo reuelata est, vel quia in sacris literis continetur, siue in instrumento sanctarum scripturarum, aut ex eo quod vniuersalis Ecclesia eam cœlesti numine afflata recepit. Si dicatur Catholica, quia est à deo reuelata, cum reuelatio diuina non pendeat ex Romani pontificis arbitrio, aut ex Ecclesiæ approbatione, qui sit, vt summi pontificis censura aut approbatio, faciat quidpiam esse catholicum quod à deo reuelatum est? fateor tamen Ecclesiam decernere & nobis ostendere, illam esse dei reuelationem, non tamen facit quod reuelatum est, esse verum. Si autem talis veritas dicatur esse catholica, eo quod in sacris literis continetur, cum talem veritatem contineri in sacris scripturis non pendeat ex hominum arbitrio, neque ab humana voluntate, sed à solo deo illarum scripturarum authore vnico, perspicuum erit Ecclesiam non posse efficere, vt veritas illa ad fidem pertineat. Quod si dixeris veritatem illam ex eo dici catholicam, quia iam vniuersalis Ecclesia recipit: tunc percontabor quoniam pacto Ecclesia eam recepit; an quia à deo illi fuerat reuelata? an quia in sacra scriptura reperta? sed neutrum ex Ecclesiæ arbitrio pendet. Nam aut huiusmodi assertionem experimento didicisset, aut ratione naturali peruestigasset, quod non est aliquo modo tribuendū Ecclesiæ, eo quod fides nostra soli experientia & rationi naturali inniteretur: cui manifeste repugnat Paulus, dicens: Sermo meus & præparatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis, vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute dei. Quod si rursum dixeris ex eo quampiam assertionem esse catholicam, quia recto consequo deduci potest ex reuelatis, aut ex his quæ in sacris Biblijs continentur, cum Ecclesiæ sanctio & definitio non efficiat quandam collectionem esse firmissimam, imò res ipsa & verius rei pondus & ratio. Consequens est, vt neque hac ratione Ecclesia efficiat veritatem ipsam esse catholicam. Superest igitur inquirere, si nam Assertio dicatur catholica, quia à Romano pontifice determinata? Tunc sciscitabor, an Romanus ille pontifex sic statuens & definiens, innitatur sacris literis, aut reuelationi, aut propriæ prudentiæ, & peculiari iudicio: non vltimum, cum fides nostra, & propugnaculum christianæ religionis, non pendeat ex hominum sapientia aut voluntate. Si primum dixeris aut secundum, quod haud dubie debes asserere, semper nobis erit confugiendum ad id quod diximus, ex eo propositionem quandam dici catholicam, quia à spiritu sancto reuelata est, aut quia in sacris scripturis continetur. Et si recurras ad tertium, quia Ecclesia huiusmodi assertionem recepit, non propterea ratiocinaberis, neque aduersus nos colliges, Ecclesiam suis sancitis suisque legibus effecisse talem assertionem esse catholicam: aliud enim est efficere, aliud recipere. Sed id efficit Ecclesia, vt quod nos latebat esse catholicum, per suam definitionem innotescat esse catholicum. Quemadmodum in lite super debitum, iudex ferens iustam sententiam, non facit eum debitorem, cum etiam ante iudicis sententiam, vere ille fuisset debitor ex re precaria quam denegat, sed iudex facit vt pateat esse debitum quod prius forte latebat, idque iudicis sententia efficit, vt per eam pertinax reuincatur. Ideo enim iudex iuste dixit talem esse debitorem, quia vere erat debitor, & non ideo talis est debitor, quia iudex iustam sententiam protulit. Nam si ille non erat debitor, iniustam sententiam tulisset: sic etiam Ecclesia definiens aliquid esse fide tenendum, quamuis certo definiat, nec falli possit, non tamen sua definitione efficit veritatem illam esse catholicam. Nam ideo certo definiuit veritatem illam esse catholicam, quia veritas illa catholica erat: quod si catholica non fuisset, Ecclesia definiens eam esse catholicam, erraret: antè ergo erat catholica, quam Ecclesia censuisset. Nullo ergo modo id fieri potest, vt Ecclesia nouum fidei articulum condat. Sed id quod antea erat vera fides, nos tamen latebat,

Corin. 2.

Ecclesia efficit vt per suam cœsuram nobis innotescat. Adde quod si Ecclesia posset nouum fidei articulum condere, posset etiam sua definitione & censura efficere quampiam assertionem esse hæresim, quod falsum est. Nam si non definisset, esset hæresis, quia fidei catholicæ repugnat. Sed id efficit Ecclesia, vt nobis per suam censuram pateat illud esse hæresim, quod antea nos latebat, an merito hæresis dici posset. Hæc decerpimus ex Alphonso à Castro, viro sanè doctissimo, libro primo aduersus hæreses, capite octauo, vbi reprehendit dominum Abbatem, qui exponens caput quod incipit Cum Christus, quod in volumine Decretalium Epistolarum habetur in titulo de Hæreticis, dicit Papam posse nouum fidei articulum condere, sed parcendum est ei ignorantia, nec bene expendenti de qua re loqueretur. Hoc solum est illi impingendum, quod ultra crepidam iudicauerit. Non enim est Canonistarum de hæresi aut de fide iudicare, sed Theologorum, quibus diuinum ius committitur. Canonistarum partes sunt de iure pontificio differere. Videant ergo ne dum vtraque sella sedere cupiunt, vtraque excludantur. Quod suam sententiam colligunt ex illo, capite Cum Christus non recte faciunt. Nam Alexander tertius, cuius est illa sententia, non cõcludit articulum fidei, quia nec fecit talem propositionem videlicet, Christus quatenus homo est aliquid, esse verum, nec per consequens catholicam, cum veritas à re ipsa pendeat, & non ex affirmatione pontificis. Sed papa definiens, fecit vt non liceat asserere aut opinari contrarium illius, cum tamen ante pontificis determinationem forte libere quis asserere potuisset citra hæreseos notam, eo quod veritas illa non innotuisset (quanquam non video qualiter potuisset aliquid nisi prorsus indoctum, aut male affectum, latere) & ideo olim citra pertinaciam asserens oppositum non censeretur hæreticus, ac ideo nec excommunicationis reus. Sæpenumero enim contingit, vt inter viros pios, atque doctos non conueniat de eadem re, in qua alterum eorum errare necesse est, nec ideo tamen statim hæresis censetur, vt gratia exempli: Quidam dicunt, personas diuinas constitui in esse personali per respectiua, alijs affirmantibus constitui per absoluta. Alij rursum dicunt, non constitui per aliqua, sed seipsis esse personas. Quis non videret aliquem horum errare? cum tamen quilibet eorum suæ adhæreat opinioni impune & sine hæreseos nota. Nec ideo talis error non est hæresis, quia ei non impingitur: nam si omnis error catholicæ fidei obuias, hæresis dicendus est, certum est talem errorem esse hæresim, quia oppositus veritati fidei catholicæ, quamuis nobis ignotæ. Veritas enim cui error ille repugnat necessaria est: nos tamen latet an veritas sit, atque ideo minime obligamur ad assentiendum ei, nec ad dissentiendum errori repugnanti. Quo fit vt liberum sit cuique suam tueri sententiam. Si tamen Ecclesia à spiritu sancto edocta de illa re definiret, absque vlla dubitatione Ecclesia non efficeret sua definitione vt persona sic vel sic constituatur, sed doceret nos id quod nos latebat, tætesi ab æterno verum fuerit. & post Ecclesiæ determinationem non licebit asserere, quod antea licuisset. Sicut igitur Ecclesia sua definitione non efficit nouam fidei veritatem, ita nec oppositam esse nouam hæresim. Verum quoniam Ecclesia aliquando verbis clarijs & manifestis exprimit aliquam assertionem, quam ex alijs abstrusis reconditisque sacra scripturæ locis elicit, etsi nullibi ita manifeste reperitur. Hac ratione eueniet aliquando vt Ecclesia dicatur cõdere articulum fidei, non quod efficiat esse fidem quod non erat fides: sed quia id expressit aliquibus certis verbis, quibus nunquam antea fuerat expressum. Sicut dicimus Nicenum concilium condidisse symbolum fidei, quia filij consubstantialitatem expressit, quam nunquam sacra scripturæ hoc nomine expresserant. Ad hunc modum etiam dicitur aliqua hæresis esse noua, non quod antea non fuisset hæresis, sed quod nullus antea asseruerit. Hoc enim modo ait Gelasius Papa, Achatius non factus fuit inuentor noui erroris, sed veteris imitator. Multi quidem sunt errores qui antequam habeant protectores, à doctoribus sacris reprobantur, vt præcaueant alijs: quod si quis iam eos defendere incepisset, dicerentur hac ratione noui errores. Sic enim in Actis apostolorum refertur de

24. quæst. r. c. Achatius.

Z. iij.

Acto. 17. quibusdam dicentibus de Paulo, quod nouorum demoniorum annuntiator esset. Noua quippe appellabatur daemonia, eo quod à Paulo essent nouiter praedicata. Sanctus Thomas mouens Scrupum 2.2. quaestione 2. articulo 10. Si nam Romanus pontifex possit edere nouum fidei symbolum: tantum attribuit authoritatis summo pontifici (nec dubito plurimum illi impendendum esse) ut audeat asserere ad solam authoritatem summi pontificis, pertinere nouam symboli editionem, sicut & omnia alia quae pertinent ad totam Ecclesiam, ut congregare synodum generalem, & pleraque alia. quod autem summus pontifex possit edere symbolum, ita probat: Ad illius authoritatem spectat editio symboli, ad cuius authoritatem pertinet finaliter determinare ea quae sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur: sed summi pontificis est determinare quae sunt fidei & difficiliore Ecclesiae quaestiones discutere, igitur illius est edere symbolum. Nec tamen putes quod cum instituit symbolum, eum efficere quandam propositionem esse catholicam, quae prius non erat catholica, sed definit vna cum prudentissimo concilio, quid firmissime credere debemus & sequi. Et potissimum sit noua symboli editio, quando obrepunt & insurgunt haereses, aut reuiuiscunt. Et licet in doctrina Christi & Apostolorum, veritas fidei fuerit abunde aut sufficenter explicata, quia tamen perditissimi homines & pseudoapostoli sacram scripturam & sanam apostolorum doctrinam peruertunt, & in suas haereses detorquent, idcirco necessaria fuit praecedentibus temporibus explicatio fidei, ut falsa haereticorum dogmata euellerentur, & ne illorum vestigijs boni adhererent. Nec tamen sum in illa sententia, ut solius sit Romani pontificis edere symbolum, sic quod non possit vniuersalis Ecclesia aut concilium generale edere symbolum, siue definire quae sunt fidei, ubi nollet Romanus pontifex huiusmodi symbolum statuere, aut si in haesim incideret. Si enim Romanus pontifex quidpiam possit de fide determinare, poterit & vniuersalis Ecclesia, cuius authoritas excellentior est & maior potestate Romani pontificis, ut aliubi ostensum est.

CAPVT XI.

Euangelium Christi vnicum, licet sit sufficiens ad bene beatęque viuendum, tamen non omnia particulatim ac peculiariter in eo explicantur, quae facienda nobis sunt ut salutem consequamur. Primam Assertionis partem suadeo. Praecipit Christus suis discipulis post suam resurrectionem, ut praedicarent Euangelium omni creaturae, euangelicam scilicet gratiam, & bonam de Christo annuntiationem. Est etiam vnus Christus Euangelij author, qui optimam de seipso annuntiationem quod de caelo aliquando pro nobis descenderit, quod sit incarnatus, circumcisus, baptizatus, crucifixus, &c. quod denique gratiae legem attulerit, apostolorum mentibus inseruit, nec diuersus est author qui operatus est omnibus Apostolis & Euangelistis, regni caelestis praedicationem, licet suum quisque munus in diuersis regionibus obierit. Quod plane docet Paulus ad Galatas dicens: Mihi enim qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt, sed contra, cum vidissent quod creditum est mihi Euangelium praepitij, sicut Petro circumcisionis (Qui enim operatus est Petro in apostolatam circumcisionis, operatus est mihi inter gentes) Et cum cognouissent gratiam quae data est mihi, Petrus & Iacobus & Ioannes, qui videbantur columna esse, dexteram dederunt mihi & Barnabae societatis, ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem. Haec edifferens Hieronymus, dicit: Ex quo perspicimus propterea dexteram datus Paulo & Barnabae societatis, à Petro, Iacobo, & Ioane, ne obseruatione varia diuersum Christi Euangelium putaretur: sed & circumcisorum & habentium praepitium, esset vna communio. Pulchre autem praestruxit, dicens: Qui enim operatus est Petro in apostolatu circumcisionis, ne quis eum putaret detrahere Petro, sed ut laudibus eius ante praemissis, intelligeretur Petrus ideo circumcisionem aliqua ex parte suscipere, ut eos qui sibi ex Iudaeis crediti fuerant, lucrificeret, & in Christi fide & Euangelio custodiret. Subintelligit etiam quod si ille absque culpa faceret, & ad tempus obseruan-

do quod non licet, ne sibi creditos perderet, se magis pro Euangelij veritate facere debere quod sibi creditum est in praepitio, ne gentes legis onere, & difficultate deterrita, à Christi fide & credulitate discederent. Tum etiam explicans illum Ecclesiastae locum: Faciendi plures libros nullus est finis, dicit, Moris est scripturarum, quae plures libros si inter se non discrepent, & de eadem re scribantur, vnum volumine dicere. Si quidem & Euangelium, & lex domini immaculata, couertens animas, singulariter appellantur, cum plura Euangelia & multa sint mandata legis. Sic & volumen in Esaiæ sermone signatum, omnis scriptura diuina est, & vno capitulo libri Ezechiel, Ioannisque vescuntur. Saluator quoque omnium retro sanctorum vocibus prophetatus ait, In capitulo libri scriptum est de me. Iuxta hunc igitur sensum, arbitror nunc praepitium, ne plures libri fiant. Quicquid enim dixeris, si ad eum referatur, qui in principio erat apud deum, & deus erat verbum: vnum volumine est, & innumerabiles libri, vna lex, vnum Euangelium nominatur. Quod si diuersa & discrepantia disputaueris, & curiositate nimia huc atque illuc animum deduxeris, etiam in vno libro, multi libri sunt. Vnde dictum est, Ex multiloquio non effugies peccatum. Haec ille. Cum igitur Euangelia à quatuor Euangelistis conscripta, ad dei Christi gloriam cotendant, nec sententijs dissideant, non tam dicentur Euangelia, quam vnum Euangelium. Et licet Euangelia initijs distent, & filo narrandi: conspirant tamen & consentiunt, in tuenda fidei veritate, nec à capite fidei & cardine variant. Et ad vnum contendunt finem, ut infideles ad Christi fidem accersant, aut Christianos moneant & cohortentur in castris fidei, & tutissimis Christianissimi propugnaculis perpetuo degere. Quod autem dissideant in initijs, ex doctrina Hieronymi libro primo aduersus Iouinianum, & communi omnium doctorum iudicio declarabimus. Matthaeus quasi de homine incipit scribere, Liber generationis Iesu Christi filij David, filij Abraham: Lucas à sacerdotio Zachariae: Marcus à prophetia Malachiae prophetae, & Esaiæ. Primus habet faciem hominis propter genealogiam: Secundus faciem vituli, propter sacerdotium: Tertius faciem Leonis, propter vocem clamantis in deserto, Parate viam domini, rectas facite semitas eius. Ioannes verò quasi aquila ad superna volat, & ad ipsum patrem peruenit, dicens: In principio erat verbum, & verbum erat apud deum, & deus erat verbum. Hoc erat in principio apud deum &c. Eadem narrat in primo Ezechielis caput, ubi scriptum est: Quatuor facies vni, & quatuor pedes vni, & pedes eorum pedes recti, & planta pedis eorum, quasi planta pedis vituli, & scintillae quasi aspectus aeris cadentis. Et manus hominis sub penis eorum in quatuor partibus. Tum etiam Chrysostomus huic fauet sententiae, enarrans locum illum Pauli ad Galatas: Miror quod tam cito transferimini ab eo qui vos vocauit in gratiam Christi in aliud Euangelium, quod non est aliud, nisi sunt aliqui qui vos conturbant, & volunt conuertere Euangelium Christi, ubi dicit, Pulchre dixit, neque enim est aliud, attamen quod accidit aegrotantibus dum salubribus cibis offenduntur, hoc idem vsu venit hic Marcionistis. Arripuerunt enim quae dicta sunt hic, ac dicebant: Ecce Paulus etiam ipse dixit non esse aliud Euangelium. neque enim hi recipiunt omnes Euangelistas, sed vnum duntaxat, quod ipsum tamen suo arbitratu mutilarunt commiscueruntque. Quid igitur sibi vult, quum ait, iuxta Euangelium meum & praedicationem Iesu Christi? Sunt quidem vehementer ridicula, quae isti adferunt, verumtamen quaquam sunt deridenda, operepretium tamen est ea refellere, propter eos qui facile decipiuntur. Quid igitur dicemus, an quod etiam si decies mille sint Euangelistae qui scribunt Euangelia, modo scribant eadem, multa illa vnicum esse Euangelium, neque quicquam obstare scribentium multitudinem, quo minus vnum sit Euangelium? Quemadmodum ex aduerso, si quis, vnus scribens comemoret contraria, non esset vnum Euangelium, quae scribuntur. ut enim vnum sit Euangelium aut non vnum, non aestimatur numero scribentium, sed huic eadem ne sint, an diuersa quae scribuntur. Vnde dilucidum est, quatuor Euangelia vnum esse Euangelium. Quum enim quatuor eadem loquan-

Ecclesia. 12.

Psal. 18.

Psal. 39.

Ioan. 1.

Prouer. 10.

Matth. 1.

Luca 1.

Mar. 1.

Esa. 40.

Ioan. 1.

Ezechie. 1.

Chrysosto.

Gala. 1.

2. Timot. 2.

tur, non est aliud atque aliud ob personarum differentiam, sed vnum ob eorum qui loquuntur consonantiam. Neque enim Paulus nunc de numero loquitur, sed de pugnantia eorum quae dicuntur. Proinde si iuxta vim eorum, quae in illis scripta sunt, iuxtaque dogmatum excussam rationem, aliud est Euangelium Matthaei, aliud Lucae, recte Pauli sermonem hunc arripiunt. Sin vnum & idem est, desinant ineptiores, simulantes haec ignorare sese, quae vel admodum pueris nota, perspicuaque sunt. Et eadem habet homilia prima, in primu caput Matthaei, vbi ita loquitur differens de quatuor Euangelistis: Non sufficebat vnus Euangelista cuncta memorare! Sufficiebat quidem, sed cum quatuor sint, qui Euangelia conscribant, nec eisdem certe temporibus, aut in eisdem locis, neque pariter congregati, neque mutuo colloquentes, & tamen quasi vno ore pronuntiant, fit hoc sine dubio, veritatis grande documentum. Verum econtrario (inquis) ista res accidit, in multis enim diuersi inter se inueniuntur ac dissoni, ipsum hoc ipsum maximum est testimonium veritatis. Si enim ex toto, & in omnibus consonarent, & cum nimia diligentia atque cura vsque ad tempora ac loca omnia, vsque ad singula aequaliter verba concurrerent, nemo inimicus credidisset vnquam, sed eos communi ad decipiendum consilio congregatos, quasi ex humana quadam conspiratione Euangelium condidisse. Non enim simplicitatis fuisse tam sollicitam consonantiam iudicarent. Nunc vero quae videtur ex rebus exiguis dissonantia, ab omni illos suspicione defendit, & satis clare scribentium existimationem tuetur. Si vero aliquid de temporibus ac locis varie dixerint, nihil quidem dictorum praesudicat veritati. Assentit & Chrysothomo Theophylactus explicans illum Pauli locum ad Galatas iam prolatum, vbi testatur vnum esse Euangelium, quod rectam continet fidem: & quatuor Euangelistarum vnum esse Euangelium, pro eorum conuenientia. Neque enim hoc loco de voluminum numero, sed de varietate ac differentia differit Paulus. Haec ille. Et in eodem capite censet Paulus illos esse feriendos anathemate, siue sint angeli siue homines, qui Euangelizant aliud praeterquam euangelizauit, conditionem hanc adijciens, dicit: Sed licet nos, aut angelus de caelo Euangelizet vobis, praeterquam euangelizauimus vobis, anathema sit, sicut praediximus, & nunc iterum dico: Si quis vobis euangelizauerit praeter id quod accepistis, anathema sit. Adde quod nobis astipulatur Tertullianus libro 4. aduersus Marcionem, dicens Euangelistas in capite fidei conuenire, licet euariant narrationibus & dispositionibus. Ad haec, Augustinus disputans contra Faustum Manicheum, libro secundo aduersum eundem edito, capite 2, dicit vnum esse Euangelium Pauli & caeterorum apostolorum. admittebat ille Euangelium, sed negabat Christum natum: & ad subuertendum hunc errorem, adducit illud Pauli ad Timotheum, Memor esto Christum Iesum resurrexisse a mortuis ex semine Dauid, secundum Euangelium meum. aut ille nescit quidnam sit Euangelium, aut fingit se nescire. si enim admittat Euangelium, necesse est vt admittat bonam de Christo annuntiationem, quem annuntiarunt & Euangelistae & apostoli. delirat plurimum non credens Christum esse ex semine dauid, quod tamen apostolus secundum suum Euangelium testatus est. & subnectit Augustinus, Quod autem erat apostoli Pauli Euangelium, hoc etiam caeterorum apostolorum, & omnium fidelium dispensatorum tanti sacramenti. Hoc enim alibi dicit Paulus, Siue ergo ego, siue illi sic praedicamus, & sic credidistis. Non enim omnes illi Euangelium conscripserunt, sed tamen omnes Euangelium praedicauerunt. Narratores quippe originis factorum, dictorum, passionum domini nostri Iesu Christi, proprie dicti sunt Euangelistae. Nam & ipsum nomen si quaeramus, quid Latine interpretetur, Bonum nuntium dicitur Euangelium, vel bona annuntiatio. Quod quidem cum aliquid bonum annuntiat, semper dici potest: proprie tamen hoc vocabulum obtinuit illa (quam dixi) annuntiatio saluatoris. Si autem alia vos annuntiat, extra Euangelium vos esse, manifestum est. Si quis enim vobis annuntiauerit praeterquam quod annuntiauerimus vobis, anathema sit. Cum ergo ipse Paulus secundum Euangelium suum annuntiauerit

Theophyl.

Tertullianus

Augustinus

2. Timot. 2.

1. Corin. 15.

Gala. 1.

Christum ex semine Dauid, vos qui hoc negatis, & aliud annuntiat, anathema sitis. Quis non autem videat quanta caecitate dicatur, quod nusquam se Christus natum ex hominibus dicat, cum penè nunquam se filium hominis taceat? Et in quaestionibus ex vtroque testamento mixtis, quaestione 10. proferendo illud Pauli: Miror quod tam cito transferimini ab eo qui vos vocauit, in aliud Euangelium, quod non est aliud, dicit non esse aliud Euangelium quam quod tradidit Christus. Haec ille. Scito igitur quatuor Euangelia, vnum esse, consensu & concordia veritate, nec plura illis ab Ecclesia recepta, quod testatur Origenes homilia prima, in Lucam, vbi dicit: Multi conati sunt scribere Euangelia, sed non omnes recepti. Et vt sciatis non solum 4. Euangelia, sed plurima esse conscripta, e quibus haec quae habemus electa sunt, & tradita Ecclesiae, & ex ipso prooemio Lucae quod ita contextitur, cognoscamus: Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem: hoc quod ait, Conati sunt, latentem habet accusationem eorum qui absque gratia spiritus sancti, ad scribenda Euangelia profuerunt. Matthaeus quippe, & Marcus, & Ioannes, & Lucas non sunt conati scribere, sed spiritu sancto pleni scripserunt Euangelia. Multi igitur conati sunt ordinare narrationem de his rebus quae manifestissime cognitae sunt in nobis. Ecclesia quatuor habet Euangelia, haereses plurimas, e quibus quoddam scribitur secundum Aegyptios, aliud iuxta duodecim apostolos. Ausus fuit & Basilides scribere Euangelium, & suo illud nomine titolare. Multi conati sunt scribere, sed & multi conati sunt ordinare. Quatuor tantum Euangelia sunt prolata, e quibus sub persona domini & saluatoris nostri proferenda sunt dogmata. Scio quoddam Euangelium quod appellatur secundum Thomam & iuxta Matthiam, & alia plura legimus, ne quid ignorare videremur, propter eos qui se putant aliquid scire, si ista cognouerint. Sed in his omnibus nihil aliud probamus, nisi quod Ecclesia, id est quatuor tantum Euangelia recipienda. Subscribit & Origeni Hieronymus in prooemio suorum commentariorum super Matthaeum. Et in quatuor Euangelia ad Damasum Praefatione, dicit: Haec praesens praefatiuncula pollicetur quatuor tantum Euangelia, quorum ordo est iste: Matthaeus, Marcus, Lucas, Ioannes, codicum Graecorum emendata collatione. Et in eadem praefatione ostendit quibus literis scripserunt illi. De nouo (inquit) nunc loquor testamento, quod Graecum esse non dubium est, excepto Apostolo Matthaeo, qui primus in Iudaea Euangelium Christi Hebraeis literis addidit. Assentitur & huic sententiae Augustinus libro primo de consensu Euangelistarum, capite secundo. ¶ Secundam Assertionis partem doctrina Christi suffulcia: Dicit Christus in Euangelio Matthaei, Nolite putare quoniam veni solvere legem aut prophetas: non veni soluere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat caelum & terra, iota vnum aut vnus apex non praeteribit a lege donec omnia fiant. Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno caelorum: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum. Et aliubi, Omnis qui constabitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui in caelis est: qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo qui in caelis est. Rursum, Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Amplius, differens de dilectione dei & proximi, dicit: In his duobus mandatis, vniuersa lex pendet, & prophetae: Iterum, Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quaecumque mandauimus vobis. Et in Euangelio Lucae, cum quidam legis peritus Christum tentando dixisset, magister, quid faciendo vitam aeternam possidebo? & summa legis praecipua de dilectione dei & proximi recensisset, ait illi Christus, Hoc fac & viues. ¶ Ultimam Assertionis partem hac ratione probabo. Multa praecipua his duobus praecipis Euangelicis superaddita sunt. Audire debent omnes Ecclesiam. Et quae dicunt, facite. Si enim Christianus contumaci pertinacia oblectando non audierit Ecclesiam, sit tanquam ethnicus & publicanus. nec Ecclesia quidpiam nobis iubet faciendum, quod non sit nobis uti-

Gala. 1.

Origenes.

Hieronymus

Augustinus.

Matth. 5.

Matth. 10.

Matth. 19.

Matth. 22.

Matth. 28.

Luca 10.

Matth. 18.

& 23.

le, nec tibi præcipit Quadragesimale ieiuniū, nisi possis obseruare. quòd si eius sanctiones & mandata contempseris, non addubito te esse dignum fulmine & anathemate. Et quæ dicunt Prælati Ecclesiastici facienda sunt, alioqui illis cōtemptis, spernitur & deus. Verūtamen ad fidelium salutem expediebat ea quæ non fuerant in Euangelio expressa, sensum & pedetentim, & quadam temporis successione, per traditiones apostolorum, per sacrosanctas synodos, atque per cōstitutiones Ecclesiasticas modo obligatorio exprimere, vt commodius à nobis fieri queant. Et ad hæc facienda, Ecclesiam docuit spiritus sanctus, eique reuelauit quæ ad fidei ædificationem spectabant, & incurrunt letale crimē qui dedita opera Ecclesiæ traditiones & præcepta transgrediuntur, & æternis cruciabantur tormētis, nisi eos pœnituerit facti: qui verò sincero affectu & pròptissimo obsequio Ecclesiasticis iussis obsequuntur, gratiam promerentur & gloriam æternam. Vehementer igitur aberrat Lutherus, dicens nihil esse credendum nisi quod in Euangelio expressè continetur. Cum enim dixit Christus diabolo, Nō in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore dei, per verbum dei non solum debemus intelligere quod in Euangelio conscriptum est, sed & id omne quod postea suggerente spiritu sancto ab apostolis & patribus orthodoxis est traditum atque sancitū: & illud enim verbum dei est, vt puta spiritus sancti, cuius doctrina illud ipsum ordinatum est & statutum. dicant & illi qui Lutheranismum adhærent in quo Euangelij loco scriptum est, Christū ad inferna descendisse, quod tamē Symbolum apostolorum & Athanasij nobis credendum exprimit, nec Lucas in Actis apostolorum id subtrahit. Vbi etiam in aliquo quatuor Euangeliorum dicitur filius dei esse consubstantialis patri, cum certe nomen illud consubstantialis nequaquam in Euangelio legatur, licet in Euangelio Ioannis dicat Christus: Ego in patre, & pater in me est. Aut vbi in aliquo euangelistarum expressum est, quòd spiritus sanctus à filio procedit. Attamen vtrunque horū symbolum Nicenum exprimit ab omnibus credendum. Denique, quis nam vnquā legit in Euangelio, Quadragesimale ieiunium quotannis ante festum paschæ esse obseruandum? Qui tamen robusto est corpore vt possit ieiunare, si obseruare conueniat huiusmodi ieiunium, suum habens ab apostolorum institutione auctoramentum & vigorem, grauius offendit deum & sanctam Ecclesiam cui se addixit. Quòd autem ab apostolorum sanctionibus emanauerit Quadragesima, testatur Hieronymus in Epistola ad Marcellam aduersus Montanum, ponens discrimen inter Christianos & Montani sectatores, his verbis: Nos vnā quadragesimam secundum traditionem apostolorum toto anno, tempore nobis congruo ieiunamus, illi tres in anno faciunt quadragesimas, quasi tres passi sint saluatores. & maxime monet tempore quadragesimali insistendū esse ieiunio, in Epistola ad Letam de institutione filix, vbi ait: Cæterum (vt ante scripsi) in quadragesima, continentix vela pandenda sunt, & tota aurigæ retinacula equis laxanda properantibus. Sed & beatus Ignatius apostolis contemporaneus aperte prodit Quadragesimam circa apostolica tempora fuisse institutā, cum ita scribit in quarta iua Epistola quæ est ad Philippenses, dies festos nolite inhonorare. Quadragesimam vero nolite pro nihilo habere, imitationem enim continet dei cōuersationis: hebdomadam etiam passionis nolite despiciere. Quarta verò & sexta feria ieiunate, reliquias pauperibus porrigentes. Hæc ille. Plura si velis, euolues scite & diligenter discussa à Iodoco Clithoueo viro doctissimo in primo sui. Antilutheri libro, capite vigesimo quinto, & in opere Veritatum, capite quinto.

CAPVT XII.

Euangelium nōdum est prædicatum in vniuerso orbe. Selectum est hoc Axioma ex Euangelio Matthæi, prædixit Christus multas clades vrbi Hierosolymitanæ venturas ante consummationem seculi, & apostolos varia bellorū discrimina audituros, antequam omnino diuulgatum fuerit Euangelium. Totum denique mundum sauisima peste, intolerabili inedia, ac

inaudita fame, necnon formidanda telluris succussione concitandū, antequam vltima feratur censura, & cum horrenda hæc malorum omnium pericula occurrent, & multi perniciose pseudoprophetarum doctrina seducentur, instabit iudicium illud ineuitabile: prius tamen prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio. Attēde quid nam dicat Christus, prædicabitur hoc Euangelium, nec asserit hoc diuulgatum fuisse per totum terrarum orbem, sed quòd diuulgabitur antequam consummatio fiat. Manifestum est igitur Euangelicam philosophiam nōdum toti innotuisse orbi. Edifferens Hieronymus illū Matthæi locum, dicit: Signum dominici aduentus, est Euangelium in toto orbe prædicari. ex quo colligendum esse puto, Euangelium non esse in toto orbe prædicatum: alioqui iam instaret aduentus domini, & esset in foribus, quòd dicendum non est. Quòd tamen subiungit Hieronymus, videtur subindicare Euangelium esse in omnibus gentibus feminatum. Hæc verò subnectit, Quòd aut iam completum est, aut in breui cernimus esse complendum. Non enim puto aliquā remansisse gentem quæ Christi nomen ignoret. Et quanquam non habuerit prædicatorem, tamen ex vicinis nationibus opinionē fidei non potest ignorare. Hæc nō indicant Hieronymum secum pugnare, nam nec hæc nec illam asserit partem, sed sub disunctione loquitur. Vult innuere, vt volunt quidam, Euangelium esse diuulgatum principalioribus mūdi partibus, non tamen fundatam esse Ecclesiā in vnaquaque natione & in omnibus gētibus, in quibus fulciatur ante mundi consummationem. Nobis tamen benignius fauet enarrando illud Christi verbum, Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorū & Gomorreorū, in die iudicij, quàm illi ciuitati, vbi dicit idcirco tolerabilius futurum terræ Sodomorum & Gomorreorum quàm illi ciuitati in qua prædicauerunt apostoli, quia Sodomis & Gomorris nō fuit prædicatū Euangelium, illi autem ciuitati fuit prædicatum, non tamen receperunt. Adde quòd Christus plane indicat virtutē Euangelij non fuisse seminatā in Tyro & Sidone, nec in Sodomis, dicens: Væ tibi Chorozaïm, væ tibi Bethsaïda, quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Veruntamen dico vobis, Tyro & Sidoni remissius erit in die iudicij quàm vobis. Et tu Capharnaum, nūquid vsque in cælum exaltaberis? vsque in infernum descendes: quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, forte mansissent vsque in hunc diem. Verūtamen dico vobis, quia terræ Sodomorū remissius erit in die iudicij quàm tibi. Huic fauet Assertioni Augustinus libro vno de vnitae Ecclesiæ, capite 15. Quomodo (ait) isti dicūt, iam esse completum quod dominus ait, prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes incipientibus ab Hierusalem, sed postea cæteris deficientibus, solum Christo Aphricam remansisse, cum adhuc illud implendū sit, nondum impletum? Cum autem impletum fuerit, veniet finis. Sic enim dominus ait, Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tūc veniet finis. Et libro vno de Natura & gratia, capite 3. quamuis fateatur Euangelium in plurimas nationes diffusum esse & diuulgatum, tamen dicit quāsdam esse gentes quibus nondum Euangelica gratia inclaruit: sic enim loquitur proferens illud prophetæ, In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sed antequam hoc inciperet fieri, antequam denique vsque ad fines totius orbis terræ prædicatio ipsa perueniat, quoniā non desunt adhuc vltimæ gētes, licet (vt perhibetur) paucissimæ quibus hoc nondum fuerit prædicatum, quid faciet humana natura, vel quid fecit, quæ vel ante non audierat hoc futurum, vel adhuc non comperit factum, nisi credendo in deum, qui fecit cælum & terram, à quo & se factam naturaliter sentit, & recte viuendo eius impleat voluntatem, nulla fide passionis Christi & resurrectionis imbuta? Quòd si fieri potuit aut potest, hoc & ego dico quod de lege dixit Apostolus, Ergo Christus gratis mortuus est. Si enim hoc ille dixit de lege, quam accepit gens vna Iudæorum, quanto iustus

Matth. 24.

Hieronymus

Matth. 10.

Matth. 11.

Augustinus.

Psal. 18.

Gala. 2.

dicitur de lege naturæ quam accepit vniuersum genus humanum. Si per naturam iustitia, ergo Christus gratis mortuus est. Si autem nõ gratis Christus mortuus est, ergo omnis humana natura iustificari, & redimi ab ira dei iustissima, hoc est vindicta, nullo modo potest nisi per fidem & sacramentum sanguinis Christi. Tum etiã Epistola Hefychio, apertius suam mentem aperit, vbi dicit Barbaras esse in Aphrica innumerabiles gentes, in quibus nondum est prædicatum Euangeliũ. Adde quod

Origenes. Origenes homilia 28. in Matthæum, dicit multos nõ solum barbararum, sed etiam nostrarum gentium, vsque nunc non audiuisse Christianitatis verbum: tunc autem prædicabitur, vt omnis gens Euangelicam audiat prædicationem, & nemo derelinquatur qui non audiuit, & tunc erit sæculi finis. Refert Alphonsus à Castro libro primo aduersus hæreses capite 13. quosdam homines inuentos fuisse, in ea parte Cantabriæ quæ nunc Nauarra dicitur & Biscaya, qui dæmonẽ ipsũ in figura capri venerabantur, quibus nondũ innotuerat Euangelium, & plures inuenta sunt foemina quàm viri vana superstitione & idololatria laborãtes. Nouit enim ille malignus hostis ab homine condito facilius foeminam seduci posse quàm virũ, tenaciũque amplecti malũ, cui semel inhæserit. Hoc & idem malum apud alia Hispantiæ montana, vt apud Astures & Gallicos, aliõsq; similes, quibus rarissime verbum dei prædicare contingit. Sunt enim apud illos superstitiones multæ, & ritus gentilici, non aliã certe ob causam, nisi propter defectũ prædicantium. Et licet Euangelium non increbuerit in omniũ climatum vrbes, & oppida, tamen promulgatum est per principales orbis partes, ita quod in Asia, Aphrica & Europa, seminatum est, quod indicat & Lyranus enarrans locũ illum Matthæi iam productũ: Et prædicabitur hoc Euangelium &c. vbi dicit ante destructionem ciuitatis Hierosolymitanæ per Titum & Vespasianum, in tribus partibus orbis, Asia scilicet Aphrica & Europa, prædicatum esse Euangeliũ Christi. Viuente enim Petro, fides prædicata est in Italia, & non solum in Italia, sed etiã in Gallia, quia sanctus Sauiinianus vnus ex 70. discipulis missus à beato Petro in Galliam cum pluribus alijs, ciuitatem Senonensem (quæ tunc erat metropolis Gallia, & vocabatur ciuitas Aurea) conuertit ad Christũ, & ibi extractis tribus Ecclesijs: vna in honorem beatæ virginis, alia in honorem beati Ioannis prothomartyris, tertia in honorem sancti Ioannis Baptistæ. Quartam adificauit in honorem apostolorum. & quia viuente Petro constructa est, ideo Ecclesia beati Petri viui nominata est vsque in hodiernum diem. Et hic sanctus Sauiinianus socios suos circa alias Gallia partes misit ad prædicandũ Euangelium. Et sic probabile est quod à Hierusalern vsque ad alios terminos terræ habitabilis peruenit prædicatio fidei per alios apostolos & discipulos ad hoc munus obeundum delegatos, quod videtur Paulus ad Romanos planè affirmare, dicens & Iudæos & gentiles hoc Christi Euangelium audiuisse. Nam in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

CAPVT

XIII.

B Vcharistia est Sacramentum omniũ Augustissimũ, in quo re vera est corpus Christi. Hanc conabor Assertionẽ toto studio ex Euangelicis literis & Ecclesiasticis doctorib; suffulcire, cui nemo nisi diaboli laqueis irretitus, & perniciosissima hæreticorũ doctrina subornatus, dissentit. Cum enim Christus huiusce excellentissimi sacramenti institutor, discumberet cũ suis discipulis in cœna, volens typicis figuris imponere finem, & Christianos ad verũ & nouum pascha accersere, accepit panem & benedixit ac fregit, deditq; discipulis suis, & ait: Accipite & comedite: Hoc est corpus meũ. Et accipiens calicẽ gratias egit & dedit illis dicens, Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus noui testamẽti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorũ. Qui nõ solum testatur veritatẽ, sed est ipsa veritas, & totius veritatis candor & exemplar, cũ enim hæc sanctissima pudico & sancto ore verba protulit: Hoc est corpus meũ, nullo modo prætẽdebat animo suorum discipulorũ infigere significatiuam typici panis vmbra, neque hung

Origenes.

Lyranus.

Roma. x. Psal. 18.

Matth. 26.

panem consecratũ, esse tropum & indicium corporis Christi, cum eò tãderent eius verba, vt consummato antiquæ legis paschate, verũ pascha à discipulis sub specie panis consecrati fumeretur & mädicaretur, & ea firmissima fide perfunderetur, vt crederet simpliciter & re vera corpus Christi facta à domino panis consecratione, realiter contineri sub specie panis. Quis tam demẽs est, eaque mentis vecordia laborat, vt dicere audeat cum Oecolampadio, in illis verbis esse tropum, & verbum est, sumi pro significat? & huc esse sensum, hoc significat corpus meum. Neq; Christus ludebat tropis & figuris, cum illa protulit verba, cũ nihil discriminis visum esset inter figuram & veritatem, nec sub illa specie panis, erat figura, sed expressissima humanitatis Christi veritas, & totus Christus. Ille sacrilego & impudentissimo ore conspurcauit & detorsit in perniciosissimum sensum verba illa à Christo prolata, & sanè blasphemãt, ac toto cælo aberrant, qui fouent inauditam illã hæresim, quod scilicet corpus Christi non est realiter sub speciebus panis & vini. quod si liceat temere, impune, & deprauate non tam sacras scripturas exponere, quàm conuellere & membratim dilacerare, erigentur hæreticorum cristæ, & arrogatissimum hæresiarcharum supercilium attolletur, & ita euehetur, vt nisi Ecclesia armis spiritualibus instructa, & diuino protecta clypeo, huiusmodi homuncionum Iolium, zizania, lappas euellat, & sacrilegam doctrinam expugnet, & suorum inimicorum castra diruat, quamplurimi seducentur, & in varia errorum præcipitia corruent. Cur non eadem facilitate dicent hæc Effata, Deus erat verbũ, Christus est homo, verbum caro factũ est, hunc nobis sensum reddere, figura dei erat verbũ, figura Christi est homo, aut Christus significat hominem, & verbum figurat carnem, & nõ effectum est re ipsa caro? Et licet sacra scriptura vtatur figuris, non propterea colligendum est omnem scripturæ locutionem esse figuratam. Et siculneo decertat argumento, qui dicit Christũ his verbis, Hoc est corpus meum, tropo vsũ esse, quia Paulus tropo vsũ est, cum dixit: Petra autem erat Christus: norunt dialectici si iusta sit illa consecutio. oportuit enim Paulum illis verbis, vt i tropo, quia non asseuerat nec dicit Christum esse petram corpoream, sed spiritualem, quod planè ex præcedentibus colligi potest: sic námque ait, Bibebant autem de spiritali consequente eos petra. Petra autẽ erat Christus, & hæc petra contulit vim illi petræ, ex qua proflixit aqua. Non enim ipsius petræ admodum sicca natura scaturiebat vnda, siquidem etiam antea scaturisset, sed alia quædam spiritalis petra, omnia operata est, hoc est Christus, qui præsens vbique omnia fecit miracula: ideo dixit consequente. Ad hunc etiam modũ cum Christus Ioannem baptistam laudaret, non dixit absolute ipse est Elias, sed ait: Et si vultis recipere, ipse est Elias qui venturus est, ita quod si mente attenda vtiusque gesta suscipere volueritis, hic est Elias: nec etiam inficiamur Eliam significasse Ioannem, sed istis verbis, Hoc est corpus meum, nihil expressius dici potuit, in quibus nullam figuratam locutionem recipimus. Nobis suffragatur Hieronymus exponens hæc verba, Hoc est corpus meum, Postquam (inquit) typicum pascha fuerat impletum, & agni carnes cum apostolis comederat, assumit panem qui confortat cor hominis, & ad verum paschæ transgreditur sacramentum, vt quomodo in præfiguratione eius Melchisedec summi dei sacerdos, panem & vinum offerens fecerat, ipse quoque veritatem sui corporis & sanguinis representaret. attende velim ad hæc verba, Melchisedec offerens deo panem & vinũ præfigurauit hoc nobilissimum sacramentum, nec tamen sub illo pane erat corpus Christi, ideo duntaxat erat figura futuri sacramenti, nunc verò realiter est corpus Christi sub speciebus panis & vini consecrati, & veritati occurrenti cessit figura. Et Epistola ad Theophilum aduersus errores Ioannis Hierosolymitani, monet ne quis absque pace ad Eucharistiam accedat: & suam fulsit sententiã ex illo Matthæi loco, Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, dimitte ibi munus tuum coram altari, & vade prius recõciliari fratri tuo, & tunc veniens offer munus tuum: Si munera (inquit) nostra absque pace

Oecolampadius.

1. Carint. 10.

Matth. 11.

Hieronymus.

Gene. 14.

Matth. 5.

offerre non possumus, quanto magis & Christi corpus accipere? Et in 3. caput Zophoniae ad locū illum, Sacerdotes eius polluerunt sanctum, ostēdit sacerdotem non debere Eucharistiā offerre si sordibus squalleat. Sic enim loquitur: Sacerdotes quoque qui Eucharistiā seruiunt & sanguinem domini populis eius diuidūt, impie agūt in legem Christi, putantes *εὐχαριστίας* imprecantis facere verba, non vitam: & necessariam esse tantū solennem orationem, & non sacerdotū merita, de quibus dicitur, Et sacerdos in quo fuerit macula, non accedet offerre oblationes domino. Adde q̄ Chrysofomus explicans mysteria istorum verborū, Hoc est corpus meum, & quā paulō ante prācedunt, dicit: Quāobrem passionis tempore hoc mysterium tradidit? Vt vndique discamus ipsum veterem etiam legem sanxisse, & omnia quae in illa sunt propter nouam hāc adumbrata fuisse: hac igitur de causa veritatem figurā adiunxit. Vespera vero illa, adimpletionis temporum signum erat, & quia iam ad consummationē ipsam res peruenerūt, gratias porrō egit, vt nos instrueret quomodo mysterium hoc facere debeamus, & simul vt ostenderet sponte se ad passionem proficisci. Præterea vt nos doceret omnia quae patimur cum actione gratiarum esse ferenda, ac bonam inde spem immitteret atque foueret. Nā si figura à seruitute liberauit, multo magis veritas terrarum orbem vendicabit. Ad hāc, vt significaret quōd ad beneficiū naturā humanā traderetur, ideo nec antē hoc mysteriū tradidit, sed quando cessare iam legem oportebat. Præcipuam autem solennitatem eorum dissoluit, ac ad aliam eos mensam horroris plenā conuocans, dicit: Accipite & comedite, Hoc est corpus meū, quod pro vobis tradetur in remissionem peccatorū. Et in illum Matthaei locum, Vere filius dei es tu, ostēdit nos debere animam nostram offerre si velimus hoc sacramētum & sacrificium honorare, ita enim loquitur: Credite igitur omnes, quia etiam nunc illa cœna celebratur, in qua Christus ipse recubebat. Nihil quippe interest inter illam & hanc, non enim hāc ab homine, illa ab ipso conficitur. Quando igitur sacerdotem corpus tibi præbere videris, noli sacerdotis, sed Christi manum ad te porrigi arbitrari. Nam quæadmodum in baptismo nō à sacerdote baptizaris, sed à deo caput tuū in virtute visibili tenetur non ab angelo, nullus enim prorsus id facere potest, ita etiam nunc. Cum enim homo regeneratur, solius dei hoc munus est. Nōne vides eos qui post hanc vitam sibi filios adoptāt, quomodo nullo pacto rem seruis cōmittunt, sed ipsi præsentes in iudicio cuncta peragunt? Sic deus nō angelis hoc munus commisit, sed ipse præsens iubet ac dicit, Ne voces patrem in terra: non vt parentes contēnas, sed vt omnibus illū anteponas, qui te creauit & adoptauit. Qui enim maius, id est animam suam pro te posuit, quare dedignabitur suū tibi tradere corpus? Audiamus igitur tam sacerdotes quā alij quā magna, quā admirabilis res nobis concessa est, audiamus oro & perhorrescamus: carnē suam nobis tradidit, seipsum immaculatū proposuit. Quā igitur satisfactionem offeremus, cū tali pabulo nutriti peccemus, cum agnū comedentes in lupos cōuertimur, cum ouinis carnibus saturati, vt leones rapiamus? præsertim cū id sacramentum non à rapina solum, verū etiam ab omni suspitione inimicitiarum mundū semper seruare iubeamur. Pacis enim sacramētum est hoc sacramētum. Quōd autē Christus confecerit hoc sacramētum, testatur idem author in 26. cap. Matthaei, homil. 83. vbi dicit: Non sunt humanæ virtutis hāc opera, quae tunc in illa cœna cōfecit: ipse nunc quoque operatur, ipse perficit, ministrorū nos ordinē tenemus: qui verō hāc sanctificat, & trāsmutat, ipse est. Et Oratione de beato Philogonio, bona fide fatetur corpus Christi realiter esse in hoc sacramento, dicēs: Nam si cū fide accesserimus procul dubio videbimus illū in præsēpi iacētē. Siquidem hāc mensa vicem explet præsēpis. Nam & hic ponitur corpus dominicū, non quidem fascijs inuolutū, sicuti tūc, sed vndequaque spiritu sancto conuestitum. Qui mysterijs initiati sunt, intelligunt quae dicuntur. Ac Magi quidem nihil aliud quā adorarunt, tibi verō si cum pura accesseris conscientia, permittemus vt sumas, & sumpto domum abeas. Accede igitur, tu quoque munera offerens, non qualia de-

zopho. 3.

Leuiti. 21.
Chrysofsto.Ioan. 10.
& 15.

Matth. 2.

ferebāt illi, sed multo religiosiora. Obrulerūt illi aurū, offer tu tēperantiā ac virtutē: Obtulerūt illi thus, offer tu puras preces, quae sunt odoramenta spiritalia: Obtulerūt illi myrrhā, offer tu modestiā, & cor submissū cū elemosyna. Quae si hīce cū muneribus accesseris, multa cū fiducia particeps eris huius sacrae mensae. Adde q̄ Origenes. enarrās eādē Mat. auctoritatē de corpore Chri sub specie panis, dicit: Panis iste quē deus verbū, corpus suū esse fatet, verbū est nutritoriū animarū, verbū de deo verbo pcedēs, & panis de pane caelesti, qui positus est super mensam de qua scriptū est: Præpara Psal. 22. sti in cōspectu meo mensam aduersus eos qui tribulāt me. Et potus iste quē deus verbū sanguinē suū fatetur, verbū est potās & inebriās præclare corda bibētū, qui est in poculo de quo scriptū est: Et poculū tuū inebriās q̄ præclarū est. Et est potus iste generatio vitis veræ quae dicit: Ego sum vitis vera. Et est sanguis vuae illius, quae missa in torcular vuae passionis protulit potū hūc. Sic & panis est verbū Christi factū de tritico illo quod cadēs in terrā bonā, multū reddidit fructū. Cur autē nō dixit: Hic est panis noui testamēti, sicut dixit: Hic est sāguis noui testamēti? Quoniam panis est verbū iustitiæ, qua māducātes animā nutriūtur. Potus autē est verbū agnitionis Chri, secundū mysteriū eius natiuitatis & passionis. Quoniam ergo testamentū dei in sāguine passionis Chri positū est ad nos, vt credētes filiū dei natū & passū secundū carnē salui efficiamur nō in iustitia, in qua sola sine fide passionis Christi salū esse nō poterat, ideo tātū de calice dictū est, Hic est calix testamēti. Insuper Theoph. edisserēs in Mat. eadē verborū mysteria, sic philosophatur: Dicēs, hoc est corpus meū, ostēdit q̄ ipsum corpus domini est panis qui sanctificatur in altario, & nō respōdēs figura. Nō enim dixit, hoc est figura, sed hoc est corp⁹ meū: ineffabili enim operationi trāsfōrmatū, etiā si nobis videatur panis, quoniam infirmi sum⁹, & abhorrem⁹ crudas carnes comedere, maxime hominis carnē, & ideo panis quidē apparet, sed caro est. Demiror Oecolāp. qui hoc opus Theoph. ex græcō vertit in latinū, defecisse ab illo doctissimo authore, cuius doctrinā interpretat⁹ est, nec solū negauit suū authore, sed contēpsit hanc in re omnes Ecclesiasticos doctores. quid accurat⁹ & exquisitius illis Theoph. verbis dici potuit: quid deniq; melius? nec tamē mihi omnino arridet q̄ dixit corpus domini esse panē qui sanctificat⁹: nō enim panis remanet, nec forma panis, nec materia, vt sanior dicit opinio: sed dūtaxat species panis post cōsecrationē, licet in recta intelligentia ppositio illa posset recipi. sed hāc dixi propter rudes & simplices, ne ex illis verbis arbitrētur panē remanere. Sanē verū est quod dixit Christus, Et panis quē dabo Ioan. 6. vobis, caro mea est pro mundi vita. dicit etiā Paulus, Et panis quē frāgimus, id est species panis, nōne est cōicatio corporis Christi? in eadē est sentētia, idē author exponēs eadē Christi verba, in Euā. Mar. in quo scriptū est: Et māducātibus illis, accepit Iesus Marc' 14. panē, & benedicēs fregit & dedit eis, & ait illis: Sumite, hoc est corp⁹ meū: & accepto calice, gratias agēs, dedit eis, & biberūt ex illo omnes. Et ait illis, Hic est sāguis meus noui testamēti qui pro multis effundet⁹, vbi dicit, hoc est corpus meū, quod sumitis. Nō enim figura tantū & exēplar quoddā dominici corporis panis est, sed in illū conuertitur corpus Christi. Domin⁹ enim dicit, panis quē ego dabo, caro mea est, nō dixit figura est carnis meae, sed caro mea est. Et iterū, Nisi ederitis carnē filij hominis. Et quomodo, inquis, caro nō videt⁹? homo propter nostrā infirmitatē istud fit, quia enim panis quidē & vinū ex his sunt quib⁹ assueuimus, ea nō abhorremus, sanguinē verō propositū & carnē vidētes nō ferremus, sed abhorremus, idcirco misericors deus nostrā infirmitati cōdescendēs, speciē quidē panis & vini seruat, in virtutē autē carnis & sāguinis trāselemētat: sāguinē verō noui testamēti dixit opponēdo veteri, habebat enim & vetus testamētū sanguinē, quo aspergebant⁹ & populus & liber legis. Beatus Lucas manifeste exprimit corpus Christi datū discipulis esse realiter in sacra Luca 22. era mensa. Hāc enim scribit ex intētionē domini, Hoc est corpus meū, quod p vobis datur, nisi quis cecutiat in pleno lumine, facile cōijciat imō colliget, idē esse corpus Christi, in sacramento altaris quod pro liberatione hominis à peccato, pepēdit in ara crucis. Et in Euāg. Ioā. dicit Christus, Ego sum panis vitæ. Patres vestri māducauerūt Ioan. 6. AA. j.

Origenes.

Psal. 22.

Ibidem.

Theophyl.

Ioan. 6.

1. Corin. 10.

Marc' 14.

Luca 22.

Ioan. 6.

Exo. 16. māna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de caelo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, nō moriatur. Ego sum panis viuus, qui de caelo descēdi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in aeternū: & panis quē ego dabo, caro mea est, prōmū di vita. Litigabant ergo Iudaei adinuicē dicentes, Quomodo potest hic nobis carnē suā dare ad manducandū? Dixit ergo eis Iesus, Amē amen dico vobis, nisi manducaueritis carnē filij hominis & biberitis eius sanguinē, non habebitis vitā in vobis. Qui māducat meam carnē, & bibit meū sanguinē, habet vitā aeternā, & ego resuscitabo eū in nouissimo die. Caro enim mea vere est cibus, & sanguis meus verē est potus: qui māducat meam carnē, & bibit meū sanguinē, in me manet & ego in illo. Sicut misit me viuēs pater, & ego viuo propter patrē, & qui māducat me, & ipse viuet ppter me. Hic est panis, qui de caelo descēdit. Nō sicut manducauerūt patres vestri māna, & mortui sūt: qui māducat hūc panē, viuet in aeternū. cōminat autē Christus illis aeternū suppliciu qui contēnunt manducare carnē eius spiritaliter aut sacramentaliter: manducāt autē spiritaliter qui credūt corpus Christi realiter esse in Eucharistia, quāuis non cōmunicēt in illo sacramēto: illi autē sacramentaliter manducāt, qui recipiūt corpus Christi sub specie panis. Nec figuratiue aut signifiatiue dixit: Caro mea verē est cibus, & sanguis meus est potus, sed absolute & simpliciter, cuius verbis nihil clarius, nihil deniq; expressius dici potuit, & hac sanctissima doctrina voluit Iudaeos à carnalibus ad spiritalia pertrahere, vt crederēt eius corpus esse suauissimum cibū sub specie sacramēti, & carnem suā non esse discerpēdā dentibus more bouinā carnis, ideo dixit: Spiritus est qui viuificat, qui vobis suppediabit vitā spiritalē, si firmissima fide credideritis meū corpus esse sub speciebus sacramentalibus. Cū exponit Theophyl. hunc locū, Qui manducat meā carnem, & bibit meū sanguinē, in me manet, dicit: Hoc loco discimus sacramētum cōmunionis. Nā qui edit carnē domini & bibit sanguinē, in ipso manet domino & dominus in ipso, contēpe ratio enim sit noua & super rationē, ita vt sit deus in nobis, & nos in deo. Nō audis terribilē auditū, non deum nudū māducamus, tāgi enim nequit & incorporeus est, & neq; oculis neq; manibus apprehēdi potest, iterū nudi hominis caro nihil prodesse potest, sed quia deus vniuit sibi carnē secundū ineffabilē contemperatiōē, viuifica est & caro. Adde quōd Augu. edisserēs in Ioannē, hunc locū: Ego sum panis vitæ, patres vestri māducauerunt māna in deserto & mortui sunt, dicit: Aliud est sacramētū, aliud est virtus sacramēti. Quia multi de altari accipiūt & moriuntur, & accipiēdo moriūtur, vnde dicit apostolus: Qui enim māducat & bibit indigne, iudiciū sibi māducat & bibit, nō diiudicās corpus domini. Nōne buccella dominica venenum fuit Iudaeis? & tamē accepit, & cū accepit in eū inimicus intravit: non quia malū accepit, sed quia bonū male accepit. Videte ergo fratres, panē caelestē spiritaliter māducate, innocentia ad altare apportate. Peccata & si sunt quotidiana vel nō sint mortifera, anteq; ad altare accedatis, attēdite qd dicatis, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Si dimittis, dimittetur tibi: securus accede, panis est nō venenū. Sed vide si dimittis, nā si non dimittis mētiris, & ei mētiris quē non fallis. Mētiri deo potes, Deū fallere nō potes. Et ad locū illum: vt si quis māducauerit ex ipso nō moriatur, dicit: Sed quod pertinet ad virtutē sacramēti, nō quod pertinet ad visibile sacramētū. Qui māducat intus nō foris, qui māducat in corde, nō qui premit dēte. Et enarrās hęc Christi verba, Qui māducat meā carnē, & bibit meū sanguinē, habet vitā aeternā, dicit: Huius rei sacramētū, id est vnitatis corporis & sanguinis Christi alicubi quotidie, alicubi certis interuallis dierū in dominica mēsa pręparatur, & de mēsa dominica sumitur, quibusdā ad vitā, quibusdā ad exitiū: res verō ipsa cuius & sacramētū est omni homini ad vitā nulli ad exitiū, quicumq; eius particeps fuerit. Ne autē putarēt sic in isto cibo & potu pmitteri vitā aeternā, vt qui eū sumerēt, iā nec corpore morerētur, huic cogitationi dignatus est occurere. nam cū dixisset, Qui manducat meā carnē & bibit meū sanguinē, habet vitā aeternā, continuo subiecit & dixit: Et ego resuscitabo eū in nouissimo die: vt habeat

interim secundū spiritū vitā aeternā in requie, quæ sanctorū spiritus suscipit. Quod autē ad corp⁹ attinet, nec caro eius vita aeterna fraudetur, sed in resurrectione mortuorū in nouissimo die. Et cū subnectit Christus, Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus, ostēdit cibū illū & potū illos efficere immortales & incorruptibiles à quibus sumitur. Deniq; exponit quidnā sit māducare corpus eius, & sanguinē eius bibere. Qui māducat carnē meā, & bibit meū sanguinē, in me manet & ego in illo. Hoc est ergo manducare illā escam, & illū bibere potū: in Christo manere, & illū manentē in se habere, ac per hoc qui nō manet in Christo, & in quo nō manet Christus, proculdubio nec manducat spiritaliter carnē eius, nec bibit eius sanguinē, licet carnaliter & visibiliter premat dentibus sacramētū corporis & sanguinis Christi, sed magis tāta rei sacramētū ad iudiciū sibi māducat & bibit, quia immūds præsumpsit ad Christi accedere sacramēta, quæ aliquis nō digne sumit nisi qui mūds est, de quib⁹ dicitur: Beati mūdo corde, quoniā ipsi deū videbūt. Et attingēs sublimē illius loci intelligētiā, Spiritus est qui viuificat, caro nō prodest quicq; dicit: An vita nō prodest quicq; & propter quid sumus quod sum⁹, nisi vt habeamus vitā aeternā, quā tua carne pmitteris? Quid est ergo, nō pdest quicq;? Caro nō pdest quicq; sed quomodo illi intellexerūt: carnē quippe sic intellexerūt, quomodo in cadauere dilaniat, aut in macello venditur, nō quomodo spiritu vegetatur. Proinde sic dictū est, caro nō prodest quicq; quomodo dictū est, scientia inflat: Iā ergo debemus odisse scientiam: abstit. Et quid est, scientia inflat: sola sine charitate. Ideo adiunxit, charitas verō ædificat. Adde ergo sciētia charitatē, & vtilis erit sciētia, nō per se, sed per charitatem. sic etiā nunc caro nō prodest quicq; sed sola caro. Accedat spiritus ad carnē, quomodo accedit charitas ad scientiā, & prodest plurimū. Nam si caro nihil proficeret, verbū caro nō fieret, vt inhabitaret in nobis. Si per carnē nobis multū profuit Christus, quomodo caro nihil prodest? Sed per carnē spiritus aliquid pro salute nostra egit. Caro vas fuit, quod habebat attēde, nō quod erat. Apostoli missi sunt, nunquid caro ipsorū nihil nobis pfuit? Si caro apostolorū nobis profuit, caro domini poterat nihil pdesse? Vnde enim ad nos sonus verbi, nisi per vocē carnis? vnde stylus? vnde cōscriptio? Ista omnia opera carnis sunt, sed agitāte spiritu tanq; organū suū. Spiritus ergo est qui viuificat, caro autē nō prodest quicq;. Et Epist. Bonifacio Episcopo dicit, Semel immolatus est Christus in seipso, & tamē in sacramēto nō solū per omnes paschæ solēnitates, sed omni die populis immolat. nec vtiq; mētitur qui interrogatus eū respōderit immolari. Si enim sacramēta quandā similitudinē earū rerū quarū sacramēta sunt, non haberēt, omnino sacramēta nō essent. Ex hac autē similitudine plerunq; etiā ipsarum rerū nomina accipiūt. Sicut ergo secundū quendā modū sacramētū corporis Christi, corp⁹ Christi est: sacramētū sanguinis Christi, sanguis Christi est: ita sacramētum fidei, fides est: nihil est autē aliud credere, q̄ fidē habere. Et Epist. Paulino dicit, Vouētur autē omnia quæ offerunt deo, maxime facti altaris oblatio, quo sacramēto prædicatur nostrū aliud votū maximū, quo nos vouimus in Christo esse māsuros, vtiq; in cōpage corporis Christi, cuius rei sacramētū est, q̄ vnus panis, vnū corpus multi sumus. Ideo in huius sanctificatione & distributionis præparatione, existimo apostolū iussisse pprie fieri, προσευχάς, id est orationes, vel vt nonnulli minus perite interpretati sunt, adorationes, hoc est enim ad votum quod vtitur in scripturis nuncupat, εὐχά, interpellationes autē fiunt cū populus benedicatur. Tūc enim antistites velut aduocati susceptos suos per manus impositionē misericordissimæ offerūt potestati. Quibus peractis & participato tāto sacramēto, gratiarū actio cuncta cōcludit, quā in his etiā verbis vltimā cōmendauit apostolus. Hęc ille. Præterea Beat⁹ Paulus nō mediocre nobis præstat adiumentū ad suadendū corpus Christi realiter esse sub speciebus panis & vini. Sic enim loquitur ad Corinth. Calix benedictionis cui benedicimus, nōne cōmunicatio sanguinis Christi est? Et panis quē frangimus, nōne participatio corporis domini est? Quoniā vnus panis, & vnū corpus multi sum⁹, omnes quidē de vno pane, & de vno calice participa-

Chrysofto. mus. Hæc ab ovo ad malū vsque perducēs Chrysofto. dicit, Quid dicis beate Paule, cū vis auditorem confundere, & horrendorū mysteriorū meminisse, calicē benedictionis appellas, calicē illū formidolosum & horros pleniū? Sanē quidē, nō enim parū est quod dicitur. Siquidem cū benedictionē dico, Eucharistiā dico, & dicendo Eucharistiā, omnem benignitatis dei thesaurū aperio, & magna illa munera cōmemoro. etenim cū calice inenarrabilia dei beneficia, & quæcūq; consecuti sumus, addimus, ita ad eū accedimus, cū eo cōmunicamus, gratias agētes, quod humanū genus errore liberauerit, quod cū spem nullā haberemus, & impij in hoc mundo essemus, fratres & cōsortes suos ascripsit: his & cæteris huiusmodi gratiarū actionibus accedimus. Quomodo igitur cōtraria nō facitis dō Corinthij, inquit, cū deo benedicatis, quod ab idolis vos liberauit iterū ad eorum mēsas curritis. Et cū dixit Paulus, & panis, quē frangimus, nōne participatio corporis domini est? nō aliud nobis voluit significare q̄ in fractione panis, verius in fractione speciei panis nos cōmunicare & participare cū corpore Christi, quod latet sub illis speciebus nec nostris peruiū est oculis, nec quicq; attingit Paulus de illis vmbriis & figuris, sed explicatissimā huiusce sacramēti veritatē expressit. Loquēs de eodē sacro calice Theophyl. dicit: Sanguis iste qui calice cōtinetur ille est qui Christi è latere profluxit. Hūc ipsi cū sumimus, participamus, hoc est Christo cōiungimur. Et quæadmodū corpus Christo vnitū est, sic & nos illi per panē hunc copulamur. Et qui sunt participes huius corporis, nimirū Christi corpus dicuntur. Nō ergo multa sunt nostra corpora, sed vñ. nam q̄admodū panis vnus è pluribus granis cōficitur, sic & nos cū plures sumus, vñ efficitur Christi corpus. In eodē etiā capite dicit Paulus, Nō potestis calicē domini bibere, & calicē dæmoniorū: non potestis mēsa domini participes esse, & mēsa dæmoniorū. Euidens est hāc Christi mēsam, esse sacrā Christianorū cōmunicationē, in qua, pane caelesti sub speciebus & velamētis fruuntur, si digne sacrā Eucharistiā receperint. Et in eadē Epist. sincera religione fatetur Paulus se nihil de hoc excellētissimo sacramento dixisse Corinthijs, quod non à domino acceperit. Ego, inquit, accepi à domino quod & tradidi vobis, quoniam dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panē & gratias agēs fregit & dixit, Accipite & māducate, hoc est corpus meū quod pro vobis tradetur, hoc facite in meā cōmemorationē. Similiter & calicē postq̄ coenauit, dicens: Hic calix nouū testamētū est in meo sanguine, hoc facite, quotiescūq; bibetis, in meā cōmemorationē. Quotiescūq; enim māducabitis panē hūc, & calicē bibetis, mortem domini annūtiabitis donec veniat. Ex quo cognoscimus idē esse corpus Christi quod pepēdit in ara crucis, & quod offerebatur discipulis sub specie panis & vini: sed quod affigebatur cruci, realiter erat corpus Christi: ergo & idem erat corpus realiter quod exhibebatur discipulis sub illis speciebus. Ad hāc differēda dicit Chryso. Christū æqualiter dedisse suū corp⁹ discipulis suis, quod pro omnibus factū est sacrificiū. Et idē sentit Theophyl. Tū etiā beatus Cyprius. loquēs de eodē Eucharistiæ sacramēto Serm. de cœna domini, & prima institutione cōsummantis omnia sacramēta dicit, Finē igitur legalibus ceremonijs impositurus, parari sibi voluit pascha, & ex cōsuetudine legis ea quærī quæ solēnitas exigebat, agnū assum, panes azymos, & lactucæ agrestes: nō oportet esse fermētarios noui testamēti ministros, puras sincerāsque mētes, sanctū quærīt cōuiuū, in veru crucis, boni odoris afflatio omnē excoquat carnaliū sensuū cruditatē, & induret solidatēque mētis affect⁹: nec in Ecclesiæ sacrae sacrificio vlla sit macula, sed pura simplicitas & innocētia vitæ in vna Ecclesiæ catholicæ domo à fidelibus de Aegypto egrediētibus trāsito mari rubro, lotis Christi sanguine affectib⁹ offeratur. Cœna itaq; disposita inter sacramētales epulas obuiarūt sibi insti tuta antiqua & noua, & cōsumpto agno, quē antiqua traditio proponebat, incōsumptibile cibū magister apponit discipulis, nec iā ad elaborata impēsis & arte conuiuia populi inuitatur, sed immortalitatis alimonia datur à cōmunib⁹ cibus differēs, corporalis substantiæ retinēs speciē, sed virtutis diuinæ inuisibili efficientia probās adesse præsentiā. Et in eodē sermone dicit Christū aliquādo vocare hoc sacramētū corpus

suū, aliquando carnē & sanguinē, aliquando panē, portionē vitæ aternæ. Ad hāc, Tertullianus inuicta fide, huic adhærēs sacramēto, dicit libro vno de Resurrectione carnis, carnē corpore & sanguine Christi vesci, vt & anima de deo saginetur. Et libro 4. aduersus Marcionē optime sentit de sacramento Eucharistiæ. Tum etiā Damascenus præclare docet lib. 4. suæ Theologiæ, cap. 14. in hac cōsecrationis forma, Hoc est corpus meū, panem non esse figurā corporis Christi. Sic enim loquitur: Nō est figura, panis & vinū, corporis & sanguinis Christi, absit enim hoc, sed est ipsum corpus domini deificatum, ipso domino dicēte, Hoc est corpus meū, non figura corporis, sed corpus: & non figura sanguinis, sed sanguis. Et ante hoc ipsis Iudæis, Quoniam nisi māducaueritis carnē filij hominis & biberitis eius sanguinē, non habebitis vitā aternam. Caro mea verus est cibus, & sanguis meus verus est potus. Hæc ille. Fieri enim non potest vt in tali excellētissimo sacramento sit quædā figura corporis & sanguinis Christi, & nō ipsa veritas: Nam figura veritatē ipsam non continet reipsa, sed solū repræsētat, vt panis & vinū oblatum à Melchisedec, itidem & māna Israeliticū, vmbra erant & figura huius sacratissimi mysterij, non tamē continebant ipsum, sed prænuntiabant dūtaxat. Panis autem & vinū post perfectā inuocationē & cōsecrationem non hoc pacto repræsētant aut designant corpus & sanguinē domini, sed sunt re vera ipsum corpus & sanguis Christi. Qui igitur hæc figuras nominaret, ipsi veritati daret nomē imaginis, ipsi luci nomē vmbrae, & tātū mysterij dignitati mirū in modum derogaret, & rei lōge omnīū supræmæ inferius æquo nomē falso ascriberet. Et in eodē capite ostēdit quonā pacto diuinus sermo & spiritus sanctus trās substantialiā panē in carnē Christi & vinū in sanguinē, si igitur, inquit, verbū dei viuens est & efficax, & omnia quæcūque voluit dominus fecit, si dixit, fiat lux, & facta est, fiat firmamentum, & factum est, si verbo dei cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorū. Si cælum, & terra, aqua, ignis & aer, & omnis ornatus eorū, verbo domini perfecta sunt, & homo ipse vbique diuulgatum animal. Si volēs ipse deus verbū, factus est homo, & ex sanctæ virginis purissimis & illibatissimis sanguinibus in seipso sine semine, carnē sustentauit, non potest panem sui ipsius corpus facere? & vinū & aquam sanguinem? Dixit in principio, producat terra herbā viuentem, & vsque nunc pluuia facta producit germina, diuino coadiu ta, & vigorata præcepto. Dixit deus, Hoc est corpus meū, & hic meus est sanguis, & hoc facite in meam cōmemorationē, & omnipotēti eius præcepto donec veniat efficitur. Sic enim dixit, donec veniat, & sit pluuia nouæ huic agriculturæ per incarnationē spiritus sancti, obumbrans virtus. Nam quemadmodū omnia quæcūque fecit deus, spiritu sancto operāte fecit, sic & nūc spiritus sancti operatione, hæc super naturā operatur, quæ nō potest capere nisi sola fides. Quomodo fiet mihi istud, dicit sancta virgo, quoniam virum nō cognosco? Respondet Gabriel Archægelus, spiritus sanctus superueniet in te, & obubrabit tibi. Et nūc interrogas, quomodo panis fit corpus Christi, & vinū & aqua sanguis Christi? respōdeo tibi & ego, Spiritus sanctus obubrā, & hæc operatur super sermonē & intelligentiā, panis autē & vinū transsumuntur. Nec ab his diuersa sunt quæ scripsit Ambros. lib. 4. de sacramētis, cap. 4. vbi ita differit de sacrosancta Eucharistiā, Panis iste, panis est ante verba sacramētoria: vbi accesserit cōsecratio, de pane fit caro Christi. hoc igitur astruamus quomodo potest qui panis est, corpus Christi esse cōsecratione? Cōsecratio igitur quibus verbis est? & cuius sermonibus? domini Iesu. Nam reliqua omnia quæ dicuntur, laus deo defertur, oratione petitur pro populo, pro regibus, pro cæteris, vbi venit vt cōficiatur venerabile sacramentum, iam non suis sermonibus sacerdos, sed vtitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc cōficit sacramentū. Quis sermo Christi est? Nepe is quo facta sunt omnia. Et paulo post dicit, Vides ergo quām operatorius sit sermo Christi? Si ergo tāta vis est in sermone domini Iesu, vt inciperēt esse, quæ nō erant, quanto magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud cōmutentur. Et multa nobis suppetunt exēpla de his quæ solo dei verbo, & afflatu diuini ge.

Tertullian⁹Damascen⁹

Gene. 14.

Exod. 16.

Psal. 134.

Gene. 1.

Psal. 32.

Gene. 1.

Luca 1.

Ambrosius

Exo. 14. nij facta sunt. Urgebatur populus Israel ab Aegyptijs, interclusus quidem mari: diuino tamen imperio Moyses virga tetigit aquas, & se vnda diuisit, non vtique secundum suae naturae consuetudinem, sed secundum gratiam caelestis imperij. Accipe aliud: Sitiebat populus, veniebat ad fontem, amarus erat fons, misit lignum Moyses in fontem, & factus est dulcis fons qui amarus erat, hoc est mutauit consuetudinem naturae suae, accepit dulcedinem gratiae. Attēde ad aliud: Si tantum valuit sermo Heliae, vt ignem de caelo deponeret, non valebit sermo Christi vt species elementorum mutet? Ad haec, ceciderat ferrum securis in aquas quasi ferrum sua consuetudine demersum est, misit lignum Heliseus, statim ferrum eleuatum est, & aquis supernatauit, vtique contra consuetudinem ferri. Est enim materies grauior quam aquarum est elementum. Ex his igitur omnibus non intelligis quantum operetur sermo caelestis? Si operatus est in fonte terreno, si operatus est sermo caelestis in alijs rebus, non operatur in caelestibus sacramentis? Quod autē dicit Damascenus gratiam spiritus sancti, per metaphoram, esse pluiam in hac noua agricultura consecrationis corporis Christi, operepretium est attendere, quod sicut in agricultura corporali & vulgata, semen in terrā iacitur, quod vbi emortuum fuerit, in segetis transit substantiam ex ea semente exurgens, modo pluuia superne labente irrigetur. Ita in hoc summi sacramenti mysterio, panis & vini substantia praemittitur atque praecedit, quae deinde in verum Christi corpus & sanguinem conuertitur virtute spiritus sancti, vt pluuia quadam spiritali sanctificante quod consecratur. Et ne absona credas agriculturam in praesenti negotio nuncupatione, Christus in Euangelio Ioannis, grano frumenti in terrā decidenti se confert, quod vbi primum mortuum fuerit, plurimum fructus adfert. Quod si percoteris cur potius sub specie panis & vini Christus nobis suum corpus & sanguinem tradidit sumendum, quā sub alia quauis forma. Respondeat author, id diuina prouidentia & prudenti in nos dispensatione factū esse, vt per domestica & consueta naturae, ad esum & potum, traduceremur ad ea quae longe sunt supra naturam. Atqui inter omnia ciborum corporaliū genera, panis primum obtinet locum, & inter ea quae ad nostrum accommodantur potum, vinum iure sibi vendicat primatum. Pane igitur & vino nobis ad usum consuetissimis, Christus gratia benedictionis adiungens, illa in suum corpus & sanguinem conuertit. Et hoc dispensationis munere tollitur nobis horror quem conciperemus, si carnem suam in propria specie, aut sanguinem proposuisset in sua forma sumendum. Etiam & ludibrij aufertur occasio, qua nostrae religionis hostes infestissimi nobis possent illudere, quod cruenti & sanguinari carne humanam manducarem, aut more ferarum sanguinem hauriremus. Nec eo sis obtuso & crasso ingenio, vt putes in huius sacramenti consecratione, virtute prolationis verborum, corpus Christi de caelo descendere, vt ibidem assit in altari sub forma sacramenti, sed incōcussa fide credito, quod diuina virtute panis & vinum conuertitur in corpus & sanguinem Christi vere ibi existentis. Quemadmodum cum faciei humanae praesentia sunt & obiecta copulscula specula, in quorum singulis efformatur illius vultus effigies, non egreditur in illa efformatione figura faciei vt transferatur in speculum, sed manens vultui intrinseca, suam in vno quoque speculo effingit imaginem, ita manente sacratissimo Christi corpore in caelo, vbi sedet ad dexteram patris, neque illinc descendente, panis in verum Christi corpus conuertitur, quod sub quauis hostiarum quantolibet numero consecratarum integrum & idē subsistit. Quinimo facta vnius hostiae iam consecratae in quotlibet partes diuisione, idem omnino Christi corpus sub singulis particulis separatis integrum consistit, quemadmodum in sacro altaris sacrificio ex institutione Ecclesiastica, in tres partes fit sacrae hostiae dissectio, sub quarum vnaquaque prorsus idem est Christi corpus, quia ipse vnus & idem & beatorum in gloria caput est, & fidelium adhuc in hoc mundo degentium, & defunctorum purgatorium ignem sufferentium, qui tres ad Christum pertinentium status, per ternas huiusmodi partes designantur vniunturque tanquam mysticum Christi corpus, ad vnicum & idē caput scilicet Christum, qui reuera est beatorum gloria, viuientium salus, & de-

Ioan. 12.

functorum refrigerium, perinde atque confractione in minutulas partes speculo in vnaquaque particularum speculi confractionum integra videtur hominis facies, haud aliter atque prius in toto & integro speculo cernebatur. Differens etiam Ireneus de hoc fructuosissimo sacramento, libro quidem 4. aduersus haereses Valentini, cap. 32. dicit Christum suo sanguine quem pro nobis confessus est, noui testamenti nouam docuisse oblationem, quam Ecclesia ab apostolis accipiens, in vniuerso mundo offert deo, ei qui alimenta nobis praestat primitias suorum munerum in nouo testamento, de quo in 12. prophetis Malachias sic praesignificauit: Non est mihi voluntas in vobis, dicit dominus omnipotens, & sacrificium non accipiam de manibus vestris. Quonia ab ortu solis vsque ac occasum nomen meum glorificatur inter gentes, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & sacrificium purum. Quoniam magnus est nomen meum in gentibus, dicit dominus omnipotens, manifestissime significans per haec, quoniam prior quidem populus cessabit offerre deo, omni autem loco sacrificium offertur ei, & hoc purum, nomen autem eius glorificatur in gentibus. Haec ille. Ex eo hoc sacramentum censetur omnium esse augustissimum & excellentissimum, quia praeter vitam spiritalem quam nobis digne sumentibus, largitur, realiter continet pretiosissimum Christi corpus & sanguinem, quod non obtinent alia sacramenta. Aserit etiam Diuus Dionysius de Ecclesiastica hierarchia, cap. 3. partis 1. hoc sacramentum esse sacramentorum omnium summationem. Neque ferme fas est sacerdotalis muneris mysterium aliquod peragi, nisi diuinum istud Eucharistiae, augustissimumque sacramentum compleat. Haec ille. Idcirco Christiani maximam religionis cultum, & feruentissimam deuotionem ablutis animi sordibus huic insigni sacramento exhibent, & praesertim cum communicant in festo paschae. Non possum satis animo percipere quanta illos maneant supplicia, qui sacrilego ore & venenata lingua, ac spurcissimis cachinnis subsannant, rident & contemptim hoc sacrosanctae Eucharistiae mysterium aspernantur, qui non solum vlticibus flammis in hoc mundo digni sunt, verum etiam pro enormi piaculo & tanto scelere merentur aeternis ignibus discrucari. Noui Lutetiae anno domini 1534. plerisque hac pestifera contagione infectos, totam penes Lutetiam quibusdam libellis iniuriosis & diffamatorijs, quos impudenter valuis sacrarum aedium affixerant, commouisse, & perturbasse: qui tamen a iudicibus deprehensi, acerrimas luerunt poenas, nec ullam promeruerunt excusationem quod dicerent se a lutulentis quorundam perditissimorum hominum fontibus verius lacunis, hoc exhaustisse venenum. Verum vt caeteri sibi ab hoc inaudito facinore praecauerent & terrentur, viui in vulcanios & flagrantissimos ignes deiectione sunt, & torrentissimo tandem incendio perierunt.

CAPVT XIIII.

H Vcharistia confert gratiam digne eam sumentibus.] Hanc Euangelicis literis Assertionem stabiliemus. Cum voluit Christus ad fidem huiusce excellentissimi sacramenti Iudaeorum populum accersere, & vt inuicta fide crederent filium dei esse verum & viuum panem, antequam moreretur ac sub specie panis consecrati subsisteret, dixit: Ego sum panis viuus, qui de caelo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuus in aeternum: & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Et cum litigarēt Iudaei & obmurmurarent, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? dixit illis: Amen amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Et vt firmitus eius verbis adhererent Iudaei, subiunxit: Caro enim mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Tandem conclusit summum quod ex hac spiritali esca assequuntur sumus beneficium: Qui manducat hunc panem, viuus in aeternum. Enarrans Cyrillus haec Christi verba, Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita, dicit: Morior, inquit, pro omnibus, vt permeipsum

Ireneus.

Dionysius.

Ioan. 6.

Cyrillus.

AA. iij.

Ioan. 17.

Ephes. 5.

Exod. 16.

Cyprianus.

omnes viuificem, & caro mea omnium redemptio fiat: morietur enim mors morte mea, & simul mecum natura hominum resurget. Et in eodem loco exponit illud Ioannis quod ad præsens institutum plurimum conducit, Pater sancte conserva eos, pro eis sanctifico meipsum. sanctificare autem seipsum dicit, non quia mundior ipse animo fieret ut nos, nec quia spiritu sancto participaret, quippe in quo spiritus naturaliter est, atque ideo sanctus semper est, sed quia se offert quasi hostiam immaculatam in odorem suauitatis, sanctificare seipsum dicit. Sanctificabatur enim, id est sanctum secundum legem appellabatur, quod ad altare adducebatur. Dedit igitur pro vita omnium corpus suum dominus, & per illud rursus vitam in nobis immittit: & quomodo dicam breuiter pro viribus meis. Nam quum viuificans dei filius in carne habitauerit ad suum bonum eam, id est ad vitam reformauit, & totus ut ita dicam toti ineffabili modo vnionis coniunctus viuificantem ipsam effecit, quia natura viuificans est, propterea participantes hæc caro viuificat: eijcit enim mortem ab eis, & interitum penitus expellit. Et cum edisserit locum illum, Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus, ita loquitur: Distinguit rursus inter mysticam benedictionem & manna, & aquarum fluentia ex lapide, & calicis sancti communicationem. Ita iterum eadem repetit, ne magis manna miraculum admittitur, sed ipsum potius suscipiant qui celestis panis est, & æterna vita largitor, Patres enim, inquit, vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis qui de cælo descendit, ut aliquis ex ipso comedit & non moriatur. manna namque alimentum non æternam vitam, sed breue famis remedium adferebat, non ergo erat cibus verus, id est panis de cælo: sanctum vero Christi corpus, ad immortalitatem & vitam æternam nutriens cibus est, ita inquit: Sed aquam illi ex petra biberunt. Quid igitur inde lucrati sunt, qui mortui fuerunt? non erat igitur potus ille verus, sed verus potus est sanguis Christi, quo radicitus mors euertitur atque destruitur. Non enim hominis simpliciter sanguis est, sed eius qui naturali vita coniunctus, vita effectus est. Propterea corpus & membra Christi sumus, quia per hanc benedictionem mysterij, ipsum filium dei suscipimus. Tum etiam nobis propensissime adblanditur Cyprianus Sermone de cœna domini, ubi dicit, panem istum communem in carnem mutatū, procurare vitam & incrementum corporibus, ideoque ex consueto rerum effectu fidei nostræ adiuta infirmitas, sensibili argumento edocta est visibilibus sacramentis inesse vitæ æternæ effectum, & non tam corporali quam spiritali transiitione Christo nos vniri: ipse enim & panis & caro & sanguis, idem cibus & substantia & vita factus est Ecclesiæ suæ, quam corpus suum appellat, dans ei participationem. Et nos quidem cum caro essemus & sanguis, corrupta & infirma corporis animæque natura reformari non poteramus, neque ad similitudinem dei reuerti, nisi morbo inueterato imponeretur malagma cõueniens, & in curatione desperatæ infirmitatis cõtraria remouerentur cõtrarijs, & similia similibus conuenienter. Panis iste quem dominus discipulis porrigebat non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia verbi factus est caro, & sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat diuinitas, ita Sacramento visibili ineffabiliter diuina se infudit essentia, ut esset religioni circa sacramenta deuotio, & ad veritatē cuius corpus sacramenta sunt, syncerior pateret accessus vsque ad participationem spiritus. non quod vsque ad cõsubstantialitatem Christi, sed vsque ad societatem germanissimam eius hæc vnitas peruenisset. Solus quippe filius patri cõsubstantialis est, nec diuisibilis est, nec partibilis substantia trinitatis: nostra verò & ipsius coniunctio nec miscet personas, nec vnit substantias, sed affectus consociat & cõfœderat volūtates. Deinde subnectit, Panis itaque hic azymus, cibus verus & syncerus, per speciem & sacramentū nos tactu sanctificat, fide illuminat, veritate Christo conformat. Et sicut panis communis quem quotidie edimus, vita est corporis: ita panis iste super substantialis, vita est animæ & sanitas mentis. Panem angelorum sub sacramento manducamus in terris, eundem sine sacramento manifestius edemus in cælis, non ministerio

corporali, sæpe repetitis actionibus ad eadem reuertentes, sed cõsummato sacerdotio nostro, erit & permanebit perpetua & stabilis implēs, & reficiens nos sufficiētia, qua proferet palam absque vllis integumentis, omnibus conspicabilis summi præsētia sacerdotis. Sacramenta quidem quantum in se est, sine propria virtute esse non possunt: nec vllō modo diuina se absentat maiestas mysterijs: sed quamuis ab indignis se sumi vel contingi sacramenta permittant, non possunt tamen spiritus esse participes, quorum infidelitas vel indignitas tantæ sanctitudinē contradicit. Ideoque alij sunt hæc munera odor vitæ in vitam, alij odor mortis in mortem: quia omnino iustum est ut tanto priuentur beneficio gratiæ contemptores, nec in indignis tantæ gratiæ puritas sibi faciat mansionem. Ad hæc beatus Chrysostomus Sermone de Eucharistia in Encenijs, clare monstrat Eucharistiam recte ad eam suscipiendam præparatis, diuinam largiri gratiam. Mensa (inquit) mysterijs instructa est, & agnus dei pro te immolatur, sacerdos pro te angitur, ignis spiritalis ex sacra mensa refluit: Seraphim astant sex alis faciem regentia, omnes incorporeæ virtutes pro te cum sacerdote intercedunt: ignis spiritalis de cælo descendit, sanguis in craterē in tuā purificationē ex immaculato latere haustus est. Et homilia 26. in Mattheum nos commonefacit ut maximas deo agamus gratias, quod nos ad sacram filij sui mensam vocauerit, ita enim loquitur: Propterea & reuerenda ac salutaria illa mysteria quæ omni certe Ecclesiæ cõgregatione celebramus, Eucharistia, id est gratiarum actio nuncupatur. Sunt enim beneficiorum recordatio plurimorum, captique ipsum diuinæ erga nos charitatis ostendunt, nosque faciunt debitas deo gratias semper exoluere. Si enim dominum ex virgine natum grande miraculum est, & Euangelista cum admiratione dicebat, Hoc autem totum factum, in quo tandem beneficiorum ponemus loco, illum etiam mortuū esse pro nobis? Nam si illius tantummodo nasci totum vocatur, iam & semetipsum nobis cibum dare, & spirituales illas præbere epulas quid vocandū est? Agamus igitur ei iuges gratias, & non modo verbis hoc nostris, verum etiam operibus, imò ipsis principaliter impleamus. Præterea Augustinus non vulgariter ostendit libro 1. de Peccatorum meritis & remissione, cap. 24. sacramentū mensæ dominicæ nobis spiritalem vitam impartiri, proferens illa quæ ex Euangelio Ioannis decerpimus testimonia, quibus addit hæc: Si ergo ut tot & tanta diuina testimonia concinunt, nec salus nec vita æterna sine baptismo, & corpore & sanguine domini cuiquā speranda est, frustra sine his promittitur paruulis. Porro si à salute ac vita æterna hominē nisi peccata non separāt, per hæc sacramenta non nisi peccati reatus in paruulis soluitur: de quo reatu scriptum est, neminē esse mundum nec si vnus diei fuerit vita eius. Vnde est & illud in psal. Tob. 25. Ego enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis mater mea me in ventre aluit. Sed sano intelligendum putes iudicio reatum peccati in paruulis non solui absque sacramento corporis & sanguinis Christi, quantum ad fidem huius sacrosanctæ Eucharistiae, & spectado spiritalem alimoniam in ipsis paruulis, aut in ipsorum fidei iustioribus: crede, & māducasti. Sed paruulis non est opus sacramento Eucharistiae sub sacra specie. Et in psalmum 98. ad locum illum, Adorate scabellum pedum eius quoniam sanctum est, dicit: Quia in ipsa carne hic ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandā ad salutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adorauerit. Insuper Damascenus multiplicem ostendit fructum ex digna huiusce saluifici sacramenti perceptione. Sic enim loquitur 4. suæ Theologiæ libro, cap. 14. Proinde omni cum timore & conscientia pura & indubitabili fide accedamus, & omnino fiet nobis quemadmodum credimus non dubitantes. & veneremur ipsum omni puritate animi & corporis. Accedamus & desiderio ardenti: manus in crucis modum formantes, crucifixi corpus suscipiamus, & apponentes oculos & labia & frontem, diuinum carbonem suscipiamus, ut ignis in nobis desiderij assumens ex eo carbone ignitionem, cõburat peccata nostra, & illuminet corda nostra, & participatione diuini ignis igniamur & deificemur. Carbonem vidit Esaias, carbo autem

2. Corin. 2.

Chrysosto.

Esa. 6.

Matth. 1.

Augustinus.

Tob. 25.

Psal. 50.

Psal. 98.

Damascen⁹

Esa. 6.

simplex non est, sed vnitus igni. Sic panis communionis non panis simplex est, sed vnitus diuinitati. Et corpus vnitū diuinitati, non vna ac eadem illi natura est, sed vna corporis, & vnità diuinitatis altera: quare amborum simul nō vna natura est, sed duā. Et in eodem capite exprimit quomodo antiqui patres vocauerunt panem & vinum exemplaria corporis & sanguinis dominici. Et si quidā (inquit) exemplaria corporis & sanguinis domini, panem & vinum vocauerunt, vt deifer vocauit

Basilus. Basilus, non tamē post sanctificationem dixit, sed prius quā sanctificaretur ipsa oblatio, ita vocabāt. Participatio etiam dicitur: nam per ipsam Iesu diuinitatē participamus. Dicitur & communio, & est re vera: quia cōmunicamus per ipsam Christō, & participamus eius carne & diuinitate: & quia cōmunicamus & vnimur inuicē per illam. Nam quia ex vno pane participamus omnes, vnū corpus Christi & vnus sanguis, & inuicem membra efficitur, concorporati Christo existentes. Omni igitur virtute obseruamus, ne participemus participatione hæreticorum, vt non participes erroris & malæ fidei eorum efficiamur atque condemnationis. Exemplaria autem futurorum dicuntur, non vt non existentia vere corpus & sanguis Christi, sed quoniam nunc quidem per ipsa participamus Christi diuinitate, tūc autem intellectualiter per solam visionem. Hæc ille. Addidimus huic Assertioni, digne summentibus, vt Christiani omnes intelligant opus esse summa diligētia, & sincero animi affectu ad tranquille vescendum hoc sacro cibo. Omnibus siquidem viribus conari debemus, vt huic cōmunicando mensā, puram & illibatā mētis volūtatē adparemus. Expendat vnusquisque pensulatim quidnam boni vel mali fecerit, & quānam semita incefferit, recta scilicet an obliqua, & quoties deum offendit, & si nihil rancoris aut rancidi animi sub felleo & amarulento peccatore asseruauerit. Nihil homini conducibilius erit, quā ingenue & prompta voluntate suam fateri culpam, pro cuius expiatione se diuinæ misericordiæ submittit, nihilque in se agnoscit quamuis recte vixerit, quod dignum sit simpliciter mitissima dei clementia. Hanc autem diligentissimam animi præparationem nobis Paulus subindicauit, dicens ad Corinthios: Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Probet quidem, suam omnī ex parte discutiendo vitam, an sceleratissimis vitij obstricta fuerit, & mortiferis obnoxia delictis, quæ prius expietur per amarā contritionem, & deiectionem sui ac humilem apud sacerdotem accusationem, priusquam in sacra mensa discumbat. Neque huiusmodi probatio accipienda est, de solo fidei examine, an suam vnusquisque discutiendo fidem, agnoscat integre & sincere huiusmodi mysterium. Quod tamen Lutherus censuit, deprauate quidem, Paulum non aliam à fidei probatione discussionem intellexisse. Etenim Paulina illa auctoritas & illabefacta doctrina, accommodatur his qui etiam bona fide credunt Christo, & Christi fidem profitentur. Si enim sola fidei discussio sufficeret ad digne suscipiendum hoc sacramentum, non esset opus neque detestatione suorum scelerum, neque poenitentia exteriori, siue vocali, aut auricularia confessione, quod omnibus sacræ scripturæ doctorib⁹ aduersatur. Exposcit enim digna huius sacræ hostiæ perceptio, animi puritatem & à peccatis sinceritatem: quod si defuerit, fides illa est inanis & mortua, minūsq; sufficiens ad rectam sanctæ communionis susceptionem. Et ne quis temerario ausu se præcipitet ad sacrū Christi corpus recipiendū, Paulus sub omnīū oculos subsequētib⁹ verbis ponit sub atroci & seuera cōminatione suppliciu, quod illis irrogabitur qui illoto animo hanc sacram cōtrectabunt hostiam. Quicunq; (inquit) manducauerit panē & biberit calicē domini indigne, reus erit corporis & sanguinis domini. Et rursum, Qui māducat & bibit indigne, iudicū sibi manducat & bibit. Ille autem indigne māducat, qui letiferā noxam expiare aut contempnit, aut neglexit, quē vox illa superni regis deterrere potest, Amice, quomodo huc intraisti non habēs vestem nuptialē? cūmq; obtuissēt ille sibi male cōscius, iussit eū rex ligatis manibus & pedibus per ministros suos projici in tenebras exteriores. Adūbrant illa, quæ candida animi veste & mentis puritate in hoc sacro

Basilus.

1. Corin. 10.

1. Corin. 11.

Lutherus.

Matth. 22.

conuiuio à nobis fieri debent, & deuote obseruari. Nec his ad sacrā mensam digne exornandam vtimur præparamentis, & præparatorijs purificationibus, vt nihil vitij aut iniquitatis relinquantur post huiusmodi præparationem, quod tamen Lutherus sibi in omnibus dux, nobis impegit, qui scripsit in suo libro de Abroganda missa, capite quidem primo, Christianos præparatorijs huiusmodi orationibus, & confessionibus vtī, in suscipienda digne sacra Eucharistia, ne sit aliquid ibi quod remitti debeat. Nam virtute viuifici Eucharistiæ sacramenti, minutula ac leuissima peccata remitti possunt, alioqui sanguis Christi videretur frustra pro nobis in cruce effusus. Sacrificiū enim illud, spectando opus operatum siue filium dei immolarū, est infiniti muneris ac valoris, & sufficiēter ac abunde Christus sua passione (cuius hoc sacrificium est commemoratio) pro omnibus satisfecit. Quia tamen hoc excellentissimum sacramētum, spiritalis est animæ cibus, duntaxat illis spiritualem alimentam impartitur, qui fide & charitate Christo coniunguntur. Idcirco non debet anima hunc susceptura cibum, letifero crimine laborare, sed ab omnibus peccati mortalis fordibus expiari & repurgari: quod si leuiuscula quædam delicta superfuerint expurganda, tanti sacramenti robore & efficacia abstergentur: nullus enim vsque adeo potest suis confidere operibus & meritis, etiam si omnimodā adhibuerint non nihil sinistri affectus aduersus rationē obrepere, licet non euincat, nec voluntatem ad plenū consensum pertrahat. Datus est enim Paulo stimulus carnis, ne magnitudine reuelationum superbiret & extolleretur, & duram ac admodum difficilem cum dæmone luctam subiuit, prompte etiam hominis fragilitatem agnoscens, dixit: Nihil mihi conscius sum, non tamen in hoc iustificatus sum, ac si vellet innuere, Nihil in me sentio delicti, nec vilius sceleris consciētia & scrupulo mordeor: & præsertim de mortiferis vitij agendo, nec tamen velim in hoc iustificari. Nam à peccato immunitatē mihi arrogando, & mea iactando studia, facile possem dilabi, ac in errorum tenebras detrudi: si quid tamē in me boni fuerit, deo referendum esse existimo acceptissimum, quamuis etiam homo integerrima vitæ sanctimonia polleat, debet tamen cum Propheta dicere: Delicta quis intelligit? ab oculis meis munda me domine, & ab alienis parce seruo tuo. Et rursum, Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris domine. Quis denique tam sanctus dari poterit, cui iure dicere non poterit Ecclesiasticus, De propiciato peccato noli esse sine metu. Dicit etiam Salomon in Prouerbij, ne dixerimus nos esse à minutissimis peccatis immunes, etiam facta præparatione ad sacram hostiam recipiendam expiatoria: Quis potest dicere, mundum est cor meum, & purus sum à peccato? Et beatus Ioannes in sua prima epistola Canonica dicit: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipfos seducimus, & veritas in nobis non est. Et cum accedimus ad hoc salutiferum sacramentum, etiam recepta absolutionis gratia, debemus dicere: Serui inutiles sumus, quod facere debuimus, fecimus. Nec tamē ad exosculandum atque recipiendum huiusmodi sacramentū, debemus habere mentem minus mūdā q̄ nouā: cum enim Ioseph inuoluit corpus in syndone munda, præfigurabat atq; significabat (authore Hieronymo) quod ille in syndone mūda inuoluit Iesum, qui pura mente eum suscepit. ¶ Vnū te velim scire huic minime assertioni extraneum, illum qui recipit sacramentum Eucharistiæ, sub vna duntaxat specie aut panis aut vini, tantum gratiæ consequi, quantum is cōsequitur, qui sub vtraque specie communicat. Nam qui sub specie panis duntaxat sacrum Christi corpus recipit, non solum carnem Christi recipit, sed & sanguinem: imò totum integre Christum, quamuis species panis solū representet carnem Christi, & species vini sanguinem, concomitatur tamen sanguis carnem illam, à qua diuelli non potest, nec propter diuersa signa & varias species, partes corporis Christi separatur ab inuicem. cum igitur communicans sub specie panis totum Christum recipiat, qui hanc largitur gratiam & spiritaliter viuificat, non autem species illæ, compertum

Lutherus.

2. Corin. 12.

1. Corin. 4i

Psal. 18.

Psal. 24.

Eccli. 5.

Prouer. 20.

1. Ioan. 1.

Lucæ 17.

Matth. 27.

Hieronym⁹

erit imò exploratissimum, Socratem huic sacræ mensæ accumbentem, cui assistit trium personarum deitas, tantum gratiæ suscipere sub altera specie, quantum sub vtraque specie. Nec validum est hoc argumentum, communicans sub specie panis assequitur gratiam, si digne communicet: ergo communicans sub vtraque specie, maiorem consequitur gratiam: quia gratia quæ confertur in hoc sacramento, minime confertur virtute signi, sed signati: quamuis enim diuersa sint signa, vnum tamen est signatum & expressum, & realiter sub vtraque & altera specie cõtentum, scilicet Christus. Et vnicum est sacramentum & non duo seorsim diuisa, quamuis duæ sint species, duoque signa diuersa. Nec datum est aliquod præceptum à Christo de manducatione Eucharistiæ sub vtraque specie, quo obstringantur omnes & laici & sacerdotes, alioqui peccarent laici nisi sub vtraque specie communicarent.

Ioan. 6. Quid si aduersus nos illum Ioânis locum protuleris, Nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: dicam auctoritatem illam minime nobis aduersari: non enim illic loquitur Christus de speciebus, sed solum de signatis, scilicet carne & sanguine, quæ sub illis signis cõtinentur. Nec dixit, Nisi manducaueritis carnem filij hominis sub specie panis, & biberitis sanguinem sub specie vini, non habebitis vitam in vobis, sed dixit: Nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Et quia sub specie panis, caro Christi per se continetur, & ex consequo, siue ex concomitantia sanguis: quare qui manducat carnem filij hominis sub specie panis, sub eadem bibit sanguinem, quamuis illa specie nõ repræsentetur, sed specie vini. Potest dici locum illum ex Euangelio Ioannis adductum intelligendũ esse non solum de manducatione sacramentali & visibili, sed etiam de manducatione spiritali, quæ fit per fidem huius sacramenti, & erga Christum charitatē. Sacerdos tamen consecrans materiam huius sacramenti, panem scilicet & vinum, non debet vnam sine altera speciem sumere. Quoniam sacerdos conficiens & consecrās, summum sacerdotem Iesum Christum repræsentat, qui pro nobis corpus & sanguinem suum in ara crucis obtulit, sicut expressit dicens: Hoc facite in meam commemorationē.

Lucæ 22. & 1. Corin. 11. Facite, id est conficite: hoc est consecrate. Illis nanque verbis dedit sacerdotibus potestatem consecrandi, tunc enim à Christo instituti sunt sacerdotes, eis præcipiens vt in suæ passionis commemorationem hoc facerent. Quid si rescire cupias an vtile sit homini & potissimũ sacerdoti quotidie sacram Eucharistiæ recipere. Dicam & tibi respõdebo, quod ex sacris doctoribus didici: Hieronymus epistola ad Lucinum de hac re ita scribit, Eucharistia absque condemnatione nostri & pungente conscientia, semper accipiatur. Dicit etiam Augustinus Sermone 28. de Verbis domini, Accipe quotidie quod quotidie tibi proficit, sic viue, vt quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere. Et homilia 42. de Commendatione orationis dominicæ idem sentit, dicens: Sic viuamus, vt ab altari tuo non separemur, & verbum dei quod quotidie nobis aperitur, & quodammodo frãgitur, panis quotidianus est. Nec huic refragatur opinioni Ambrosius libro 4. de Sacramentis, capite 6. hæc scribens, Qui semper peccat, cælestis sacramenti medicinã semper accipiat, quotiescũque enim effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorũ effunditur. De consecratione tamen distinctione 2. capite Quotidie, dicitur etiam ex sententia Augustini, illum non laudari nec reprehendi qui Eucharistiæ communionem quotidie accipit. Hortatur tamen Augustinus, vt quis diebus dominicis communicet, si mens in affectu peccandi non sit.

CAPVT XV.

Chryso. Tit. 3. **E**leemosyna ex se plus habet virium ad extinguenda peccatorum incendia, quàm virginitas consulta.] Hanc tuetur assertionem Chrysoctomus homilia 6. in epistolam Pauli ad Titum, exponens locum illum: Discant & vestri bonis operibus præesse in vñs necessarios, ne sint infructuosi, vbi ita loquitur, Et certe virginitas plus habet laboris, ieiuniumque & reliqua san-

cti propositi austeritas. verum nihil tantum habet virium, ad extinguenda peccatorum incendia, quantum eleemosyna. Hæc nempe maior est omnibus, ad ipsum regis solum amatores constituit suos, & merito sanè. Virginitas nanq; & ieiunium, & terrenus lectulus faciēti solummodo prodest, neminem vero alium saluat. At vero eleemosyna ad omnes vsque pertingit, membraque complectitur Christi. porro eorum quæ vbiq; vagantia cõplectitur in vnum, maior longe virtus est. Hæc enim charitatis est mater: charitatis inquam, quæ est proprium christianæ religionis insigne, per quam discipuli Christi noscuntur, hæc scelerum nostrorum medicina est, hæc animæ nostræ sordes emundat, hæc scala quæ in cælum vsque porrigitur, hæc Christi connectit corpus: vultis nosse, quantum hæc in se habeat boni? Sub apostolis ipsis vendētes hæc omnia quæ sua erant, distribuebant vnicuique secundum quod opus habebat, vt interim futura omittamus, nec de cælesti regno verba faciamus, cæterum secundum præsens seculum communi quodam sensu iudicemus. Dic obsecro, qui sunt qui lucrantur? qui dant, an qui accipiunt? Illi nēpe murmurant & corrixantur adinuicem, hi vero vnam animam habent. Erat enim (inquit) cor vnum & anima vna, & gratia erat in omnibus illis, magnoque & profectu & vtilitate viuebãr. Vides quod & hinc illi potius lucrabantur. Dic age quorum ipse esse velis? ex numero eorum qui sua abiiciūt, & nihil habent, an qui aliena suscipiunt? Intuere eleemosynæ materiam, quæ antea disiuncta erant, conuenere: atque impedimenta omnia sublata sunt, & continuo ipsorum animæ coniunctæ atque connexæ sunt. Omnium (inquit) erat cor vnum, & anima vna, ita etiam sine eleemosynæ fructu, exinanire pecunias non minimum in se habet lucri. Ita interim dixi, vt qui hæreditatem à maioribus per successionis feriem non acceperunt, minus doleãt, minúsque tristes sint, quasi minus aliquid quàm diuites habeant: longe quippe, si velint, maiora habituri sunt. Nanq; & eleemosynam facilius erogabunt, quemadmodum & illa Euangelica vidua dedit duo minuta: & nulla aduersus proximum illis inimicitiarum occasio subest, sũntque omnibus liberiores. Hæc ille. Prospicis candide & ingeniose lector, validissimas Chrysoctomi rationes, quibus explorata satisfactiois ratione nixus sit suam stabilire assertionē. Nec præfert eleemosynam virginitati, quantum ad difficillimum laborem & vitæ austeritatem in refrenanda carne ab omni vsu venereo. Nec denique quantum ad rationem excellentiæ & dignitatis. Quid enim excellentius, quid denique dignius, imò quid diuinius quàm perpetuam & corporis & animi castimoniam tueri, & illibatum pudiciæ florem retinere? Sed quantum ad rationem satisfaciendi deo pro nostris delictis, & vt facilius & celerius nostrorum scelerum incendia extinguantur, eius ratio cinia vrgent maxime. Siquidem Eleemosyna mater est charitatis, qua Christi membra fouentur: virginitas autem consulta, & quæ non est voto firmata, non est christianæ charitatis mater, quæ pauperum viscera pascit, & refocillet. Igitur expensis tot tantisque eleemosynarum beneficijs, quis facilius prompta suorum bonorum largitione extinguet suorum peccatorum incendia & deo satisfacet quàm eleemosyna? Quid deniq; me hercules deus optimus & maximus magis acceptat ad consequendam nostrorum delictorum veniam & remissionem, quàm propter sui charitatem, alienæ succurrere miseriæ? aliorumque infortunia nostra existimare? Hoc autem facit misericordia, quæ Græce ἐλεημοσύνη dicitur. Nec obscurum erit id ex Euangelicis literis suadere. Cum enim quidam legisperitus nimius sui amator à Christo fuisset admonitus vt suum proximum sicut seipsum diligeret: volens ille seipsum iustificare, dixit ad Iesum: Et quis est meus proximus? Suscipiens autem Iesus, dixit: Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Hierico, & incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum, & plagis impositis abierūt semiuiuo relicto. Accidit autem vt sacerdos quidam descenderet eadem via, & viso illo præteriuuit. Similiter & leuita, cum esset secus locum, & videret eum, pertransijt. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum, & vidēs eum, misericordia motus est.

Et approprians, alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum, & imponens illum in iumentum suum duxit in stabulum, & curam eius egit. Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe, & quodcunque superero gaueris, ego cum rediero reddam tibi. **Quis** horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? At ille dixit, **Qui** fecit misericordiam in illum. Et ait illi Iesus: Vade, & tu fac similiter. **Quis** nescit ex hac euangelica philosophia & parabola, Samaritanum illum pietatis amantissimum hoc officio diuinam sibi promeruisse gratiam, eiusque misericordiam homini vulnerato & semimortuo factam plurimum habuisse momenti, vt eius peccata abstergerentur? **Quod** si velimus deum nobis esse misericordem, debemus & aliorum commisereri, eisque condonare admittum. Si vero sumus duri & implacabiles erga ceteros homines, haud dubie sentiemus & deum erga nos esse implacabilem, nec veniam nobis condonaturum. Animaduerte igitur ex illa parabola, quantum valeant praecleara misericordiae erga proximum officia. Adde quod Tobias commedans eleemosynae largitionem, solebat dicere suo filio: Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli auertere faciem tuam ab illo paupere. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impartiri stude: praemium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis. **Quoniam** eleemosyna ab omni peccato & a morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Et aliubi dicit Raphael, Eleemosyna a morte liberat, purgat peccata, & facit inuenire vitam aeternam. Expressit & Daniel vim eleemosynae in remittendis peccatis, qui consuluit Nabuchodonosor, vt sua peccata eleemosynis redimeret. Dicit etiam Ecclesiastes, Mitte panem tuum super transcurrentes aquas, quia post tempora multa inuenies illum. Da partes septem, nec non & octo, quia ignoras quid futurum sit mali super terram, praecipit ille vt prompte subueniamus transfretati aquas aut flumina: quod si fecerimus, non fraudabimur praemio. Nec diuersum est ab hoc loco quod dicit Esaias, Beatus qui seminat super aquam, vbi bos & asinus calcant. Et quod dicit Ecclesiasticus capite tertio, Sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum, nobis patrocinatur. Nec oculum a paupere transferrere debemus, quod commonefacit idem Ecclesiasticus dicens: Fili, eleemosynam pauperis ne defraudes, & oculos tuos ne transfertas a paupere. Animam efurietem ne despexeris, & non exasperes pauperem in inopia sua. Intelligamus quoque nitorem animi & munditiam bona ex parte ab eleemosyna proficisci. Dicit enim Christus in Euangelio Lucae: Veritamen quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Nec possunt diuites indipisci charitatem dei, nisi membra Christi suis opibus refocillauerint. Vnde dicit Ioannes in sua 1. epist. Canonica, aduersus pauperum contemptores, **Qui** habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauerit viscera sua ab eo, quomodo charitas dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate. Ex hoc contextu ita ratiocinaberis, qui facit misericordiam pauperi, & ei prompte & iucunde succurrit, opere & veritate eum diligit, nec ab eo sua claudit viscera. Fieri autem potest, vt virgo pauperem despiciat, & ab eo sua claudit viscera. Igitur virginitas ex se minus accedit ad rationem charitatis, qua connectimur deo & proximo, quam eleemosyna. Hinc mihi recte sentire videntur, qui dicunt actum misericordiae siue eleemosynae immediate elici a charitate, qua alteri compatimur, non autem actum virginitatis, eo quod virginitas (vt fertur) materialiter sumpta, de qua hic est discussio, est mera priuatio & careria omnimodae voluptatis venereae. Et pro tuenda hac veritate plurimum facit quod scribit Ambrosius edisserens illum Pauli locum, Exerce te ipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habes vitae, quae nunc est & futurae, vbi ita scribit: Pietati autem operam dandam commonet, quia grandem habet profectum. **Qui** enim misericordiae student, senioribus vicem reddentes parentibus, & in praesenti vita auxilia dei non deerunt illis, & in futuro

immortalitatem habebunt cum gloria, Exercitium autem corporale ad modicum utile dicit. Ieiunare enim & abstinere a cibis, manente autoritate creatoris non multum prodest, nisi addatur huic pietas, cuius opera multorum precibus adiuuatur ad dominum promerendum. Et paulo post dicit: Corporis autem exercitium nihil aliud quam carnis frena sunt. Si quis ergo, quia misericordia magna res est, lubricum tamen carnis patiat, huiusmodi quid fiet? sine dubio vapulabit, quia illud oportuit fieri, & hoc minime praetermitti. Si autem solum corporis habuit exercitium, perennes poenas patietur, sicut in Euangelio dominus repromisit. Omnis enim summa disciplinae nostrae in misericordia & pietate est. Haec Ambrosius. Perpede Paulum & Ambrosium non sine causa praetulisse pietatem sanctissimo corporis exercitio, quo carnis lasciuia domatur, & acutissimus concupiscentiae carnalis stimulus ieiunij, orationibus, vigilijs, & virginitate coeretur. Etenim haec, nisi pietatis adminiculo iuentur, parum prodesse possunt. Pietatis vero officia etiam sine corporis exercitio plurimum conducunt. Et quod concludit Ambrosius de summa Christianae disciplinae, quae in misericordia & pietate sita est, consentaneum est sententiae Chrysostomi dicentis eleemosynam esse matrem charitatis, quae est proprium Christianae religionis insigne. Nec immerito sanctus Thomas adductus illa Ambrosij autoritate, de summa Christianae disciplinae in Euangelica pietate constituta, censuit 2. quaestione 30. articulo 4. misericordiam secundum se esse maximam virtutem. Etiam per misericordiam aliquis fit deo similis, sicut in Euangelio Lucae dicit Christus: Effote misericordes, sicut pater vester misericors est. Item, Misericordia ad omnia se effundit, & aliorum defectus subleuat. Idcirco misericordia inter omnes virtutes quae ad proximum pertinent est potissima, licet quantum ad habentem praefereunda sit charitas misericordiae, quia maius est & melius coniungi superiori per charitatem, quam supplere defectus inferioris. Et in eodem opere, quae st. 184. art. 3. dicit perfectionem essentialem vitae Christianae, consistere in charitate, primario quidem secundum dilectionem dei, secundario autem secundum dilectionem proximi. Perfectionem vero accidentariam inniti consilijs, quatenus sunt adminicula perueniendi ad perfectionem. Sed perfectissima charitatis ratio (vt omnibus competentum est) non potest in aliqua virtute, quae ad proximi dilectionem nos inflectit, commodius reperiri, quam in misericordia siue eleemosyna. Igitur & qui vltro & iucunde, obseruatique alijs circumstantijs dat eleemosynam, diligit deum, & suas pauperi facultates propter deum impartitur. Et quis nescit eum qui diligit proximum legem implere? & plenitudinem legis esse dilectionem? Tum etiam idem doctor ostendit in 4. sententiarum, distinctione 15. Eleemosynam in ratione satisfaciendi esse praefereendam ceteris satisfactionis partibus, scilicet ieiunio, & orationibus, & reliquis id genus, quae sunt afflictiva corporis. Eleemosyna (inquit) includit in se virtutem orationis & ieiunij duplici ratione, Primo, quia eleemosyna eum constituit, cui datur, debitorem ad orandum & ieiunandum, vnde dicit Ecclesiasticus: Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & haec pro te exorabit ab omni malo. Secundo, quia eleemosyna propter deum data, est quasi quaedam oblatio deo facta: quod ex Paulo probari potest, dicente ad Hebraeos: Beneficentiae autem & communicationis nolite obliuisci, talibus enim hostijs promeretur deus. Et huiusmodi oblatio deo facta, vim habet orationis. Et cum bona externa ad corporis conseruationem ordinentur, illorum subtractio per eleemosynam, quasi virtute continet ieiunium, quo maceratur corpus. Similiter & oratio virtute continet ieiunium: quia vehemens & assidua intellectus ad deum eleuatio, debilitatem corporis parit: vnde eleemosyna plenius & complexius habet vim satisfactionis quam oratio, & oratio quam ieiunium. Idcirco dicit Paulus, Corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia utilis est. Et licet in satisfactione requiratur poena, & maior sit & acerbior in ieiunio, quam in eleemosyna, non propterea ieiunium (considerata satisfaciendi ratione) praefereatur eleemosyna. Nam vis satisfactionis principalius attenditur pe-

Mat. 6. & 18

Tobiae 4.

Tobiae 12.

Daniel. 4.

Eccl. 11.

Esa. 32.

Eccl. 4.

Lucae 11.

1. Ioanij.

Ambrosius.

1. Tim. 4.

Matth. 25.

Luca 6.

Rom. 13.

Eccl. 29.

Heb. 13.

nes bonitatem actus, quam poenam ipsam, siue (vt dicunt) poenalitatem. Et quia eleemosyna magis amplexatur rationem boni quam ieiunium, eo quod propinquius & immediatius se habet ad charitatem, & non est fingulare boni facienti, sed commune & facienti & patienti, plus erit satisfactoria quam ieiunium, similiter magis quam oratio, quamuis hominem deo magis familiarem reddat quam eleemosyna, sicut vita cõtemplatiua plus quam actiua. Et hac ratione uirginitas praefertur eleemosynae, quia per illam uicta carnis & naturae lucta, homo fit deo familiaris: eleemosyna uero uniuersalis expiandorum scelerum medicina, spectando semper rationem satisfactionis vt iam monuimus, uirginitati praefertur. Sed quid de ratione satisfactionis scribat Durandus in eadem distinctione 4. sententiarum, quaestione 6. in qua aliquantulum euariat à Thoma, referemus. Opus (inquit) ieiunij directe magis est satisfactorium quam opus eleemosynae. Nam satisfactio potissimum respicit poenam ipsam, & afflictionem, & quicquid potest torquere corpus. cum igitur plus sit poenae & laboris in ieiunio, quam in eroganda eleemosyna, quispiam magis satisfacet per ieiunium & reliquas corporis afflictiones, quam per eleemosynam. Indirecte tamen & ex quadam concomitantia eleemosyna est magis satisfactoria, quia in eleemosyna virtualiter continentur aliae satisfactionis partes, ieiunium scilicet & oratio. Etiam conferens eleemosynam vltro & ex quadam promptitudine, magis meretur, quam qui suam carnem ieiunij macerat. Nam opus quanto pluribus prodest, si gratia fulciatur, tanto est magis meritorium, eo quod meritum magis respicit bonitatem operis, quam poenam & difficultatem. Eleemosyna autem pluribus prodest quam ieiunium, siquidem prodest danti & recipienti, ieiunium uero per se solum ieiunanti. Verum quod dicit Paulus corporalem exercitationem ad modicum esse vtilem, pietate uero ad omnia vtilem esse, magis fauet sententiae Chrysostomi & Thomae, etiam spectando rationem satisfactionis, quam opinioni Durandi, quod sane ex luculentissimis sacrae scripturae interpretibus confirmari potest. Etenim Augustinus ostendit in plerisque locis suorum operum, eleemosynas plurimum adferre momenti ieiunij & precationibus, quae si ab huiusmodi exercitijs abiunctae fuerint, etiam valebunt ad abstergendas animi fordes. Si quidem libro 21. de Ciuitate dei, capite 27. dicit, Orationes quippe adiuuant eleemosynae. Et vtiq; intuendum est quod legimus, Fili peccasti, ne adicias iterum, & de praeteritis tuis deprecare, vt dimittantur tibi. Propter hoc ergo eleemosynae faciendae sunt, vt cum de praeteritis peccatis deprecamur, exaudiamur, non vt in eis perseuerantes, licentiam malefaciendi nos per eleemosynas comparare credamus. Ideo autem dominus & dextris eleemosynas ab eis factas, & sinistris non factas se impuniturum esse praedixit, vt hinc ostenderet quantum valeant eleemosynae ad priora delenda, non ad perpetua impune committenda peccata. Et in psalmum 42. ad locum illum, Salutare vultus mei & deus meus: ostendit orationem debere inniti ieiunio & eleemosynis. Vis (inquit) orationem tuam volare ad deum? fac illi duas alas, ieiunium & eleemosynam. Et Sermonem 63. de Tempore, praefert eleemosynam ieiunio, vbi dicit: Qui non potest ieiunare, amplius debet erogare pauperibus, vt peccata quae non potest ieiunando curare, possit in eleemosynas dando redimere. Bonum est fratres ieiunare, sed melius est eleemosynam dare. Si aliquis vtrunque potest, duo sunt bona: si vero non potest, melius est eleemosynam dare, si possibilitas non fuerit ieiunandi: eleemosyna sufficit sibi sine ieiunio, ieiunium vero sine eleemosyna non sufficit: ergo si aliquis ieiunare non potest, eleemosyna sine ieiunio bonum est. Si vero praeualerit ieiunium cum eleemosyna, duplex bonum est. Subscribit & Augustino Cyprianus, Sermonem de eleemosyna, vbi ita loquitur: Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna, quia eleemosyna à morte liberat, & ipsa purgat peccata. Et parum possunt orationes ac ieiunia, nisi eleemosynis adiuuentur. Solae etiam deprecationes parum ad impetrandum valent, nisi factorum & operum accessione satientur. Reuelat Raphael angelus, & manifestat & firmat eleemosynis petitiones no-

stras efficaces fieri, eleemosynis vitam de periculo redimi, eleemosynis animas à morte liberari. Quod autem eleemosynis non tantum à secunda, sed à prima morte liberentur animae, pulcherrimum habemus in Actis apost. de Thabita exemplum, quae optimis operibus & eleemosynis meruit, vt Petri gratia & beneficio reuiuisceret. Docuit etiã Christus adulescentem illum auaritiæ studio addictissimum, quamnam rectam & facili semitam ad virtutum perfectionem contenderet, cui dum superbe sibi arrogasset integram praceptorum obseruationem, dixit: Si vis esse perfectus, vade, & vende omnia quae habes, & da pauperibus. Nec tamen ille optauit hac incedere orbita, sed à tutissimo Euangelicæ pietatis itinere ad vitiorum diuerticula deflexit. Præterea Chrysostomus pedibus manibusq; in hanc itententiam, exponens illum Pauli locum ad Timoth. Et respiciat à diaboli laqueis, à quo captiuus tenetur ad ipsius voluntatem, vbi cocinne & docte ostendit nihil profuisse fatuis virginibus, exiisse obuiam sponso instructis quidem lapidibus, in quibus nihil erat olei, scilicet misericordiae & eleemosynae. & in hunc modum de hac re philosophatur, auspicato à verbis Christi qui dixit fatuis virginibus ostium pulsantibus, Nescio vos: Quid ergo uirginitas profuit, cæteriq; sancti certaminis labores, quando ignorantur à domino? Plurimis deniq; in locis reperies solo ex vitæ reprobæ non ex fidei merito plerumq; damnari. Sicut alibi quoque sola ex perueritate dogmatum, absq; vlla vitæ culpa alios plecti. Hæc nempe sibi inuicem coherent. Itaq; cum voluntate dei non facimus, sub laqueo diaboli sumus. Neq; modo ex vita tota, verum ex vno tantum defectu solo in gehennam mittimur, nisi alia suppleant bona. Quippe & virginibus non incestus, non adulterij, non inuidiæ, non liuoris, non ebrietatis, non infidelitatis, aut peruersæ fidei crimen inuritur, sed olei tantum defectus. quia scilicet misericordiam non exercuerant, neq; eleemosynas fecerant, id quippe significat oleum. Et illi item qui supremæ damnationis sententiam luent, quibus dicitur: Discedite maledicti in ignem æternum, solum quod Christum nonauerint, crimine exagitantur, nullaque cæterorum mentio fit. Vides certe vt eleemosyna sola neglecta gehennæ ignibus tradat. Ad quid enim eris vtilis, qui non facis eleemosynam? ieiunas quotidie? At virginibus nihil profuit eiusmodi studium. Oras: at sine eleemosyna infructuosa erit tua oratio, absq; illa immunda sunt omnia & inutilia, maiorque pars virtutis exciditur. Qui non diligit (inquit) fratrem suum, ignorat deum. Illum quomodo diligis, qui ne minima quidem ista, & vilia pateris ei tecum esse communia? Sed caste, ac temperate viuas. Cuius rei gratia id facis? Num supplicij metu? minime id quidem, sed quadam bonitate naturæ. nam si id agis timore supplicij, tantamque incendij vim, ac libidinis tyrannidem superas, multo magis studere Eleemosynis debes. Neque enim idem labor est frenare libidinem, pecuniâsq; continere: sed longe maior hic labor est. Cur id? Quia voluptas illa naturalis est, nostrisq; insita & innata corporibus, non sic autem cupiditas pecuniæ: solum denique pietatis ac miserationis est studium, quo deo æquales euadere possimus: quo si careamus, cuncta simul amissimus. Non enim ait, Si ieiuaueritis aut oraueritis, patri vestro similes eritis, nihil enim huiusmodi in deum cadit, neque aliquid tale operatur deus. Sed quid? Estote (inquit) misericordes, sicut pater vester qui in caelis est. istud dei opus est, hoc si desit, quid habes? Misericordiam volo, & non sacrificium. Et in tertiumdecimum caput Matthæi dicit charitatem, humilitatem, & misericordiam superare ieiunium & uirginitatem. Sed intellige hæc eo modo vt præmonuimus. In super-homilia 36. ad Populum, ita commendat eleemosynam, vt eius commendatione satiari non possit, ita dicens: Sicut diuitum liberi monilia circa collum aurea gestant, nec vnquam ea deponunt, sed tanquam nobilitatis insigne circūferunt: sic & eleemosynam charissimi nos ipsos semper oportet induamus, ostendentes quod misericordis patris sumus filij, qui facit hunc solè oriri super bonos & malos: sed non credunt infideles. Igitur per hæc credent, si nos hæc operemur. Si videant quod omnium misereamur: & illum inscriptum habeamus præceptorē, scient quod illum imitantes hoc facimus. Eleemosyna (inquit) BB.j.

Durandus.

Augustinus.

Eccli. 21.

Matth. 25.

Psal. 42.

Cyprianus.

Tob. 12.

Act. 9.

Matth. 19.

2. Tim. 2.

Matth. 25.

Ibidem

Lucæ 6.

Osee 6.

Matth. 9.

& fides verè. Bene ait verè, nō ex rapina, non ex furto. Hoc enim nō est fides, non veritas. Nā furantem mētiri necessariū est, & peierare oportet: tu verò non ita, sed cum eleemosyna fidem habeas. Circundemur hoc ornamento, torquem collo faciamus aureū: eleemosynā dico, donec hic moramur: cū enim hæc ætas trāsierit, non amplius hac vtemur. Quomodo? Nō ibi sunt pauperes, nō pecuniā, nō medicitas. Donec sumus pueri, ne nos hoc exuamus monili. Sicut enim citra pueros gerit, vt cū viri facti fuerint, hæc auferatur, & ad aliū traducatur ornatū, sic & circa nos. Nō amplius per pecuniās eleemosyna remanebit, sed altera quādā multo maior. Itaq; ne nos hac priuemus, curemus animā apparere speciosam. Magnū est, & pulchrū, & pretiosum eleemosyna, donū est magnū, imò verò magnum bonum: si pecuniās contēnere discamus, alia quoq; discemus. Hinc enim intueri quot bona pariantur. Dans eleemosynam sicut oportet dare, discit aspernari diuitias: qui pecuniās didicit aspernari, malorum radicem excidit. Itaque nō minus accipit quā præstat beneficium, non eo solum quòd debitum & retributio sit eleemosynæ reposita, verum & quòd anima sapiens & alta fiat & diues. Qui dat eleemosynam, discit non admirari pecuniās, neque aurum. Hoc autem instructa mente maximum in cælum ascendendi principium accipit, & innumeras contentionis, & litis, & inuidiæ ac tristitiæ sustulit occasiones. Noctis enim, noctis & vos, quòd omnia propter pecuniās, & infinita propter pecuniās bella: qui autem has contēnere didicit, semetipsum in tranquillitate constituit, non amplius iacturam formidat, non amplius res proximi concupiscit, non vltra locupletis inuidet: & cū vult pauper fieri, suā purgat oculum animæ. & hæc quidem in hoc sæculo. Quæ vero sunt in illo, nec dicere licet quanta consequetur bona: non extrinsecus cum fatuis manebit virginibus, sed cū prudentibus ingrediatur cum sponso, ardentibus habens lampadas, & in virginitate tabefactis, qui nec illos quidem gustauit labores, erit melior. Tanta vis est eleemosynæ, cum multa fiducia suos introducit alūnos, est enim cæli nota ianitoribus, sponsalis thalami fores obseruantibus, quin & venerabilis: & quos sui cultores agnouerit, cum multa introducat libertate, & contradicet nemo, sed omnes cèdent. Nam si deum in terram deduxit, & hominem fieri persuasit, multo magis in cælum hominem poterit reducere, magna enim est ipsius potentia. Hanc igitur misericordiam & clementiam amemus, hanc diligamus, non vno die vel altero, sed in omni tēpore, vt nos agnoscat. Si ipsa nos agnouerit, & dominus agnoscat: si non agnouerit ipsa, ignorabit & dominus, & dicit: Nescio vos. Hæc maior est gratia, quā mortuos resuscitare: multo nanq; maius est, q̄ in nomine Iesu mortuos suscitare, e-furientem pascere Christū. Nam hic quidem tu de Christo bene mereris, illic autē ipse de te. At merces est in bene gerēdo, non in bene patiēdo. Hic enim (in signis inquam) ipse deo debes, in eleemosyna vero deum habes debitorem. Sublimis profecto est hæc Chrysofomi philosophia, quòd maius est dare eleemosynam, q̄ mortuos resuscitare, nec flaccida & vulgaris est eius probatio. Nam qui largitur eleemosynam pauperi, cōfert Christo beneficium, ita quòd Christus reputat hoc beneficium sibi collatum fuisse, tamen si non indigeat. Quandoquidē beatis, à quibus pauperes in hac vita nutriti fuerunt, sciscitantibus: Domine, quando te vidimus esurientem & pauperem: sitientē, & dedimus tibi potum? quādo autē te vidimus hospitem, & collegimus te? &c. Respondit, Amen dico vobis, quādiu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Qui vero excitat mortuos, hanc à Christo recipit gratiam: modo beatius est dare, q̄ accipere. quare recte visus est dixisse Chrysofomus, maius esse dare eleemosynam, q̄ mortuos resuscitare: maius quidem, quia pluribus conducit, & diuturnū, & magis à deo acceptatur, si modo vt oportet dederis eleemosynā, licet forsitan sit quid maius secundum quid, excitare mortuos; spectando gratiā dei gratis datam, siue donum mere gratuitum. Nec silētio suppressendum est, quòd in Esaia legimus de misericordiā erga pauperimos, quosq; & sincero pietatis ieiunio, quod illorum ieiunijs præfertur, qui ieiunādo sacco vestiuntur, & caput cinere

Matth. 5.

Matth. 25.

Ibidem

conspargunt, contentionibus tamen & litigijs vexant pauperes. Nōne (inquit dominus) hoc est magis ieiunium quod elegi? Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, dimitte eos qui cōfracti sunt, liberos, & omne onus dirumpe. Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosq; induc in domū tuam. Cum videris nudum, operi eum: & carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur. Et anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria domini colliget te. Tūc inuocabis, & dominus exaudiet te, clamabis & dicet, Ecce adsum, quia misericors sum dominus deus tuus: Si abstuleris de medio tui catenam, & desieris extendere digitum, & loqui quod non prodest. Cum effuderis esurienti animā tuam, & animā afflictā repleueris, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erūt sicut merides. Et requiē tibi dabit dominus deus tuus semper, & implebit splendore animā tuam, & ossa tua liberabit. Hi sunt fructus, quos eleemosynæ studiofissimus cōsequitur. Quantū deniq; energiæ & momenti habeat eleemosyna, vt quæ etiā possit conscendere thronū dei, ostendit angelus Cornelio Cēturioni, pauperū fautori liberalissimo, cui dixit: Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderūt in memoriā in conspectu dei. Lam satis (vt arbitror) ostensum est sacræ scripturæ testimonijs, & sacrorum doctorū monumentis, eleemosynā ex se plus habere viriū ad extinguenda peccatorū incendia, q̄ virginitatem consultā: & particulā hanc, consultā, qua sanè non admodum opus erat, adiecimus assertioni, eo qd dicit Paulus ad Corint. De virginibus autem præceptū domini non habeo, consiliū autē do: & ne importuni calūniatores & morologi, existimarent nos disputationē ad votum etiā virginitatis proraxisse. quandoquidem virginitas voto firmata non est amplius consiliū, sed præcepti. Licet enim vouere sit consiliū, tamen adimplere votum est præcepti. Nec hic agimus de virginitate formaliter sumpta, vt indicat propositū perpetuo abstinendi à voluptate venerea, & præsertim vt est virtus huiusmodi voto firmata & stabilita, quæ specialiter distincta est à castitate, & ei præeminet, sicut magnificentia liberalitati. Nam hæc præclara virtus omnium encomijs decantata, secundum quandam circūstantiam præferenda est eleemosynæ. Bonū quidem diuinum præstantius est bono humano, & bonū animæ bono fortunæ, & opus vitæ contēplatiuæ, opere vitæ actiuæ. Virginitas tamē per se & nudè, siue materialiter considerata, est abstinentia & carentia perpetua voluptatis venereæ. Nec est bona per se, sed per accidens, & vt medicina: vt asserit Durandus in 4. Sentent. distin. 33. quæst. 4. Et eius ratio hæc est: Abstinere ab eo quod est secundum se bonū, non potest esse bonum secundum se: sed virginitate quis abstinere à matrimonio, quod est secundum se bonū. Igitur sicut ieiunium non est opus ex suo genere bonū, cum sit priuatio alimēti: sed eatenus est bonū, quatenus est actus virtutis moralis, scilicet abstinentiæ, vt dicit Caietanus in 4. cap. Matth. Ita virginitas in se & materialiter cōsiderata, nō est opus ex suo genere bonū, cū sit perpetua vīsus venerei carentia, sed eatenus bona est, quatenus est actus virtutis scilicet castitatis, spectando firmissimum propositum perpetuo abstinēdi à re venerea, non autē vt est voto firmatū: quia hac ratione vt iam monuimus, est virtus specialiter distincta à castitate, & ei præfertur. Vnū te velim monere, cū legis in Chrysofomo eleemosynam esse maiorem virginitate, intelligendū id putes, quātum ad vtilitatē, quia pluribus prodest, & etiā quantū ad rationē satisfaciēdi pro nostris delictis, & quia propinquius se habet ad charitatem, non autem quātum ad rationem excellentiæ & dignitatis, vt commonstratum est. Siquidem excellentissimū opus est ac insigniter heroicum, & omnium laude dignissimum, perpetuam seruare continētiam. sed de excellentissima virginitatis virtute dicemus abunde libro decimonono huiusce Theosophiæ. ¶ At dicit aliquis: Si eleemosyna tantum habeat viriū ad extinguenda peccatorum incendia, nōne sceleratissimus quisque aut adulter, aut homicida, aut quouis alio enormi & inaudito vitio labefactatus, suas pauperibus impartiendo facultates, aut quoduis aliud misericordiæ officium præstando, etiam vita non in melius com-

Esa. 58.

Acto. 10.

2. Corint. 7.

Durandus.

BB. ij.

mutata statim veniam promerebitur, & diuinam impetrabit misericordiam?

Augustinus. ¶ Hanc quaestionem docte & eleganter discuit Augustinus libro 21. de Ciuitate dei, capite 27. falsam illorum opinionem oppugnans, qui putabant sibi non obfutura peccata, in quibus cum eleemosynas facerent, perfraterunt. Et primo argumentum quo illi nitentur, proponit: Sicut nullus est (inquiunt) dies quo à Christianis oratio quam docuit ipse dominus, non dicatur: ita nullum est quotidianum qualecunque peccatum, quod per illam non dimittatur, cum dicimus, Dimitte nobis debita nostra, si quod sequitur facere curemus, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Non enim ait dominus (inquiunt) si dimiseritis peccata hominibus, dimittet vobis pater vester quotidiana parua peccata vestra, sed dimittet vobis (inquit) peccata vestra. Quaecumque ergo vel quantacunque sint, etiam si quotidie perpetrètur, nec ab eis vita discedat in melius commutata, per eleemosynam venia non negata remitti sibi posse praesumunt. Sed bene quod isti dignas pro peccatis commendent eleemosynas esse faciendas, quoniam si diceret qualecunque eleemosynas pro peccatis & quotidianis & magnis, & quantacunque scelerum consuetudine misericordiam posse impetrare diuinam, vt ea quotidiana remissio sequeretur, viderent rem se dicere absurdam atque ridiculam. Sic enim cogentur fateri fieri posse, vt opulentissimus homo decem nummulis diurnis in eleemosynas impensis, homicidia, & adulteria, & nefaria quaeque facta redimeret. Quod si absurdissimum & insanissimum est dicere, profecto si quaeratur, quae dignae sint pro peccatis eleemosynae, de quibus etiam Christi praecursor ille dicebat: Facite ergo fructus dignos poenitentiae, procul dubio non inuenientur eas facere, qui vitam suam vsque ad mortem quotidianorum criminum perpetratione confodiunt. Primum, quia in auferendis rebus alienis longe plura diripiunt, ex quibus per exigua pauperibus largiendo Christum se ad hoc pascere existimant, vt licentiam malefactorum ab illo se emisse, vel quotidie potius emere credentes, securi damnabilia tanta committant. Qui si pro vno scelere omnia sua distribuere indigentibus membris Christi, nisi desisterent à talibus factis habendo charitatem quae non agit perperam, aliquid eis prodesse non posset. Qui ergo dignas pro suis peccatis eleemosynas facit, prius eas facere incipiat à seipso. Indignum est enim vt in se non faciat, qui facit in proximum, cum audiat dicentem dominum: Diliges proximum tuum tanquam teipsum. Itemque audiat, Miserere tuae animae placens deo. Hanc ergo eleemosynam, id est, vt deo placeat, non faciens animae suae, quomodo dignas pro peccatis suis eleemosynas facere dicendus est? Ad hoc enim & illud scriptum est, Qui sibi malignus est, cui bonus erit? Orationes quippe adiuuant eleemosynae. Et vtrique intuentum est quod legimus, Fili peccasti, ne adicias iterum, & de praeteritis tuis deprecare, vt dimittantur tibi. Propter hoc ergo eleemosynae faciendae sunt, vt cum de praeteritis peccatis deprecamur, exaudiamur, non vt in eis perseverantes, licentiam malefaciendi nos per eleemosynas comparare credamus. Ideo autem dominus & dextris eleemosynas ab eis factas, & sinistris non factas se imputaturum esse praedixit, vt hinc ostenderet quantum valeant eleemosynae ad priora delenda, non ad perpetua impune committenda peccata. Tales autem eleemosynas non dicendi sunt facere, qui vitam nolunt à consuetudine scelerum in melius commutare. Quia & in hoc quod ait: Amen dico vobis, quando vni ex minimis meis non fecistis, mihi non fecistis, ostendit eos non facere etiam quando se facere existimant. Si enim Christiano esurienti panem tanquam Christo darent, profecto sibi panem iustitiae, quod ipse Christus est, non negarent. Quoniam deus non cui detur, sed quo animo detur, attendit. Qui ergo Christum diligit in Christiano, hoc animo ei porrigit eleemosynam, quo accedit ad Christum, non quo vult recedere impunitus à Christo. Tanto enim magis quisque deserit Christum, quanto magis diligit quod improbat Christus. Nam quid cuiquam prodest quod baptizatur, si non iustificatur? Nonne qui dixit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non intrabit in regnum

dei. Ipse etiam dixit, Nisi abundauerit iustitia vestra super Scribarum & Pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum. Cur illud timendo multi curant baptizari, & hoc non timendo multi curant iustificari? Sicut ergo non dicit fratri suo fatue, qui cum hoc dicit, non ipsi fraternitati, sed peccato eius in sensu est, alioquin reus erit gehennae ignis. ita e contrario, Qui porrigit eleemosynam Christiano, non Christiano porrigit, qui non in eo diligit Christum. Non autem diligit Christum, qui iustificari recusat in Christo. Et quemadmodum si quis praecipuus fuerit in aliquo delicto, vt dicat fratri suo fatue, id est non eius peccatum volens auferre, conuincitur iustitiae, parum est illi ad hoc redimendum eleemosynas facere, nisi etiam quod ibi sequitur remedium reconciliationis adiungat. Ibi enim sequitur, Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ad altare, & vade prius reconciliare fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Ita parum est eleemosynas quantalibet facere, pro quocunque scelere, & in consuetudine scelerum permanere. Oratio vero quotidiana, quam docuit ipse dominus, vnde & Dominica nuncupatur, delet quidem quotidiana peccata, cum quotidie dicitur, Dimitte nobis debita nostra, quando id quod sequitur non solum dicitur, sed etiam fit, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. ¶ Percontaberis, Si nam omnibus & Christianis & Iudaeis ac Paganis eroganda sit eleemosyna. Hanc quaestionem diluit Chrysostomus homilia decima in epistolam Pauli ad Hebraeos, exponens locum illum, Non enim iniustus deus, vt obliuiscatur operis vestri & dilectionis, quae ostenditis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis & ministratis. Et ad suadendum omnibus & sanctis, & peccatoribus impartiendam esse eleemosynam, adducit illud Pauli ad Galatas, Facite bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. Sed nescio (inquit) vnde hoc introductum est, & vnde ista consuetudo obtinuit: qui autem solos monachos quaerit, & illis solum benefacere vult, etiam ipsos scrutatur, dicens: Si est dignus, si est iustus, nisi fecerit signa, non porrigo manum. Maximam partem eleemosynae amputauit, & hoc ipsum tempore procedente iterum amputaturus est, cum eleemosyna illa est quae in peccatores fit, quae in obnoxios. Eleemosyna enim haec est, non in eos qui iam perfecti sunt, sed adhuc delinquentes misereri. Et vt discas, aduerte parabolam, Descendit quis (inquit) de Hierosolymis in Hiericho, & incidit in latrones, & cadentes eum, reliquerunt iuxta viam semiuuium. Venit quidam Leuita: & videns eum, pertraxit. Venit quidam sacerdos, & videns eum, percurrit. Venit quidam Samaritanus, & multam eius curam fecit. ligauit vulnera eius, infudit oleum, imposuit in iumentum suum, perduxit eum ad diuerforium suum, dixitque stabulario, adhibe illi curam. Et intueri abundantiam honoris plurimam, & ego tibi dabo (inquit) quicquid erogaueris. Quis ergo est proximus huius? Inquit, Qui fecit misericordiam. Procede ergo (inquit) & tu fac similiter. Et intueri qualem dixit parabolam. Non dixit, quia Iudaeus in Samaritam fecit, sed quia Samarita honorificentiam illam totam ostendit. Haec igitur audientes, non solum fidei domesticorum curam geramus, ceteros vero negligamus. Si igitur (inquit) & tu videas quenquam male pati, nihil iam scrutaris, habet ius adiutorij quod male patitur. Si enim videas a sinu praefocari, cōsurgis, & non scrutaris cuius sit, multo magis hominem non oportet scrutari cuius sit, dei quippe est, siue Paganus sit, siue Iudaeus, sed adiutorio indiget. Si quidem discutere & iudicare praecipue esset, bene ista diceret, nunc autem calamitas illius non te permittit haec discutere. Si enim nec de sanis nos scrutari oportet, neque aliorum causas inquirere, multo amplius eos qui male patiuntur. ¶ Rursus sciscitaberis, an ex superfluis rebus vel necessarijs, danda sit eleemosyna. Et videtur quod pauperi succurrere debeamus ex superfluis. Nam in Euangelio Lucae dicit dominus: Veruntamen quod superest, date eleemosynam. Pauperula tamen illa vidua, quam Christus in Euangelio maximopere commendat, non misit in Gazophylacium domini munera ex abundantia suorum opum, quod

Matth. 5.

Ibidem

Ibidem.

Matth. 6.

Chrysostomus
Heb. 6.

Galat. 6.

Lucæ 10.

Lucæ 21.

Lucæ 11.

BB. iij.

Heb. 12.

tamen ceteri faciebant, sed ex eo quod sibi deerat, & omnem victum suum quem habuit, misit. ¶ Hanc quaestionem dissoluit Chrysostomus, homilia 28. in epistolam Pauli ad Hebraeos, locum illum edisserens, Recogitate enim cum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini animis vestris deficientes. At si (inquit) parua ex plurimis dederint, integrum opus se existimant perfecisse, sed non est hæc eleemosyna. Eleemosyna enim illa est, qualis fuit illius viduae, quæ totam vitam suam euacuauit. Si autem non poteris tantum dare quantum illa vidua dedit, saltem quod tibi superabundat, non dubites impartire. Habeto sufficietiam, quid tibi superuacaneis opus est? sed nullus est qui vel illud quod superabundat offerre velit. Donec enim habes seruos plurimos, & vestimenta serica, cuncta hæc cognosce superflua, necessarium horum nihil est, vel quibus vsus indigeat, vel sine quibus viuere nõ valeas. Hæc ergo superflua esse cognosce, & omnia quæ exterius adiacent nobis, & sine quibus viuere possumus, superflua esse certum est. Verum vt plene dissoluatur ambiguitas illa, adnotabimus bifariam aliquid esse superfluum, quantum scilicet ad statum, & ad vitam transigendam. Similiter duobus modis quidpiam dici necessarium. Statui scilicet hominis & eiusdem ornamento, & vitæ transigendæ. De superfluis utroque modo data est eleemosyna, nõ autem de eo quod simpliciter est vitæ necessarium, sine quo scilicet nullo modo viuere possemus. De necessario autem statui potest fieri eleemosyna. Nam illud est vitæ superfluum, & parum conducit virtuti, & morum honestati: conducibilius tibi esset paucioribus stipari famulis, quam multis abundando viscera misericordiæ famelicis ocludere. Vnde dicit Chrysostomus in eadem homilia, Sicut mundinatores pecorum vel sicut caupones vanalium seruorum, ita magnum hoc putatis, cum seruis plurimis ambulare. Typhus est istud, & vana gloria.

CAPVT XVI.

Esa. 58.
Augustinus

Heleemosynæ præceptum, omnes obstringit & diuites & pauperrimos. ¶ Hanc de promptissimè assertionem ex Augustino, Sermone 62. de Tempore, qui ex illo Esaia loco, Frange esurienti panem tuum, asserit dominum ita admonuisse eleemosynam fieri, vt propè nullus pauper sit, qui se valeat excusare. Sic enim ait: Hoc est ieiunium quod elegi, dicit dominus, Frange esurienti panem tuum, non dixit vt integrum daret, cum forte pauper ille alium non haberet, sed frange inquit, hoc est dicere: Etiam si tanta paupertas tibi est, vt non habeas nisi vnum panem, ex ipso tamen frange & pauperi tribue, & egenum (inquit) ac sine tecto, induc in domum tuam. Si aliquis ita pauper est, vt non habeat vnde tribuat pauperi cibum, vel in vno angulo domus suæ peregrino præparet lectulum. Quid nos ad hæc dicturi sumus fratres, vel quam excusationem habere poterimus, qui amplas & spaciosas domos habentes, vix aliquando dignamur excipere peregrinum: ignorantem, imò non credentes quòd in omnibus peregrinis Christus excipitur, sicut ipse dixit: Hospes fui, & suscepistis me: & quandiu vni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis. Laboriosum & fastidiosum nobis est in pauperibus recipere Christum in patriam nostram, timeo ne nobis ille vicem reddat in cælo, & non nos recipiat in beatitudinem suam. Contemnimus illum in mundo, timeo ne nos ille iterum contemnat in cælo, secundum illud quod ipse dixit, Esuriui, & non dedistis mihi manducare. Hospes fui, & non recepistis me. Et quandiu non fecistis vni ex minimis istis, nec mihi fecistis. Et quod post hæc fratres sequitur, auertat deus à nobis. Hoc enim postea addidit, dicens: Discedit à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Fauet & huic assertioni Hieronymus eundem Esaia loco enarrans, Non plures (inquit) panes dixit dominus, ne de paupertate causeris, sed vnum panem: nec ipsum totum, sed partem panis, quam si non ieiunares, comesturus eras, vt ieiunium tuum non sit lucrum marisupij, sed saturitas animæ. Pulchrèque addidit tuum, ne de rapi-

Matth. 25.

Hieronymus

na facias eleemosynam. Redemptio enim animæ viri, propriæ diuitiæ. Et in alio loco, Honora dominum de tuis iustis laboribus: certe si panem non habes, & esurientium plurima multitudo est, præbe de quo nullum damnum pateris, in quo nulla dispendia sunt. Pauperes absque tecto induc in domum tuam, siue vt in Hebraico habetur, in domum: vt si tuam non habes, inducas in hospitium, quod vel mercede conductum, vel beneficio possides. Hæc ille. Et ne quis vafro sibi prætenderet commento à paupertate excusationem, quòd nihil habeat quo possit alterius inopiam subleuare, dixit Christus: Quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Hæc edisserens Hieronymus, dicit: Poterat & alius causari & dicere, Paupertate prohibeor, tenuitas me retinet, vt hospitalis esse non possim. Et hanc excusationem lenissimo præcepto diluit, vt calicem aquæ frigidæ toto animo porrigamus. Frigidæ (inquit) aquæ, non calidæ, ne & in calida paupertatis ex penuria lignorum occasio quaereretur. Tale quid & Apostolus ad Galatas præcepit, Communice autem is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat in omnibus bonis. Et discipulos ad magistrorum refrigeria cohortatur, quia poterat quilibet obtendere paupertatem & præceptum eludere, priusquam ille proponat, imminem soluit quaestionem, dicens: Nolite errare, deus non irridetur: quæ enim seminauerit homo, hæc & metet. Et est sensus, Frustra causaris inopiam, cum aliud habeat conscientia tua: ne putes fallere cohortantem, sed scito quòd quantumcunque seminaueris, tantum & messurus sis. Astipulatur & huic opinioni Chrysostomus, Sermone quodam de eleemosyna & collatione in sanctos, in quo docet neminem etiam lucri expertem ab officio pauperibus præstando excusandum esse. Neque (inquit) collationi huic obstat inopia, quantumcunque enim pauper sis, non es pauperior vidua illa quæ omnem substantiam expendit: quantumcunque mendicus sis, non eris pauperior Sidonia muliere quæ pugillum farinæ tantum habens, sollicita erat quomodo prophetam digne exciperet, tamen si videret circumstantes pueros, & famem urgentem, neque aliud quicquam haberet repositum. ¶ Verum dicit quispiam, Iubet Christus eleemosynam dari ex superfluis. nam in Euangelio Luca dicit, Verumtamen quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia sunt munda vobis, cum igitur pauper superfluis bonis careat, videtur quòd non astringitur ad dandum eleemosynam. Sed quis non diceret non nihil pauperi superesse, cum suum panem in alimoniam pauperioris frangere potest? aut porrigere sitienti poculum aquæ frigidæ? aut peregrinum suo excipere tuguriolo & tenuissima casula, aut iniuriam sibi illatam remittere? quòd si futili & admodum ridicula suppositione decertaueris, supponendo scilicet quòd medietas diuulsi panis & dissecti non possit tuam sedare famem, sed opus sit integro pane, an putas modicæ fidei deum tuam agnoscentem erga pauperem beneuolentiam & gratiam finire vt fame pereas, & ex beneficio indigenti collato danum & iacturam reportes? Audi quod dicit Paulus, Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad edendum præstabit. Et multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ, vt in omnibus locupletati, abundetis in omnem simplicitatē, quæ operatur per nos gratiarum actionem deo: quòd si minus possis opere, satis erit tuæ voluntatis promptitudo. Si enim (inquit Paulus) voluntas prompta est, secundum id quod habet accepta est, non secundum id quod non habet: nõ enim vt alijs sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate. Et hunc excutiens locum Cyprianus libro tertio ad Quirinum, dicit in Opere & Eleemosynis, etiam si per mediocritatem minus fiat, ipsam voluntatem satis esse. Huic blâditur sententiæ Lyranus, loquens in Matthæo de mercede quam quispiam adepturus est, quòd sitienti potum aquæ frigidæ suppeditauerit. In his (inquit) quæ dantur propter Christum, non tantum pensatur quantitas doni, quatum pensatur quantitas bonæ voluntatis ex qua datur.

Prouerb. 13.
Prouerb. 3.

Matth. 25.

Gala. 6.

Chrysosto.

Luca 21.

3. Reg. 17.

Luca 11.

2. Corint. 9.

1. Corint. 8.

Cyprianus.

Lyranus.

Episcope apostolorum successores, presbyteris sunt praferendi, quos oportet esse doctores legis dei. Priore huiusce assertionis partem facit tutantur doctores. Imprimis Augustinus edisserens illum Psalographi locum, Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, dicit: Quid est pro patribus tuis nati sunt tibi filij? Patres missi sunt apostoli, pro apostolis filij nati sunt tibi, constituti sunt episcopi. Hodie enim episcopi qui sunt per totum mundum, vnde nati sunt? Ipsa Ecclesia patres illos appellat, ipsa illos genuit, & ipsa illos constituit in sedibus patrum. Non ergo te putes desertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos per quos nata es: de prole tua tibi creuit paternitas, pro patribus tuis nati sunt tibi filij. & subdit Psalmus, Constitues eos principes super omnem terram. In quo maxima episcoporum autoritas & sublimis potestas agnoscitur. Et haec Augustini doctrina approbatur ab Urbano papa, distinctione 68, capite Quorum vices. Suffragatur & huic sententiae Hieronymus epistola ad Marcellam aduersus Montanum, vbi dicit: Apud nos apostolorum locum episcopi tenent, apud eos episcopus tertius est. Et epistola Euagrio, asserit omnes episcopos esse apostolorum successores. Secundam partem suadeo, Episcopi insignem habent confirmandi & ordinandi potestatem, quam non habent presbyteri & simplices sacerdotes. si enim episcopi Apostolis successerint, & soli apostoli confirmabant, perspicuum erit sacramentum confirmationis non posse ab alijs quam ab episcopis conferri. Acta apostolorum manifeste indicant solos apostolos confirmasse, & manum admouisse his qui receperunt spiritum sanctum. Cum enim apostoli qui erant Hierosolymis audissent, quia Samaria recepisset verbum dei per praedicationem Philippi diaconi, miserunt ad eos Petrum & Ioannem, qui cum venissent, orauerunt pro ipsis, vt acciperent spiritum sanctum. Paulus etiam cum discipulos quosdam solo Ioannis baptismo baptizatos reperisset, illos vero in nomine Iesu baptizauit. Quo facto imposuit illis manus, & venit spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant. Nec pigebit nos haec Romanorum pontificum censuris comprobare. Damasus enim papa in epistola de Coepiscopis, sic ait: Quod autem solis apostolis, eorumque successoribus proprii sit officij tradere spiritum sanctum, liber Actorum apostolorum docet, praesertim cum nullus ex septuaginta discipulis quorum isti (de presbyteris loquitur) in Ecclesia vices gerunt, legatur donum sancti spiritus per manus impositionem tradidisse. Idem pertractans negotium Innocentius papa huius nominis primus, in epistola ad Decentium Egubinum episcopum, capite 3. sic ait: De consignantibus vero infantibus manifestum est ab alio fieri, quam ab episcopo non licere. Nam presbyteri licet sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent. Haec autem pontificibus solis debent, vt vel consignent, vel spiritum paraclitum tradant, non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum illa lectio Actorum apostolorum, quae asserit Petrum & Ioannem esse directos, qui iam baptizatis traderent spiritum. Nam presbyteris seu extra episcopum, seu praesente episcopo, cum baptizant, chrismate baptizatos vngere licet, sed quod ab episcopo fuerit consecratum: non tamen fructum ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis, cum tradunt spiritum paraclitum. Haec Innocentius. Assentitur & huic assertioni Augustinus epistola Hieronymo de Petro a Paulo reprehenso, dicens episcopatum esse presbyterio maiorem. Et libro vno de haeresibus Ad quod vult deum, reprehendit Aerium presbyterum falso opinantem episcopum nihilo differre a presbytero. Sic enim loquitur: Aeriani ab Aerio quodam sunt nominati, qui cum esset presbyter, doluisse fertur quod episcopus non potuit ordinari, & in Arrianorum haeresim lapsus, propria quoque dogmata addidisse nonnulla, dicens orare vel offerre pro mortuis oblationem non oportere, nec statuta soleniter celebranda esse ieiunia, sed cum quisque voluerit ieiunandum, ne videatur esse sub lege. Dicebat etiam presbyterum ab episcopo nulla differentia debe-

Psal. 44.
Augustinus.Urbanus papa.
Hieronymus

Acto. 8.

Acto. 19.

Damasus papa.

Innocentius

Augustinus

rediscerni. Quod autem episcopi sint etiam presbyteris superiores potestate ordinandi, facile ex Paulo suadebimus dicente ad Titum: Huius rei gratia reliqui te Cretae, vt ea quae desunt, corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Titus igitur episcopus ordinabat presbyteros, presbyteri vero non ordinant neque constituunt episcopos. fatetur & idem Paulus se ordinasse Timotheum, aut saltem colligimus, & ita esse ex epistola prima ad Timotheum intelligimus: Noli, inquit, negligere gratiam quae in te est per prophetiam cum impositione manuum presbyterij, scilicet senioris aut episcopi, vt quibusdam placet. Adde quod Dionysius collocat episcopum super sacerdotem, & sacerdotem super diaconum, nec deest nobis ad id facilius persuadendum ratio. Ea quae sunt in noua lege, in veteris instrumenti institutis adumbrata sunt & praefigurata. Sed in veteri lege episcopus siue summus sacerdos, diuina ordinatione consecratur etiam insigni & speciali consecratione, ad obeundum munus omnium excellentissimum, quod simplex sacerdos obire non poterat. Caput enim solius summi sacerdotis, qui solus sancta sanctorum ingrediebatur, vngebatur oleo sacrae vntionis. Ergo in noua lege, cui facile antiqua cedunt instituta, diuina sanctione caput episcopi siue summi sacerdotis consecrabitur vntione chrismatis ad speciale officium exercendum, vt scilicet alios confirmet, & sacros Ecclesiae ministros ordinet. Est etiam episcopatus, ordo ex doctrina beati Dionysij excellentior ordine simplicis sacerdotij. Insuper enormia & inaudita scelera expiatur ab episcopis, & illis referuntur abluenda, non autem simplici sacerdoti: licet clauis ordinis quantum est ex se distendantur ad absolutionem ab omni crimine respectu etiam cuiusuis peccatoris, prudenter tamen nec sine exquisita ratione ab Ecclesia effectum est, vt non quilibet sacerdos absolueret ab omni peccato, sed determinati essent certi ministri ex determinatione & censura Romani pontificis & episcoporum a quibus poenitentem absoluerentur. quod si quis absoluatur ab aliquo non determinato ministro, tenetur iterum confiteri: nec tamen Ecclesia praecipit bis confiteri de eodem peccato, quia non praecipit confiteri nisi semel, determinato scilicet ministro, a cuius praeccepto nullus absoluitur aut eximitur ex eo quod alteri voluntarie confiteretur. At consistabitur quispiam aduersus hanc Assertionem, proferendo quod dicit Hieronymus epistola Euagrio, episcopus nihil facit, excepta ordinatione quod non faciat presbyter, nec altera est Romanae vrbs Ecclesia, & altera totius orbis existimanda. Nam omnia Ecclesiae membra adorant Christum, & vnam obseruant regulam veritatis, & omnes presbyteri sunt apostolorum successores. Et enarrans illud Pauli ad Titum, Et constituas per ciuitates presbyteros, sicut ego tibi disposui, dicit: Idem est presbyter qui episcopus, & antequam diaboli instinctu, studia in religione fierent & diceretur in populis, ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephe, communi presbyterorum consilio Ecclesiae gubernabatur. Postquam vero vnusquisque eos quos baptizauerat suos putabat esse non Christi, in toto orbe decretum est, vt vnus de presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis Ecclesiae cura pertineret, & schismatum semina tolleretur. Putat aliquis non scripturatum, sed nostram esse sententiam. Episcopum & presbyterum vnum esse, & aliud aetatis, aliud esse nomen officij, relegat apostoli ad Philippenses verba dicentis, Paulus & Timotheus serui Iesu Christi, omnibus sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis cum episcopis & diaconis, gratia vobis & pax & reliqua, Philippi vna est vrbs Macedoniae, & certe in vna ciuitate plures (vt nuncupantur) episcopi esse non poterant. Sed quia eosdem episcopos illo tempore, quos & presbyteros appellabant, propterea indifferenter de episcopis quasi de presbyteris est locutus. Adhuc hoc alicui videatur ambiguum, nisi altero testimonio comprobetur. In Actibus apostolorum scriptum est, quod cum venisset apostolus Miletum, miserit Ephesum, & vocauerit presbyteros Ecclesiae eiusdem, quibus postea inter cetera sit locutus: Attendite vobis & omni regi in quo vos spiritus sanctus posuit episcopos pascere Ecclesiam domini, quam acquisiuit per sanguinem suum. Et hic diligentius obseruate quomodo vnus

Tit. i. c.

1. Timot. 4.

Dionysius.

Leuiti. 6.

Hieronymus

Timot. i.

1. Corin. i.

Philipp. i.

Acto. 20.

ciuitatis Ephesi presbyteros vocans, postea eosdem Episcopos dixerit. Si quis vult recipere eam Epistolam quae sub nomine Pauli ad Hebraeos scripta est, & ibi aequaliter inter plures Ecclesiae cura diuiditur. Siquidem ad plebem scribit, Parete principibus vestris, & subiectis estote: ipsi enim sunt qui vigilat pro animabus vestris, quasi rationem reddentes, ne suspirantes hoc faciant, siquidem hoc vtile vobis est. Et Petrus qui ex fidei firmitate nomen accepit, in Epistola sua loquitur dicens, Presbyteros ergo in vobis obsecro compresbyter, & testis Christi passionum, qui & eius gloriae quae in futuro reuelata est, socius sum, pascite eum qui in vobis est, gregem domini, non quasi cum necessitate, sed voluntarie. haec propterea, vt ostenderemus apud veteres eosdem fuisse presbyteros quos & Episcopos, paulatim vero vt diffusionum plantaria euelleretur, ad vnum, omnem sollicitudinem esse delatam. Sicut ergo presbyteri sciunt se ex Ecclesiae consuetudine, ei qui sibi praepositus fuerit esse subiectos, ita Episcopi nouerint se magis consuetudine quam dispositionis dominicae veritate, presbyteris esse maiores, & in commune debere Ecclesiam regere, imitates Moysen: qui cum haberet in potestate solus praesse populo Israel, septuaginta elegit cum quibus populum iudicaret. Haec Hieronymus. Huic quoque accedit sententia Chrysostomi in 3. caput primae Pauli Epistolae ad Timotheum, explicans quod illic dicit Paulus de diaconis, Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos &c. Postquam de Episcopis dixit, eosque formauit quidnam illos habere conueniat, a quo item abstinere necesse sit distans, omisso interim presbyterorum ordine ad Diaconos transijt: cur id quaeso? Quia scilicet inter Episcopum atque presbyterum interest ferme nihil. Quippe & presbyteris Ecclesiae cura permixta est, & quae de Episcopis dixit, ea etiam presbyteris congruunt: sola quippe ordinatione superiores illi sunt, atque hoc tantum plusquam presbyteri habere videntur. Et cum in illum Pauli locum ad Philippenses commentatur, Cum Episcopis & diaconis, dicit: Quid hoc sibi vult? Ita ne vnus ciuitatis plures erant Episcopi? Nequaquam, sed hoc titulo designat presbyteros. Tum enim temporis adhuc vocabulum erat commune, adeo vt Episcopus diceretur Diaconus, hoc est minister. Vnde in Epistola ad Timotheum dicit, Imple ministerium tuum, quum iam esset Episcopus. Nam Episcopum illum fuisse declarat, sic illi scribens, Manus cito nemini imposueris. Ac rursus: Quod datum est tibi per impositionem manuum presbyterij. Porro haudquam seniores elegerint Episcopum. Ac rursus ad Titum scribens ait: Horum gratia reliqui te in Creta, vt constituas per ciuitates presbyteros: quemadmodum & ego tibi praescripsi. Si quis sine crimine, vnus vxoris vir, de Episcopo loquitur, & his verbis mox subiicit haec, Oportet igitur Episcopum sine crimine esse, vt dei dispensatorem, non praefractum: igitur quemadmodum dixi, olim & presbyteri vocabantur Episcopi ac Diaconi, hoc est ministri Christi. Vnde nunc quoque complures Episcopi quum ad Episcopum scribunt, consensorem & comministrum appellant. Post autem proprium cuique vocabulum tributum est, vt alius dicatur presbyter, alius Episcopus. Haec ille. Hanc quoque de presbyteris, qui olim vocabantur Episcopi, opinionem sectatur Ambrosius, exponens illum Pauli locum ad Ephesios: Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas &c. vbi dicit, In Episcopo omnes ordines sunt: quia primus sacerdos est, hoc est princeps est sacerdotum, & propheta, & Euangelista, & caetera adimplenda officia Ecclesiae in ministerio fidelium. Tamen postquam omnibus locis Ecclesiae sunt constituta & officia ordinata, aliter composita res est, quam coeperat. Primum enim omnes docebat & omnes baptizabant, quibuscuque diebus vel temporibus fuisset occasio. Nec enim Philippus tempus quaesuit aut diem quo Eunuchum baptizaret, neque ieiunium interposuit. Neque Paulus & Silas tempus distulerunt quo custodem carceris baptizaret cum omnibus eius. Neque Petrus diaconos habuit aut diem quaesuit, quando Cornelium cum omni domo eius baptizauit: nec ipse, sed iussit fratribus qui cum illo ierant ad Cornelium ab Ioppe. Adhuc enim praeter septem diaconos nullus

fuerat ordinatus. Vt ergo cresceret plebs & multiplicaretur, omnibus inter initia concessum est & euangelizare, & baptizare, & scripturas in Ecclesia explanare. At vbi autem omnia loca circumplexa est Ecclesia, coenitula constituta sunt, & rectores & caetera officia in Ecclesijs sunt ordinata, vt nullus de clero auderet qui ordinatus non esset, praesumere officium quod sciret non sibi creditum vel concessum, & coepit alio ordine & prouidentia gubernari Ecclesia: quia si omnes eadem possent, irrationabile esset, & vulgaris res & vilissima videretur. Hinc ergo est, vnde nunc neque diaconi in populo praedicant, neque clerici vel laici baptizant, neque quocumque die credentes tinguntur nisi aegri. Ideo non per omnia conueniunt scripta apostoli ordinationi quae nunc in Ecclesia est, quia haec inter ipsa primordia sunt scripta. Nam & Timotheum presbyterum a se creatum Episcopum vocat, quia primi presbyteri, Episcopi appellabantur, vt recedente eo sequens ei succederet. Denique apud Aegyptum presbyteri consignant, si praesens non sit Episcopus. Sed quia coeperunt sequentes presbyteri indigni inueniri ad primatus tenendos, immutata est ratio, prospiciente Cornelio, vt non ordo sed meritum crearet Episcopum, multorum sacerdotum iudicio constitutum, ne indignus temere vsurparet, & esset multis scandalum. Haec ille. ¶ Conabimur non nostro, sed aliorum iudicio satisfacere ijs quae ex doctrina Hieronymi & Chrysostomi obiecta sunt, & breui admodum Laconismo: Arbitratus est Hieronymus suo tempore Episcopum sola ordinatione esse presbytero superiorem, itidem putauit Chrysostomus: malum tamen saniori adherere sententiae, & Ecclesiasticis sanctionibus, quam hac in re sentire cum Hieronymo & Chrysostomo, absit tamen quod illorum studijs quicquam velim impingere, per placet tamen quod dixerunt illi de nominibus presbyteri & Episcopi, quod scilicet olim idem communi nomine dicebantur presbyteri & Episcopi: debet enim Episcopi summa cum diligentia, suo superintendere gregi pascendo, ne luporum & haereticorum moribus absorbeat, vnde *ἐπινοωπῆς*, id est superintendere, vel aduigilare vt de necessarijs prouideas. Proprijs tamen nuncupationibus tandem distincti presbyteri ab Episcopis, tamen in primitiua Ecclesia vis illorum nominum non consueuerit exactissime obseruari, in hac igitur inconcussa stabimus sententia, Episcopos non solum nomine, verum etiam autoritate & iurisdictione ab ipsis presbyteris distinctos esse. ¶ Tertiam Assertionis partem doctrina Pauli comprobabimus, dicentis ad Timotheum, Oportet enim Episcopum esse irreprehensibilem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem &c. Et rursus, Amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, vt potens sit exhortari doctrina sana, & eos qui contradicunt, arguere. Huic plaudit Assertioni Hieronymus, in illi Aggae prophetae locum, Interroga sacerdotes legem, ostendens sacerdotum & Episcoporum officium esse, scire legem dei, & respondere ad quae fuerint interrogati: Si sacerdos est, inquit, sciat legem domini: si ignorat legem, ipse se arguit non esse domini sacerdotem. Sacerdotis enim est scire legem, & ad interrogationem respondere de lege. Quod quidem & in Deuteronomio legimus, vt sicubi in vrbibus Israel quaestio fuerit exorta inter sanguinem & sanguinem, inter iudicium & iudicium, lepram & lepram, contradictionem & contradictionem, eant ad sacerdotes atque leuitas, & ad pontificem qui in diebus illis fuerit constitutus, & quarant ab eo legem domini, quibus respondentibus faciant quod iubentur, quod si non fecerint, exterminentur de populo. Et nititur ad idem suadendum, illis Pauli testimonijs quibus nixi sumus, nostram stabilire Assertionem. Eiusdem est sententia Augustinus Epistola Paulino, exponens quod dicit Paulus ad Ephesios, Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem pastores & doctores, vbi dicit: Eosdem puto esse pastores & doctores, sed ideo cum Paulus praedixisset pastores, subiunxit doctores, vt intelligeret pastores, ad officium suum pertinere doctrinam: & vnum aliquid duobus nominibus amplexus est. Nec tamen oportet Episcopum solum docere, sed & discere, vt idem refert lib. 5. de baptismo aduersus Donatistas capite 26. ex Cypriano

1. Timot. 3.

Tit. 1.

Aggae 2.
Hieronymus

Deuter. 17.

Ephes. 4.

Augustinus.

Epistola ad Pompeium. Quia & ille melius docet, qui quotidie crescit & proficit dicendo meliora. Tum etiam Chrysostomus exponens illud Pauli ad Timotheum, Oportet Episcopum esse doctorem siue aptum ad docendum, dicit: Hoc quippe à subditis nequaquam exigitur, cæterum illi ante omnia adesse debet, qui huiusmodi suscepit officium. Et sermone de Anathemate, inuehitur tacite quidem in Episcopos indoctos, qui cum nihil omnino sacrarum literarum teneant, dogmata statuunt, & Anathema declarant ea quæ maxime ignorant. Præterea Hylarius differens libro 8. de Trinitate de forma constituendi Episcopi Paulo præscripta, dicit: Non statim boni atque utilis sacerdotis est, aut tatummodo innocenter agere, aut tantummodo sciēter prædicare: cum & innocens sibi tantū proficiat, nisi doctus sit: & doctus sine doctrinæ sit autoritate, nisi innocens sit: non enim apostolicus sermo probitatis honestatisque præceptis hominem tantum seculo conformat ad vitam, neque rursus per doctrinæ scientiam, scribam synagogæ instituit ad legem: sed perfectum Ecclesiæ principem perfectis maximarum virtutum bonis instruit, ut & vita eius ornatur docendo, & doctrina viuendo. Denique ipsum illum ad quē ei sermo erat Titum, istiusmodi decreto cōsummandæ religionis instruxit, In omnibus te ipsum bonorum factorum præbens exemplum, docentē cum veneratione verbum sanum, irreprensibile, ut aduersarius reueretur, nihil habens turpe aut malum de nobis dicere. Non ignorauit doctor hic gentiū & ex conscientia loquentis atque habitantis in se Christi, Ecclesiæ electus magister morbidi eloquij grassatura esse cōtagia, & aduersum sanitatem verborum fidelium, defæuituram doctrinæ pestiferæ corruptionem, quæ impiæ intelligentiæ suæ virus vsque ad ipsam sedem animæ demergēs profundo serperet malo. Ex his enim ait, quorum sermo ut cancer serpit, latēti semper subrepentique contagio sanitatem peruasæ mentis inficiens, ob quod sani sermonis in Episcopo voluit esse doctrinā, fidei conscientiam, & exhortationū scientiam, aduersum impias, & mendaces, & vesanas contradictiones, obnitentem. Hæc ille. ¶ Sed sciscitabitur quispiam, Cum non solum deceat, sed etiam oporteat Episcopum esse doctorem etiam sacrarum literarum peritissimum, si nam interdictū sit Episcopis gentiliū libros discere. Huic facile respondet quæstioni Hieronymus Epistola magno oratori Romano, quē subornauerat Rufinus, ut quæreret à Hieronymo cur libris Ecclesiasticis admisceret literas ethnicorum, & sacra prophanis cōtaminaret, cui Hieronymus dicit volens mali suspensionē sibi obiectam expiare: Nunquam hoc quæres, nisi te totum Tullius possideret, si scripturas sanctas legeres, si interpretes earū omisso Volcatio euolueres, quis enim nesciat & in Moyse, & in prophetarum voluminibus quædam assumpta de gentiliū libris? Et Salomonem philosophis Tyri & nonnulla proposuisse, & aliqua respōdisse? Vnde in exordio Prouerbiorum commonet, ut intelligamus sermones prudentiæ, versutiūque verborum, parabolas & obscurum sermonem, dicta sapientum, & ænigmata quæ proprie dialecticorum & philosophorum sunt. Sed & Paulus apostolus Epimenidis poætæ abusus versiculo est, scribens ad Titum *καὶ τὸν ἀπὸ τῆς ἀστυρίας ἀπὸ τῆς ἀστυρίας*, id est Cretēses semper mendaces, malæ bestiæ, vêtres pigri. Cuius heroici hemistichii postea Callimachus vsurpauit. Nec mirū si apud Latinos metrum nō seruet, ad verbum expressa translatio, cū Homerus eadem lingua versus in profam vix cohæreat. Deinde ostendit quando licet Christianis sacra ethnicorum studijs interferere, non quidem ad aucupandam inanem gloriam & ingenij ostentationem, sed propter eloquij venustatem & non mediocrem vtilitatem, sic enim loquitur: Quid ergo mirum, si & ego sapientiam secularem propter eloquij venustatem, & membrorum pulchritudinem, de ancilla atque captiua Israelitidem facere cupio, & si quid in ea mortuū est, idololatriæ, voluptatis, erroris, libidinum, vel præcido vel rado, & mixtos purissimo corpori vernaculos ex ea genero domino Sabaoth? Nec tacet Cyprianus, Tertullianū, Lactantium, & Hylarium: qui ab ethnicorum fontibus hauserunt doctrinam, quam suis libris admiscuerunt, nec ta-

men sacra prophanis cōtaminarunt. At obijcies, distin. 37. cap. Episcopus, interdicitur Episcopis etiā edicto & sanctione Concilij Carthaginensis quarti, gentiliū libros legere, & capite Sacerdotes, ex doctrina Hieronymi ad Damasum papā de filio prodigo scriptū est, Sacerdotes dei omnis Euāgelij & prophetis videmus comedias legere, amatoria buccolicorū versusum verba cantare, tenere Vergiliū in manibus, & id quod in pueris adest causa necessitatis, crimen in se facere voluptatis. Et in multis alijs capitibus idē inhietur: in capite tamē Turbat, monet Beda Clericos, ut seculares literas legant, alioqui Moyse & Daniel sapiētia & literis Aegyptiorū Chaldeoſumque non paterentur erudiri, quorum tamen superstitiones simul & delicias horrebant. Sed exprimit caput illud quo modo prohibentur legi ethnicorum disciplinæ, & etiam quo nam pacto legendæ probantur. Seculares literas quidam legunt ad voluptatem, poetarum figmentis, verborumque ornatu delectati: quidam verò ad eruditionē eas addiscunt, ut errores gentilium legendo detestentur, & vtilia quæ in eis inueniunt, ad vsum sacra eruditionis deuoti vertant: tales laudabiliter seculares literas addiscunt. Vnde beatus Gregorius quendam Episcopum non reprehendit, quia eas didicerat, sed quia contra episcopale officium pro lectione Euangelica grammaticam populo exponerebat. Dicit etiam Ambrosius super Lucam, seculares literæ legendæ sunt ne ignorentur. Scribit etiam Hieronymus super Epistolam ad Titum, Grammatica legenda est, ut per eam sacra scripturæ intelligantur. Et probat exemplo Danielis, non esse peccatum secularibus literis erudiri.

CAPVT XVIII.

Episcopo non licet sibi successore constituere. Hanc desumimus Assertionem ex eo quod habetur 8. quæstione prima, capite Episcopo, & hoc quidem sancitum est in Antiocheno Concilio, & hoc sanctio illa continet, Episcopo nō liceat pro se alterum successorem sibi constituere, licet ad exitum vitæ perueniat. Quod si tale aliquid factum fuerit, irritum sit huiusmodi constitutum. Seruetur autē ius Ecclesiasticum, id continens non aliter oportere fieri, nisi cum synodo & iudicio Episcoporum, & electione clericorum, qui post obitum quiescentis potestatem habent eum qui dignus extiterit, eligere & promouere. Idem ex concilio Martini papæ colligi potest, Episcopo non liceat ante finem vitæ alium in loco suo constituere successorem. Si quis autem hoc vsurpare tentauerit, talis constitutio irrita erit. non ergo aliter fieri oportet, nisi cū concilio & iudicio Episcoporum, qui post exitum prædecessoris potestatem habent dignum eligere. Adde quod in capite Moyse, dicitur ex sententia Hieronymi ad Titum, capite 1. Moyse amicus dei, cui facie ad faciem locutus est deus, potuit utique successores principatus filios suos facere, & posteris propriam relinquere dignitatem, sed extraneus de alia tribu eligitur Iesus id est Iosue, ut sciremus principatum in populos, non sanguini deferendum esse, sed vitæ. At nunc cernimus plurimos hanc rem beneficium facere, ut non quærant eos in Ecclesia columnas exigere, quos plus cognoscant Ecclesiæ prodesse, sed quos vel ipsi amant, vel quorū sunt obsequijs deliniti, vel pro quibus maiorū quispiam rogauerit, & ut deteriora taceā, qui ut clerici fierent, muneribus impetrarunt. Et in eodē loco destomachatur in eos qui de Episcopatu insolēter intumescunt. Illud (inquit) inferendū est aduersus eos, qui de Episcopatu intumescūt, & putant se nō dispensationem Christi, sed imperiū consecutos, quia non statim omnibus his meliores sunt, quicunq; Episcopi non fuerint ordinati, & ex eo quod Episcopi electi sunt, ipsi se magis existimēt comprobatos, sed intelligant propter ea quosdam à sacerdotio remotos, quia eos vitia liberorum impediunt. Si autem peccata filiorum iustum ab episcopatu prohibent, quāto magis se vnusquisque cōsiderans & sciens quia potentes potenter tormenta patientur, retrahit se ab hoc, non tam honore quā onere & aliorum locum qui magis digni sunt, non ambit occupare? Hæc ille. Quod si Episcopus non sit Ecclesiasticorum bonorum dominus, sed dispensator, & vix sibi liceat primarias honorū par-

Distin. 37.

Gregorius

Ambrosius

8. quæst. 1.

Hieronymus

Augustinus. res appetere, quid igitur intentabit sibi successorem constituere? Toto siquidem excipiedum est ingenio, quod dicit Augustinus de moderamine & praefectura eorum qui pontificiam & episcopalem dignitatem appetunt, libro 19. de Ciuitate dei, capite 19. Locus superior sine quo regi populus non potest, et si ita teneatur atque administraretur ut decet, tamen indecenter appetitur. & licet in vniuersum loquatur, eius tamen verba exacto peritorum iudicio Episcopis accommodantur, non nihil tamen interpretationis illis addam: Indecenter quidem appetitur, spectando solum altitudinem gradus & honorem quo caecutiunt penè omnes qui summos honores venantur: si tamen consideremus insigne episcoporum munus & diuinam officium, inficiari nobis nò licebit, quin possit vir sanctus & eruditus appetere Episcopatum. qui enim (authore Paulo) episcopatū desiderat, bonum opus desiderat. Sed ad pristinum regrediamur institutum, & tractemus an Episcopus possit sibi successorem deligere. Caput adductae causae, Si Petrus, videtur subindicare Petrum constituisse Clementem sibi successorem, saltem elegisse: sic enim scribit Ioannes tertius, Episcopis Germaniae & Galliae: Si Petrus princeps apostolorum adiutores sibi asciuit Linum & Cletum, non tamen potestatem Pontificij, aut soluendi aut ligandi normam eis tradidit, sed successori suo Clementi, qui sedem apostolicam post eum, & potestatem pontificalem tradente sibi beato Petro tenere promeruit: Linus verò & Cletus, ministrabat exteriora: princeps autem apostolorum Petrus verbo & orationi instabat. Clemens tamen non existimans se esse satis idoneum ad tam sublimem praefecturam gerendam, quanuis esset admodum idoneus, munus illud non acceptauit, sed fuit electus Linus, cui successit Cletus, deinde Clemens. aut dici potest Petrum spiritu sancto afflatum id fecisse: & quia illud fuit speciale, ideo (vt fertur) non est ad consequentiam pertrahendum. Ideo Clemens renuntiavit illi dignitati & papatui, videns id posse posteris perniciosum adferre exemplum. Ioanes à Turre cremata vir sanè doctus, assignat rationem, Quare Episcopus non potest sibi successorem constituere, quia Episcopus, aut summus Pontifex, non est dominus rerum Ecclesiasticarum, sed minister: idcirco non potest iure hereditario relinquere alteri Ecclesiam. Cum autem dicitur quòd Zacharias papa cōcessit Maguntino vt eligeret successorem: aut illud fuit speciale, aut non elegit sibi successorem, neque papa id muneris illi contulit, sed bene permisit, vt assumeret sibi coadiutorem, qui post eius obitum posset eligi. Et cum Petrus Antiochiae constituit Ignatium Episcopum, Distinctione vigesima secunda, non tam constituit quam nominauit, & decreuit propter morum probitatem talem eligendum. Fuit & speciale quòd Valerius elegerit Augustinum successorem. Nec simile est de Christo qui instituit Petrum sibi successorem, & de Romano pontifice & Episcopis: quia Christus est dominus Ecclesiae, non autem Episcopi, sed ministri: possunt tamen virum & literis & moribus conspicuum nominare, vt eum Ecclesia habeat commendatissimum.

CAPVT XIX.

10. quaest. 2. **R**episcopo non licet res Ecclesiae distrahere aut alienare.] Hæc Assertio suū habet robur ex Concilio Agathensi, 10. quaestione 2. capite Casellas. Hoc enim statutū illic praescribitur, Casellas vel mancipiola Ecclesiae Episcopi (sicut prisca sanctorum Canonū praecipit auctoritas) vel vasa monasterij quasi cōmendata fideli praeposito, integro Ecclesiae iure possideant, id est, vt Episcopi neque vendere neque per quoscunque contractus, res vnde pauperes viuunt, alienare praesumant. Et ex concilio Martini papae in eadem quaestione, capite Episcopus, dicitur: Episcopus habeat potestatem in rebus Ecclesiae, vt dispenseret necessitatem habentibus cum omni reuerentia & timore dei, participare eum etiam oportet, quae necessaria sunt: si tamen ipse aut qui cum eo sunt fratres indigerint aliquo, vt necessitatem nullo modo patiantur, secundum apostolum sanctum dicentem: Victu tantum & tegumento his contenti simus. Si autem res Ecclesiasticas Episcopus in suam propriam voluntatem vsurpare voluerit, aut fratri-

1. Timot. 6.

bus vel filijs vel quibuscūque propinquis suis dederit potestatem, vt per eos latenter laedantur res Ecclesiasticae, hūc oportet obnoxium esse Concilio. Sin autem Episcopus, vel qui cum eo sunt presbyteri aut Diaconi accusentur, quia ea quae vel ex reddito vel ex quolibet actu Ecclesiae obueniunt, in suos vsus colligunt, & pauperes fraudant, & fame conficiunt, hoc quidem corripi oportet secundum quòd ordinatum fuerit à sancto Concilio. Si vero contra hanc prohibitionem, aliquid de rebus Ecclesiae Episcopum vendere contigerit, & res ipsa Ecclesiae restauranda est, & ipse de gradu suo deiciendus decernitur. Et in eodem Concilio scriptum est, Si quis Episcopus nulla Ecclesiasticae rationis necessitate compulsus in Clero suo, aut forte vbi presbyter non est, de rebus Ecclesiasticis praesumpserit aliquid vendere: & res ipsas Ecclesiae propriae restaurare cogatur, & in iudicio Episcoporum deiciatur auditus & conuictus, & tanquam furti aut latrocinij reus, suo priuetur honore. Hæc praetendunt Episcopum vehementer delinquere, & dignum esse non mediocri poena, qui bona pauperum expilat, & Ecclesiae thesauros, quibus pascendi sunt pauperes, in suum proprium vsus transfert. Arbitratur Hieronymus Epistola ad Pamachium super obitu Paulinae vxoris, partem sacrilegij esse, rem pauperum non dare pauperibus: & Epistola ad Nepotianum dicit gloriam Episcopi esse, pauperum opibus prouidere: Ignominiam vero sacerdotum, proprijs studere diuitijs. Et in primum caput Epistolae Pauli ad Titum, dicit Episcopum qui imitator Pauli esse cupit, habentem victum & vestitum, his tantum debere esse contentum: quòd si quid opulentiae habeat praeter victum & vestitum, sit hospitalis. Nec dissentit à Hieronymo Chrysostomus concione secunda de Lazaro, tametsi in vniuersum loquatur, eius tamen verba non absurde accommodabuntur Episcopis. Quòd si is, inquit, qui sua non impartit, accusatorem habet eum cui negauit misericordiam, qui aliena quoque rapuerit, quam veniam consequetur, vndique ipsum circumstantibus quos affecit iniuria? Non enim illic opus erit testibus, neque accusatoribus, neque probationibus, neque signis: verum ipsa per se res tales, quales eas gessimus, ante oculos nostros apparebunt. Ecce enim, inquit, homo, & opera eius. Si quidem & hoc rapina est, non impartiri de tuis facultatibus: Ac fortassis vobis mirum videtur esse quòd dico: verum ne miremini, testimonium enim vobis è diuinis scripturis proferam dicens, quòd non solū rapere aliena, verū etiam tua nò impartire ceteris, & rapina sit, & fraudatio, & spoliatio. itaque dominus Iudaeos accusans per prophetam dicit, Produxit terra prouetum suum, & non intulit decimas, sed rapina pauperis est in domibus vestris. Quoniam, inquit, oblationes solitas nò dedistis, rapuistis ea quae sunt pauperis. Adde quòd Augustinus Sermone 21. ad fratres in Eremo, dicit Episcopum non debere habere temporalia ad possidendum, sed solum ad dispensandum: quia bona Ecclesiarum, patrimonium pauperum sunt: sed intellige hæc de his quae communia sunt Episcopo, pauperibus, ministris Ecclesiasticis, & fabricae: Hæc enim prudenti consilio & prouidentissima administratione dispensanda sunt & distribuenda. quòd si huiusmodi bona helluetur, & in suam massam conuertat, arguendus est sacrilegij. Consulere & Hieronymus Episcopo, vt suum patrimonium impartiret pauperibus, vbi honeste ex prouentu & fructibus Ecclesiae viuere posset: nulli tamen facit iniuriam, si suo vtatur patrimonio, quo potest vnà cum redditibus Ecclesiasticis infirmiora Christi membra & pascere & operire, nec quisquam negat quin sua quotta tanquam bono peculiari, vt possit, quam si prodegerit, peccat, non tamen obnoxius est restitutioni. Sed plus satis de hoc negotio, & ad institutum nostrae Assertionis reuertendo dicimus, quòd licet communiter res Ecclesiae ab Episcopo alienari non possint, tamen pro communi vtilitate distrahi possunt ad tempus, in casibus quidè in Canone cōcessis, vt in eadem quaestione dicitur, Si necessitas virgeat & debitum, possunt vèdi mobilia bona, granum scilicet & huiusmodi, deinde vasa non consecrata, postea consecrata, non tamen remanente consecratione, vendantur locis venerabilibus. Si verò de rebus mobilibus debitum solui non possit, obligetur res

Hieronymus

Chrysostomus

Esa. 3.

Augustinus

immobilis pignori. Potest & Ecclesia alienare praedium inutile propter onus fiscalium: res etiam Ecclesiae alienari possunt propter pauperum alimoniam, captiuorum redemptionem, & aedificationem Ecclesiarum, ut dicit Ambrosius in suis Officijs, & habetur 12. quaestione 2. capite Aurum. Possunt & nunci Ecclesiae distrahi pro ampliandis coemeterijs & sepultura mortuorum. Et ad hunc scopum ratione inflecte, si maius nascatur commodum quam detrimentum ex huiusmodi alienatione & distractis bonis, licite possunt distrahi, alioqui non, nisi addideris vbi detrimentum non excederet utilitatem, sed vtrinque paritas pensaretur. Et ratio quare communiter non debent res Ecclesiae distrahi, est ut Ecclesiastica seruetur immunitas.

CAPVT XX.

Gregorius

Excommunicationis absolutio vi extorta rejicitur. Hanc colligo Assertionem ex capite Absolutionis, de ijs quae vi metusve causa sunt. Sic enim scriptum est, Absolutionis beneficium ab excommunicationis sententia, vel quacunque reuocationem ipsius aut suspensionis, seu etiam interdicti, per vim vel metum extorta, praesentis constitutionis auctoritate omnino viribus vacuum. Ne autem sine vindicta violentiae crescat audacia, eos qui absolutionem seu reuocationem huiusmodi vi vel metu extorserint, excommunicationis sententiae decernimus subiacere. ¶ At dicit aliquis, si te vrgerem & compellerem, ut mihi venderes vnum librum, vere essem dominus illius libri, ergo etiam excommunicationis absolutio vi extorta erit valida. respondet illic Glossa, in quibus non requiritur spontaneus consensus, metu extorta tenent: in quibus vero mere liber & spontaneus consensus requiritur, metu & vi extorta non tenent. Nam matrimonium coactum, est inualidum, & licet voluntas coacta sit voluntas, tamen ad contrahendum matrimonium requiritur consensus spontaneus: & quavis te compulerim aut verbis excitauerim ad vendendum tuum librum aut quicquam aliud, si tamen quouis modo consenseris, & tui libri dominium in me transtuleris, vere sum illius rei dominus. Ad excommunicandum vero, & ab excommunicatione absoluum, requiritur potestas iurisdictionis libera, idcirco talis absolutio coacta, non est simpliciter absolutio. Sed paratur obiectio, inuitus potest absolui, igitur inuitus potest absolui. Haec tamen consequutio non est iusta. Sicut enim contra suam voluntatem fuit excommunicatus, ita contra suam voluntatem potest absolui, saltem vbi excommunicatio est ab homine, & iusta, non autem quae est a iure: quia sicut voluntarie fecit, quodammodo ex iure debet voluntarie absolui: opus est tamen potestate iurisdictionis voluntaria, ut is qui huic officio praestit, eum possit absolui. Nec iudex excommunicat, neque ab excommunicatione absoluit, nisi intendat. ¶ Alterum decertabis, si talis absolutio non esset valida, sed extorquens esset excommunicatus, fieri posset ut excommunicatus posset iterum excommunicari, quod tamen videtur falsum, quia per primam excommunicationem exulat ab Ecclesia: quod si fuerit a foribus Ecclesiae exclusus, quomodo rursus poterit excommunicari? Haec facile diluetur obiectio, non pugnant haec duo, excommunicatus est Socrates, & tamen rursus excommunicatur: includit enim excommunicatio duplicem effectum. Primus est, quod ponit excommunicatum extra Ecclesiam. Secundus, ut teneat excommunicatum extra Ecclesiam, & suis vinculis eum coerceat: & hic effectus secundae excommunicationis respondet: si tamen iudex nolet eum absolui, & ea laboraret pertinacia, ut exclusum & eiectum ab Ecclesia despiceret, extorquens ab illo excommunicationem aut vi aut metu, mereretur absolui: nec debuit excommunicari, nisi propter contumaciam, ipso quidem facto. nam iure haeretici & incendiarij & qui manum violentam iniiciunt in clericum, excommunicantur, etiam si desit vitij pertinacia & contumacia. Nos siquidem docet Euangelium excommunicandi formam, vbi Christus ita loquitur: Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne ver-

Mat. 18.

bum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiae. si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. & eo sine excommunicatur aliquis, ut cum exulat ab Ecclesia, luat poenam suae rebellionis, & contumaciae, & discat a suo scelere resipiscendo, quam graue sit & permolestum resistere Ecclesiae & praelatis Ecclesiasticis, quam denique sit utile & deo gratum sanctissimis Ecclesiae classicis obedire. & illud suauissimum Christi praescriptum, plane indicat nos non debere in fratrem corrigendum desauire, sed data est nobis opera, ut simus primum faciles & benigni, nec occultum crimine accusemus, aut palam puniamus, sed seorsim, ac modestis & compositis verbis alluciendo ad nos delinquentem, illi facile mostremus semitam, qua ad fontem resipiscendae contendet, quod pulchre docet Hieronymus enarrans illam Christi legem: Corripiendus est, inquit, frater seorsim, ne si semel pudore ac verecundiam amiserit, remaneat in peccato. Et si quidem audierit, lucrificamus animam eius, & per alterius salutem, nobis quoque acquiratur salus. Sin autem audire noluerit, adhibeatur frater: quod si nec illum audierit, adhibeatur & tertius vel corrigendi studio, vel conueniendi sub testibus. Porro si nec illos audire voluerit, tunc multis dicendum est, ut detestationi eum habeant, & qui non potuit pudore saluari, saluetur opprobrijs. Quando autem dicitur, sit tibi sicut ethnicus & publicanus, ostenditur maioris esse detestationis, qui sub nomine fidelis agit opera infidelium, quam hi qui aperte gentiles sunt. Haec ille. ¶ Adnotes excommunicationem adumbratam fuisse, quando deus eiecit Adam de paradiso voluptatis operari terram ex qua sumptus est, & propter delictum inobedientiae exulauit a paradiso, qua figurabatur Ecclesia. quod diligenter expressit Augustinus libro 11. de Genesi ad literam, capite 40. vbi dicit Adam fuisse alienatum a vita, non solum quam fuerat, si praecipuum seruasset, cum angelis accepturus, sed ab illa etiam quam ducebat in paradiso, felici quodam corporis statu, separari utique debuit a ligno vitae. Siue quod ex illo ipso subsisteret felix ille ipse status corporis, ex re visibili virtute inuisibili, siue quod in eo esset sacramentum visibile inuisibilis sapientiae, alienandus inde utique fuerat, vel iam moriturus, vel etiam tanquam excommunicatus, sicut etiam in hoc paradiso, id est Ecclesia, solent a sacramentis altaris visibilibus, homines disciplina Ecclesiastica remoueri. Haec tamen Augustinus. cuius doctrina & communi Ecclesiae censura animaduertimus, hominem excommunicatum maiori excommunicatione non solum priuari suffragijs Ecclesiae, verum etiam & sacramentis. Si tamen excommunicetur minori excommunicatione, solum a sacramentis ecclesiasticis remouebitur. Nec increpada est Ecclesiastica disciplina seueritas, quod suo gladio spiritali feriat hominem, & a sua sacra domo expellat. haec enim seueritas, misericordia & benignitate temperata est, quod erudite declarat Augustinus libro vno de Fide & operibus, capite 2. vbi dicit neminem debere commixtionem bonorum & malorum in Ecclesia sic accipere, ut disciplina seueritate, siue diligentiam soluendam omnino atque amittendam non illis edoctus literis, sed sua opinione deceptus existimet. Neque enim quia illam primi populi commixtionem Moyses dei famulus patientissime perfererat, ideo non in multos etiam gladio vindicauit. Et Phinees sacerdos, adulteros simul inuictos ferro vltore cofixit. Quod utique degradationibus & excommunicationibus significatum est esse faciendum in hoc tempore, cum in Ecclesiae disciplina, visibilis fuerat gladius cessaturus. Nec quia beatus apostolus inter falsos fratres tolerantissime cogemiscit, quosdam etiam diabolicis inuidetiae stimulis agitados, Christum tamen predicare permittit, ideo parcendum censeat illi qui uxorem patris sui habuit, quem praecipit congregata Ecclesia tradere Satanae in interitum carnis, ut spiritus saluus fiat, in die domini nostri Iesu Christi. Aut ideo ipse alios tradidit satanae, ut discerent non blasphemare, aut frustra dicit: Scripsi vobis in epistola non commisceri fornicarijs, non utique fornicarijs huius mundi, aut auaris, aut raptoribus, aut idolis seruientibus, alioquin debueratis de hoc mundo exire, nunc autem scripsi vobis non commisceri. Si quis frater nominatur, aut fornicator, aut idolis seruiciens, aut auarus, aut maledicus, aut ebrius, aut rapax; cum huiusmodi nec ci-

Hieronymus

Gene. 3.

Augustinus

Nume. 25.

1. Corint. 5.

1. Timot. 1.

1. Corint. 5.

CC. j.

bum quidem simul fumere. Quid enim mihi de ijs qui foris sunt iudicare? Nónne de ijs qui intus sunt vos iudicatis? Nā eos qui foris sunt, deus iudicabit. Auferte malum ex vobisipfis, vbi quidā quod dictum est, ex vobis ipfis, ita intelligūt, vt ex se ipso vnusquisq; auferat malum, hoc est vt ipse sit bonus. Sed quomodolibet intelligatur, siue vt seueritate Ecclesiae, mali excommunicationibus corripiatur, siue vt quisque corripiendo & corrigendo à seipso auferat malum, illud tamen quod supradictū est, non habet ambiguitatem, vbi præcepit non commiseri eis fratribus, qui in aliquo supradictō vitio nominantur, id est noti famosiq; sunt. Astipulatur & Augustino Cyprianus, libro primo Epistolarum Epistola vndecima, Ecclesiasticam commendans censuram in vitijs excommunicatione castigandis, vbi ostēdit iustitiam Ecclesiae esse mitiorē ea iustitia quam Moses exercebat. Nam in Deuteronomio scriptum est, Et homo quicumque fecerit in superbia, vt non exaudiat sacerdotem aut iudicē quicumque fuerit in diebus illis, morietur homo ille, & omnis populus cum audierit, timebit, & nō ager impie nunc, interfici, inquit, deus iussit sacerdotibus suis non obtemperantes iudicibus à se ad tempus constitutis non obediētes, & tunc quidem gladio occidebantur, quando adhuc & circūcisio carnalis manebat, nunc autem quia circūcisio spiritalis esse ad fideles seruos dei cœpit, spiritali gladio superbi & contumaces necantur, dum de Ecclesia eijciuntur. Neque enim vi uere foris possunt, cū domus dei vna sit, & nemini salus esse nisi in Ecclesia possit.

CAPVT XXI.

Excommunicatio iniusta non omnino priuat hominem suffragijs Ecclesiae, licet Episcopus iniuste excommunicatus, non possit excommunicare.] Primam Assertionis partem suadebo, si modo prius explicuero illum iniustae excommunicationis modum, de quo loquor. Est excommunicatio iniusta ex causa, id est sine peccato, & ex ordine, scilicet per falsos testes, licet non contineat manifestam & publicam iniustitiā & errorem intolerabilem, & hanc iniustitiae rationem intelligimus. Idque præterdit assertio, & innuere volumus excommunicationem iniustam non priuare hominem publicis Ecclesiae suffragijs, spectando communem Ecclesiae intētionem, & non illius ministri officium qui pro aliquo celebrat missam. Nā illi potest fieri prohibitio, ne pro tali excommunicato celebret, & hac ratione propositionem hanc stabiliemus: Cōmunia suffragia pro Ecclesiae membris communiter sunt, & prudenti ratione interpretamur communem Ecclesiae intētionem in publicis precationibus, & communibus suffragijs esse conformem diuinæ voluntati & dispensationi, secundum veritatem quidem & non secundum apparentiam & errorem hominum: sed talis iniuste excommunicatus non priuatur apud deum suffragijs Ecclesiae, quia vt supponimus, non est contumax, nec est tanquam ethnicus, nec afflictio danda est afflictio, quare nec Ecclesia huic regulæ cōformis, huiusmodi hominem publicis suffragijs priuabit, immo si velit clementiam & benignitatem Christi imitari, debet orare pro inimicis, pro maleficis, pro osoribus, vt dicit Chrysostomus Sermone de Anathemate, vt à diaboli laqueo resipiscant, quare & pro excommunicatis saltem minori, vt fertur excommunicatione, orabit. Et vnum attendamus diligenter, si lata fuerit in me sententia excommunicationis iniusta, quæ re vera est nulla, licet sit timenda, quando non est omnibus nota talis, & non possum aliter tueri meam innocentiam, cuitato scandalo possum interesse secreto quidem, sacris officijs, & etiam celebrare missam, & eadem ratione qui nouerunt me esse virum bonū & innocentē, quauis sciant me esse excommunicatum, possunt mihi seruire in missa, & etiam participare in diuinis, in loco quidem priuato, nec hoc factō Ecclesiam contēnimus, satis enim est excommunicationis sententiam, in publico demandatam fuisse executioni. Nec talis excommunicatio est simpliciter excommunicatio, sed solum secundum quid, in foro scilicet iudiciali, iniustum enim iudicium non est iudicium. Nec huiusmodi iniusta excommunicatio, fert secum effectus excommunicationis, nisi

Cyprianus.

Deuter. 17.

Chrysosto.

in foro exteriori, quia excommunicatus iniuste, secundum veritatem Ecclesiasticis suffragijs non priuatur: timēda est tamen huiusmodi excommunicatio propter culpam, quam excommunicatus incurreret, quia nolens eam tenere, cum non contineat manifestam iniustitiam, & errorem intolerabilem, peccat peccato inobediētiæ: est etiam reformidanda propter pœnam, ex quo sententia non est nulla, qui eam non seruat, ita incurrit pœnas ac si esset iusta, quod si sit iniusta quia ipso iure nulla est, non est timenda propter pœnam iuris, quia nulla est sententia, quis enim timeret sententiam iuris constitutione irritam, quando agnoscunt omnes illam esse omnino iniustam: at quando odio iudicis, aut falsa testium depositione est iniusta, nec tamen id omnibus innotuit, est timenda: tamē Ecclesia non intendit addere afflictio afflictionem, & quāuis cogatur iudicio humano, excommunicando, talem priuare sacramentis, non tamen fructu suffragiorum. ¶ Secunda Assertionis partem suadeo, Ad excommunicandum & absolvendū, requiritur potestas iurisdictionis libera, qua priuatur Episcopus iniuste excommunicatus, loquendo de illa iniustitiae ratione, de qua prius loquuti sumus: & licet habeat potestatem iurisdictionis, non tamē liberam, sed suspensam & ligatam. Potestas illa excommunicandi data est Ecclesiae & eius pastoribus, cū dixit Christus Apostolis aduersus contumaces, & illos qui habendi sunt tanquam ethnici & publicani: Quaecumque ligaueritis super terrā, erunt ligata & in cælis. Et causa 24. quæstione prima, capite Audiuius, dicitur: Excommunicatus alium excommunicare non potest. & hanc partem præsertim intelligo de excommunicato, suspensō à iurisdictione, & publicē excommunicato, nō autem occulte. quia tunc eius excommunicandi potestas vim haberet, De sententia excommunicationis & re iudicata ad reprobandum: & licet talis Episcopus in nostra hypothesis sit iniuste excommunicatus, reputatur tamen tanquam iuste excommunicatus, & ita præsumitur: ille tamen potest absolvere in foro pœnitentiæ, & excommunicare in loco priuato citra contemptū Ecclesiae, potest etiā conficere corpus Christi, quia conficere, est actus potestatis innixæ aut fundatæ super characterem sacerdotalem, qui ab homine auferri non potest, potestas autē absoluedi & ligandi requirit iurisdictionem, quæ ab homine auferri potest vel suspendi.

CAPVT XXI.

Excommunicari nō potest hæreticus post mortem, nec vxor etiam in hac vita pro scelere sui mariti.] Priorem huiusce Assertionis partem stabiliemus verbis Christi, qui exhibuit solum suis apostolis potestatem ligandi & soluendi super terram. Dixit enim Petro, quodcūque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcūque solueris super terram, erit solutum & in cælis: & cum suis apostolis in vniuersum contulit hanc potestatem, etiam ligandi in foro exteriori & soluendi, dixit: Quaecumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quaecumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo. Huic innixus auctoritati Gelasius papa, vt habetur 24. quæstione 2. capite Legatur, dixit: Ecclesia viuentes potest ligare vel soluere, non mortuos: mortuos suscitasse Christus legitimus, in errore mortuos absoluisse non legitimus: & qui hoc tantum faciendi solus habuit potestatem, beato Petro apostolo principaliter mādauit, Quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis, & quodcūque ligaueris super terram & c. Super terram, inquit. Nam in ligatione defunctum nūquam dixit esse absoluedum. Et capite Dānationis, ex sententia Leonis papæ dicitur: Dānationis sententiam quicumque meretur accipere, si in suo sensu voluerit permanere, nullus relaxare poterit. hæc probant auctoritates, quod viuentes, non mortuos soluere possumus. Tamen caput illud non omnimode nobis adblanditur. Nam cū dicimus mortuos non esse ligandos vel soluendos, id nō intelligitur de omni crimine, vt dicit Gratianus. Sunt enim quædam crimina, de quibus etiam post mortem accusari potest quilibet vel damnari, velut hæresis. Vnde in prima actione quintæ Synodi legitur, Hæretici etiā post mortem sunt excommunicandi. & hoc exprimit caput Sa. CC. ij.

Mat. 18.

Mat. 26.

Mat. 18.

Gelasius.

Leo papa.

nè, eiusdem quæstionis, & id probatur sanctorum patrum censura. Rabanus sanctæ memoriæ Episcopus factus Ediffonæ ciuitatis, qui in sacerdotibus resplicuit Theodorum Mosophenū post mortem in Ecclesia anathematizauit. cōpertum igitur nobis est ex illo capite, hæreticos & schismaticos quorum scripta hæresim cōtinent, post mortem esse excommunicādos, etiam vbi relinquunt hæreticum hæredem, & qui seipsos voluntarie occiderunt, sunt excomunicandi, 23. quæstione 5. capite Placuit. Non quia talis excomunicatio est illis pœna vel medicina, sicut plerunq; fit, vt in hac vita: sed in detestationem criminis, ad terrorē aliorum. Sed diluam obiectiones adductas, quæ solum probant mortuos posse excommunicari excommunicatione improprie dicta, scilicet denuntiatione excommunicationis: si probatum fuerit quod tales mortui sunt, & quātum ad suffragia Ecclesiæ, & sepulturam, exulant & excommunicantur, non tamen excommunicatione proprie dicta, quæ includit separationem à communione fidelium, & à sacramentis ac suffragijs, notissimum est sacramenta solum posse viuus applicari: finis etiam proprie excommunicationis est, vt excommunicatus respiscat à sua pertinacia & contumacitate: & datur vera excommunicatio, vt medicina, in capite Cum medicinalis, de sententia excommunicationis. ¶ Posteriorem Assertionis partem sic suadeo, Excommunicatio debet ferri pro contumacia & peccato mortali, ergo vbi vxor non deliquit mortaliter, marito tamen delinquente, non debet fulmine excommunicationis percuti pro scelere sui mariti. Tum etiam 24. quæstione 3. capite Quod autē, dicitur quod pro peccato alicuius, tota familia excommunicanda non est, ergo nec vxor pro peccato viri: quod si vxor excommunicaretur, & tota familia excommunicari posset. Etia capite Si habes, ex Augustino Epistola Auxilio Episcopo, dicitur quod pro peccato patris, non est filius anathematizandus, nec seruus pro peccato domini. Siquidem Augustinus senex Auxilio Episcopo iuueni scripsit, vt aut anathematis sententiam rescindat, aut doceat quibus adductus causis putet ob vnius delictū totam familiam excommunicari posse. Quod si vxor esset particeps criminis sui mariti, nō esset excommunicanda pro peccato mariti, sed pro scelere proprio: & licet interdicti posset pro peccato mariti, non tamen excommunicari. Excommunicatio enim longe maior pœna est, quā interdictio. Quod si vir impignorasset suam terram & esset debitis obligatus ipso absente à terra, & vxori data fuerit aliqua portio terræ pro victu, poterit conueniri à creditoribus mariti: quod nisi satisfecerit, poterit excomunicari: & tunc dico, quod si fuerit vxor monita, & noluerit satisfacere, si est consuetudo vt satisfaciat, poterit excommunicari pro peccato proprio. ¶ Sed contendet quispiam aduersus hanc Assertionem, pro peccato Sodomitarum paruuli eorum fuerunt cōsumpti igne. Similiter pro peccato Amalechitarum, & pro peccato Dathan & Abiron, innocentes fuerunt afflicti: videtur igitur quod vxor excommunicari possit pro scelere sui mariti. Hoc argumentum est inualidum, aliud enim est loqui de pœna corporea, & pœna spiritali excommunicationis. nunquam enim aliquis punitur pœna spiritali æterna post baptismum pro peccato alterius: bene tamen pœna corporea, cum paruuli sint aliquid patris, & id aliquando factum est, nunc apud humanum iudicium nunquam aliquis punitur pœna flagelli pro peccato alterius vt occidatur, mutiletur, vel verberetur: bene tamen pœna damni, vt patet in lepra.

24. quæst. 3.


Gene. 19.
Nume. 16.

FINIS QVINTI LIBRI.

Theosophiæ Ioannis Arborei

LAVDVNENSIS LIBER VI.

CAPVT I.



Ilij Israel manserunt in Aegypto 430. annis, & quarta generatione reuersi sunt. ¶ Priorem huiusce Assertionis partem suadeo ex eo quod scriptū est in Exodo: Habitatio autē filiorum Israel qua manserunt in Aegypto, fuit quadringentorum triginta annorum. Nec tamen arbitrari debemus ab ingressu Iacob in Aegyptum, vsque ad exitum filiorum Israel fluxisse 430. annos, & illos seruiuisse in Aegypto 400. annis sicut in Genesi dicit dominus ad Abram: Scito prænoscentis quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra nō sua, & subijcient eos seruituti, & affligent quadringentis annis. Nam vt supputat Augustinus Augustinus, tempus huiusce peregrinationis libro secūdo quæstionum super exodum, quæstione 47. Ingressus est Iacob anno filij sui tricésimo & nono, quoniā trigintā annorum erat Ioseph cū apparuit in conspectu Pharaonis, & regnare cœpit sub illo: transactis autem septem annis vbertatis secūdo anno famis, ingressus est Iacob in Aegyptū cum alijs filijs suis, ac per hoc tunc agebat Ioseph triginta & nouem annos, qui impletis vitæ suæ annis centum & decem mortuus est, vixit enim in Aegypto post ingressum ad se patris sui, septuaginta & vnum annos, quos si retraxerimus à quadringentis triginta annis, remanebunt seruitutis anni, id est post mortem Ioseph non quadringenti, sed trecenti & quinquaginta nouem anni. Quod si ex illo putabimus nos computare debere, ex quo Ioseph sub Pharaone regnare cœpit, vt tunc quodammodo intelligatur intrasse Israel in Aegyptum, quando ibi filius eius tanta potestate sublimatus est, etiam sic trecenti quinquaginta erunt, quos Tychonius Tychonius, vult accipi quadringentos, vt à toto pars intelligatur, id est à toto centenariō pars quinquagenaria: & probat hac loquendi regula solere vti scripturā. Si autem (quod aliquanto probabilius dici potest) tunc habeamus intrasse Israel in Aegyptū, quando illic Ioseph esse venditus cœpit, detracturi sumus adhuc annos tredecim, vt trecentos triginta septem annos pro quadringentis accipiamus. Sed cum scriptura commemoret Caath filium Leui auum Moyfi cum auo suo Iacob intrasse in Aegyptum, dicat autem eum vixisse annos centum triginta, filium verò eius patrem Moyfi Amram, centum triginta septem, Moyfen verò dicat octoginta annorum fuisse, cum de Aegypto populum liberauit, etiam si tunc genuisset Caath patrem Moyfi quo anno mortuus est, ille quoque Amram yltimo vitæ suæ anno genuisset Moyfen, computet annos centum triginta, & centum triginta septem & octoginta, trecentos & quadraginta septem annos faciunt, non quadringentos triginta. Proinde illa nimirum computatio quam secutus est Eusebius in historia sua Chronica, perspicua veritate subnixa est. Ab illa enim promissione computat quadringentos triginta annos, qua vocauit deus Abraham vt exiret de tētra sua in terram Chanaam, & apostolus cum Abraham laudaret & commendaret fidem, in ea promissione qua Christum vult intelligi prophetatum, id est qua promisit deus Abraham, quod benedicerentur in eo omnes tribus terræ. Hoc autem dico, inquit, quia testamentum confirmatum à deo post quadringentos & triginta annos facta lex non infirmat, ad euacuandas promissiones. Ex illa ergo promissione qua vocatus est Abraham, & credidit deo post quadringentos & triginta annos factam legem di- CC. iij.

Exo. 12.

Gene. 15.

Augustinus.

Tychonius.

Eusebius.

Gal. 3.

cit Apostolus, non ex tempore quo Iacob intrauit in Aegyptum. Et in eodem capite nititur Augustinus facere supputationem vt compleantur quadringenti triginta anni, à promissione vsque ad exitum Israel ex Aegypto, quando facta est lex in monte Sina, quæ non infirmat testamentum ad euacuandas promissiones septuagesimo & quinto anno vitæ suæ Abraham, sicut scriptura dicit, egressus est in terram Chanaam, & genuit Isaac, cum esset annorum centum: sunt itaque anni viginti quinque ex promissione vsque ad natum Isaac. His additur omnes anni vitæ suæ Isaac, id est centum octoginta, sunt ducenti quinq; tunc erat Iacob annorum centum viginti, nati sunt enim sexagenario patre gemini, ipse & Esau, post decem autem annos, intrauit Iacob in Aegyptum, cum esset annorum centum triginta, Ioseph autem cum esset triginta nouem: sunt proinde anni à promissione vsq; ad ingressum Iacob in Aegyptum ducenti quindecim: Ioseph autem ab illo tricesimo & nono anno ætatis suæ, in quo eum pater in Aegypto inuenit, vixit septuaginta & vnum annos, quia omnes ætatis eius anni centum decem fuerunt. Cum itaque ad ducentos quindecim annos accesserint septuaginta anni & vnus, sunt anni ducti octoginta sex, restant centum quadraginta quatuor, quibus intelligitur seruissè in Aegypto populus Israel post mortem Ioseph. Deinde monet quadringentos illos annos quorum meminit Genesis, non esse ad tempus seruitutis referendos, sed ad id quod dictum est, peregrinum erit semen tuum in terra non propria, quia siue in terra Chanaa siue in Aegypto, peregrinum erat illud semen, antequam hæreditatè sumerent terram ex promissione dei, quod factum est posteaquam ex Aegypto liberati sunt. Nec ab hac euariet sententia Chrysostomus homilia 37. in Genesim, vbi dicit hanc excutiendo difficultatem, Verum hic si quis addubiter quomodo quadringentis annis dicit seruire eos, quauis neque dimidium eorum fuerint ipsi in Aegypto. Et propterea non dixit quod in Aegypto futuri sint annis quadringentis, sed in terra non sua. Ita vt possint connumerari cum annis in Aegypto, & tempus patriarchæ, quo ei imperatum est, vt ex Charram egrederetur. Ab illo enim tempore, tempus annorum nobis manifestum fecit scriptura quæ dixit, quod septuaginta quinque annorum fuerit Abram, quando exiuit ex Charram. ex eo igitur tempore vsque ad exitum de Aegypto, inueniet quis numerum saluum & integrum. Adde quod Hieronymus enarrans quod dicit Paulus ad Galatas, quod post quadringentos & triginta annos facta est lex, dicit supputandos esse hoc in loco annos ab eo tempore quo dominus ad Abraham locutus est dicens, Et in semine tuo benedicentur omnes gentes, vsque ad legislatorem Moysen, vtrum quadringenti triginta sint, vel quomodo in Genesi ipsi Abraham dominus polliceatur, quod post quadringentos annos de terra seruitutis filij eius exituri sint: non enim parua res est, & à multis quaesita, nescio an ab aliquo sit inuenta. ¶ Secundam Assertionis partem suffulciam ex verbis domini ad Abraham dicentis, Tu autem ibis ad patres tuos in pace sepultus in senectute bona, generatione autem quarta reuertetur huc. Nec dum enim completæ sunt iniquitates Amorreorum vsque ad præsens tempus. Huc explicans locum Chrysostomus ita loquitur: Tunc, inquit, erit tempus, vt & illi reducantur in libertatem, & ij poenam luentes pro multitudinè peccatorum, è terra expellantur. Ambo itaque sicut tempore opportuno, & illorum instauratio, & horum excidium: nõdum enim impletæ sunt iniquitates eorum, quasi dicat aliquis, Nondum in tanto numero peccata fecerunt, vt talem ferant poenam. deus enim cum misericors sit non solum non indicit poenas peccatis grauiorès, sed & valde minores. ¶ At dicit aliquis, scribit Moyses: Quinta autem progenie ascenderunt filij Israel de terra Aegypti, quod videtur esse contrarium his quæ nunc protulimus. Hunc scrupum diluit Hieronymus Epistola Damasæ, quaestione secunda, dicens: Etenim cum videatur scriptura inter se esse contraria, vtrumque verum est, cum diuersum sit. Egressi sunt quarta generatione filij Israel de terra Aegypti. Replica genealogia Leui, Leui genuit Caath, Caath genuit Amram, Amram genuit Aaron, Aaron genuit Eleazar, Eleazar ge-

Chrysostomus

Hieronymus

Gene. 22.

Gene. 15.

nuit Finees, Caath cum patre suo Leui, ingressus est Aegyptum. Rursum, Eleazar cum patre suo Aaron egressus est de Aegypto. à Caath vsque ad Eleazar computantur generationes quattuor, licet quidam velint ab Amram vsque ad Finees, vt nos in Eleazar fecimus, peruenire. Si vero volueris disparè numerum ostendere, quomodo secundum Exodum quinta generatione egressi sunt filij Israel de terra Aegypti, tribus tibi Iudæ ordo numeretur: Iudas genuit Phares, Phares Efron, Efron genuit Aram, Aram genuit Aminadab, Aminadab genuit Naafon, Naafon genuit Salmom, Phares cum patre suo Iuda ingressus est Aegyptum. Naafon princeps tribus Iuda in deserto describitur, cuius filius Salmom terram repromissionis intrauit, computa à Phares vsq; ad Naafon, & inuenies generationes quinq; tametsi nonnulli vt in tribu Leui ostendimus, in Efron initium faciant, & ad Salmom vsque perueniant. Hæc ille.

CAPITULUM I.

Hij Israel deliquerunt petentes sibi constitui regem. Hoc affirmabo Pro-nuntiatum ex primo Regum libro, in quo scriptum est: Congregati ergo vniuersi maiores natu Israel, venerunt ad Samuelè in Rhamata. Dixeruntque ei, ecce tu senuisti, & filij tui non ambulant in vijs tuis. Constitue nobis regem vt iudicet nos, sicut & vniuersæ habent nationes. displicuitque sermo in oculis Samuelis, eo quod dixissent, da nobis regem vt iudicet nos. Dixit autem dominus ad Samuelè, audi vocem populi in omnibus quæ loquitur tibi, non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos, iuxta omnia opera sua quæ fecerunt à die qua eduxi eos de Aegypto vsque ad diem hanc. Sicut dereliquerunt me, & seruierunt dijs alienis, sic etiam faciunt tibi. Locus ille ostendit manifestissime filios Israel peccasse postulantes sibi dari regem peculiarem, contra diuinum imperium, deus enim populum Israeliticum sibi speciatim delegerat præ cæteris nationibus, quod ex Deuteronomio confirmari potest: Te elegit dominus deus tuus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt super terram. cum igitur nõ latuerit Hebræos deum voluisse illis potissimum imperare, & populum illum ad suum accedere regnum, imprudenter & temere quaesierunt à Samuele qui vocem dei resonabat & referebat, regem sibi præfici. Huic astipulatur sententia Lyranus enarrans 8. cap. 1. regum ad locum productum dicens, Voluit deus gubernatores illius populi ab ipso immediate institui, vt essent eius vicarij, & non reges nec domini, vt patet in Moysè & Iosue, & in sequentibus iudicibus quod exprestit liber iudicum. Suscitauit enim dominus talè vel talem eis iudicem, idcirco filij Israel fecerunt contra ordinationem dei, petendo sibi dari regem hominè, cum dominus ab hostilibus incurfionibus, & ab inimicorum viribus & fortitudine populum illum quadiu eius præceptis obsequutus est, protexerit. Adde quod cap. 12. eiusdem libri Regum detectus multo eorum scelus innotescit, quos poenituit Samuelis monitioni nõ acquiescisse, & hac forma illos alloquitur Samuel: Nunc ergo præsto est rex vester, quem elegistis & petistis. Ecce dedit vobis dominus regem. Si timueritis dominum & seruieritis ei, & audieritis vocem eius, & nõ exasperaueritis os domini, eritis & vos, & rex qui imperat vobis sequentes dominum deum vestrum. Si autem nõ audieritis vocem domini, sed exasperaueritis sermonem domini, erit manus domini super vos, & super patres vestros. Sed & nunc state & videte rem istam grandem, quam facturus est dominus in conspectu vestro. Nunquid nõ messis tritici est hodie? Inuocabo dominum, & dabit voces & pluias, & scietis & videbitis, quia grande malum feceritis vobis in conspectu domini, petentes super vos regem. Et clamauit Samuel ad dominum, & dedit dominus voces, & pluias in die illa. Et timuit omnis populus nimis dominum & Samuelè. Dixitque vniuersus populus ad Samuelè, Ora pro seruis tuis ad dominum deum tuum, vt non moriamur, addidimus enim vniuersis peccatis nostris malum, vt peteremus nobis regem. Dixit autem Samuel ad populum, nolite timere. Vos fecistis vniuersum malum hoc, veruntamen nolite recedere à tergo domini, sed seruite domino in omni corde vestro, & nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis, neque eruent

1. Reg. 8.

Deutero. 7.

Lyranus.

1. Reg. 12.

vos, quia vana sunt. Et non derelinquet dominus populum suum propter nomen suum magnum, quia iuravit dominus facere vos sibi populum. Absit autem à me hoc peccatum à domino ut cessem orare pro vobis, & docebo vos viam bonam & rectam. Igitur timete dominum, & seruite ei in veritate, & ex toto corde vestro. Vidistis enim magnifica quæ in vobis gesserit dominus, quod si perseueraueritis in malitia, & vos & rex vester pariter peribitis. ¶ At dicet quispiam, petere quod ex se & simpliciter bonum est, nec rectam hominis rationem offendit, non est delictum: sed petere regem vni populo imperare, ut respublica commodius defendi possit, ex se bonum est, nec rationi aduersatur: igitur non propterea deliquerunt filij Israel quod postularint sibi regem vnum præfici. Adde quod lex diuina id concessit, quod ex Deuteronomio depromere possumus. Cum ingressus fueris terram, quam dominus deus tuus dabit tibi, & possederis eam, habitauerisque in illa, & dixeris, constituam super me regem, sicut habent omnes per circuitum nationes, eum constitues quem dominus deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. ¶ Istitis ratioculis satisfacere conabor, sed vnum præmittam, ut iustus primam rationem diluere possim. Cum regnum sit optima politia, immo omnium præclarissima, qui præter filios Israel desiderabant sibi dari regem, non delinquebant: lapsi sunt tamen filij Israel, & suum peculiarem regem, Deum scilicet, offenderunt petendo curiose & temere temporaneum & mortalem regem sibi imperare, ut abunde docuimus: licet igitur bonum sit regem & quidem hominem vni præfici cõmunitati, non tamen id laudandum est, imò nec bonum est efflagitare sibi constitui regem contra diuinam ordinationem. Secundæ rationis solutio, illa regis cõstitutio in illo Deuteronomij capite præscripta, non erat propria concessio, sed potius permissio: uti repudium vxoris fuit permissum ad duritiam cordis eorum, & quemadmodum in repudio fuit præceptum, quod ij qui suam vxorem repudiarent, darent libellum repudij, ita præceptum fuit Israelitis, si pertinaciter deposcerent sibi regem præfici, ut vnum ex suis fratribus, & non ex extraneis & barbaris nationibus summum ducem sibi deligerent.

CAPVT III.

Ides licet sit donum dei, tamè non sola iustificat. Priorè huiusce Assertionis partè ex sacris literis suadebimus. Volens Paulus ostendere Ephesijs quantum beneficij acceperint à deo, quantum denique ei debeant, dicit: Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est: non ex operibus, ut ne quis gloriatur. Hunc locum enarras Hieronymus, dicit Paulum hoc innuere, gratia salui facti estis per fidem, non per opera. Et hæc ipsa fides non est ex vobis, sed ex eo qui vocauit vos. Hoc autem ideo, ne forsitan nobis cogitatio occulta subreperet, si per opera nostra saluati non sumus, certe vel per fidem saluati sumus, & alio genere nostrum est quod saluamur. Addidit itaque & dixit, fidem quoque ipsam non nostræ voluntatis esse, sed dei muneris, non quod liberum hominis tollatur arbitrium, & secundum illud Apostoli ad Romanos, non sit currentis, neque volentis, sed miserentis dei: verum quod arbitrij ipsa libertas deum habeat autorem; & ad illius beneficium cuncta referantur, cum etiam bonum nos vellet ipse permiserit. Hoc autem totum propterea, ne quis gloriatur à semetipso, & non à deo se esse saluatum: & reddidit rationem quare gratia saluati sumus per fidem, & non ex nobis, sed ex munere dei, dicens, Ipsius enim factura sumus, hoc est, quod viuimus, quod spiramus, quod intelligimus & credere possumus, ipsius est, quia ipse conditor noster est. Dicit & Theophylactus explicando eundem locum, fidem esse diuini munere nobis collatam. Tum etiam cum Iudæi carnalium ciborum appetentissimi dixissent Christo, Quid faciemus ut operemur opera dei? Respondit Iesus & dixit eis: Hoc est opus dei, ut credatis in eum quem misit ille. Nec dixit quod credatis est opus vestrum, sed si mihi credideritis, agnoscetis gratiam dei & beneficiū: & licet non credent inuiti & vi compulsi, si tamen crediderint, id muneris deo tribuendum est, conatus siquidem hominis ad bonum à deo mouetur, & hunc locum

Ephes. 1.

Hieronymus

Roma. 9.

Theophyl.

Ioan. 6.

petractus Cyrillus, dicit: Fides salutem adfert, & gratia iustificat, mandata vero legis condemnant magis. Opus igitur dei, fides in Christum est, quare doctrinæ suæ, non vmbra legis inhaerendum est. Et huic arridet sententiæ Augustinus eandem explanans historiam, ubi dicit: Discernitur ab operibus fides, sicut apostolus dicit, iustificari hominem per fidem sine operibus legis, & sunt opera quæ videntur bona sine fide Christi & non sunt bona, quia non referuntur ad eum finem ex quo sunt bona, finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti, ideo noluit discernere ab opere fidem, sed ipsam fidem dixit esse opus dei. Ipsa est enim quæ per dilectionem operatur. Nec dixit hoc est opus vestrum, sed hoc est opus dei, ut credatis in eum quem misit ille, ut qui gloriatur, in domino gloriatur. Sed libro de Prædestinatione sanctorum, capite 11. plane & copiose declarat quoniam pacto fides est donum dei, ubi ita loquitur: Sed cum dicitur (inquiunt) Si credideris saluus eris, vnum horum exigitur, alterum offertur. Quod exigitur, in hominis: quod offertur, in dei est potestate. Cur non vtrunque in dei est potestate, & quod iubet, & quod offertur? Rogatur enim ut det quod iubet, rogant credentes ut sibi augetur fides, rogant pro non credentibus ut eis donetur fides, ut & in suis incrementis & in suis initijs dei donum sit fides. Sic autem dicitur, si credideris, saluus eris: quemadmodum dicitur, Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuatis. Nam & hic ex his duobus vnum exigitur, alterum offertur. Si spiritu (inquit) facta carnis mortificaueritis, viuatis. Ut ergo spiritu facta carnis mortificemus, exigitur: ut autem viuamus, offertur. Num igitur placet ut facta carnis mortificare, non donum dei esse dicamus, neque id donum dei esse fateamur, quoniam exigi audiuimus à nobis præmio vitæ si hoc fecerimus oblato? Absit ut hoc placeat participibus & defensoribus gratiæ: Pelagianorum est error iste damnabilis, quorum mox Apostolus ora obstruxit adiungens, Quotquot enim spiritu dei aguntur, hi sunt filij dei, ne facta nos mortificare carnis, non per dei sed per nostrum spiritum crederemus. De quo dei spiritu etiam ibi loquebatur, ubi ait, Omnia autem hæc operatur vnus atque idem spiritus, diuidens propria vnicuique prout vult: inter quæ omnia, sicut scitis, nominauit & fidem. Sicut ergo quamuis donum dei sit, facta carnis mortificare, exigitur tamen à nobis proposito præmio vitæ, ita donum dei est & fides, quamuis & ipsa cum dicitur, Si credideris, saluus eris: proposito præmio salutis exigitur à nobis. Ideo enim hæc & nobis præcipiuntur, & dona dei esse monstrantur: ut intelligatur quod & nos ea faciamus, & deus facit, ut illa faciamus. Sicut per prophetam Ezechielem apertissime dicit, quid enim apertius quam ubi dicit: Ego faciam ut faciatis? Locum ipsum scripturæ fratres charissimi attendite, & videbitis illa deum promittere facturum se, ut faciant quæ iubet ut fiant. Non sanè ibi tacet etiam merita eorum, sed mala quibus se ostendit reddere pro malis bona, hoc ipso quod eos facit habere deinceps opera bona: cum ipse facit, ut faciant diuina mandata. Et libro de Bono perseuerantiæ, capite 17. dicit fidem dari priusquam postuletur ab eo cui datur, non tamen dicenda est non esse donum dei, sed esse à nobis: quia data est nobis non petentibus: & à quo donatur pax & charitas, ab eodem fides, ex Paulo ad Ephesios dicente: Pax fratribus & charitas cum fide à deo patre & domino nostro Iesu Christo. A quo ergo pax & charitas, ab illo est & fides. propter quod ab illo eam non solum augeri habentibus, verum etiam non habentibus poscimus dari. Tum etiam libro 1. Retractat. capite 33. dicit fidem inchoare meritum, ut per munus dei bene operetur electi. Et in his quos deus damnat, infidelitas & impietas inchoat pœnæ meritum, ut per ipsam pœnam etiam male operentur. Hæc ille. Et licet fides sit donum dei, non est tamen nisi in eo qui vult credere, cuius bonam voluntatem si deus præuenit, non quidem tempore, sed causa & natura. Quod autem fides sit sita in arbitrio hominis, ostendunt Euangelia in quibus Christus dixit duobus cæcis misericordiam acclamantibus, Creditis quia hoc possum facere vobis? Qui ei responderunt: Vtique domine. Et illi qui fuerat cæcus à natiuitate, dixit Christus: Tu cre-

Cyrillus:

Augustinus
Roma. 3.

Galat. 5.

Roma. 8.

1. Corin. 12.

Ephes. 6.

Matth. 9.
Ioan. 9.

dis in filiū dei? & respondit ille viso & cognito Christo, Credo domine. Et Martha dixit: Si credideris, videbis gloriam dei. Manifestum est fuisse in potestate & arbitrio Martha credere Christum esse resurrectionem & vitam, aut non credere. Adde quod Chrysoſtomus in illum Ioannis locū, Non quia patrem vidit quisquam, nisi is qui est à deo, hic vidit patrem, dicit: Vides fidei dignitatem, quod non ab hominibus, neque per hominem, sed per ipsum deum ea imbuendi sunt. Et homilia 5. in epistolas Pauli ad Timotheum, ad illud Pauli, Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee: dicit deum nobis largiri & fidem, & bonam conscientiam. ¶ Posterior assertionis partem cum ex sacris literis, tum ex doctissimis viris approbamus. Lubenter quærerem à Luthero & ab illis qui afferunt solam fidem iustificare, si nam illi sint iusti coram deo & digni vita æterna, qui sacras dei leges violant & polluunt, licet fidem habeant, & fidei præsidio aduersus infideles muniantur. Sed nemo vsque adeo desipit & delirat, nec ea mentis insaniam corripitur, vt dicere audeat huiusmodi homines iustos esse. Dicit enim Christus in Euangelio, Qui soluerit vnum de mādatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. Dico autem vobis, quia nisi abundauerit iustitia vestra, plus quàm Scribarum & Pharisaorum, non intrabitis in regnum cælorum. Et rursum, dictum est antiquis, Non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio: qui autē dixerit fratri suo Racha, reus erit concilio: qui autem dixerit Fatue, reus erit gehennæ ignis. Ad hæc hypocrita qui amant in synagogis, & in angulis platearum stantes orare, vt videantur ab hominibus, tamen credant in Christum, non iustificantur: imò à dei gratia exulant. nam receperunt mercedem suam. Pariter & qui exterminant facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes. Pugnemus & fortius, Non omnis qui dicit mihi domine domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatē patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum. Et multi dicēt mihi in illa die, Domine domine, nonne in nomine tuo prophetauimus? & in nomine tuo dæmonia eiecimus? & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos. Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Et qui audit verba Christi, & ea facit: similis erit viro sapienti, qui ædificauit domum suam super petram, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat super petram. Et omnis qui audit verba Christi, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificauit domum super arenam, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna. Item, Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus, & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. & qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Nec pugnant hæc duo, Hic fidem habet, & non sequitur Christum, & plus diligit carnalia quàm spiritalia. Tum etiam si sola fides iustificaret hominem, & ad vitam æternam perduceret, frustra dixisset Christus, Filius hominis venturus est in gloria patris sui cum angelis suis: & tunc reddet vnicuique secundum opera eius. Et qui fidem habet, ita vt montes transferat, & non commiseretur sui conserui, sed eum pro debita pecunia torquet, & suffocat, & conijcit in carceres donec reddat debitū, non censetur iustus apud deum: debuit enim misereri conserui sui, sicut dominus miseratus est eius, & dimisit ei omne debitum. Insuper Christus adolescenti ab eo sciscitanti quidnam boni faceret vt vitā æternam possideret, dixit: Si vis ad vitam ingredi, serua mādata. Nec absque præceptorum obseruatione ei patuit ad ingrediendum dei regnum aditus. Et legisperito post enarrata dei præcepta idem respondit, Hoc fac & viues. Nec quispiā sincerè victurus est, qui hæc dei mādata non obseruauerit. Ad hæc promptissimum nobis suppetit argumentum de fatuis virginibus, quæ licet crederent, & dicerent pulsando ostium sponsi, Domine domine,

aperi, non tamen illis apertum est, nam oleū non sumpserunt in lampadibus suis, negligentes facere bona opera: quibus tandem dixit sponſus, Nescio vos. Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam. Dicit & Christus auaris in die illa: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Esuriui, & non dedistis mihi māducare: sitiui, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me, &c. Et licet illi fateantur & credāt eum esse dominū & deum, dicentes: Domine quādo te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem? non propterea grati sunt Christo qui illis respondit, dicens: Amen dico vobis, quādiu non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis. Præterea Christus dixit Iudæis, Si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum. Ex opposito igitur, Si quis sermonem Christi nō seruauerit, mortem in æternum gustabit. Et hæc planè indicant opus esse integra vita, & obseruatione mādatorum dei præter fidē, vt quis conscendat in cælum. Et aliubi dicit Christus ad confytandum errorem illorum qui soli fidei iustificationem attribuunt: Si quis audierit verba mea & non custodierit, ego non iudico eum: non enim veni vt iudicē mundum, sed vt saluificem mundum: qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum. Dicit quoq; Petro sacro baptismate abluto, & qui ei credebat: Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus. Qui igitur fidem habet, & sacro fonte lotus est, si inciderit in foueam vitiorum, & noxijs animi affectibus laboret, indiget vt perniciosas mentis cogitationes & scelera commissa lachrymis poenitentia detergat: quod si non deterferit, nec sola fide hinc ad beatorum sedem demigrabit. Et rursum, Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me: qui autem diligit me, diligitur à patre meo. quod si quis non obseruauerit mādata dei, nec diligit deum, nec à deo diligitur: nec fieri potest vt saluetur, & non diligitur à deo. Item cum venerit paracletus, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. Adferam & aliquot Pauli testimonia, ad suffulciendam eandem assertionem. Dicit ad Romanos de his qui suis vitijs tenaciter adhærent: Secundum duritiā tuam & impenitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij dei, qui reddet vnicuique secundum opera eius, ijs quidē qui secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærunt: vitam æternam. ijs autem qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati: ira & indignatio, tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum. Nec audiores legis iusti sunt apud deum, sed factores legis iustificabuntur. Et quod aliubi dicit, Si secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu, facta carnis mortificaueritis, viuētis. manifeste indicat solam fidem non iustificare hominem. quamuis enim credat, si tamen improbe & impudice viuat, adhuc est seruus peccati. Atque iterum, Vide ergo bonitatem & seueritatē dei, in eos quidem qui ceciderunt, seueritatem: in te autem, bonitatem dei, si permanferis in bonitate: alioquin & tu excideris. Insuper ad Corinthios planè docet vniuersalem fidem omnium credendorum posse à charitate separari, sine qua tamē adultus non iustificatur. ita enim scribit: Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autē non habuero, nihil sum. nihil quidem homo est, cum non est deo gratus. & perspicuum est Paulum hoc in loco differere de fide, cui bona opera non sunt coniuncta. Et qui dicunt fidem iustificare sine operibus, secludunt bona opera à fide. Fides enim quæ per charitatem operatur, semper habet opera se comitāta, nec à bonis operibus dielli potest. Et fides quæ per charitatem operatur, non est dicenda simpliciter sola fides, sed potius fidei & charitatis connexio & vinculum. Et sic à recto tramite exorbitant, qui dicunt solam fidem iustificare, intelligendo quidem in adultis siue in ijs qui ratione vtuntur. ¶ Nec falso putes fidem omnium credendorum à charitate diuisam, siue fidem informem & sine operibus mortuā, non esse fidem: non enim ita mortua est, vt nullo modo sit fides, sed quia non viuificat, idcirco cæsetur mortua: quod autem sit fides, suadeo & ratione & autoritate. Non

enim assensus fidei quo credo esse verum quicquid à deo reuelatum est, definit esse operatio intellectus si charitate non illustretur, cum eius ratio substantialis & intrinseca (vt fertur) non pendeat à charitate: igitur si ab huiusmodi fide disiuncta sit charitas, talis assensus non desinet esse fides siue fidei assensus. Dicit etiam Hieronymus in illum Matthæi locum: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, & dixeritis huic móti, transi hinc, trásbibit: magnam esse fidem quæ grano sinapis coræ quatur. Et huic loco conferens illud Pauli, Et si habuero omnē fidem, &c. reprehendit illos qui putant fidem grano sinapis comparatam esse paruam: quòd si magna sit illa fides etiam à charitate semota, non recte sentiūt qui dicūt fidem informem siue nudam, non esse fidem, cum aduersentur & sacris literis & Hieronymo. Rursum dicit Paulus in eadē epistola, State in fide, viriliter agite, & confortamini. Omnia autem vestra in charitate fiant. In hoc loco post fidem quam amplexati sumus nos charitatis habendæ admonet, eo quòd licet fides sit necessaria, attamen non est sufficiens, sed aliarum virtutū adminiculo indiget. Taceo & omitto probationum syluam, quibus ostendit bona opera esse ad salutem consequendā necessaria. Adde quod Iacobus in sua epist. Canonica duobus probat argumentis, fidem sine operibus esse otiosam: Abraham (inquit) pater noster, nōnne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est. Et suppleta est scriptura dicens, Credit Abraham deo, & reputatū est illi ad iustitiam, & amicus dei appellatus est. Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum. Similiter & Raab meretrix, nōnne ex operibus iustificata est, suscipiens nuntios, & alia via eiciens? Diuus etiam Ioannes in suis epistolis abunde docet neminē esse iustum, nec assequuturū dei regnum, nisi mandata dei diligēter obseruauerit. Et duntaxat vnū proferam locum ad tuēdas nostræ assertionis partes: Qui facit iustitiam iustus est, sicut & ille iustus est: qui facit peccatū ex diabolo est, quoniā ab initio diabolus peccat. Nunc opportunum video, sacros doctores proferre, quorum doctrina nostram cōfirmabimus assertionem. Beatus Hieronymus in 3. caput Sophoniæ, de hac re ita disserit, Frustra quis vocem domini dei sui audire se dicit & confidere in domino, quando operibus fidem destruit, & magis mammonæ iungitur quā domino deo suo: & duplici corde accedit ad eum, & duobus dominis, seculo & deo militare posse se credit. Et in 29. caput Hieremiæ ad locum illum, Accipite vxores, & generate filios & filias, dicit secundum mysticum sensum: Filias nostras debemus viris, vt & fidei veritas, quæ interpretatur in filijs, bonis operibus copuletur, quæ referuntur ad filias: & opera bona iungantur fidei sanitati. Et in 66. caput Esaïæ ad locum illum, Videbitis & gaudebit cor vestrum: dicit, Iesus cœpit facere & docere, vt non otiosa sit fides, sed per opera currat ad præmium. Tum etiā ad illum Ecclesiastæ locū, Cum votum voueris deo, ne moreris reddere illud: dicit, Præcipitur Christiano vt fidem opere compleat, & non sit similis populo Iudæorum, qui spondentes atq; dicentes, Omnia quæcunque dominus præcepit, faciemus: adorauerunt idola. Et post verberatos seruos & lapidibus oppressos, nouissime ipsum quoque patrifamilias filium trucidauerūt. Et ad illum Osee locum, Et erit sicut populus, sic sacerdos reprehendit hæreticos, quòd fidem sine operibus doceant, vbi dicit: Cum enim viderint aliquos delinquentes, aiunt: Nihil aliud quærunt deus nisi fidei veritatem, quam si custodieritis, non curat quid agatis. Hæc enim dicentes in iniquitatibus eorum, subleuant animas eorum, vt non solum non agant poenitentiam, nec humiliantur, sed gaudent in sceleribus suis, & erecta ceruice gradiantur. Vnde & populus & sacerdos, & hi qui docti sunt, & hi qui docuerunt, pari iudicio constringentur. Fauet & huic sententiæ Chrysostrmus libro primo aduersus vituperatores vitæ monasticæ, vbi dicit: Quid enim, quæso, fides conferet emolumentum, si vita sincera non fuerit & pura? Et probat ex his quæ dicit Christus in Euangelio Matthæi, Non omnis qui dicit mihi domine domine, intrabit in regnum cælorum. Et ex eo quòd dixit rex ingre-

dienti nuptias fordida veste, Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? At cum ille obmutuisset, dixit ministris: Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium. Fatuis etiam virginibus quæ dicebant, Domine domine, aperi nobis, ait sponsus: Nescio vos. Et in tertium Matthæi caput ad locum illum, Paleas comburet igne inextinguibili, dicit: Neque enim sola cuiquam fides sufficit ad salutem. Nam & dæmones credunt, imò etiam contremiscunt, sed maximo etiam prorsus morum quoque indigemus ornatu. Et ad illud Matthæi, vbi dicit Rex seruis suis: Nuptiæ quidem paratæ erant: sed qui inuitati erant, non fuerunt digni. Itē ergo ad exitus viarum, &c. dicit Regem ne fideles sola se fide saluari posse considerent, de poena malorum disseruisse. Idem sentit homilia 65. in Matthæum, vbi dicit: Quare obsecro, magno studio, diligentique cura, & fidem rectam, & vitam integram conseruemus. Nisi enim fidei, viuēdi congruat disciplina, vltima pendemus supplicia. quod beatus Paulus à superioribus temporibus ostendit, dicens spiritalem potum omnes bibisse, & spiritalem cibum omnes comedissee: nec tamen omnes saluos fuisse, sed multos eorum in eremo procidisse. Christus quoque idipsum declarat, cum aliquos qui eiecerunt dæmonia, ac etiam prophetarunt, in gehennā intrudat. Et exponens hæc Christi verba dicentis Marthæ: Nōnne dixi tibi quòd si credideris, videbis gloriam dei? dicit fidem rectā nihil proficere, si vita praua sit. Et isdem probat argumentis quibus prius probauit. Et homilia 51. in Ioannem, dicit nos in rectitudine fidei gloriantes non exhibendo vitam fidei conuenientem, deum inhonorare. Et enarrans illud Ioannis, quod nostris aduersarijs plaudere videtur & fauere: Qui credit in filium habet vitam æternam, qui autem est incredulus filio, non videbit vitam: dicit, Nunquid ergo satis est ad vitam æternam in filium credere? Minime. Non enim omnis qui dicit mihi domine domine, intrabit in regnum cælorum. Et peccatum in spiritum, vel solum est satis quod in gehennam detrudat, & quid de patre loquor? Nam si in patrem & filium & spiritum sanctum recte credideris, non autem recte vixeris, nulla tibi ad salutem vtilitas. Cum ergo dicit, Ipsa est vita æterna vt cognoscant te solum verum deum. Nolumus hoc nobis ad salutem satis arbitrari. Opus namq; nobis est & vitæ & morum puritate pollere. & licet hoc in loco dicat, Qui credit in filium, habet vitam æternam: nec bona tantum, sed suppliciorum quoque formidinem proponit, quod qui incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira dei manet super eum: non tamen dicimus satis esse solam fidem ad salutem, quod quæ de vita sæpe in Euangelijs dicuntur, ostendunt. Cur enim non dixit, ipsa est vita æterna sola? neque qui credit in filium solum habet vitam æternam, sed in ytroque vitam esse significauit. Nam nisi mores sequantur, sequetur supplicium. Et exponens quod dicit Paulus ad Philemonem: Vt locietas fidei tuæ efficax sit in agnitione omni boni, dicit fidem esse efficacem si habeat opera. Nam sine operibus fides mortua est. Et enarrando locum illum 2. epistolæ Pauli ad Timotheum, Habentes formam pietatis, virtutem autem abnegantes: dicit, Fides ergo sine operibus figura solum absque virtute est. Recte ergo pulchro & venusto corpori virtute destituito, picturæque assimilari, fides recta absque operibus comparatur. Esto autem quispiam his omnibus vitijs sit inquinatus, recteque credat ac sentiat, quid ex fide vera lucrabitur, si nihil habet ex his quæ debet habere Christianus? Si nihil agat quod exprimat pietatem, gentilesque potius impietate transcendat, si ad intuentiū fociorumque perniciem, si ad dei blasphemiam viuat, si operibus religionis contaminet dogma? Quid ergo de huiusmodi facere oportet? & hos (inquit) deuota. Tum etiam homilia prima in Genesim, dicit fidem sine operibus mortuam esse, pariter & opera sine fide. Nam tamen si sanam teneamus doctrinam, vitam autem negligamus, nihil nobis proderunt doctrinæ. Rursum si vitæ curam diligentem gesserimus, in fidei autē placitis claudicauerimus, neque sic nobis aliquid lucri fuerit: ideo conuenit ytrunque ædificium nostrum spirituale communiri. Omnis enim qui audit hos

Matth. 3.
Iaco. 2.

Matth. 22.

1. Corin. 10.

Mat. 7.

Ioannis 11.

Ioan. 3.

Mat. 7.

Philem.

2. Tim. 3.

Matth. 7. sermones (dicit) & facit eos, assimilabitur viro prudenti. Vide quomodo non solum audire nos vult, sed & facere, & operibus monstrare obedientiam. Et hunc prudentem vocavit, qui operibus sermones subsequentibus, conspicuus est, qui vero tantum ad sermones peruenit, & non ad opera, cum stultum vocavit merito, quia talis, domum suam super arenam aedificauit: propterea neque vectorum vim ferre potuit, sed statim corruit. Proferā & quae scripsit Augustinus contra hostes euangelicæ veritatis, qui temeraria audacia & audacissima temeritate asseuerant solam fidem sufficere ad salutem consequendam, libro vno de Fide & operibus, capite 14. illos falsæ religionis insimulat, qui putant solam fidem sufficere ad obtinendam salutem, etiam si neglexerint bene viuere, & bonis operibus viam dei tenere. Et contra illos decernat ex Paulo, Iacobo, & Petro. Et capite 15. ad profligandum illorum errorem profert illud Pauli, Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Siquis autem superaedificat super fundamentum, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestabitur: dies enim domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus permanferit, quod superaedificauit, mercedem accipiet: si cuius autem opus arserit, damnatum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Hunc locum (inquit Augustinus) quidam intelligendum putant, vt illi videantur aedificare super hoc fundamentum, aurum, argentum, lapides pretiosos, qui fidei quæ in Christo est, bona opera adiungunt. Illi autem fœnum, ligna, stipulam, qui cum eadem fidem habeant, male operantur. Idem dicit libro 21. de Ciuitate dei, capite 26. Deinde si sola fides ad salutem sufficiat, falsum erit quod dicit Paulus, Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Falsum erit & illud, Nolite errare, neque fornicatores, neque idolis seruitutes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum dei possidebunt. Falsum est & illud, Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicationes, immundities, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitias, contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, hæreses, inuidias, ebrietates, commensationes, & his similia, quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum dei non possidebunt. Falsa erunt hæc, Si enim tantummodo credant & baptizentur, quamuis in malis talibus perseuerent, salui erunt per ignem, atque ideo in Christo baptizati, etiam qui talia agunt, regnum dei possidebunt. Frustra autem dicitur, Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis quando & abluti hæc sunt.

1. Corint. 6. Inaniter etiam illud à Petro dictum videbitur, Sic & vos simili forma baptismi saluos facit, non carnis depositio forditum, sed conscientiam bonæ interrogatio. Siquidem & habentes pessimas conscientias, omnium flagitiorum & scelerum plenas, nec eorum malorum pœnitentia mutatas, tamen baptismi saluos facit: propter fundamentum enim quod in eo baptismate ponitur, licet per ignem, salui erunt. Pluribus & alijs Euangelij testimonijs agit contra voluptuarios homines, qui soli fidei innituntur, sed quia iam illa testimonia protulimus, ab illis abstinendum esse putauimus. Et libro 3. contra duas epistolas Pelagianorum ad Bonifacium, capite 5. dicit fidem sine operibus neminem saluare, licet per ipsam peccata soluantur, quia iustus ex fide viuunt. Et Paulus apostolus prædicans iustificari hominem per fidem sine operibus, non bene intellectus est ab eis, qui sic acceperunt dictum vt putarent, cum semel in Christum credidissent, etiam si male operarentur, & facinorose flagitiosèq; viuerent, saluos se esse posse per fidem. Locus iste huius epistolæ Iacobi, Fides sine operibus mortua est, eundem sensum Pauli apostoli quomodo sit intelligendus exponit. Ideoque magis Abraham vtitur exemplo, vacuam esse fidem, si non bene operetur, quoniam Abraham exemplo etiam Paulus apostolus vsus est, vt probaret iustificari hominem per fidem sine operibus legis. Cum enim bona opera commemorat Abraham, quæ eius fidem comitata sunt, satis ostendit Paulum apostolum non ita per Abraham

docere iustificari hominem per fidem sine operibus, vt si quis crediderit, non ad eum pertineat bene operari: sed ad hoc potius, vt nemo meritis priorum bonorum operum arbitretur se peruenisse ad donum iustificationis, quæ est in fide. In hoc enim se gentibus in Christum credentibus Iudæi præferre cupiebant, quod dicebant se meritis bonorum operum quæ in lege sunt, ad Euangelicam gratiam peruenisse, ideoque scandalizabantur multi qui ex eis crediderant, quod incircūcis gentibus Christi gratia traderetur. Vnde apostolus Paulus dicit posse hominem sine operibus præcedentibus iustificari per fidem. Nam iustificatus per fidem quomodo potest nisi iuste deinceps operari? quamuis antea nihil operatus iuste, ad fidei iustificationem peruenierit, non merito bonorum operum, sed gratia dei, quæ in illo iam vacua esse non potest, cum iam per dilectionem bene operatur. Quod si cum crediderit, mox de hac vita decesserit, iustificatio fidei manet cum illo, nec præcedentibus bonis operibus: quia non merito ad illam, sed gratia peruenit. Nec consequentibus, quia in hac vita esse non finitur. Vnde manifestum est quod Paulus apostolus dicit, Arbitramur enim hominem iustificari per fidem sine operibus: non tamen ita intelligendum est, vt accepta fide si vixerit, dicamus eum iustum, etiam si male vixerit. Ideo exemplo Abraham & apostolus Paulus vtitur, quia sine operibus legis quam non acceperat, per fidem iustificatus est: & Iacobus, quia fide ipsius Abraham, opera bona consecuta esse demonstrat: ostendens quemadmodum intelligendum sit, quod Paulus apostolus prædicauit. Nam qui putat istam Iacobi apostoli sententiam contrariam esse illi Pauli apostoli sententiæ, possunt arbitrari etiam ipsum Paulum sibi esse contrarium: quia dicit in alio loco, Non enim auditores legis iusti sunt apud deum, sed factores legis. Et alio loco, Sed fides quæ per dilectionem operatur. Et iterum, Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuētis. Et idem dicit libro vno de Fide & operibus, capite 14. Nec diuersum est ab Augustino quod dicit Chrysostomus, Sermone de fide & lege, vbi dicit fidem esse operibus sublimiorem, quod ante opera sit primum inducenda. Eum siquidem qui operatur opera iustitiæ sine fide, non possum probare viuum fuisse: fidelem autem absque operibus possum monstrare, & vixisse, & regnum cælorum assecutum. Nullus sine fide vitam habuit. Latro autem credidit duntaxat, & iustificatus est à misericordissimo deo. Atque hic ne mihi dixeris defuisse ei tempus, quo iuste viueret, & honesta faceret opera. Neque enim de hoc contenderim ego, sed illud vnū asseuerauerim, quod sola fides per se saluum fecerit: nam si superuixisset, fideique & operum fuisset negligens, à salute excidisset. Nec putes tamen Chrysostomum in hac disputatione ardua & sublimi vacillasse, & à propria sententia deiectum, quod cum frequenter dixerit fidem sine operibus neminem iustificare & ad salutem perducere: nunc dicat bonum latronem sola fide ad regnum dei peruenisse. Cum enim dicit latronem illum sola fide iustificatum, intelligendum putes illum absque meritis priorum bonorum operum ad donum iustificationis quæ est in fide peruenisse, aut absque operibus legis Mosaycæ fidem dei gratia assequutum qua deo placuit & fuit gratus, itaque absque operibus fidem præcedentibus fuit iustificatus. Potest enim quis iustificari etiam si legis opera non præcesserint, nec solum puer, sed & adultus, vt innuit Augustinus, & potissimum cum non habet tempus quo possit bonum opus saltem exterius efficere, quod contigit illi bono latroni. Et cum dicit Chrysostomus illum fuisse iustificatum sola fide, non excludit opus interius & dilectionem dei. Nam fides sincera & euangelica qua deo fuit gratus, per dilectionem operabatur. Dixerat enim impio & sceleratissimo latroni qui respicere noluit, Nos digna factis recipimus, ille nihil mali admisit. Nec dubito quin eius exarserit vehementer in amorem Christi quando dixit, Memento mei domine dum veneris in regnum tuum. Communis tamè opinio dicit illum fuisse iustificatum fide & operibus. Nam voce coram hominibus confessus est Christum, ideo Christus confessus est illum coram suo patre cælesti, & hoc nobis faciendum commo-

Roma. 2.
Galat. 5.
Roma. 8.

Chrysosto.

Lucæ 23.


Matth. 10.

Roma. 10. nunt Paulus, dicens: Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Fuit & ille baptizatus baptismo flaminis siue poenitentiae, nam suam agnouit culpam, nec in obstinata malitia perseverauit. Vnum attende, Neminem absque fide efficaci, siue illa fide quae per charitatem operatur, hinc ad deum demigrare. Et cum dicitur, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Et si credideris, videbis gloriam dei, & ita de huiusmodi assertionibus, intelligendum putes id dictum esse de illo qui sincere credit, & fidem dilectione excolit, nec quicquam facit, quod dei maiestatem offendat. Multi tamen crediderunt, & viuis baptismi aquis abluti sunt, nec tamen in gloriam dei conscenderunt. Astipulatur & Origenes praefatis doctoribus in 2. caput epistolae Pauli ad Romanos, differentis de Circumcisione carnis & cordis in spiritu, vbi dicit illum esse circumcisum corde, qui habet fidem: & incircumcisum carne qui opera non habet. Alterum nanque sine altero reprobatur, quia & fides sine operibus mortua dicitur, & ex operibus sine fide nemo apud deum iustificatur. Sic ergo (vt ego arbitrator) dictum propheticum conuenienter aptabitur fidelium populo quibus dicitur, Omnis alienigena qui est in vobis in medio domus Israel incircumcisus corde, & incircumcisus carne, non introibit in sancta mea. Hoc est nimirum quod & dominus in Euangelio dicit, Qui credit in me, mandata mea custodit. Vides ergo fidem cum operibus iungi, & opera sociari cum fide. Et in tertium caput Pauli ad Romanos in quo scriptum est, Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis, scilicet absque ceremonijs & sacrificijs veteris legis, sentit omnino cum Chryostomo de iustificatione boni latronis, vbi dicit, Quantum igitur ad exemplum pertinet, sufficere arbitrator illum latronem qui cum Christo crucifixus clamauit ei de cruce, Domine Iesu memeto mei cum veneris in regnum tuum. Nec aliud quicquam describitur boni operis eius in Euangelijs: sed pro hac sola fide ait ei Iesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Aptemus nunc si videtur, huius latronis verba causa apostoli Pauli, & dicamus ad Iudaeum, Vbi est ergo gloriatio tua? Certum quia exclusa est, exclusa autem non per legem operum, sed per legem fidei. Per fidem enim iustificatus est hic latro sine operibus legis, quia si per hoc dominus non requisivit quid prius operatus esset, nec expectauit quid operis cum credidisset, expleret: sed sola confessione iustificatum comitemque sibi paradisum ingressurus assumpsit. Sed & mulier illa quae in Euangelio secundum Lucam refertur, quia cum cognouisset quod Iesus recubuit in domo Pharisei, attulit vas unguenti, & stans retro ad pedes eius, ac flens, lachrymis lauit pedes eius, & capillis capitis sui deterisit, & osculabatur atque ungebatur unguento. Videns autem Phariseus qui eum vocauerat, dixit intra semetipsum, Hic si esset propheta, sciret vtique quae & qualis est mulier quae tangit pedes eius, quia peccatrix est. Iesus autem dixit ad eum parabolam quingentorum vel quinquaginta denariorum, & ex nullo legis opere, sed pro sola fide ait ad eam, Remittuntur tibi peccata tua. Et iterum, Fides tua te saluam fecit. Sed & in multis Euangelij locis hoc sermone vsus legimus saluatorem, vt credetis fidem causam dicat esse salutis eius. Ex quibus omnibus claret quod recte arbitratur Apostolus iustificari hominem per fidem sine operibus legis. sed fortassis haec aliquis audiens resoluatur, & bene agendi negligentiam capiat: si quidem ad iustificandum fides sola sufficiat. Ad quem dicemus quod post iustificationem si iniuste quis agat, sine dubio iustificationis gratiam spreuit. Neque ob hoc quis accipit veniam peccatorum, vt rursus sibi putet peccandi licentiam datam. Indulgentia namque non futurorum, sed praeteritorum criminum datur. Nec inficiatur Origenes Magdalenen fecisse opus & quidem exterius commendatione dignum, officia siquidem pietatis exercuit, quibus tamen Christus non indigebat, sed quod exemplo illius peccatricis ostenderet haec nobis esse faciunda. Intentio Origenis non dissidet a Pauli doctrina considerantis opera legis (scilicet sacrificia & ceremonias) neminem iustificare. Theophylactus enarrans illum Pauli locum, Festinemus ergo ingredi in illam requiem, dicit: Recte autem festinamus dixit, cum haudquaquam vt ad huiusmodi requiem praebat aditum, satis vi-

Hebr. 4.
Theophyl.

rium habere sola per se fides videtur, nisi & optimus adfit viuendi modus. Et in septimum caput Matthaei, ad locum illum, Non omnis qui dicit mihi domine domine intrabit in regnum caelorum, asserit ex doctrina Christi, fidem absque operibus nihil nobis profuturam. Adde quod Cyprianus libro tertio de Simplicitate praetorum, non putat illum qui credit in Christum, sed non facit ea quae Christus facienda praecipit, posse ad fidei praemium peruenire. sed vt nuter necesse est & vagetur, & spiritu erroris arreptus, velut puluis quem ventus excutit ventiletur. Sed quia fides est radix & fons omnium bonorum, sine qua nullum opus est deo gratum: idcirco Ambrosius in psalmum quadragesimum tertium, per trasennam profertens fidem Thomae dicentis: Dominus meus, & deus meus, dicit deum maluisse vt salus homini fide potius quam operibus quaereretur, ne quis gloriaretur in suis factis, & peccatum incurreret. Et quia plus tribuendum est fidei, quae est donum dei, quam operibus: idcirco ausus est dicere Hilarius Canone octauo in Matthaeum, fidem solam iustificare. Sed si respexeris diligenter ad ea quae praemisit, loquitur de fide salutari, quae charitati copulatur. Et in hunc modum intelligendus est Tertullianus libro quinto aduersus Marcionem, attribuens soli fidei iustificationem, quod tamen publicandum non esset, neque plebeis absque moderata interpretatione diuulgandum. Alioquin non modicam caperent ansam prorumpendi in vitia, quia absque virtutum exercitio arbitarentur se fide instructos aeternam vitam promereri.

CAPVT IIII.



Idē curantur morbi, fugantur daemones, & fiunt miracula.] Huiusce assertionis partes seorsim ex Euangelicis scripturis probabimus. Leprosus adorans Christum de monte descendente, dixit: Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens Iesus manum, tetigit eum, dicens: Volo, mundare. Et confestim mundata est lepra eius. Et ait illi Iesus: Vide nemini dixeris: sed vade, ostende te sacerdoti, & offer munus quod praecipit Moyses in testimonium illis. Leprosus ille syncera fide credebatur Christum sola voluntate posse hanc lepram depellere, nec ad mundandum suam saniam desiderabat aliam a diuina voluntate potestatem. Et quia id firmissime credidit, Christus ei dixit: Volo vt sis mundus. Hieronymus explicans hunc locum, dicit: Qui voluntatem rogat, de virtute non dubitat. Laudat & Chryostomus fidem huius leprosi, dicens: Magna est prudentia accedentis, & fides. Non enim quasi inconsideratus sermonem docentis incidit: nec illud auditorum theatrum importunus intercidit, sed expectauit tempus aptissimum, & descendenti iam ei opportunissime supplicauit. Nec sane negligenter ac tepide, sed cum ingenti mentis ardore. Nam sicut dicit Marcus, supplicauit fixis in terra genibus prouolutus. Nec dixit, si oraueris, potes me mundare, neque ait, domine munda me: sed ipsi cuncta commisit, eumque conferendae sanitatis dominum esse confessus est: atque in ipso constituit omnium potestatem. Tum etiam in eodem Matthaei capite scriptum est: Cum introisset Capernaum, accessit ad eum Centurio rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur. Et ait illi Iesus: Ego veniam, & curabo eum. Et respondens Centurio, ait: Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestate habens sub me milites, & dico huic vade, & vadit: & alio veni, & venit: & seruo meo fac hoc & facit. Audiens autem Iesus, miratus est, & sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel. Dico autem vobis, quod multi ab oriente & occidente venient & recumbent cum Abraham & Isaac, & Iacob in regno caelorum. Filij autem regni ejicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium. Et dixit Iesus Centurioni, Vade & sicut credidisti fiat tibi. Et sanatus est puer ex illa hora. Edisserens Hieronymus hunc Matthaei contextum: laudat in Centurione fidem, humilitatem & prudentiam: fidem, eo quod credidit ex gentibus paralyticum a saluatore posse sanari: Humilitatem, quod se iudicauit indignum, DD. j.

Cyprianus.

Ambrosius.
Ioan. 20.

Hilarius.

Matth. 8.

Hieronymus.
Chryostomus.

Marci 1.

Matth. 8.

Hieronymus.

cuius tectum dominus intraret. Prudentiam, quod intra corporis tegmen diuinitatem latentem videret, sciens non id sibi profuturum, quod etiam ab incredulis videbatur, sed id quod latebat intrinsecus. Demiratur & Chrysofomus eximiam, feruentem, & synceram Centurionis fidem quod crediderit solo Christi verbo paralyticum sui pueri posse sanari, quem Christus propter merita fidei Centurionis sanum fecit. Adde quod fides offerentium Christo paralyticum, extorsit à domino medicinam saluberrimam, & sanitatem paralytici: cui Christus explorata & cognita amicorum fide, dixit: Confide filii, remittuntur tibi peccata tua. Remisit quidem propter ardentem & synceram offerentium fidem. Hinc deprehendimus non solum fidem nostram, nobis ad depellendam aegritudinem adferre adiumentum, sed illorum fidem qui deum pro nobis interpellant. Nolim tamen inficiari paralyticum illum nudato domus tecto demissum, credidisse in Christum. Nam (vt dicit Chrysofomus) nisi credidisset, demitti profecto non voluisset. Præterea mulier illa quæ sanguinis fluxum duodecim annis patiebatur, feruentissimo fidei incendio adusta, impetrauit à domino sanitatem, quæ non solum credebatur Christum incolunitatem sibi interna virtute redditurum, sed etiam tactu indumentorum eius: dicebat enim intra se, Si tetigero tantum vestimentum eius, salua ero. Iesus autem ad eam conuersus, dixit: Confide filia, fides tua salua te fecit. Et salua facta est mulier ex illa hora. Hanc Hieronymus enarrans sententiam, Confide filia, fides tua salua te fecit: Ideo (inquit) filia, quia fides tua te salua fecit. Nec dixit, Fides tua te salua factura est, sed salua te fecit. In eo enim quod credidisti, iam salua facta es. Astipulatur & Hieronymo Chrysofomus, dicens: Et certe fides eius filiam eam Christi effecit. Insuper duobus cæcis prompta fide Christi misericordiam acclamantibus, redditum est oculorum lumen, quibus dixit Christus: Creditis quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei: Vtique domine. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundum fidem vestram fiat vobis. Et aperti sunt oculi eorum. Quia igitur inuicta fide crediderunt Christum filium Dauid secundum carnem, posse hanc gratiam illis impartiri: idcirco quod deposcebant obtinuerunt. Hunc locum enarrans Chrysofomus, Secundum fidem vestram fiat vobis, dixit Christum fidem eorum firmiorem reddidisse, ac simul ostendisse nonnullam ad salutem suam ipsos quoque partem contulisse. Id enim semper penè faciebat, cum antequam corpora curaret, animæ fidem manifestare studeret. Ad hæc, Chananæa fidei & constantiæ exemplar, Euangelica & ardentissima fide obtinuit à Christo sanitatem pro sua filia, quæ à diabolo grauiter torquebatur. Et licet illam Christus reiecesset, & repulsa esset tanquam canem, non tamen à solitis precationibus destitit, & æquo tulit animo quæ dominus dicebat. Nec exarsit in iram, cum Christus ei dixit, Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus, sed magna prudentia & forti animo dixit ei, Etiam domine. Nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Tunc respondens Iesus, ait illi: O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora. Commendat Hieronymus in hac Chananitide, fidem, patientiam, & humilitatem. Fidem, quia credidit sanari posse filiam suam: Patientiam, quia toties contempta, in precibus perseuerat: Humilitatem, quia se non canibus, sed catulis comparat. Chrysofomus hunc enarrans locum, Fiat tibi sicut vis, dicit: Ac si Christus diceret: Fides quidem tua maiora quam petis posset impetrare, veruntamen, fiat vt vis. Tum etiam duo cæci sedentes iuxta viam, magnitudine fidei recuperarunt visum. cum enim valido clamore clamassent, Domine miserere nostri filii Dauid, vocauit eos Iesus, & ait: Quid vultis vt faciam vobis? Dicunt illi: Domine, vt aperiantur oculi nostri. Misertus autem eorum Iesus, tetigit oculos eorum. Et confestim viderunt, & sequuti sunt eum. Ad hunc locum dicit Chrysofomus de inquietis illorum clamoribus, Satis enim superque clamor, & adueniendi erat conatus ad fidem eorum declarandam. Item, decem leprosi fide mundati sunt, qui ad Christum confugientes, dixerunt:

Iesu præceptor, miserere nostri. Quos vt vidit, dixit: Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est dum irent, mundati sunt. Vnus autem ex illis, vt vidit quia mundatus est, regressus est cum magna voce, magnificans deum, & cecidit in faciem ante pedes eius gratias agens, & hic erat Samaritanus. Respondens autem Iesus, dixit: Nonne decem mundati sunt? & nouem vbi sunt? Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam deo, nisi hic alienigena. Et ait illi: Surge, vade: quia fides tua te saluum fecit. Rursum filius reguli, fide sui patris conualuit, cum enim hac forma interpellasset regulus: Domine descende priusquam moriatur filius meus, dixit ei Iesus: Vade, filius tuus viuit. Credit homo sermoni quem dixit ei Iesus, & ibat. Iam autem eo descendente, serui occurrerunt ei & nuntiauerunt, dicentes: quia filius eius viueret. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerunt ei: Quia heri hora septima reliquit eum febris. Cognouit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Iesus, Filius tuus viuit: & credidit ipse, & domus eius tota. Chrysofomus hoc edifferens miraculum, dicit: Licet regulus crediderit, non tamen firmiter, neque integre, quod sciscitando seruos demonstrauit: qua hora reliquerit filium febris. voluit enim cognoscere an sponte sua, an Christi præcepto discesserit, tandem confirmatus est in fide, cum seruorum de valetudine filij testimonium accepit. Et cum Augustinus dicit, quod non credebat quando rogabat, intelligit illum non credidisse firmiter. non enim negat quin prius habuerit fidem, licet tepidam: credebat enim Christum, quem vocabat dominum absolute, suum filium posse sanare, quamuis debuerat credere Christum solo verbo & absque hoc quod ingrederetur domum eius, posse sanare puerum illum. ¶ Secundam assertionis partem verbis Christi suadeo, qui post suam resurrectionem dixit suis discipulis, Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent. Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & bene habebunt. Et hac probatione tota assertio suffulcitur potest. Adde quod Christus suis discipulis demirantibus, cur non potuerat eiicere dæmonium, quo vir quidam lunaticus torquebatur: dixit, Propter incredulitatem vestram. Ex opposito igitur propter firmam credulitatem & synceram fidem potest dæmonium eiici: licet & alia quærenda sint adminicula, oratio scilicet & ieiunium. ¶ Tertia pars ex alijs pendet, cui fauet illa Christi sententia: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc, & transibit: & nihil impossibile erit vobis. Idem aliubi expressit, cum imprecatus est malum arbori ficulneæ: Amen dico vobis, si habueritis fidem & non hæsitaueritis, non solum de ficulnea facietis: sed & si monti huic dixeritis, Tolle & iacta te in mare, fiet. Omitto interim pulcherrima exempla, quibus Paulus in epistola ad Hebræos ostendit sanctissimos patres fide fuisse deo gratissimos, Abel, Enoch, Noe, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Moysen, pariter & Gedeonem, Barach, Samsonem, Hiephete, Dauid, Samuelem, & reliquos prophetas, qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obtinuerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum, acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos, &c.

CAPVT V.

Idei plenitudo in sola est euangelica philosophia, & quidem de rebus temporaneis. ¶ Primæ huiusce assertionis parti arridet Ambrosius libro quinto epistolarum, epistola vigesima. Nec solum dicit fidei plenitudinem esse in Euangelio, sed eam esse solam fidem quæ est in Euangelio, tamen non ausus sum dicere, Ea est sola fides quæ est in Euangelio, ne calumniatoribus præberem ansam conuellendi assertionem, quod in antiquis pa-

tribus non fuerit fides, nec in lege naturæ, nec in lege Mosayca. Suam tamen Ambrosius opinionem probat ex Paulo ad Galatas, dicente: Priusquam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem quæ reuelanda erat. Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, vt ex fide iustificemur. At vbi venit fides, iam non sumus sub pædago. Omnes enim filij dei estis per fidem quæ est in Christo Iesu. Postquam autem (inquit) fides aduenit, non dicit Euangelium, sed fidem. Ea est enim sola fides, quæ est in Euangelio. Nam licet iustitia dei in eo reuelatur quæ est ex fide in fidem, tamen sic illa legis est fides, si ei accedat fidei plenitudo: & ex hac probatione à qua pendet vis nostræ partis, facile est prudenti iudicio expendere quidnam velit dicere Ambrosius, cum dixit solam fidem scilicet perfectam, salubrem & plenam esse in Euangelio. Et subiungit, Merito ergo fides ista quasi sola dicitur, quia illa sine, hac fides non est, sed in hac confirmatur. Denique vbi hæc fides venit plenitudo aduenit, aduenit filiorum adoptio, cessauit infirmitas, abiit infantia, in virum perfectum astringimus, Christum induimus. Quomodo igitur infirmus & paruulus esse potest in quo Christus est dei virtus? Ergo ad perfectionem, venimus, perfectionis præcepta accepimus. Hæc ille. Fides illa de qua differit Paulus, lex est Euangelica. Et hanc fidem absolutissimam, & consummatorem ea qua antiqui patres credebant Christum venturum, expressit Paulus cum dixit, Omnes filij dei estis per fidem quæ est in Christo Iesu, & ex his quæ antecedunt, res innotescet. Cum enim dicit, Conclufi eramus in eam fidem quæ reuelanda erat, manifeste indicat fidem olim fuisse occultiore quæ tandem reuelata est, cum in carne manifestatus est deus. Et huius sententiæ est Theophylactus & Sedulius.

¶ Secundam assertionis partem suadeo. Habemus fidem huiusce enuntiationis, Christus de virgine Maria natus est, & tamen nemo nescit hanc propositionem ab æterno non fuisse veram: nam præscripto tempore Christus humanam induit naturam, quod ostendit Paulus ad Galatas, dicens: At vbi venit plenitudo temporis, misit deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret: vt adoptionem filiorum reciperemus. Fides etiam pastorum credentium quod Christus ipsis erat natus saluator, & quidem determinato tempore, erat de re temporanea. Quis etiam negat fidem qua sincero pectore huic adhaeremus enuntiationi, Verbum caro factum est, esse de re temporanea. Si enim ab æterno Christus esset caro, non diceretur, verbum caro factum est. quod enim fit caro, aliquando non erat caro, licet ab æterno fuerit id quod caro factum est. Erat etiam temporaneum quod Christus dixerat suis discipulis, Oportet me ire Hierosolymam, & multa pati à senioribus & Scribis & principibus sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere. Quod etiam angelus dixit mulieribus, Surrexit Christus, tutissimo fidei propugnaculo innititur, nec tamen est affari necessarium. Longe plura posent ex sacris literis proferri testimonia, sed istis (si voles) abibis contentus. Astipulatur & huic Assertioni Augustinus libro decimoquarto de Trinitate, capite primo, vbi dicit de rebus æternis fidem esse temporalem, & temporaliter in credentium cordibus habitare, necessariam tamen propter adipiscenda ipsa æterna. Fides autem de temporalibus rebus, quas pro nobis æternus fecit, & passus est in homine quem temporaliter gessit, atque ad æterna prouexit, ad eandem æternorum adeptionem prodest, nec existimat virtutes quibus in hac temporalis mortalitate, prudenter, fortiter, temperanter & iuste viuatur, veras esse, nisi ad eandem licet temporalem fidem, quæ tamen ad æterna perducit, referatur. Et capite 2. dicit, Quapropter quoniam sicut scriptum est, Quandiu sumus in corpore peregrinamur à domino, per fidem enim ambulamus, non per speciem. Profecto quandiu iustus ex fide viuuit, quamuis secundum hominem interiorem viuat, licet per eandem temporalem fidem ad veritatem nitatur, & tendat ad æterna: tamen in eiusdem fidei temporalis retentione, cōtemplatione, dilectione, nondum talis est trinitas, vt dei iam imago dicenda sit, ne in rebus temporalibus constituta videatur, quæ constituenda

Theophyl.
Sedulius.
Matth. 1.

Galat. 1.

Luca 2.

Ioan. 1.

Matth. 16.

Matth. 28.

Augustinus

2. Corint. 5.

Abac. 2.

Roma. 1.

est in æternis. Deinde ostendit speciem qua videntur quæ prius credebantur, succedere fidei qua credebantur quæ non videbantur. Mens quippe humana cum fidem suam videt, qua credit quod non videt, non aliquid sempiternum videt. Non enim semper hoc erit, quod vtrique non erit, quando ista peregrinatione finita, qua peregrinamur à domino, vt per fidem ambulare necesse sit, species illa succedet, per quam videbimus facie ad faciem, sicut modo non videntes, tamen quia credimus, videre merebimur, atque ad speciem nos per fidem perductos esse gaudebimus. Neque enim iam fides erit qua credantur quæ non videntur, sed species qua videantur quæ credebantur. Hæc ille. Et licet quod crederetur esset æternum, non tamen hinc colligendum esset, fidem semper esse de rebus æternis. Nam vt idem Augustinus dicit capite octauo eiusdem libri, Fides non est quod creditur, sed qua creditur. Ita quod vult innuere fidem esse rationem qua credimus & assentimus his quæ à nobis credenda sunt. Nec dubitamus fidem aliquam, siue assensum fidei, habere nonnunquam propositionem æternam siue necessariam, vt fides istarum assertionum: Deus est trinus & vnus, Solus pater est generans, Filius à solo patre processit, Spiritus sanctus à patre & filio processit: sed fides & assensus istarum enuntiationum, Christus est incarnatus, Christus est circumciscus, passus, à fomno mortis excitatus, est de rebus temporaneis, quamuis includat id quod est æternum. Et hæc apertissime declarat August. Sermone decimo octauo, de Verbis domini, dicens: Omnia temporaliter gesta à domino nostro Iesu Christo, fidem nobis inserunt. Credimus in verbum dei, non solum in verbum per quod facta sunt omnia, sed ipsum verbum factum carnem, vt habitaret in nobis: natum de virgine Maria, & cætera quæ fides habet. Hæc ille. Diligenter vnum attendas, Temporanea in fide proposita non pertinere ad obiectum fidei, nisi habitudine quadam & ordine ad quidpiam æternum, videlicet ad primam veritatem, quæ est ratio formalis obiecti fidei. Non enim fide assentimus alicui, nisi quod est à deo reuelatum: idcirco veritati diuinæ fides innititur tanquam medio. Secundariæ tamen fidei rationes (quæ ab alijs materiales dicuntur) res sunt temporaneæ, nec tamen assensum fidei siue ratione sibi vendicant, nisi in ordine ad deum, temporanea scilicet inflectendo ad æterna, de quibus paulo antè differuimus. De obiecto fidei incompleto quod vocatur res credita, & de complexo, quod enuntiabile dicitur, nunc differere non intendimus.

CAPVT VI.

Filius dei est in patre vt in fonte, quo nullo modo est posterior, licet sit principium de principio. Primam huiusce Assertionis partem ex Cyrillo suadere conabimur, exponente illum Ioannis locum, In principio erat verbum: vbi ita differit, Quoniam igitur ante secula filius est, in tempore genitus esse non potest: sed est semper in patre, quasi in fonte, sicut ab ipso dictum est, Ego ex patre exiui ac veni. Quasi enim fontem, patrem intelligimus, in quo verbum est, sapientia, virtus, character, splendor & imago eius existens. Quare si nullum vnquam erat tempus, quâdo absque sapientia, virtute, character, splendore, ac denique imagine sua erat pater, fateri necesse est coæternum & esse filium, qui sapientia, virtus, &c. patris æterni est. Quomodo enim character, aut quomodo imago exquisitissima patris est, nisi pulchritudinem illius perfecte cōsequutus sit, cuius imago est? Non est autem absurdum quod diximus, in patre filium tanquam in fonte intelligendum esse. Nihil enim aliud nomen fontis significat, quam vt ex quo: filius vero in patre & ex patre est, non profluens foras, sed aut quasi à sole splendor, aut quasi ab igne insita sibi caliditas. In his enim exemplis vnum ab vno produci, & ambo consempiterna sic esse conspiciunt, vt aliud absque alio nec esse possit, nec naturæ suæ rationem retinere. Quomodo enim erit sol splendore priuatus? vel quomodo erit splendor, nisi sol sit à quo defluat: ignis vero quomodo erit calore carens? vel calor vnde manabit, nisi ab igne, aut ab alio forsan

Cyrillus:
Ioan. 1.
Ioan. 16.

non procul à substantiali qualitate ignis dissecto? Sicut igitur quæ ab istis profluunt, simul cum illis sunt vnde profluunt, ac semper vnde fluunt, ostendunt: sic in vni- genito intelligendum est. Ex patre enim esse intelligitur, sed in patre etiam esse cre- ditur. Non alienus natura, neque post patrem natura secundus, sed in ipso patre semper, & cum ipso, & ex ipso secundum ineffabilis generationis modum. Dicitur autem filij principium pater à scriptura, nulla prorsus alia significatione, quàm vt ex quo, quod Psalmista de secundo saluatoris nostri aduentu, spiritus sancti gratia commotus ostendit, sic ad filium dicens: Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendore sanctorum tuorum. Dies enim virtutis filij illa est, in qua orbem terra- rum iudicaturus, merita singulis secundum opera sua retribuet. Venturus autem sic est, vt & ipse in patre sit, & pater in ipso: ita æternum ei principium pater est, sola (vt diximus) illa significatione, vt ex quo, quoniam ex patre est. In principio (inquit) erat verbum. Astipulatur & huic parti diuus Dionysius libro de Diuinis no- minibus, capite secundo, dicens: Solus fons super substantialis deitatis est pater. Nec absque ratione existimo illum id dixisse. Filius enim & spiritus sanctus ab ipso pa- tre secundum deitatem habent originem æternam. Pater vero à nemine prodit & proficitur. Idcirco apposite dicitur & vere, fons deitatis. Filius vero & spiritus sanctus (si fas est dicere) vocabuntur germina diuinitatis plantata, & veluti flores ac super substantialia lumina. Scriptum est enim in Esaia, Germen plantationis meæ opus manus meæ ad glorificandum. Atque iterum, Spiritus domini super me, eo quod vnixerit me, ad annuntiandum mansuetis misit me, vt mederer contritis cor- de. Et subiungit in fine, Sicut enim terra & sicut hortus semen suum germinat, sic dominus deus germinabit iustitiam, & laudem coram vniuersis gentibus: vbi de iustitia æterna, quæ filius dei est, loqui videtur. Et aliubi filius dei, cuius generatio inenarrabilis est, ab eodem propheta flos appellatur. Et egredietur (inquit) virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus do- mini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris domini. Et de spiritu sancto di- cit David: Illuc producam cornu David, parauit lucernam Christo meo. Inimicos eius induam confusione, super ipsum autem effloreat sanctificatio mea. Quod au- tem dicantur lumina, testatur idem Propheta de filio, Exortum est in tenebris lu- men rectis, misericors & miserator & iustus. De spiritu, Declaratio sermonum tuo- rum illuminat, & intellectum dat paruulis. Os meum aperui & attraxi spiritum. Et Paulus ad Corinthios: Nos vero reuelata facie gloriam domini specularantes, in ean- dem imaginem transformamur à claritate in claritatem tanquam à domini spiri- tu. ¶ Secundam assertionis partem in primis ex symbolo Athanasij comprobabo, dicentis in huc modum: Et in hac trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus, sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales. Nec implicet quæso hanc autoritatem quorundam interpretatione, qui ausi sunt dicere patrem non esse priorem filio, tempore: bene tamen origine. Hanc enim ex doctrina Augusti- ni interpretationem confutare conabor. Augustinus oratione de Quinque hære- sibus, disputans contra Arrianos, capite sexto, vbi profert illud Ioanis, Ego in patre & pater in me, dicit: Accedat Arrianus, videat & ipse alterum ex altero, nec tamen nasci posse alterum sine altero. Nemo eorum prior, nemo posterior. Coæui sunt pa- ter & filius, splendor & ignis. Nec ignis sine splendore, nec splendor sine igne. Aut certe si placet, mitte manum, diuide alterum ab altero, ostende mihi ignem sine splendore, vel splendorem sine igne. Absit, absit, ardere tantummodo poteris, sepa- rare alterum ab altero non poteris. Sicut enim ignis & splendor alter ex altero est, vt esse alter sine altero non possit: ita deus pater & filius deus, alter ex altero est, nec esse alter sine altero potest. Vides planè Augustinum diuellere à diuinis perso- nis omnimodā prioris rationē. Nec validum est hoc argumentū, Filius est à patre, ergo est patre posterior: non enim secundum Augustinum ex eo aliquid est altero

posterius, quia est ab illo. Adde quod Sermone 38. de Tempore, dicit genitorem nō præcessisse illud quod genuit. vbi subnequit: Si quis quærat quare Abraham est pater, relativi respōdebitur, quia habet filium. Nec vt omnibus notissimū est intelligere poteris patrem sine filio nec ediuerso: sunt enim simul natura, & necesse est notio- nem patris pendere à filij notione & ediuerso. Sentit cum Augustino Damascenus libro primo suæ Theologiæ, capite nono, dicens patrem non esse priorem filio ne- que tempore, neque natura. quare nunquam mihi arridere potuit illorum opinio, qui dicunt patrem prius intellexisse se producturum filium, quàm quod aut produ- xerit, aut producere voluerit. Illi Tricis & Apinis inuoluunt patrem & esse, & non esse. Si enim filius non sit productus cum intelligitur à patre producendus, pro il- lo instanti erit pater, pro quo non erit filius: quod si tunc non sit filius, ex conse- quio nec pater. Vno enim abnegato, necesse est & alterum abnegari. Tum etiam producens & productum, & re & intellectu sunt simul: nec vnum prius subsistit, quàm aliud. Nec pater quatenus pater, potest intelligi absque habitudine siue res- pectu ad filium. ¶ Ultima assertionis particula supponit patrem esse principium filij, quod facile colligi potest ex ratione principij. Illud enim principium censetur, ex quo aliquid generatur, aut fit, aut spiratur: filius autem est à patre. Dicit enim Christus de seipso, in Euangelio Ioannis, Ab ipso sum, & ipse me misit. Et rursum, Ex deo processit. Astipulatur & huic sententiæ Cyrillus in Ioannem, dicens patrem esse filij principium, nulla alia significatione, quàm vt ex quo: & cum Ioannes di- xit, In principio erat verbum, videtur principij nomine patrem significare. hoc e- nim modo super omnia, natura diuina collocabitur, si omne quod creatum, sub pe- dibus eius intelligatur, vt quasi omnibus insidens quæ creauit, omnia foueat atque conferuet. In hoc igitur quod omnium principium est, quodque super omnia est, in hoc, inquam, principio verbum erat, non cum omnibus sub pedibus eius, sed absq; creatis vniuersis, quasi coæternus arboris fructus in ipso est naturaliter. Faretur & in octauum caput Ioannis, Filium dei esse principium. Nam cum Iudæi dixissent Christo, Tu quis es? respondit Iesus, Principium qui & loquor. Et licet pater sit prin- cipium, pariter & filius, non propterea debes colligere & ratiocinari, duo esse princi- pia, sicut pater est deus, & filius est deus, non tamen plures sunt dij. Nec eadem ra- tione pater & filius & spiritus sanctus est principium. Nam pater est principium si- ne principio, quia à nullo habet suæ deitatis originem. Filius est principium de prin- cipio, quoniam ex substantia patris ante secula est genitus. Et pater & filius sunt vnum & idem principium ratione diuinæ emanationis, & productionis intima, sci- licet respectu spiritus sancti, qui vna & eadem vi spiratiua à patre & filio spiratur. Sunt etiam principium ratione conditionis rerum exterarum. Spiritus sanctus so- lum est principium ratione productionis creaturarum. Eiusdem est sententiæ Au- gustinus libro quinto de Trinitate, capite 14. & ad suadendum patrem esse princi- pium filij, ita ratiocinatur: Si gignens ad id quod gignitur principium est, pater ad filium principium est, quia gignit eum. Et postquam mouit scrupulum, Sinam pa- ter solum sit principium ad id quod gignit, aut ad rem quam dat, dicit: Si ergo & quod datur, principium habet eum à quo datur: quia non aliunde accepit illud quod ab ipso procedit, fatendum est patrem & filium principium esse spiritus sancti, non duo principia. Sed sicut pater & filius vnus deus, & ad creaturā relatiue vnus crea- tor & vnus dominus, sic relatiue ad spiritum sanctum vnum principium. Ad crea- turā vero pater & filius & spiritus sanctus vnum principium sicut vnus creator & vnus dominus. Suffragatur & huic assertioni Damascenus libro primo suæ Theo- logiæ, capite nono, dicens Patrem esse principium filij. Et in eodem capite, idem author subtiliter docet filium semper à patre gigni, & nunquam ab eo separari, si- cut lux ab igne semper gignitur, & nunquam separatur ab eo. In hoc tamen à filio dei dissidet, quod non habet propriam subsistentiam præter ignem. Nam natiua qualitas ignis est, sed filius dei propriam habet subsistentiam præter eam quæ patris

est, scilicet propriam hypostasim, quamuis vna & eadem sit vtriusq; natura. Quod autem filius à solo patre procedens, recte dicatur principium spiritus sancti, probari potest ex verbis Christi dicentis de spiritu sancto, Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Et aliubi, Cum autem venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre, &c. Et sicut patri attribuitur mittere filium, ita & filio mittere spiritum sanctum, licet ambo mittant, quem prius spirarunt quam miserint. & sicut pater non potest intelligi sine filio, ita nec spirans sine eo quod spiratur, hinc pater habet respectum ad filium quatenus pater, & ad spiritum sanctum quatenus spirans, qui prius constitutus est paternitate quam vi spiratiua. Nec proprie constituitur vi spiratiua, eo quod vis illa est communis patri & filio. Nec est proprietatis personalis, eo quod non constituit duntaxat vnam personam: proprie autem pater constituitur paternitate, quæ nulli alteri personæ inest. sed hæc satis sit attingisse speculamina.

CAPVT VII.

Coloffen. 2. **Ioan. 16.** **Ioan. 5.** **Matth. 24.** **Marc. 13.** **Matth. 24.** **Chrysofo.**

Ilius dei scit diem extremi iudicij.] Hanc suadeo Assertionem, In filio dei sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, quod si ignoraret diem illum, non essent in eo omnes thesauri scientiæ absconditi. Adde quod discipuli Christi non scatebant mendacio, dicentes: Ecce nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis: nunc scimus quia scis omnia, & non opus est tibi vt quis te interroget, in hoc credimus quod à deo existi. Tum etiam si quicquid facit pater, similiter faciat & filius: videtur etiam quod quicquid scit pater, sciat & filius: alioqui non esset summa in patre & filio æqualitas. Ad hæc si filius dei nunc nesciret diem illum, & aliquando illius scientiæ indispiceretur, videretur omnimode acquirere scientiam, sicut nos acquirimus, & quod inauditum est, & nephas est dicere, Christus non esset omniscius. Imò absurdus quicquam contingeret, quod scilicet in filio dei esset imperfectio: nam ignorare futura dicit imperfectio, vt scire, concludit perfectionem. Insuper Christus suis reuelauit discipulis prodigia, & signa, ac ruinas, quæ præcederent diem iudicij, quod scilicet audirent prælia & opiniones præliorum, quod denique gens cõsurgeret in gentem, & regnum in regnum, & quod essent pestilentia & fames & terramotus, quod etiam occiderentur propter nomen eius, quod monuit & illos, vt sibi præcauerent à pseudopropheta & pseudochristis. Verum vt commodius agnosceretur vltimus eius aduentus, hac vsus est similitudine: Sicut enim fulgur exit ab oriente, & paret vsque in occidentem, ita erit & aduentus filij hominis. & subiunxit, Vbiunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commouebuntur: & tunc parebit signum filij hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ. Et videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa & maiestate. Et mittet angelos suos cum tuba & voce magna: & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summis cælorum, vsque ad terminos eorum. Ab arbore autem ficæ discite parabolam, Cum iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, scitis quia prope est æstas: ita & vos cum videritis hæc omnia, scitote quia prope est in ianuis. Amen dico vobis, non præteribit generatio hæc donec hæc omnia fiant. Quod si Christus exactissime differuerit de ijs quæ diem extremi iudicij præcedere debent, imò penè expresserit diem illum, haud dubie videtur filius dei diem illū agnoscere. Sed quia Marcus videtur sentire oppositū, dicens, aut verius referens verba Christi, De die autē illo vel hora, nemo scit, neq; angeli in cælo, neq; filius, nisi pater. Pariter in Euāgelio Matthæi dicit Christus, De die autem illa & hora, nemo scit, neq; angeli cælorum, nisi solus pater. Proferam quæ de hac disputatione scripsit Chrysofomus Serm. de trinitate, qui postquam illud Marci protulit De die illo, &c. dicit, licet introducat angelum loquentem, Quomodo ergo æqualis est patri qui nescit diem illā? Qui fecit illam, ignorabitne

illam? Et quare igitur dicit: neque filius. Vide Theoriā exquisitiorem, duas quis scientias & notitias in scriptura inueniet. Vnam quidem quæ ex opere sumitur, alteram verò ex cognitione. Cognouit enim (inquit) Adam, Euam vxorem suam, non quod prius ignorauerit. Aut quomodo ignorasset, qui dixerat, hoc nunc os ex ossibus meis, & caro ex carne mea? Et cognouit Abraham Saram vxorem suam, & Iacob Liam & Rachel. Nū ignorabat illas qui propter illas, annos quatuordecim seruiert? Sciebat quidem illas agnoscendo, opere autem postea cognouit. Itaque pater qui non iudicat quæquam, sed omne iudicium dedit filio, scit diem tam cognitione quam opere: filius autem qui venit vt saluet mundum, & non vt iudicet, scit eam speculatiua notitia: quia autem nondum iudicauit, ideo dixit, ignorat diem, notitiam operatiuam significans. Et enarrando illum Matthæi locū, De die illa &c. ostendit manifeste Christum non ignorasse diem illum, quem nihil potest latere, & post exquisitam probationem ita loquitur: Itaque si diem atque horam curiose scrutaris, non audies à me, ait: sū verò tempora & initia, nihil celabo, sed omnia tibi exacta dicam diligentia. Adde quod Hieronymus eandem pertractans difficultatem colligit Christū id dixisse propter suos discipulos, ne abscondita dei mysteria curiose scrutarentur, quibus non expediebat scire diem vltimi iudicij: & ita loquitur, Gaudet Arius & Eunomius quasi ignorantia magistrī, gloria discipulorum sit, & dicunt: Non potest æqualis esse qui nouit & qui ignorat. Contra quos breuiter ista dicenda sunt, cū omnia tēpora fecerit Iesus, hoc est verbum dei. Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: in omnibus autē temporibus, etiam dies iudicij sit: quia cōsequentia potest eius ignorare partem, cuius totum nouerit? Hoc quoque dicendum est, quid est maius, notitia patris, an iudicij? Si maius nouit, quomodo ignorat quod minus est? Scriptū legimus: Omnia quæ patris sunt, mihi tradita sunt. Si omnia patris, filij sunt, qua ratione vnus sibi dici notitiam reseruauit, & noluit eam communicare cum filio? Sed & hoc inferendum, Si nouissimum diem temporum ignorat, ignorat & penè vltimum, & retrorsum omnes. Nō enim potest fieri, vt qui primū ignorat, sciat quid secundum sit. igitur quia probauimus non ignorare filiū cōsummationis diem, causa reddenda est, cur ignorare dicatur. Apostolus super saluatore scribit, In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Sūt ergo omnes thesauri in Christo sapientiæ & scientiæ, sed absconditi sunt. quare absconditi sunt? Post resurrectionem interrogatus ab Apostolis de die, manifestius respondit: Non est vestrum scire tempora vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate. Quando dicit, non est vestrum scire, ostendit quod ipse sciat, sed non expediat nosse apostolis, vt semper incerti de aduentu iudicis, sic quotidie viuant, quasi die alia iudicandi sint. Denique & consequens Euangelij sermo idipsum cogit intelligi. dicens quoque patrem solum nosse, in patre comprehendit & filiū. Omnis enim pater, filij nomē est. Nec à Hieronymo dissidet Augustinus libro primo de Genesi cōtra Manicheos, capite 22. vbi ad discutiendum huiusce difficultatis scrupum, profert illud Deuteronomij, T erat vos dominus deus vester, vt sciat si diligatis eum. non enim, inquit, vt sciat ipse, quem nihil latet, sed vt scire nos faciat quantum in eius dilectione profecerimus, tentari nos permittit. Secundum ipsam locutionē dicit & dominus noster nescire se diem & horam de fine seculi. Quid enim potest esse quod ipse nesciat? Sed quia hoc vtiliter occultabat discipulis, nescientē se esse dixit, quia illos nescientes occultando faciebat. Secundum hanc figuram, etiam patrem solum dixit scire diem ipsum, quia eundem filium scire faceret. Ex hac figura multæ quæstiones in diuinis scripturis, eis qui iam genus locutionis huius nouerūt, sine vllā difficultate soluuntur. Talibus locutionibus etiam abundat nostra consuetudo, cum dicimus lætū diem, quia nos lætos facit: & pigrum frigus, quia nos pigros facit: & fosam cæcam, quia nos eam non videmus: & linguā politam, quia verba polita facit: postremo etiam quietum ab omnibus molestijs tempus dicimus, in quo nos ab omnibus molestijs quieti sumus. Sic & deus requieuisse dictus est ab omnibus operibus

Gene. 4.
Gene. 2.
Gene. 21. &
29.

Ioannis 5.

Hieronymus

Lucæ 10.

Acto. 1.

Augustinus.

Deutero. 13.

Gene. 2.

fuis, quæ fecit bona valde, quia in illo requiescimus ab omnibus operibus nostris, si opera bona fecerimus: quia & ipsa bona opera nostra illi tribuenda sunt, qui vocat, qui præcipit, qui viam veritatis ostendit, qui vt & velimus, inuitat, & vires implendi ea quæ imperat, subministrat. Et idem annotauit libro primo de Trinitate, capite 12. Et libro vno 83. quæstionum, quæstione 60. Et enarratione in sextum psalmum, similiter in psalmum 36. Tum etiam Theophylactus eandem Christi auctoritatem edisserens, dicit: Sicut & patres sæpe continent quid in manibus, deinde autem dū quærunt hoc filij, & dare ipsi nolunt, occultant dicentes: Nō habemus quod quæratis, & sic plorantes filios compescunt. Ita & dominus vt compescat apostolos, ne discant de die illo & hora, dixit: Neque ego scio, nisi pater solus. Scit enim & ipse horam & diem illum, id quod ex multis alijs manifestum. Omnia enim quæcūque habet pater, filij sunt: scientiam autem habet diei huius, proinde & filius illam habet. Manifestius autem ex hoc: quomodo enim possibile est ignorare filium, cui ea quæ ante diem & hic cognitus est? Nam qui ad vestibulum ducit, manifestum quod is etiam ianuam sciat. Sed vtiliter hunc non aperuit, nobis enim scire non prodest quando consummatio, ne ignaui simus, ignorantia enim nō facit alacres. Origenes homilia 30. in Mattheum videtur sentire cum Chrysofomo, vbi multas ad illius loci enarrationem opiniones refert. Sunt qui dicunt hunc enarrantes locum, filium dei quatenus hominem, non agnoscere notitia naturali diem extremi iudicij, licet sciat notitia supernaturali diem illum. Et hanc negant consequentiam, nec quidem absurde: Solus pater nouit diem extremi iudicij, ergo filius non nouit: & hanc inuoluntati assignant rationem, Signum exclusiuum in essentialibus diuinis, nō excludit aliam personam, sed cognoscere in diuinis est quid essentialiter: nam competit tribus ex æquo personis: idcirco non excludit filium, cum patri additur. Et quæ admodum ex illo Matthei loco, Nemo nouit filium nisi pater, & nemo patrem nisi filius, & cui voluerit filius reuelare, non possumus colligere, Spiritum sanctum non agnoscere filium: ita ex hoc loco, solus pater nouit diem illum, non possumus consequi filium non agnoscere diem illum, in notionalibus tamen & personalibus, nota exclusionis, alias excludit personas. Recte enim sequitur, solus pater caelestis generat, ergo filius non generat, quia generare est quid notionale siue personale, eo quod duntaxat vni personæ diuinæ competit.

CAPVT VIII.

Damascenus Ilius dei assumpsit naturam humanam in atomo, id est in indiuiduo, & quidem substantialiter, nec absque gratia. Primam huius Assertionis partem doctrina diui Damasceni iuadebo, qui de hac excellentissima Assumptione differendo, dicit lib. 3. suæ Theologiæ, capite 11. Deus igitur verbum incarnatum, neque sola cogitatione contemplatam naturam sumpsit (Nam hoc non incarnatio, sed deceptio & figmentum incarnationis) neque in specie consideratam, quando quidem non omnes hypostasies assumpsit, sed in indiuiduo consideratam, & in eadem existentem specie. Primitias enim nostræ massæ assumpsit, non quæ secundum seipsam subsisteret, & indiuiduum prius esset, & sic ab ipso assumpta, sed quæ in eius hypostasi subsisteret. Nam ipsa hypostasis dei verbi, facta est carni hypostasis. Et secundum hoc verbum caro factum, inuertibiliter scilicet, & caro verbum intransmutabiliter, & deus homo: deus enim verbum, & homo deus, propter vnionem secundum hypostasim. Idem igitur est dicere, naturam verbi, & eam quæ in indiuiduo est naturam. Damascenus in illo loco ostendit naturam tripliciter considerari posse. Scilicet aut sola cogitatione, aut in specie, aut in indiuiduo, tunc sola cogitatione consideratur, quando secundum communem eius rationem consideratur, ab indiuiduis animi cogitatione abstractam, & nulla indiuiduorum eius habita consideratione. Et huiusmodi cogitatio solum in animo locum habet nō in re. nulla enim natura secundum seipsam & re ipsa subsistit, separata ab omnibus indiuiduis. non enim natura humana re ipsa abstracta est ab hypostasibus hominū.

Tunc verò consideratur natura secundum speciem, quando secundum rationem omnibus indiuiduis conuenientem attenditur, hoc modo humanitas intelligitur ab omnibus hominibus participata. Demum natura in indiuiduo considerari dicitur, quando attenditur vt in vno subsistens indiuiduo cum singularibus eiusdem proprietatibus & conuenientibus: vt natura Socratis, aut Platonis. Cum igitur dicimus verbum dei humanam assumpsisse naturam, non consideramus naturam primo modo, scilicet sola cogitatione: alioqui non esset secundum veritatem incarnatio, sed solummodo illius effectio, & inanis animi apprehensio. Neque etiam secundo modo consideramus, quoniā non in omnibus hominibus, sed in vno duntaxat hominum indiuiduo huiusmodi assumptio facta est. Sed tertio modo naturam consideramus, in vno scilicet indiuiduo consideratam. itaque cum dicimus naturam verbi, neque solam nominamus filij dei personam, neque solam naturam diuinam tribus personis communem, sed naturam diuinitatis cum hypostasi, vt pote personam verbi dei. ¶ Secundam Assertionis partem ex eodem Damasceno suscipiemus qui libro 3. suæ Theologiæ, capite 3. dicit vnionem naturæ humanæ cum diuina in vnitate eiusdem suppositi, esse substantialem, hoc est veram non secundum phantasiam, apparentiamque fallacem: substantialem autem, non quod ex duabus naturis vna perficiatur natura, sed quod vnitæ sint adinuicem secundum veritatem in vna filij dei hypostasi, & earum substantialem differentiam astruimus saluari. nam creatum māsit creatum: & increatum, increatum: & mortale manebat mortale: & immortale, immortale: & circumscriptum, circumscriptum: & incircumscriptum, incircumscriptum: visibile, visibile: & inuisibile, inuisibile. Et ratione comprobabimus hanc partem. Quod vere est, id est substantia, nulli accidit. Sed humana Christi natura vere est substantia, non igitur fuit verbo dei vnita accidentaliter. Adde quod verbum dei per talem vnionem non fuit mutatum, quod tamē oportet si natura humana illi fuisset vnita accidentaliter. Nec oportet illud quod aduenit post esse completum, accidentaliter aduenire, quando attrahitur in communionem illius entis completi: modo humanitas adducta est ad communionem & conjunctionem illius entis cōpleti, scilicet filij dei. At dices, vnio animæ ad carnem in Christo, non inest filio dei essentialiter, alioqui filius dei non potuisset esse sine hac vnione, igitur inest ei accidentaliter. Argumentum concluderet, si talis vnio ei inesset re ipsa siue realiter, modo sola ratione & habitudine quadam inest. Nam hæc vnio est quadam relatio considerata inter diuinam naturam & humanam, quatenus conueniunt in vna persona filij dei. Omnis autem relatio considerata inter deū & creaturam, realiter est in creatura, cuius mutatione talis relatio innascitur: nō tamen est in deo realiter, sed sola ratione, quia non innascitur secundum mutationem dei, deus enim est immutabilis. ¶ Tertiā Assertionis particulā ex Augustino defendam. Sic enim loquitur agēs de generatione Christi temporanea, libro de Prædestinatione sanctorum, capite 15. Quisquis in capite nostro præcedentia merita singularis illius generationis inuenerit, ipse in nobis mēbris eius præcedētia merita multiplicata regenerationis inquirat. Neque enim retributa est Christo illa generatio, sed tributa, vt alienus ab omni obligatione peccati, de spiritu & virgine nasceretur. Sic & nobis vt ex aqua & spiritu renasceremur, non retributum est pro aliquo merito, sed gratis tributum, in eodem opere dicit, quod gratia dei homo ille ab initio suo factus est Christus. Et 13. de Trinitate, capite 19. dicit, quod in rebus per tempus ortis illa summa gratia est, quod homo in vnitate personæ cōiunctus est deo. Et in hac parte differere volumus de gratia, vt est gratuita dei voluntas, qua effectum est pro summa humani generis vtilitate, vt verbum diuinum naturam humanam assumeret. Si tamen gratia sumatur pro habitu perficiente animam, huiusmodi assumptio non est facta mediante gratia. Non enim talis gratia fuit medium, & ratio formalis huiusce assumptionis, & hac ratione mouetur quidam ad id suadendum: Si talis gratia fuisset medium assumptionis, aut fuisset mediū necessitatis: & id dici

Augustinus

Ioan. 3.

non potest, quia absolute & simpliciter verbum potuit assumere creaturam irrationalem, tamen plerique negent: quia talis creatura non est nata dei gratiam & gloriam assequi. Nec medium congruitatis, quia natura assumpta ita personatur (vt volunt) in verbo, sicut personata fuisset in proprio supposito: sed si natura fuisset sibi derelicta, fuisset persona, aut personam constituisset in proprio supposito absque gratia: ergo sine ea vnitur verbo, & in eodem personatur. Et notissimum est gratiam habitualement ordinem naturae subsequutam esse illam vnionem personalem à qua simpliciter non pendeat. Hæc ex Scholasticorum fontibus.

CAPVT IX.

Debitus non est occidendus pro vitio sui patris.] Hanc suadeo Assertionem ex eo quod scriptum est in Deuteronomio: Non occidentur patres pro filiis, nec filij pro patribus, sed vnusquisque pro peccato suo morietur. Dicunt tamen nonnulli hunc enarrantes locum, filium non debere occidi pro patre, morte quidem æterna & spiritali. Nā dicit dominus per Ezechielem, Filius non portabit iniquitatem patris. morte tamen corporea & temporali interficitur filius pro delicto sui patris & e contra. Dicunt & alij, quod iudicibus temporalibus nullo modo est licitum enecare filios pro crimine patris: & hanc sibi vdicat intelligentiam illa Deuteronomij scriptura, Nō occidētur patres pro filiis, nec filij pro patribus, nisi filij participes fuerint vitij patris, & tunc non interficerentur tam pro peccato patris quam pro peccato proprio. Deus tamen qui est author vitæ & mortis, potest interficere filios pro peccatis parentum & ediuerso, sicut in diluuiō pro peccatis parentum submersi sunt paruuli, qui nihil tamen mali admiserant: & per angelos sanctos, in subuersione Sodomorum interfecit paruulos vnā cum parētibus, & aliquando per angelos malos, quibus ad executionē suā iustitiæ vtitur, innocentes pro scelere parētum punit, vti pro peccato Aegyptiorum primogeniti fuerunt interfecit etiam paruuli. Et hanc aliquando animaduersionem efficit opera hominū. Dei siquidē imperio filij Israel interfecerunt habitatores terræ Chanaan cum vxoribus, & filiis quantumlibet paruis. Sed absque speciali dei præcepto, non possunt innocentes pro scelere parentum interfici. Hanc tamen explicationem Lyranus nititur oppugnare, in idem Deuteronomij caput. In sacris siquidem literis comperimus filios pro peccatis parentum interfecit, etiam absque speciali dei iussu, sicuti habetur Iudicum 7. quod Acham cum filiis & filiabus interfecit, nec legimus filios illos fuisse participes & cōscios furti patris. Nec dominus præceperat eos cum patre lapidibus obrui. Adde quod Iudicum 20. decem tribus pugnantibus contra tribum Beniamin, interfecerunt mulieres & paruulos pro peccato parentum. Nec tamē legitur quod dominus præceperat id fieri. Ideirco adnotat ille quod facit ad explicationem Deuteronomij, Occisionem bifariā considerari. Vno modo, vt est pœna tantum, & sic habet rationem mali, cum sit priuatio boni, scilicet vitæ, quod est maximum corporis bonum, & sic nullus iuste occiditur pro peccato alterius. Alio modo cōsideratur vt est medicina quædam, quia morte aliquorum multi deterrentur, & à peccatis cohibentur, & sic non habet rationem mali simpliciter, sed secundum quid. Sed expendamus paulò exquisitius, quidnam de hac disputatione dicat Augustinus libro quæstionum super Iosue ad 7. caput, quæstione quidē 8. vbi hanc agit quæstionem, Quomodo iuste pro alterius peccatis, in alijs vindicetur. Nam pro peccato Acham 36. viri fuerunt interfecit ex tribus milibus quæ missa fuerant ad expugnandam ciuitatem Hai. Quæstioni propositæ tandem respondet Augustinus, sed interrogationis forma. An aliud (inquit) iudicium hominibus est præceptum, ne quæquam pro altero puniant, & dei iudicia non sunt eiusmodi, qui alto & inuisibili consilio suo nouit quatenus extendat etiam temporalem hominū pœnam, salubremque terrorem? Visibiles igitur (vt deinde subiungit) afflictiones hominum siue mortes, quoniam his quibus ingeruntur & obesse & prodesse possunt, nouit dominus in occulto prouidentie suæ. Pœnas verò inuisibiles quæ non nisi no-

cent, & prodesse non possunt, ita nullus deo iudice pro alienis peccatis luit, sicut homine iudice luere nullus nisi pro sua culpa istas visibiles debet. Et in Deuteronomio, quæstione 42. proferens quod dicit dominus per Moysen, non morientur patres pro filiis, & filij non morientur pro patribus, vnusquisque in suo peccato morietur, dicit: Ecce non solum prophetæ hoc dixerunt, verum etiam lex dicit, sua culpa quemque interimendum, non autem patris sui aut filij sui. Quid est ergo quod alibi dicitur deus reddens peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem? An de filiis nondum natis illud intelligitur propter Originale peccatum, quod etiam ex Adam traxit genus humanū? hic autem de filiis iam natis est facta distinctio, vt vnusquisque in suo peccato moriatur. Non enim trahit aliquid ex patre qui iam natus erat, quādo pater eius peccauit. Adde quod Gratianus distinctio-
Exo. 20.
Distinct. 56.
 ne 56. capite Vndecunquē, ostendit ex Augustino vitia parentū non esse filijs imputanda. Vndecunquē homines nascantur, si parentum vitia non sectantur, honesti & salui erunt. Semen enim hominis ex qualicumque homine dei creatura est, & eo male vtentibus male erit, non ipsum aliquando malum erit. Sicut autem boni filij adulterorum nulla est defensio adulterij, sic mali filij conjugatorum nullam est crimen nuptiarū. Et capite Sponsus, ex eiusdem authoris sententia dicitur: Sponsus ille qui vocaturus erat ad nuptias bonos & malos congruens inuitatis, nasci etiā voluit de bonis & malis. quo exemplo discant parentum suorum filij, iniquitates sibi obesse non posse. Et capite Nūquam, ex Chrysofomo homilia 4. super Matthæum scriptum est: Nunquam de vitijs erubescamus parentū, sed illud vnum quæramus, & semper amplectamur, virtutē videlicet: huiusmodi etiam si alienigenam quis habeat matrem, etiam si fornicatione pollutā, vel quolibet huiusmodi dedecore sordidatam, nihil tamen de eius aut vilitate fuscabitur, aut crimine polluetur. Quod si fornicatorem ipsum ad meliora conuersum nequaquam prior vita commaculat, multo magis ex meretrice natus & adultera, si propria virtute decoretur, parētum suorum non dedecorat opprobrijs. Item non est omnino nec de virtute nec de vitio parentum aut laudandus aliquis aut culpandus, nemo vere inde aut obscurus aut clarus est: imò etiā vt consideratius aliquid dicamus, aut expressius, nescio quomodo ille magis resplendet qui natus est ex parentibus à virtutibus profusus alienis, quā ipse qui fuerit dei virtute mirabilis. Et capite Nasci, ostendit ex Hieronymo
Chrysof.
Hieronymo
 in epistola cōtra Ruffinum, non parentum sed propria culpa quemque condemnari. Nasci de adulterio nō est eius culpa qui nascitur, sed illius qui generat. Quomodo in feminibus non peccat terra quæ confouet, non semen quod in sulcis iacitur, non humor vel calor quibus temperata frumenta in germen pullulant, sed verbi gratia, fur & latro qui fraude & vi eripit semina, sic genus humanum recipit terra, id est vulua, quod suum est, & receptum confouet, & confotum corporat, corporatum in membra distinguit, & inter illas sacri ventris angustias, dei manus semper operatur: idēque corporis & animæ creator est. Noli despiciere bonitatem figuli, id est dei qui te plasmanit & fecit vt voluit: ipse est dei virtus, & dei sapientia, qui in vtero virginis Mariæ ædificauit sibi domum. Iepte inter viros sanctos apostoli voce numeratus, meretricis est filius. Esau de Rebecca & Isaac hispidus tam mente quā corpore quasi bonum triticum inter liliū auenāque degenerat, quia non in feminibus, sed in voluntate nascens causa vitiorum est atque virtutum. Et capite Satis, exprimit ex Gregorio, non aliena culpa, sed propria aliqūe ab eo quo fungitur, deijci de gradu, Satis peruersum & cōtra Ecclesiasticam probatur esse censuram, vt frustra quorundam parentum voluptatibus, suisque priuatur officijs, quæ suaculpa vel facinus, ab officij quo fungitur gradu, nō deijcit. Et Causa prima, quæ-
Hebræ. 11.
Gene. 25.
Gregorius.
1. quæst. 4.
 stione 4. capite Iam, declarat ex sententia Augustini ad Bonifacium, non imputari peccata parentum his qui ab eis personaliter diuisi probantur. Iam itaque cum homo in seipso ab eo qui genuit eū alter est effectus, peccato alterius sine sua consensione nō tenetur obnoxius. Traxit ergo reatum quia vnus erat. cum illo, & in il-

lo à quo traxit, quando quod contraxit admissum est, non autem trahit alter ab altero, quando sua vnoquoque propria vita viuente, iam est vt vere dicatur, Anima quæ peccauerit ipsa morietur. Vt autem regenerari possit per officium voluntatis alienæ cum offertur consecrãdus, facit hoc vnus spiritus, ex quo regeneratur oblatus. in capite etiam: Non imputantur, scriptum est ex eadem Augustini doctrina ad Auxilium Episcopum, Non imputatur filijs peccata parentum, quæ post eorum natiuitatem à parentibus committuntur, nec pro peccatis parentum spiritali pœna filij sunt plecendi: officio autem vel beneficio Ecclesiæ priuari spiritalis pœna est, non igitur hanc ex peccato patris promeretur filius. Præterea Clithoueus in suis ad Cyrillum additionibus, enarrans illum Ioannis locum, Et præteriens Iesus, vidit hominem cæcum à natiuitate, & interrogauerunt eum discipuli eius, Rabbi quis peccauit, hic aut parètes eius, vt cæcus nãceretur? dicit ob iniquitates parentum nonnunquã filij temporariam & in hac vita subeunt pœnam. Enimuero irriserat Cham Noe patrem suum, tulit autè maledictionem patri debitam Chanaam filius Cham, cui dictum est, maledictus Chanaam: seruus seruorum erit fratribus suis. Et dominus in monte Sina sermones legis explanans ad populum Israel: Ego sum (inquit) dominus deus tuus fortis Zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem. Dereliquerat Salomon dominum, adorans idola mulierum alienigenarum, quarum ardentissimo amore tenebatur. Ob quod à Roboam filio eius ablata sunt decem tribus Israel, & data Hieroboam filio Nabath. Demum offenderat Achab grauiter oculos domini, quod interfecto crudeliter Naboth, vineam eius possedit: at quia se conuertit ad pœnitentiam, ieiuniisque & cilicio se afflixit, ad Heliam factus est sermo domini, Quia Achab humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius, sed in diebus filij sui inferam malum domini eius. Aeternam verò pœnam, & ignem inferni non patiuntur vnquam filij pro crimine suorum parentum, quemadmodum per Ezechielem dictum est, filius non portabit iniquitatem patris, nec pater iniquitatem filij, sed vnusquisque in peccato suo morietur. Hæc ille. Ex sacris igitur scripturis, & his quæ paulo antè adduximus, colliges filiũ non esse à iudice humano puniendũ & occidendum pro crimine sui patris, licet à deo puniri possit pœna quidè temporaria & quæ prodesse potest saltè alijs, pœna tamen inferni siue gehenna, nunquã à deo punitur pro scelere suorum parentũ.

C A P V T X.

1. Corint. 7.

Idalis vxorem habens infidelẽ, non dimittat illam, si cõsentiat cum illo habitare.] Hæc Paulina est Assertio, ita enim loquitur Paulus in prima ad Corinthios Epistola, Si quis frater vxorem habet infidelẽ, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier habet virũ infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum, & hac nititur ratione suam suffulcire Assertionem, sanctificatus est enim vir infidelis per mulierẽ fidelẽ, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem, alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Nec velim in hac Assertione dicere Paulum præcipere, viro qui ab infidelitate ad fidem defecit, & ad Christum conuersus est, vt suam vxorem in infidelitatis vitio pertinacem non dimittat. Nam ei licet suam relinquere vxorem saltè quantum ad thorum siue cohabitationem, eo quod renatus ex aqua & spiritu sancto, priori vitæ moritur, idcirco non obstringitur reddere debitum vxori petenti, cui tamen ante conuersionem astringebatur: quemadmodum ex consensu suæ vxoris vouens perpetuam continentiam, & ingressum religionis nõ obligatur eo iure quo prius obligabatur suæ vxori. Nec habet amplius vxor ius exigendi debitum à viro, qui priori vitæ mortuus est. Et hæc infidelitas, est fornicatio spiritalis, quòd si liceat propter fornicationem carnalem aut adulterium, suam deserere vxorem quãtum ad thorum, licebit fortiori argumento propter fornicationem spiritalem carnali grauiorem, relinquere vxorem. Sed Paulus consultit viro ad fidem conuerso, vt suam vxorem non dimittat, si modo consenserit cum illo

habitare vbi est spes cõuersionis ipsius infidelis, nec conetur vxor illa infidelis, suũ pertrahere maritũ ad infidelitatem, nec Christo impropere, aut vllã creatori face re cõtumeliam. Et vxor infidelis quæ negligit & contemnit cõuerti ad fidẽ Christi, meretur priuari iure quòd prius habebat in corpus sui viri. Chrysofostomus enarrans illũ Pauli locũ dicit, Quemadmodũ enim cum de abijciendis meretricibus disputat, correctione rem facit faciliorem his verbis, Non vtique fornicarijs huius mundi: ita hoc in loco multa vitur in consulendo facilitate, inquit: Si qua vxor virum, aut vir vxorem infidelem habet, nõ dimittat eam. Quid dicis? an infidelis manebit cũ viro, fornicaria verò minime? Atqui minus est vitij fornicatio, quã incredulitas. minus quidem, fateor. Sed deus suis maiorem in modum parcat, hoc & in sacrificio facit dicẽs, Relinque ibi munus tuũ ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, hoc idem in eo, qui decem talenta debebat, ostendit: etenim illum cum tantum sibi deberet, non puniuit, cum autem à consueto exigeret, totum repetijt debitum. Deinde ne timeat vxor se immundam fieri propter immundi viri cõsuetudinem, addit, sanctificatus est enim vir infidelis per vxorem fidelẽ. At si is qui meretrici adhæret, vnum cũ ea corpus efficitur: constat quòd qui idololatræ adhæret, vnum efficit corpus. Est quidem vnum corpus, non autem immundum, sed vincit vxoris puritas viri immunditiam, & fidelis viri puritas rursus infidelis vxoris immunditiam superat. Sed quãnam ratione in infideli, immunditia vincitur? & quare infidelis consuetudinem suadet? In fornicaria autem muliere non accusatur vir, si eam dimittit? Quoniam illic quidem spes relinquitur, vt pars perdita per nuptias saluetur: hic autem iam nuptiæ dissolutæ sunt: & hic ambo corrumpuntur, illic vero alterius dumtaxat peccatum est. vt exempli gratia, Est fornicaria omnino coinquinata. Si igitur qui ei adhæret, vnum corpus efficitur, & ipse coinquinatur qui fornicariæ commiscetur. Idcirco omnis abscedit munditia. in idololatra autè non ita vsu venit, sed ipse tantum immundus est, vxor verò munda. Quòd si ei coniungeretur inquantũ immundus est, dico autem quantum ad impietatem, deberet ipsa quoque immunda fieri. Nunc autem aliter immundus est idololatra, in alia verò re ei communicat mulier, in qua non est immunda. nuptiæ enim sunt & coitus corporum, inquantum communicatio, & rursus hunc quidem ab vxore reuocari sperandum est, conuersatus est enim cum ea. Hæc ille. Dicit tamen Ambrosius in suis cõmentarijs epistolaru Pauli ad Corinthios, Paulũ præcepisse fideli viro, vt non dimittat vxorem infidelem, si cõsenserit habitare cum illo. sed vt conijcere possim, non sumit præceptum simpliciter, sed secũdum quid, ne mulier illa deterior fieret, si omnino despiceretur à suo viro: potius tamen est consilium quã præceptum. Sic enim scribit enarrans illam Pauli Assertionem: Hoc dixit, quia inter illa primordia cum ambo vtique essent gentiles, siebat vt vnus ex his crederet, & quia horrebant perfidi culturam dei, similiter & credentes contaminationem præteriti erroris, ideo præcipit vt si contenti essent habitare cum immutatis, contenti essent fideles cum illis. Adde quòd nobis fauet Glossa ordinaria quæ est Augustini, ad hunc locum edificandũ: Cum verò (inquit) cõpisset gentibus Euangelium prædicari, iam coniunctos gentiles gentilibus cõperit, ex quibus si non ambo crederet, sed vnus vel vna, & infidelis cum infideli consentiret habitare, nec prohiberi à domino debuit fidelis infidelẽ dimittere, nec iuberi. Ideo enim non prohiberi, quia iustitia permittit à fornicante discedere, & infidelis hominis fornicatio, est maior in corde quã in carne. Ideo autem nec iuberi, quia non contra iussionem domini gentiles fuerunt ambo coniuncti. Licitum ergo erat per iustitiam, sed licitum non erat faciendum propter liberam beniuolentiã. In eandem quoque sententiam descendit Glossa interlinearis, dicens: Non præcipit, sed consultit, vt si quis aliter agat non sit transgressor, sicut post de virginibus consultit. Monet ergo quòd est lucrandi occasio, cum possit licite relinquere, sed nõ expedit. Nec illa Christi sententia nobis aduersatur, Quicũque dimiserit vxorem suam nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & 19.

Chrysofost.

Matth. 5.

Matth. 18.

1. Corint. 6.

Ambrosius.

Glossa Ordinaria.

1. Corint. 7.

Matth. 5.

& 19.

& qui dimissam duxerit, mœchatur: ex qua aliquis colligeret solum propter carnis fornicationē esse dimittendam vxorem. Nam illa saluatoris sententia authore Augustino in libro 83. quæstionum quæstione vltima, intelligenda est de vtroque fide-
 li, & marito & vxore: vt si ambo fideles sint, neutri liceat alterū relinquere nisi cau-
 sa fornicationis, vbi non potest paganismus intelligi, quia vterque fidelis est. Sic enim & apostolus videtur distinguere cū ait: His autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed dominus, vxorem à viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Vbi etiam intelligitur, quod si vna illa causa qua sola relictio coniugij permittitur, mulier à viro recesserit, innupta perseverare debet: aut si se non cōtinet, viro potius reconciliari vel corrigendo vel certe tolerando quàm alteri nubere. Sequitur autem & dicit, & vir vxorem non dimittat, breuiter eandem formam intimās in viro, quam præcipiebat in fœmina. Quibus ex præcepto domini insinuat ita sequitur: Cæteris autem ego dico non dominus, Si quis frater habet vxorem infidelem, & hæc cōsentit habitare cum illo, non dimittat illam: vbi hæc enarrando verba, dicit Apostolum de hac re consilium dedisse, vt fidelis volentem secum esse coniugem infidelem non dimittat. Et cum dicit, Ego dico non dominus, vt dominus intelligatur non quidem iubere vt dimittatur, ne contra iussum eius consilium dare videatur apostolus, sed tamen permittere, vt nemo in ea re iussionis necessitate teneatur, sed cōsiliij voluntate libere faciat. ¶ Sciscitabitur quispiam an fidelis discedens à sua vxore infideli, possit aliam ducere, aut saltē si eius vxor discesserit. Et id dicendum esse videretur. nam dicit Paulus in eadem epistola: Quod si infidelis discedit, discedat: non enim seruituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi, in pace autem vocauit nos deus. Quem locum enarrās Chrysofostomus, dicit: Hoc enim in loco non iam de fornicatione agitur. Quid autē est si infidelis discedit? Videlicet si tibi imperat vt sacrifices, & impietatem cum eo propter matrimonium cōmunicas, vel vt discedas: melius est diuortium facere nuptiarū, quàm pietatis. Idcirco addidit, non est enim seruituti subiectus frater, aut soror in huiusmodi. Si singulis diebus pugnat, & propter hoc, bellū gerit: melius (inquit) est discedere. hoc autem his verbis significat, in pace autē vocauit nos deus. Ille enim iam causam præbuit, quemadmodum & fornicator. Hæc ille. Et ratione vnica ad idem suadendū decertabo, Vir non debet habitare cum vxore infideli nolente cum eo diuersari absque blasphemia creatoris & contumelia. si igitur non liceret viro aliā ducere, cogeretur perpetuo seruari incontinentiam, quod tamen est absonum, alioqui ex sua conuersione consequeretur incommo- dum. At tamen in cōtrarium certabis, Vinculum indissolubile rationi matrimonij annectitur, nec absque morte dirumpitur: videtur igitur quod non licet tali viro alteram ducere vxorem. ¶ Dicunt quidam doctores peritissimi, Si infidelis vxor non velit cohabitare cum viro fideli sine contumelia creatoris, hoc est, sine hoc quod virum fidelem ad infidelitatem pertrahat, nulla alia ratione considerata, potest fidelis libere discedere, sed non potest alteram ducere in vxorem: si verò mulier infidelis cū contumelia creatoris, in verba blasphemiae prorūpat, & detestetur Christi nomen, tunc fidelis potest alteri iure coniugij copulari. Et ratio est, execrandum vxoris scelus nolentis suo viro associari, absque contumelia creatoris, & inaudita blasphemia, absoluit virū à iure quo vxori astringebatur, supponendo quod ab assueta blasphemia non respiscat, licet ex sola blasphemia forsitan nondum sit solutum matrimonium, quia si eam pœniteret suæ blasphemiae, antequam vir ille alteram duxisset in vxorem, vere censeretur eius maritus, sed soluitur per subsequens matrimonium ad quod peruenire non posset nisi solutus esset à seruitute vxoris per culpā. Ad rationem adductam dico, vinculum primi matrimonij esse disruptum per subsequens matrimonium, propter culpam vxoris infidelis, quæ prorumpit in blasphemiam creatoris, & noluit cohabitare cum viro nisi eum attraheret ad infidelitatem. Dicerent & alij sola carnis fornicatione solui vinculum matrimonij. Idcirco quantumlibet

Augustinus.


1. Corint. 7.

1. Corint. 7.

Chrysofost.

mulier illa afficeret deum contumelijs & blasphemijs, non posset vir fidelis viuente sua vxore infideli, alteram in vxorē ducere: Christus enim solam excepit fornicationem, vt diuortium pro alijs vitijs non fiat. Sed elige quod velis.

CAPVT XI.



Illius post professionem in religione factam, non astringitur egredi cœnobium vt sui parentis inopiam subleuet. Hanc suadeo Assertionem, Filius per talem professionem deo consecratus est, & animum & corpus diuinæ religioni deuouit, igitur propter necessitatem sui patris non debet egredi cœnobium, alioqui transgredere- tur votum obedientiæ, & suū superiorem offenderet, si niteretur egredi suo prælato reclamante. Adde quod religio- sus ille mūdo mortuus, absolutus est à iure, quo tenebatur suo patri succurrere, nec minus per mortem spiritalē solutus est à cura patri impēdenda quàm per mortem corpoream. idcirco cum non possit debitum patri præstare officium & ministerium, non peccat si non succurrerit necessitati sui patris. Si tamen nondum sit ingressus religionem, non tenetur ingredi neglecta patris extrema inopia, nec potest suas opes tunc temporis deo vouere. nam eius bona in tali hypothesi sunt patri debita, & de alieno nullus potest deo sacrificium offerre. idcirco Christus acriter reprehendit Scribas & Phariseos quod transgredere- tur mandatū dei propter traditiones hominum. deus enim dixit, Honora patrem & matrem, & qui maledixerit patri vel matri morte moriatur. Vos autem dicitis, quicumque dixerit patri vel matri, munus quodcumque est ex me tibi proderit, & non honorificabit patrem suum, aut matrem suam, & irritum fecistis mandatū dei propter traditionem vestram. Hypocritæ bene prophetauit de vobis Esaias dicēs, Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas & mādara hominum. Si tamen pater suam posset transigere vitam absque filij subsidio, posset filius inuito homine qui illum conaretur à rebus diuinis auocare, religionem ingredi, quod pulchre commonet Hieronymus in epistola ad Heliodorum dicens, Licet paruulus ex collo pendeat nepos, licet sparso crine & scissis vestibus vbera quibus te nutrierat, mater ostendat, licet in limine pater iaceat, per calcatum perge patrem, sicis oculis ad vexillum crucis euola. Solū pietatis genus est, in hac re esse crudelem. Et enarrans illa Christi verba, Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus, dicit: Hic ordo in omni affectu necessarius est: ama post deum patrem, ama matrem, ama filios. Si autē necessitas venerit vt amor parentum ac filiorum dei amori comparetur, & non possit vtrumque seruari: odium in suos, pietas in deum est. Tum etiam hac in re nobis fauet Chrysofostomus edisserens illum Matthæi locum, Sine mortuos sepelire mortuos suos, vbi dicit: Nō debet pater abducere filium à spiritualibus, cum per alios ministerium patris exerceri potest. Alia ratione decertabo ad communiendum nostram Assertionem, Filius cum ad prouectam ætatem peruenit sicut potest inuitis parentibus licite matrimonium contrahere vel sacris ordinibus initiari, ita potest ingredi religionem, modo pater eius opera non indigeat: sed per matrimonium excusatur vt non astringatur amplius manere cum patre. Similiter sacerdotium eum excusat, vt non defendat patrem ab hoste vsu armorum, quia ei non licet belligerari, igitur fortiori argumento, Professio religionis eum excusabit à præstando patri officio. Et his confligit rationibus Lyranus in decimūquintū caput Matthæi, ad locum nuper citatum. Et in hanc propemodum sententiam descendit Theophylactus enarrans illa Christi verba, Sine mortuos sepelire mortuos suos: Postquam (inquit) se tradidit deo, non debet denuo ad huius vitæ curas reuerti, oportet venerari parentes, sed magis deum. quod si non licuit illi discipulo sepelire patrem, vā his qui monasticen professi, ad mundana regrediuntur negotia. Sunt etiam (vt inquit Glossa Ordinaria ad illum locum) minora bona pro maioribus prætermittenda. Nemo etiam nescit carnalia esse spiritualibus postponenda. Et religio-

Math. 15.
Exo. 20.
Deutero. 5.
Eph. 6.
Exo. 21.
Leuiti. 20.
Esa. 29.

Hieronymus

Chrysofost.
Matth. 8.

Lyranus.
Theophyl.

Glossa Or.
dinaria.

nem pietati antependā. Præterea non licet mihi propter patrem militiam Christi deferere, cui sepulturam Christi causa, non debeo, vt dicit Hieronymus, in epistola ad Heliodorum. Huc accedit validissimum argumentum, quod Paulus retinentibus se fratribus, ne Hierosolymam pergeret, respondit: Quid facitis plorantes & conturbantes cor meum? Ego enim non solum ligari, sed & mori in Hierusalem paratus sum pro nomine domini Iesu Christi. viden Paulum suos contempnissse parentes, eorumque lachrymas repressisse, vt Christo adhereret, nec pro nomine Christi supplicia reformidaret? Ad hæc plurimum facit quod scribit Ambrosius, in nonum caput Lucæ, eandem de sepultura patris difficultatem pertractans, vbi inquit, Itaque cū religiosum humandi acceperimus officium, quemadmodum hic paterni quoque funeris sepultura prohibetur, nisi vt intelligas humana post habenda diuinis? Bonum studium, sed maius impedimentum. Nam qui partitur studium, deriuat affectum, qui diuidit curam, differt profectum. Ergo prius obeunda quæ maxima sunt. Nam & apostoli ne occuparent studium disputandi, ministros pauperibus ordinarunt. Et ipsis, cum à domino mitterentur, neminem in via salutare præscriptū est, non quo benevolentia displiceret officiū, sed quo persequendæ deuotionis intentio plus placeret. Et inferius cōcludit, Non ergo paterni funeris sepultura prohibetur, sed necessitudini generis, diuinæ religionis pietas antefertur. Illud cōsortibus relinquitur, hoc mandatur electis. ¶ Verū differet quispiam in hunc modum, Reprehendūtur à Christo Scribæ & Pharisei quod docuerint pessimos filios vouere deo ea quibus parētes indigebant. Et licet votū sit excellens sacrificium deo factum, tamen non adimebat illis ius naturale & diuinum, quo tenebantur honorare suos parentes honesto pietatis officio, vbi potissimum extreme indigebant. videtur igitur quod ingressus religionis & solennis professio non excuset filios religionis iugo deuinctos, quominus debeant succurrere patri extreme indigenti. ¶ Non modica est hæc ratio, nec parui momenti: cui tamen satisfacere contendam, & iam muniuimus viam ad dirimendum hunc scrupulum, quod non licet filio vouere deo ea quibus pater summe indiget, & hac de causa reprehenduntur Scribæ & Pharisei auaritia addictissimi, quod consuluerint filijs pessimis, vouere deo facultates, quibus parentes extreme indigebant. Hinc Hieronymus explicans illud præceptum Veteris legis, à Christo repetitum, Honora patrem & matrem & cætera, dicit: Præceperat dominus vel imbecillitates vel ætates vel penurias parentum considerans, vt filij honorarent etiam in vitæ necessarijs ministrandis parentes suos. Hanc prouidentissimam dei legē, volentes Scribæ & Pharisei subuertere, vt impietatem sub nomine pietatis inducerent, docuerunt pessimos filios, vt si quis ea quæ parentibus offerenda sunt, deo vouere voluerit, qui verus est pater, oblatio domini præponatur parentum muneribus, vel certe ipsi parentes quæ deo consecrata cernebant, ne sacrilegij legem incurrerent, declinantes, ægestate conficiantur. Atque ita fiebat vt oblatio liberorum sub occasione templi & dei, in sacerdotum lucra cederet. Hæc pessima Phariseorum traditio, de alia veniebat occasione. Multi habentes obligatos ære alieno, & nolentes sibi creditum reddere, delegabant sacerdotibus, vt exacta pecunia ministerijs templi, & eorum vsibus deseruiret. Hæc ille. Cum autem insultas acrius, Votum illud non adimit ius naturale & diuinum, siue præceptum quo tenentur filij honorare patrem & matrem, etiam post ingressum religionis, quia in hoc versatur rei pondus: fateor sanè quod absolute & simpliciter tale votū filiorum non tollit præceptum illud, quo tam iure naturali quàm diuino tenentur parētes honorare, neq; religiosus omnino absoluitur ab illo præcepto, sed absoluitur ab aliquo modo implēdi præceptum, quia præceptum quo obstringimur honorare parentes cum sit affirmatiuū, non obligat, quemadmodū nec cætera præcepta affirmatiua, ad semper, sed pro loco & tēpore, & alijs debitis circumstantijs, quæ aliquando variātur pro conditione ipsius implentis præceptū, quia aliquis modus subueniendi patri, efficitur inconueniens & illicitus ipsi filio per

Acto. 21.

Ambrosius:

Hieronymus

assumptionem status liciti & perfecti, sicut subuenire patri præsidio armorū est illicitum sacerdoti, tenetur tamen alijs modis succurrere patri, qui suo statui non officiant. Ita illicitum est religioso contra voluntatem sui superioris subuenire patri, nouit enim eius pater filium suum factum imbecillum & impotentem, vt ei subueniat, & eius voluntatem omnino sui superioris voluntati inniti, & ab eadem pendere. Et id sibi debet persuadere suum ducem & præfectum, nolle ei quicquam præcipere, aut faciendum præscribere, quod iustum non sit & licitum: debet tamen filius, in natium patris amorem propensissimus, conari pro viribus vt sua vel alterius opera releuctur sui patris inopia. Et hac in re adimplet illud de honore patris præceptum, prompto quidem affectu, cum ei non suppetant opes quibus famem sui patris restinguere possit. Non desunt tamen qui dicant, quod si talis religiosus sciat suum patrem laborare extrema necessitate, & quæserit facultatem à suo prælato, quanuis non obtinuerit, haud dubie potest egredi fores sui cœnobij, vt pascat suum patrem famelicum, quia præceptum iuris naturalis & diuini in extrema necessitate præminet voto. sed illi non expenderunt diligenter vinculum voti emissi de perpetua in deū religione, fortius esse vinculo pietatis in parentes. Quis enim tam betho & crasso est ingenio, vt intelligere non possit, religionē esse pietati præferendam? Audi lubēter quidnam Christus responderit Petro dicenti, Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Nec quis est qui addubitet, quin iure diuino religiosus astringatur deo sua vota reddere. cum igitur per mortem illam siue abdicationem suorum bonorum, & contemptum sui, sit solutus à cura patri impendenda, iuste colligemus illum non teneri cœnobium egredi, vt patri succurrat.

CAPVT XII.



Ideli non licet, alteri imprecari malum.] Hanc ex sacris literis Assertionem eruere conabor. Volens Christus suos discipulos ad summum perfectionis cacumē euehere, & omnibus Christianis persuadere, vt æthnicos ac publicanos iustitia præcellerēt, dixit: Audistis quia dictum est, Diliges proximū tuum & odio habebis inimicū tuum. Ego autē dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calūniantibus vos, vt sitis filij patris vestri qui in cælis est. Et aliubi, Benedicite maledicentibus vobis. quod si Christus nobis præceperit vt diligamus inimicos nostros, & benefici simus his qui nos iugi odio persequuntur, & oremus pro his qui nostris laudibus & honestis operibus inuidet, nec desinunt nostra calumniari studia, & benedicamus his qui nobis maledixerunt & nostram famam læserūt, non debemus malum alijs imprecari: alioqui non erimus filij adoptiui patris cælestis, qui solem suum facit oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Adde quod nobis aridet Paulus dicēs ad Romanos quod Euangelio consentaneū est, Benedicite persequentibus vos, benedicite, & nolite maledicere. nec solum monet Romanos vt nō maledicant, sed vetat ne prorumpant in maledictionem. Tum etiam dicit beatus Petrus de amplexanda benedictione & deuitanda maledictione, Christus passus est pro nobis, relinquēs nobis exemplū, vt sequamini vestigia eius, qui peccatū non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, qui cū malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur, tradebat autem iudicanti se iniuste. Et aliubi, Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed econtrario benedicentes, quia in hoc vocati estis vt benedictionē hæreditate possideatis. Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos, coerceat linguam suam à malo, & labia eius ne loquantur dolum. Declinet à malo, & faciat bonum. Atque iterum, Nemo EE. ij.

Matth. 19.

Matth. 5.

Lucæ 6.

Roma. 12.

1. Petri. 2.

1. Petri. 3.

1. Petr. 4. autem vestrum patiat, ut homicida, aut fur, aut alienorum appetitor. Adducam & ad confirmandum hanc Assertionem quod scribit Hieronymus in epistolam Pauli ad Titum ad illum locum, Admone illos neminem blasphemare, ubi dicit: Neminem quoque blasphemare non simpliciter accipitur, nec enim ait: Neminem hominem blasphemare, sed absolute neminem, non angelum, non aliquam creaturam dei. Omnia quippe quae a deo facta sunt, valde bona sunt. Quando Michael archangelus cum diabolo disputabat de Moyse corpore, non fuit ausus inferre iudicium blasphemiae, sed dixit imperet tibi deus. Si igitur Michael non fuit ausus diabolo & certe maledictione dignissimo iudicium inferre blasphemiae, quanto magis nos ab omni maledicto puri esse debemus? Merebatur diabolus maledictum, sed per archangelum blasphemiam exire non debuit. Relege veteres libros, & vide quae tribus in monte Garizin constitutae sint, ut benedicerent populo, & quae in monte altero ut maledicerent. Ruben qui maculauerat thorum parentis & Zabulon nouissimus filius Lia, & ancillarum liberi, in monte Ebal ponuntur, ut maledicant eis qui maledictione sunt digni. Legum est si nunc enumerem, quomodo Iacob qui ad benedictionem vocauerat filios dicens, ut benedicam vobis, postea quasi in benedictione confonet, maledictus furor eorum, quia procax, & ipse dominus loquatur in Genesi, maledicta terra in operibus tuis: hoc nunc tantum dixisse sufficiat, quod blasphemare Christi discipulos non oportet. Haec ille. Insuper Augustinus enarrans libro primo de Sermone domini in monte, haec Christi verba: Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint & dixerint omne malum aduersum vos mentientes, dicit sciscitatio quidnam intersit inter maledicere & dicere omne malum. Aliter maledictum iactatur cum contumelia coram illo cui maledicitur, sicut domino nostro dictum est, Nonne verum dicimus: Quia Samaritanus es, & demonium habes? Aliter cum absentis fama laeditur: sicut de illo. Itaque scribitur alij dicebant quia propheta est, alij autem dicebant non, sed seducit populum, illic manifeste docet maledicere similiter & maledictum, in malam sumi partem. Praeterea Chrysostomus dicit explicando illud Pauli, Nemo te contemnat, sed admone eos neminem blasphemare, phas non esse malis operibus insignes, maledictis incessere, sed eos corripere ac salubriter coerceri satis est, & quicumque ille fuerit, neminem omnino insectemur maledictis. oportet enim os nostrum seruare mundum a maledictis, atque conuicij. Siue enim vera maledicta sunt, ea non nostra interest dicere, sed iudici examinanda permittere. Tu enim (inquit) quid iudicas fratrem tuum? Siue illa vera non sunt, cernis profecto ingens imminere periculum. Audi dicentem latronem ad socium criminis, qui conuicia intulerat domino maiestatis: Nam & ipsi (inquit) in eadem damnatione sumus, idem omnino certamen habemus. Si alij exprobras eadem in te continuo intorquebuntur, idcirco beatus hic admonet dicens, Qui se putat stare, videat ne cadat. Et homilia 44. in primam Pauli epistolam ad Corinthios differens de his qui linguam suam in alios exacuunt & verba letifera loquuntur, proximi aestimationem suffodientes, dicit: Beatum scriptura eum pronuntiat, qui frustra male audit, maledicentem verum sacris mysterijs excludit, imò mœnibus ipsis: Qui obloquitur (inquit) clam proximo suo, hunc ego persequebar. Accedit & huic sententiae Origenes homilia 14. super Leuiticum proferens hanc Pauli sententiam, Nolite errare, neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum dei possidebunt, dicit: Videte inter quae crimina inter adulteros, inter masculorum concubitores, inter auaros, quos alibi dicit, idolis seruientes, etiam maledicos posuit & a regno dei pariter cum illis excludit. videant ergo si qui os suum quotidiana penè consuetudine huic vitio insuecunt, quid eis periculi imminet. Putantes enim leue & facile hoc esse peccatum, non facile cauent, sed confiderent apostolum quomodo maledictum a regno dei excludit, & deus per Moysen quomodo maledicum puniri iubet. Et homilia 3. in psalmum 36. ad locum illum,

Quia benedicentes ei hereditabunt terram, maledicentes autem ei disperibunt, dicit: Qui benedicunt iustum possidebunt terram, maledicentes verò eum exterminabuntur. Et vobis parum videtur interdum male loqui de sanctis, & perleue est vobis dicere de seruis dei, ille talis & talis est, ille fingit, & ille seculum diligit, ille autem impostor est: non audis quia qui maledicunt iustum, exterminabuntur? Aut si hoc parum vobis videtur, audire alibi deum dicentem ad iustum, Inimicus ero inimicis tuis, aduersabor aduersarijs tuis. Videris quanti periculi sit inimicari iustis, vel male loqui de sanctis. Praeterea Cyprianus libro primo Epistolarum, duobus sacrae scripturae testimonijs probat maledicos vltices dei manus non posse effugere. Nam cum, inquit, scriptum sit: Neque maledici regnum dei consequentur. Et iterum in Euangelio suo dominus dicat, Qui dixerit fratri suo fatue, qui dixerit Racha, reus erit gehennae ignis, quomodo possunt censuram dei vltoris euadere, qui talia ingerunt non solum fratribus, sed & sacerdotibus: quibus honor tantus de dei dignatione conceditur, ut quisquis sacerdoti eius & ad tempus his iudicanti non obtemperet, statim necaretur. In Deuteronomio dominus deus loquitur dicens, Et homo quicumque fecerit in superbia, ut non exaudiat sacerdotem aut iudicem, quicumque fuerit in diebus illis morietur homo ille, & omnis populus cum audierit timebit, & non agent impie etiam nunc. Item ad Samuelem cum a Iudaeis sperneretur, deus dicit: Non te spreuerunt, sed me spreuerunt. & dominus quoque in Euangelio, Qui audit inquit, vos, me audit & eum qui me misit: & qui reijcit vos me reijcit, qui me reijcit, reijcit eum qui me misit. Nec ab hac discedit sententia Gratianus vigesima quarta, quaestione tertia, capite Si igitur. Et nititur argumentis Hieronymi, quibus & niximus nostram auctorem Assertionem. Et capite Cum ergo, aliquot rationibus in contrarium decertat. Qui pro persecutoribus iussit orare primos parentes pro transgressione mandati mortis maledicto percussit. Cain quoque quia primae prauaricationi fratricidium adiunxit, sententiam maledictionis a domino reportauit. Maledixit etiam Noe Chanaan. Abraham quoque dominus dixit, maledicam maledicentibus tibi, & benedicam benedicientibus tibi. Dixit etiam Isaac Iacob, qui maledixerit tibi, sit ille maledictus. Tum etiam dicit dominus in Deuteronomio, En propono in conspectu vestro hodie benedictionem & maledictionem, benedictionem si obedieritis mandatis domini dei vestri quae ego hodie praecipio vobis: maledictionem si non obedieritis mandatis domini dei vestri, sed recesseritis de via quam ego nunc ostendo vobis, & ambulaueritis post deos alienos quos ignoratis. Adde quod Acham percussus est anathemate, quod pallium coccineum valde bonum & ducentos siclos argenti regulamque auream quinquaginta siclorum abstulerit & absconderit in terra. Item per Esaiam dicit dominus, Vae qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vsque ad terminum loci. Atque iterum, Vae qui confurgitis mane ad ebrietatem sectandam & potandum vsque ad vesperam, vae qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustrum peccatum, vae qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum, vae qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes, vae qui potetes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem, qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo. Et rursus, vae qui condunt leges iniquas, & scribentes iniustitiam scripserunt, ut opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent causa humilium populi mei, ut essent viduae praeda eorum, & pupillos diriperent, vae Assur virga furoris mei, & baculus ipse in manu eorum indignatio mea. Imprecatur etiam Christus scribis & pharisaeis hypocritis, quibus dixit, vae vobis scribae & pharisaei hypocritae, quia clauditis regnum caelorum ante homines, vos enim non intratis, nec introcutes finitibus intrare, vae vobis scribae & pharisaei hypocritae, qui comeditis domos viduarum oratione longa orates, propter hoc amplius recipietis iudicium. Et alij sex maledictionum formulis, suam aduersus scribas & pharisaeos iram

Acto. 8. exprimit, quas nunc omitto. Item Petrus maledixit Simoni, cui dixit, pecunia
1. Corint. 5. tua sit in perditionem. Præterea Paulus fornicatorem Corinthium iussit ex-
1. Corint. 16. communicari. Et aliubi dicit, Si quis non fuerit secutus doctrinam domini no-
Gala. 1. stri Iesu Christi, sit anathema maran atha. Item ad Galatas dicit, Si an-
gelus de caelo veniens aliud vobis euangelizauerit, anathema sit. Multa
à nobis sunt huic capiti Gratiani addita, vt fusius multo de hac re dis-
fereremus. Ver vt rationes obiectæ diluantur, dicit: Distinguendum
est ergo inter maledictum quod prohibetur, & maledictum quod à
domino & sanctissimis viris rationabiliter profertur. Maledi-
ctum quod prohibetur, est illud quod procedit ex voto vl-
tionis, & odio persequentis, non ex amore iustitiæ: maledi-
ctum verò quo sancti maledicunt, est illud quod proce-
dit ex amore iustitiæ, nõ ex liuore vindictæ. Vnde Gre-
gorius ait in Moralibus libro tertio, Sancti viri non
ex voto vltionis, sed amore iustitiæ aliquos ma-
ledicunt. Cum enim sancti viri maledictionis
sententiam proferunt, non in hanc ex voto
vltionis, sed ex iustitiæ examine prorom-
punt, intus subtile iudicium respiciunt,
& mala foris surgentia qua maledictio-
ne ferre debeant, cognoscunt, & eo
maledicto non peccant, in quo ab
æterno iudice non discordant.

Gregorius,

Item scriptura sacra duobus
modis maledictum memo-
rat, aliud videlicet quod
approbat, aliud quod
damnat. Aliter enim
maledictum profer-
tur iudicio iustitiæ,
vt in ipso primo
peccante pro-
latum est quod
audiuit, Maledicta
terra in opere tuo &
cætera. Et sicut Abrahæ
dicitur, Maledicam maledi-
centibus tibi. Aliter verò pro-
fertur maledictum quod non iudicio
iustitiæ, sed liuore vindictæ punitur, à
quo voce Pauli prædicantis cessare admo-
nemur, qui ait, benedicite, & nolite maledicere.

Gene. 3.


Gene. 12.

FINIS SEXTI LIBRI.

Theosophiæ Ioannis Arborei

LAVDVNENSIS LIBER VII.

CAPVT I.



Edeon nõ obtulit angelo sacrificium, nec peccauit of-
ferendo deo sacrificium extra tabernaculum, deliquit
tamen tentando dominum.] Singulas huiusce Affir-
tionis partes ex Augustino eruemus, verum vt faci-
lius prima pars probetur, proferemus quod scriptum
est de hac re Iudicum sexto capite, in cuius exordio Iudi. 6.
ostenditur punitio filiorum Israel, eo quod fecerant ma-
lum in cõspectu domini, & qui tradidit illos in manu
Madian septem annis. Et hoc modo texemus histo-
riam. Ego dominus deus vester, ne timeatis deos Amor-
reorum in quorum terra habitatis, & nolistis audire
vocem meam. Venit autem angelus domini & sedit sub quercu quæ erat in Ephra,
& pertinebat ad Ioas patrem familiarum Ezri. Cunque Gedeon filius eius excuteret at-
que purgaret frumenta in torculari vt fugeret Madian, apparuit ei angelus domi-
ni & ait, dominus tecum virorum fortissime. Dixitque ei Gedeon, Obsecro mi do-
mine, si dominus nobiscum est, cur ergo apprehenderunt nos hæc omnia? Vbi sunt
mirabilia eius quæ narrauerunt patres nostri atque dixerunt, de Aegypto eduxit nos
dominus? Nunc autem reliquit nos dominus, & tradidit in manu Madian. Respe-
xitque ad eum dominus, & ait: Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israel de ma-
nu Madian. Scito quod miserim te. qui respondens ait: Obsecro mi domine, in quo
liberabo Israel? Ecce familia mea infima est in Manasse, & ego minimus in domo
patris mei. Dixitque ei dominus, Ego ero tecum, & percuties Madian quasi vnum
virum. Et ille, si inueni, inquit, gratiam coram te, da mihi signum quod tu sis qui
loqueris ad me. Ne recedas hinc donec reuertar ad te, portans sacrificium & offe-
rens tibi. Qui respondit, Ego præstolabor aduentum tuum. ingressus est itaque Ge-
deon & coxit hædum & de farinæ modio azymos panes, carnesque ponens in ca-
nistro & ius carniū mittens in ollam, tulit omnia sub quercu & obtulit ei. Cui di-
xit angelus domini: Tolle carnes & azymos panes, & pone supra petram illam, &
ius desuper funde. Cunque fecisset ita, extendit angelus domini summitatem vir-
gæ quam tenebat in manu, & tetigit carnes & panes azymos, ascenditque ignis de
petra & carnes azymosque panes consumpsit. angelus autem domini euauit ex
oculis eius. Vidensque Gedeon quod esset angelus domini, ait: Heu mi domine de-
us, quia vidi angelum domini facie ad faciem. Dixitque dominus, pax tecum, ne ti-
meas, non morieris. Aedificauit ergo ibi Gedeon altare domino, vocauitque illud Do-
mini pax, vsque in præsentem diem. Hæc scriptura, Differens Augustinus in quæ-
stionibus super Iudicum, quæstione trigesima quinta, de sacrificio quod obtulit Ge-
deon, dicit: Animaduertendum est quod Gedeon non ait angelo, Offeram tibi sa-
crificium, sed ait: Offeram sacrificium meum, & ponam in conspectu tuo. Vnde in-
telligendum est non cum angelo, sed per angelum sacrificium offerre voluisse. Quod
& ipse angelus euidenter ostendit, qui non ab eo sacrificium tãquam sibi sumpsit,
sed ait illi: Accipe carnes & azymos, & pone ad petram illam, & ius effunde. Et cum
hoc fecisset Gedeon, extendit angelus summum virgæ quæ erat in manu eius, & te-
tigit carnes & azymos, & accensus est ignis de petra & comedit carnes & azymos:
ita etiam ipse Angelus in sacrificio quod obtulit Gedeon, officium ministrantis im-
pleuit. ignem quippe homo minister vt homo sine miraculo subiecisset quem mi-
EE. iij.

Augustinus

rabiliter vt angelus iste subiecit. Denique tunc cognouit Gedeon quòd angelus domini esset. Nam hoc scriptura continuo subdidit, Et vidit Gedeon quoniam angelus domini est. Prius ergo tanquam cum homine loquebatur, quem tamen hominem dei credidit, vt coram ipso sacrificium vellet offerre velut adiuuandus praesentia eius sanctitatis. ¶ Secunda pars Assertionis est Augustini, in eodem opere, quaestione trigesima sexta, vbi ita loquitur: Quari potest quare Gedeon ausus fuerit sacrificiū offerre deo praeter locum vbi iusserat deus. Praeter tabernaculum quippe suum deus prohibuerat sacrificari sibi, cui tabernaculo templum postea successit. Tempore autem quo fuit Gedeon, tabernaculum dei erat in Silo, atque ideo illic tantum legitimæ possit sacrificari. Sed intelligendū est quod illum angelum primo prophetam putauerat, & tanquam deum in illo consuluerat de offerendo sacrificio. Quod ille si prohibuisset, non vtique fieret, sed quoniam approbavit, & vt fieret annuit, dei autoritatem Gedeon in faciendo secutus est. Ita quippe deus legitima illa constituit, vt leges non sibi sed hominibus daret. Vnde quodcumque praeter illa ipsa praecipit non à transgressoribus, sed potius à pijs & obedientibus impletum intelligendum est, sicut Abraham de immolando filio. Nam & sic Helias extra tabernaculum domini ad cōuincendos sacerdotes idolorum sacrificauit, quod ex praeccepto domini fecisse intelligendum est, qui ei tanquam propheta reuelatione atque inspiratione iussit vt faceret. Quamquam tanta consuetudo praeter tabernaculum sacrificandi crebuerat, vt etiā Salomon in excelsis sacrificasse inueniatur, nec eius sacrificium fuisse reprobatum. Et tamen notantur reges qui inter opera laudabilia sua non destruxerunt excelsa, vbi contra legem dei populus sacrificare consueuerat. Et qui destruxit, maiore praedicatione laudatur, ita deus consuetudinem populi sui, qua praeter eius tabernaculum, tamen non dijs alienis offerrebant, sed domino deo suo, iustinebat potius quam vetabat etiam sic exaudis offerentes. Hoc autem quod Gedeon fecit, quis non intelligat per angelum procuratum, vt propheticæ fieret, in qua propheta Petra illa commedaretur. Cui quidem petrae non sacrificatum est, sed de illa ignis commemoratur exisse, quo sacrificium consumeretur. Siue etiā per aquam quam percussa Petra effudit in eremo, siue per ignem, donum spiritus sancti significatur, quod ditissime dominus Iesus Christus effudit super nos. Nam & in Euangelio significatum est hoc donum per aquam, vbi ipse dominus ait: Si quis sitit, veniat & bibat, qui credit in me sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aqua viua, vbi Euangelista subiunxit: Hoc autem dicebat de spiritu quē accepturi erant credentes in eum. Significatum est & per ignem, vbi veniente illo super congregatos legitur. Visa sunt illis lingua diuisa velut ignis, qui & infedit super vnumquemque eorum. Et ipse dominus ait, ignem veni mittere super terram. Huic accedit sententia Lyranus in 6. caput Iudicū vbi dicit, Gedeonem nō peccasse offerendo sacrificium deo extra tabernaculum, quia licet esset prohibitum offerre sacrificium extra locum, vbi erat tabernaculum vt ostenditur Iosue 22. hoc tamen intelligendum est de modo cōmuni, poterat tamē alibi offerri ex speciali mandato dei per angelū vel prophetam loquentem in homine dei, quod Gedeō volebat experiri, secundum illud Ioānis, probate spiritus si ex deo sint. ¶ Tertiam Assertionis partem defendit Augustinus in eodem opere quaestione 49. qui postquā perpendit animo, si nā Gedeon non fuerit transgressus praecipitū quo scriptum est, Non tentabis dominum deum tuum, dicit: Rursus enim considerandum est, quia Gedeon, etsi non posteaquam fecit Ephud, tamen posteaquam tentauit dominum, quod vtique peccatum fuit, magna strage hostibus caesis atque superatis populo acquisiuit salutem. Sic enim scriptum est, Et dixit Gedeō ad dominum: Non irascatur indignatio tua in me, & loquar adhuc semel in vellere, &c. Iram quippe dei metuebat, quia noverat tentando se peccare, quod deus in lege sua manifestissime prohibet. Hoc tamen peccatū eius & mirabilis signi euidencia, & magna victoriæ prosperitas liberationisque populi consecuta est. Iam enim deus statuerat afflicto populo subuenire

Gene. 22.
3. Reg. 18.

4. Reg. 16.
& 21.

Ioan. 7.
2. Paral. 16.

Acto. 21.
Lucæ 12.
Lyranus.

1. Ioan. 4.

Deuter. 6.

Iudi. 6.

atque huius ducis, quem ad hoc opus assumpserat, vtebatur animo, non solum fidei & pio, verumetiam subdeficiente & delinquente, & praenuntiādo quæ volebat, & complendo quæ dixerat. Non enim per istos tantum, qui etiam si peccauerunt, inter iustos tamen narratur, sed etiam per ipsum Saulem omnimodo reprobatum, multa deus populo suo praestitit, in quem insiliuit etiam spiritus dei, & prophetauit, 1. Reg. 19. non cum iuste ageret, sed cum in virum sanctum Dauid, innocentemque sauiret. Agit enim spiritus domini, & per bonos & per malos, & per scientes & per nescientes, quod agendum nouit & statuit. Qui etiam per Caiphā acerrimum domini persecutorem, nescientem quid dixerit, insignem protulit prophetiam, quod oporteret Christum mori pro gente. Quis enim egit nisi spiritus domini? curans pronuntiare ventura, vt iudici Gedeon tentare volenti dominū, & non credenti quod ei fuerat per manum eius de salute populi iam locutus, hoc potissimum de vellere prius compluto, postmodum sicco, & de area primum sicca, postea rigata veniret in mētem, vt quod subdefecit à fide, infirmitati eius delictūque deputeretur: quod vero etiam tali eius animo ad hoc quod generi humano significari oportebat vltus est deus, ad eius intelligatur misericordiam, & mirabilem prouidentiam pertinere. Subsequentia tamē Augustini verba videntur excusare Gedeonem à peccato, cum secundo quaesuit signū in vellere, sed nō affirmat eum non peccasse, sed adfert rationem eorum qui excusant Gedeonem à tali peccato, & nituntur satisfacere scripturae quæ videtur planè ostendere Gedeonem in tali facto peccasse. Hæc autem subnectit, Si quis autem dicit omnia scientem fecisse, & dixisse Gedeon ex reuelatione prophetica vt per eum signa talia monstraretur, nec defecisse à fide, & quod ei iam promiserat dominus credidisse, sed actione prophetica in vellere voluisse tentare, atque illius tentationem fuisse inculpabilem, sicut dolum Iacob, & illud quod domino ait, Non irascatur indignatio tua in me, non ideo dixisse quod irā eius timeret, sed quod eum consideret non irasci cum ea faceret, quæ spiritu eius dictate facienda esse tanquam propheta sentiret. dicat vt videtur, dummodo illud quod de facto Ephud siue Ephod scriptura ipsa culpauit, quodlibet significet, nō audeat excusare à peccato. Et in quaestione super Genesim, quaestione 63. videtur excusare Gedeonem vbi dicit quod Gedeon fecit pugnae imminente periculo, cōsultationem magis fuisse quam tentationem dei. Cum tamen explicuit sextum caput Iudicum suam detegendo sententiam, affirmavit Gedeonem in tali facto peccasse: & tutior hæc est opinio & magis accedet historiae, in qua dicit Gedeon ad dominum, Si saluum facis per manum meam populum Israel, sicut locutus es, ponā hoc vellus lanae in area. Si ros in solo vellere fuerit, & in omni terra siccitas, scia quod per manum meam sicut locutus es, liberabis Israel, factumque est ita. Et de nocte confurgens expresso vellere concham rore impleuit. Dixitque rursus ad dominum, Ne irascatur furor tuus contra me, si adhuc semel tentauero signum quaerens in vellere, oro vt solum vellus siccum sit, & omnis terra rore madēs. Fecitque dominus nocte illa vt postulauerat, & fuit siccitas in solo vellere & ros in omni terra. Quod si Gedeon in primo signo etiam euidentissimo firmissime credebat deum liberaturū Israel, quid opus erat vt curiose quaereret rursus fieri signū à domino & eum tentaret? debebat enim sibi persuadere deum posse rore & imbribus perfundere terrā, siccatō vellere, cum prius viderat dominum humectasse vellus rore, siccata terra. Nec verisimile est quod deus Gedeoni inspirauerit & reuelauerit vt secundum signum peteret, alioquin non dixisset, Ne irascatur furor tuus contra me, si adhuc semel tentauero signum quaerens in vellere. Excusat tamen Origenes homilia 8. super librum Iudicum, Gedeonem à peccato in postulatione secundi signi, vbi dicit, Sed esto, impetraueris primum signum, quid vt secundum etiam signum permutato ac peruerso ordine posceres? Fortassis enim dicit aliquis ex ijs qui attentius audiūt quæ leguntur, quia non videntur conuenire hæc ad illud quod scriptum est, Non tentabis dominū deum tuum, quod lex praecipit, sed exitus rei docet non esse cōtra

Ioan. 11.

Gene. 27.

Iudic. 8.

Iudic. 6.

Origenes

Deutero. 6.
Matth. 4.

mandatum factum. Neque enim exaudiret deus petitionem contra legem aliquid deposcentē. Nec tamen hac Origenis ratio concludit, quia spiritus dei operatur & per bonos & per malos. Nec oportuit deum nō exaudire Gedeonem in postulatione secundi signi, tamen si postulando peccauerit, quod enim concessit deus in secundo signo, erat in mysterium. Primum enim signum cedebat in gloriam & vilitatem Iudaeorum, & in contemptum Gentilium, quod arefactis Gentibus primū fuerint Iudaei rore diuino perfusi. Secundum vero signum erat Gentilibus accommodatissimum, qui Iudaeis ob suam incredulitatem & cæcitatem contemptis, fuerunt rore diuino, & Christi ac apostolorum humore irrigati. Nam delicto Iudaeorum (vt dicit Paulus) Gentibus parta est salus. & illorum diminutio, diuitiæ Gentium. Et rursum, Cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gētium intraret. Videtur & Ambrosius ad blandiri sententiæ Origenis libro vno de Viduis, proferens psalmū illum Descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terrā, vbi dicit: In quo veteris mysterium referatur historia, quo sanctus Gedeon mystici certaminis præliator, futuræ capiens insigne victoria, spiritale sacramentum vigore mentis agnouit, pluuiam illam, verbi rorem esse diuini, quæ primo pluit in vellus, cum terra omnis perpetuis siccitatibus æstuarēt. Secundo vero indicio vniuersam terram fuso imbre madefecit, cū siccitas esset in vellere. Aduertit enim vir præfagus futuræ Ecclesiæ crescētis insigne. Nam primo intra Iudæam diuini cœpit ros sermonis humescere (Notus enim in Iudæa deus) cum arido fidei totius orbis vniuersa torrerent. Sed vbi Ioseph greges deū negare cœperunt, & ausu nephario immanium delictorum contrahere diuinitatis offensam, tunc per omnes terras fuso imbris rore caelestis, populus Iudaeorum æstu perfidiæ suæ cœpit arefcere, cum Ecclesiam sanctam ex omnibus terrarum partibus congregatam, prophetica nubes & salutaris imber apostolicus irrigaret. Hæc est illa pluuia, non terrarum humido, non nebuloso concreta montium, sed caelestium scripturarū salubri per totum orbem imbre diffusa. Hæc ille. Existimat & Lyranus eandem enarrans scripturā, Gedeonem non deliquisse interpellando secundum signum fieri, vbi adnotat quando non licet deposcere à deo signum. Quādo quis ex diffidentia post certitudinem rei efflagitat sibi exhiberi signum, peccat. Sed quando ex quadam familiaritate diuina & volūtate siue desiderio id deposcit, vt dei gloria manifestetur, non delinquit. Sicut Ezechias petiuit signum de sua sanitate futura, quam tamen ei annuntiauerat Esaias, vt habetur 4. Regū 20. & Esaiæ 38. & hoc modo petijt Gedeon signum de victoria sibi futura. Et cum sit aduersus hanc opinionem obiectio, quod tentauit dominum, respondet tentationem hoc in loco non dicere peccatum, sed petitionem signi procedentem ex cōfidentia dei, & vt eius gloria amplius manifestetur. Tentatio, peccatum exprimit quando aliquis se exponit periculo, volens experiri diuinum auxilium, cum tamen possit sibi hominum præliis consulere: sicut est probatio in duello, & tactus ferri candentis, quæ non immerito reprobantur in iure canonico. Sed isti suam habent opinionē, ego vero adhæreo & sacræ scripturæ & Augustino. ¶ Verum conflictabitur quispiam, Paulus Gedeonem ascripsit numero illorum qui per fidem vicerunt regna, & operati sunt iustitiam, sic enim loquitur in epistola ad Hebræos: Et quid adhuc dicam? Deficiet me tempus enarrantem de Gedeon, Barach, Samson, Iepte, Dauid, Samuel, & prophetis, qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, &c. Huic respondebo obiectioni, quæ nihil aut parum virium habet aduersus nostram assertionem. Si enim virgeret, & nos cogeret fateri Gedeonem nunquam in suis operibus deliquisse, fateri necesse esset & reliquos in illo capite annumeratos, Mosen scilicet, Dauid, & plerosque alios nunquam à recto tramite deflexisse, quod tamen nemo sani iudicij auderet asserere. Solū innuit Paulus sanctos per fidem vicisse regna, & sanctis virtutum officijs tandem consequutos fuisse regnum dei, licet aliquando deliquerint. Nemo nescit Gedeonem vehementer deliquisse quando operatus est Ephud ex auro prædæ, & fornicatus est post

Roma. 11.

Ambrosius.

Psal. 71.

Psal. 75.

Lyranus.

Hebr. 11.

Iudic. 8.

illum omnis Israel. Augustinus in librum Iudicum, quæstione 49. reddit rationem cur Gedeon sit connumeratus inter illos, qui per fidem vicerunt regna, & operati sunt iustitiā, licet in illo facto deliquerit, Propter (inquit) bonitatem ipsius & fidelem vitam, in qua credendum est eum esse defunctum, inter fideles & operantes iustitiam à Paulo connumeratus est.

CAPVT II.

Giezi sunt qui pecunijs præcipue ordinant & episcopos & sacerdotes, & cum Simone damnantur, qui gradum sacerdotalem & episcopatum pecunijs comparant. [Huiusce assertionis partes ex sacris literis eruemus. Summopere commendatur Heliseus, quod cum diuina ope suffultus curasset Naaman principem militiæ regis Syriæ, nihil pecuniæ ab eo accepit, imò nec voluerit accipere etiam ingentem pecuniam, quam princeps ille prompto animo ei obtulit, vt agnosceret summum beneficium & gratiam quam sibi Heliseus in ablutione lepræ fecerat. Videns autem Giezi seruus Helisæi, auaritiæ addictissimus, & plurimum ægreferens suum dominum gratis curasse lepram Naaman, ocyssime cucurrit post Naaman, vt ab eo nō nihil pecuniæ acciperet, quem cum vidisset, desiliit de curru in occursum eius, & ait: Recte sunt omnia? Et ille ait: Recte. Dominus meus misit me ad te, dicens: Modo venerūt ad me duo adolescentes de monte Ephraim, ex filijs prophetarum: da eis talentum argenti, & vestes mutatorias duplices. Sed Giezi impudentissime mētiebatur. Dixit ei Naaman: Melius est vt accipias duo talēta. Accepit ille. Et cum vesperē redijt domum & stetit coram domino suo, dixit ei Heliseus: Vnde venis Giezi? Qui respōdit, Non iuit seruus tuus quoquam. At ille ait: Nōne cor meum in præsentem erat, quando reuersus est homo de curru suo in occursum tuum? Nunc igitur accepisti argentum, & accepisti vestes, vt emas oliueta, & vineas, & oues, & boues, & seruos, & ancillas. sed & lepra Naaman adhæbit tibi & femini tuo vsque in sempiternum. Et egressus est quasi nix ab eo leprosus. Et ex eo percussus est lepra, & exulauit à domino, quod pro dono spiritus sancti & gratia quam eius dominus fecerat Naaman, principaliter pecuniam acceperit, & bonum spiritale beneficio temporaneo pensauerit, quod tamen nullo ære, nullis que nūmis æstimari potest. Et qui tantopere inhiant quæstui, vt nollent sacros conferre ordines nisi pecuniam pro præmio spiritali sibi compararent, sunt Simoniaci, & Gieziæ appellandi. Satis est vt pro laboribus & sacro officio nutriantur & vitæ alimoniam recipiant, & metant carnalia ab illis quibus spiritalia seminarunt. ¶ Secundam assertionis partem ex apostolorum Actis approbabitur. Cum vidisset Simon quia per impositionem manus apostolorum daretur spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: Date & mihi hanc potestatem, vt cuiusque imposuero manus, accipiat spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum dei existimasti pecunia possideri. Non est tibi pars neque fors in sermone isto, cor enim tuum non est rectum coram deo. Hic acerbe fuit reprehensus à Petro, quod voluerit pecunijs emere donum spiritus sancti, vt eo tādē magnum faceret quæstum. Et qui Simonem hunc maxime auarū sectantur, volentes certo pretio emere bona spiritalia, aut vendere, Simoniaci vocantur. Nostræ assertioni astipulatur Ambrosius libro vno de Dignitate sacerdotali, capite 5. vbi doctē & copiose hoc pertractat negotium, & acriter increpat illos qui sacerdotalem diffamant honorem, & qui nouam prodigaliter regulam ac tempestatem peperisse desunt, & Giezi sectantes, & Simonis sententiam, sancti episcopatus gratiam pecunijs coemerunt, nequaquam timentes, cum honorem sacerdotalem pecunijs emerent, à beato Petro apostolo se cum Simone fuisse damnatos, sicut ait: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum sancti spiritus te credidisti pecunijs comparare. Et lepram cum Giezi à sancto suscepisse se credant Heliseo, qui gradum sacerdotalem æstimant pecunijs comparare. Quibus cum ista dixerimus, sufficere debuit suam comparando lepram possidere. Nam sicut validiori

4. Reg. 5.

1. Corint. 9.
Act. 8.

Ambrosius.

bus morbis capite vitiato, reliquū necesse est corpus inundatione superioris morbi lethaliter irrigari: ita & ij qui videtur caput esse Ecclesiae, morbo pestifero fraternū vitiant corpus, vt nihil ex totius corporis compage insauciatū possit euadere. quod negligentium sacerdotum vitiofitatis mortale infecerit virus, ita vt videas in Ecclesia passim quos non merita, sed pecuniae ad episcopatus ordinem prouexerunt, nugacem populum & indoctum, qui talem sibi ascuerunt sacerdotem: quos si percunctari fideliter velis, quis eos praefecerit sacerdotes, respondent mox, & dicunt: Ab archiepiscopo sum nuper Episcopus ordinatus, centumque ei solidos dedi, vt episcopalem gratiam consequi meruissem, quos si minime dedissem, hodie episcopus non essem. Vnde melius est mihi aurum de sacculo inuehere, quam tantum sacerdotium perdere. Aurum dedi, & episcopatum comparavi: quos tamen solidos (si viuo) me recepturum illico non diffido. Ordino presbyteros, consacro diaconos, & accipio aurum. Nam & de alijs nihilo minus ordinibus pecuniae quaestum profligare cōfido. Ecce & aurum quod dedi, in meo sacculo recepi, & episcopatum gratis accipio. Nempe hoc est quod doleo, quia archiepiscopus carnaliter episcopum fecit. nam propter pecunias spiritaliter leprosum ordinavit: Pecunia (inquit) tua tecum sit in perditione, quia donum sancti spiritus gratiae pretio comparasti, & cōmercium miserabile in animarū exitium peregisti. Et nescij homines & indocti in ordinationibus eorum clamant & dicunt, Dignus es, & iustus es: & conscientia misera, Indignus es, & iniustus es, dicit: Pronuntiat enim episcopus huiusmodi ad populum dicens, Pax vobis. Oculis quidem carnalibus videtur quasi episcopus magnus, & diuinis obtutibus inspicitur leprosus magnus. Per pecuniam acquisiuit indebitum ordinem, & deum perdidit in interiore homine. Caro suscepit dignitatem, & anima perdidit honestatem. Caro ancilla, domina facta est animae: & anima quae erat domina, facta est famula carni. caro dominatur populis, & anima seruit daemōni. carni sacerdotiū comparauit, & animae detrimentum parauit. Et quid prodest huiusmodi homini, si totum mundum lucretur, & animae suae detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Quod dedit cum ordinaretur episcopus, aurum fuit: & quod perdidit, anima fuit. Cum alium ordinaret, quod accepit, pecunia fuit: & quod dedit, lepra fuit. Hæc sunt mercimonia iniquorum, in perniciem eorū. Interrogo tamen fratrem & coepiscopum nostrum, quia & ego episcopus sum, & cum episcopo loquor. Dic ergo mihi paulisper, frater episcopo, cum dares pecuniam, quid accepisti? Gratiam episcopalem accepi. Ergo interrogo te, Hæc gratia cur tali vocabulo nuncupatur? Respondet, Cur inquis? vt reor pro eo quod gratis datur, ideo gratia vocatur. Ergo si gratia gratis datur, & auro non aestimatur, à te cur gratia pecunijs comparatur? Respondet, non (inquit) mihi daretur, si pecunijs non emeretur: nec episcopus fuisset ordinatus, si pecunias non dedissem. Ergo vt apparet ex responsionibus tuis, gratia cum ordinaretur non suscepisti, quia gratuito eam nō meruisti. Et ideo frater, si gratiam non accepisti, quomodo episcopus effici potuisti? Nam & ad discipulos suos dominus dicit: Gratis accepistis, gratis date. Cur ergo gratuitam existimasti te pretio possidere gratia? Nam (vt video) aurum dans perdidisti, & gratiam sanctam non acquisisti. Adhuc tamen semel adiiciēs fratrem perquiro episcopum, ne quid de approbamentis veridicis, nos praetermissis videamur. Quis dat frater episcopalem gratiam? Deus, an homo? Respondes sine dubio, Deus. sed tamen per hominem dat deus. Homo imponit manus, deus largitur gratiam. Sacerdos imponit supplicem dextram, & deus benedicit potenti dextera. Episcopus initiat ordinem, & deus tribuit dignitatem. O iustitia, o aequitas: si homini pecunia datur qui nihil in ordine amplius operatur, nisi solum seruiturium quod ei creditur: cur deo totum negatur, qui ipsum ordinem tibi largitur? Iustumne tibi videtur vt seruus honoretur, & dominus iniuriam patiat, & iniuste accipiat sacerdos pecuniam, & deus patiat ab homine iniuriam? Sed quia pro concessio ordine deus à te nihil expectat, cur à te sacerdos impudenter pecuniam expectat? Deus do-

Matth. 16.

Matth. 10.

homini concedere voluit gratis, & episcopus rapax pecuniā ab homine expetit gratis? Deus homini, vt certe benignus gratis donauit, & sacerdos malignus eum sine causa praedauit? Quid enim habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Viden lector optime, quam vehementi stomacho diuus Ambrosius indignetur illis qui incendio pecuniae adusti, sacros ordines emptione & venditione dilacerant, & sacra omnia vānalia faciunt. Non vult vt quis det pecuniam pro consequendis sacri officij ordinibus, quod moderata interpretatione velim esse explicatum. Si principaliter det pecuniam pro sacris ordinibus & ineundo pactum more mercatorum, & vt fertur pro praemio laboris illius qui sacros ordines impartitur, hoc sanè est flagitiosum & Simoniacum. Potest tamen aliquis (vt communis est Theologorum sententia) recipiendo sacros ordines dare aliquid episcopo pro labore & victu: non quod intendat dare pecuniam quae sit praemium laboris sacri. Nullis enim nūmis sacer labor fati pensari potest, deus tamen sanctissimis episcopi officijs aeternum praemium impartietur. Sunt tamen nonnulli Ecclesiae ministri adeo cupidi quaestus, vt magis versent animo pecuniam, quam sacrum officium, & ea accumulanda pecuniae siti adurunt, vt absque pecunia & pecuniaria mercede, nec sacros ordines, nec sacramenta conferre velint: quos ausim dicere potius sordidissimos sacrorum mercatores quam dispensatores. Adde quod Augustinus enarrans illum Ioannis locum, Et inuenit in templo vendentes boues & oves & columbas, & nummularios sedentes, cōfert Simoniacos ijs qui in templo vendebant columbas, quos Christus de templo eiecit, & sic loquitur, Simō ille ideo volebat emere spiritum sanctum, quia vendere volebat spiritum sanctū, & putabat apostolos mercatores tales esse, quales dominus de templo flagello eiecit, talis enim ipse erat, & quod venderet, emere volebat. De illis erat qui columbas vendebant, etenim in colūba descendit spiritus sanctus. Qui ergo vendunt columbas fratres? Qui dicunt, nos damus spiritum sanctum. Quare enim hoc dicunt? & quo pretio vendunt? Pretium honoris sui accipiūt. Accipiunt pretium, cathedras temporales, vt videantur ipsi videri colūbas. Caueant à flagello de resticulis, columba non est vānalis, gratis datur, quia gratia vocatur. Et multo apertius nostrā tuetur assertionem Sermone 37. ad fratres in eremo, vbi dicit, Pauperes esse debemus, quia membra Christi sumus & ministri dei. Sed si paupertas aggreditur, vel aliqua corporis necessitate turbamur & affligimur, dona sancti spiritus vendere procuramus. O sacerdotes mei nolite hoc malū facere, sed mementote quod gratis accepistis, & ideo gratis reddite, ne cum Simone Mago damnemini, cui dixit Petrus, Pecunia tua tecum sit in perditionem. Qui etiam pretium recipit de sacramentis, Giezita est, & plenus lepra. Nam cum Heliseus mundasset Naaman principem Syriae in Iordane à lepra, rediens Naaman obtulit prophetae multa munera, sed ille noluit recipere. Qui cum recessisset, locutus est ei Giezi discipulus prophetae, petens à principe Syriae munera. Quibus acceptis, propheta omnia per spiritum nouit: & videns eum redarguit, percutiens eum lepra. Sic etiam percutiuntur omnes qui pro sacramentis pecuniam petunt. Sed dicetis, Nunquid non scriptura dicit, Qui altari seruit, de altari viuat? O sacerdotes, hoc quod dicitis, omnino negare non audeo. sed sciatis quod deus intuetur corda hominum. Nam si sacramentum dare distuleris, etiam si fueris omni paupertate vallatus, non pastor es, non minister Christi es, sed mercator. Non igitur petas, non etiam tantum pro baptismo recipias, si cum Simone perire non velis. Nam factō pacto sacramentum vendidisti, & saluatorem tuum prodidisti cum Iuda. Spontanea & sincera voluntate porrige sacramenta, nihil petēdo, nihil expectando, nihil de promisso desiderando, sed si tibi datur iuste recipis, iuste possidere potes. Attendant velim ad hanc diuinam Augustini philosophiam, qui in vrbibus aut oppidis concionando verbum dei, ineūt pro praedicatione vilissimum pactum, & auaram admodum conditionem confingentes, dicunt: nisi pro concione vnus quadragesimae recepero praescriptam hanc pecuniae summam, non vos

1. Corint. 4.

Ioan. 2.
Augustinus.

1. Corint. 9.

docebo quæ ad vestram salutem spectant, neque prædicabo, nec volumus illis admere victum & vestitum pro labore impenso, sed demiramur huic Augustini doctrinæ auscultantes, illorum vesantiam, quod pacto illiberali præmium prædicationis obstringant & obuinciant, quorum mores à veri Christiani officio alieni, nihil non Ethnicum subolent. Si enim Paulus noluerit viuere de Euangelio quamuis iuste potuisset, timens ne adferret Euangelio offendiculum, multo minus debent dei ministri & dispensatores aucupando præmium rei sacræ in spiritalibus officijs pacisci. Sed satis sit hæc attigisse. Deinde subnectit Augustinus, & ostendit quidnam deceat optimum sacerdotem agere. Memento (inquit) quod pauperem vitam sacerdos gerere debet. & ideo si superbiam habet, si magno beneficio gaudet, præter victum & vestitum: quod superest pauperibus dare non differat, quia omnia pauperum sunt. Verbum autem illud quod negare non debet fidelis, Qui altari seruit, de altari viuat: verum omnino est. quia non licet sacerdotibus manibus operari, ligonizare, ferrum fabricare, & similia. Hoc autem propter reuerentiam, & tantæ sacramenti dignitatem. Illud autem magis ad seculares quam ad sacerdotes pertinet, ne ipsi sacerdotes dei, fame pereant vel nuditate: ideo dignum est vt qui altari seruit, de altari viuat. Similiter fratres qui sacramentum emit, vel Ecclesiam, vel præbendas, vel Ecclesiarum introitus, vel seculari potentia hoc pro se procurauit, sciat quod cum Giezi, & Iuda iam dānatus est, iam leprosus factus est, iam de templo domini expellendus est. Quare sic? Quia qui non intrat per ostium in ouile, sed ascendit aliunde, fur est & latro, ideo reprehendendus est: quia ementes & vedentes dominus eijcit de templo. repellendus est, quia leprosi eijci iubentur. Non intrat per ostium ad Ecclesiam, qui per laicalem portam intrat. non enim laicis spiritalia dona tradita sunt, sed domini vicarijs. Vicarij domini sunt qui vicem apoltolorum tenent. Si his temporibus viueret Augustinus, & videret quibusnam procellis fluctibus nunc ecclesiasticus status in distributione Sacerdotiorum concutitur, ingenti afficeretur dolore, & illis vehementer succenseret, qui offerunt aut dant suis famulis sacerdotia pro obsequio & ministerio temporaneo eis impenso. quis nescit illos commutantes spirituale in temporale, sordidissimam & detestandam Simoniam notam incurrere? Dent igitur seruis suis stipendia, nec differant eis exhibere salarium: vt quicquid pecuniæ pro laboribus & famulatu eis foret impediendum, in ecclesiastica beneficia commutent, nec villo modo debent respicere ad stipendia, si velint eis spiritalia Ecclesiæ bona distribuere, & vt decet ex æquo & bono dispensare. Tunc etiam Hieronymus explicans illum Matthæi locum, Gratis accepistis, gratis date: dicit in persona Christi, Ego magister & dominus absq; pretio hoc vobis tribui, & vos sine pretio date, ne Euangelij gratia corrumpatur. deinde subiungit edisserendo quod dicebat Christus suis discipulis, Nolite possidere aurum neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris. Si enim sic prædicant, vt pretium non accipiant, superflua est auri argentiq; & nummorum possessio. Nam si habuissent aurum & argentum, videbantur non causa salutis hominum, sed causa lucri prædicare. Hæc ille. Sed quod ita debeant concionatores viuere, ostendit Paulus ad Corinthios, dicens: Quæ est ergo merces mea? vt Euangelium prædicās, sine sumptu ponam Euangelium, vt non abutar potestate mea in Euangelio. Dicit etiam Salomon in Proverbij, Noli vendere sapientiam, & doctrinam & intelligentiam. Quidam doctores scholastici dicunt quod non licet vendere doctrinam, sed illicitum non est vendere exercitium & laborem doctrinæ, quem doctriationem vocant. Negant alij laborem spiritalem posse vendi, quia nummi non possunt ex æquo commutari in laborem spiritalem, licet pro labore spiritali debeamus laboranti temporaneum beneficium refundere. forsitan labor spiritalis (vt illi volunt) proprie vendi non potest, cui labor corporis adnectitur, nam immodico clamore plerunque exulcerantur pulmones, vox atteritur, & corpus vehementer afficitur.

Ioan. x. i.

Matth. x. i.
Hieronymus

1. Corint. 9.

Proverb. 23.

CAPVT III.

Gratia magis saluamur quam operibus. Hæc Hieronymiana est assertio in illum Pauli locum, Gratia saluati estis: vbi dicit Hieronymus, Si non sunt condignæ passionibus huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis, gratia magis sumus quam opere saluati. Et pulchre deducit, cum ex illo Pauli testimonio ad Romanos, tum ex illa sententia ad Ephesios, Deus autem qui diues est in misericordia propter multam charitatem suam qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccato, cõuiuificauit nos Christo, & ex illa dei misericordia & benignitate Christi, conclusit nos gratia saluatos esse. Nec possumus dicere opera nostra plus nobis adferre adiumenti ad salutem consequendam, quam ipsam gratiam, quia non sunt condignæ passionibus vt gloriam indipiscamur. Etiam frustra Christus tot pro nobis tormenta tolerasset, aut eius crux tantilli esset momenti. Nec rursus affirmare licet merita nostra ex æquo dei gratiæ & misericordiæ respondere: alioqui perperam dixisset Paulus, Non sunt condignæ passionibus. Et in 8. caput Hieremiæ dicit Hieronymus: Ita libertas arbitrij reseruata est, vt in omnibus excellat gratia, iuxta illud propheticum: Nisi dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Non enim est volentis neq; currentis, sed miserentis est dei. Absurdum est dicere gratiam & opera nostra æqua læce librari & pensari. Et ne in tuis operibus superbires, tuaq; iactares merita, dixit idem doctor gentium extollendo diuitias diuinæ gratiæ, Gratia enim salui facti estis per fidem, & hoc nõ ex vobis: dei enim donum est, nõ ex operibus vt ne quis gloriatur. q; si plus tuo conatu, tuisq; viribus q; diuinæ liberalitati tribuas, & tantopere in tuis glorieris operibus, nec tua opera bona erunt, sed inutilia. Tibi velim suadeas ad dei beneficium & misericordiam cuncta referri debere, nec te posse æquam diuinæ liberalitati gratiam rependere. Nescito te esse dei creaturam. siue enim viuas aut spires, aut intelligas, aut credas, dei donum est. Ad hæc ostendit Paulus ad Romanos vim iustificationis à gratia dei pendere, dicens: Omnes enim peccauerunt & egent gloria dei, iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu, quem proposuit deus propiciator per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum, in sustentatione dei ad ostensionem iustitiæ eius in hoc tempore, vt sit ipse iustus & iustificans eum qui est ex fide Iesu Christi. Et licet coopereremur, ne gratia dei in nobis sit vacua, siquid tamẽ in nobis sit dextrum & iustum, deo referri debet acceptissimum. Quod si vis iustificationis potissimum à gratia dei pendeat, & ab eadem gratia vis æternæ salutis pendebit, quod planè manifestat Paulus in eadem epistola dicens: Vt quid enim Christus cum adhuc infirmi essemus secundum tempus pro impijs mortuus est? Vix enim pro iusto quis moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori. Comendat autem charitatem suam, deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est, multo igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati salui erimus in vita ipsius. Non solum autem, sed & gloriamur in deo per dominum nostrum Iesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus. Differens Chrysostomus de hac reconciliatione & beneficijs à Christo nobis collatis, dicit oratione 4. aduersus Iudæos, Christum non ex benefactis nec laboribus, nec pensatione, sed ex sola gratia iustificasse genus nostrum. Quod & Paulus declaras dicit, Nunc autem absq; lege iustitia dei manifestata est, iustitia autem dei per fidem Iesu Christi, non per vllum sudorem aut laborem. Et aliubi asserit vitam æternam in Christo Iesu domino nostro esse gratiam dei. Item de reliquijs Iudæorum quæ saluabuntur, dicit: Reliquiæ secundum electionem gratiæ factæ sunt. Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin iam gratia non est gratia. Et rursus ostendit nos debere inniti diuinæ misericordiæ, quæ mentem nostram alit & fouet, Noli (inquit) gloriari aduersus ramos: q; si gloriaris, nõ tu radicem portas, sed radix

Ephes. 2.
Hieronymus
Roma. 8.

Ephes. 2.

Roman. 3.

Roma. 5.

Chrysosto.

Roma. 3.
Roma. 6.

Rom. 11.

- Rom. 3:** te. Insuper Hieronymus differēs de radice & virtute iustificationis, libro 2. aduersus Pelagianos, ex illo Pauli loco, Existimamus fide iustificari hominē sine operibus legis, siquidē vnus est deus qui iustificat circumcisionē ex lege & præputiū ex fide, dicit Paulū manifeste ostendere, non in hominis merito, sed in dei gratia esse iustitiā, qui sine legis operibus credentiū suscipit fidem, sed (vt diuinare possum) intelligit Hieronymus hominē non posse mereri ex condigno simpliciter iustificationē. Postest tamē adniti deum interpellādo, vt iustificetur. q̄ si donum iustificationis & nostræ salutis acceperimus, non debemus gloriari, quasi nō acceperimus. A stipulatur & nostræ assertioni Augustinus lib. vno de Natura & gratia cōtra Pelagianos, cap. 4. vbi ostendit gratiā qua saluamur non reddi simpliciter nostris meritis. Et ex illa Pauli autoritate, Gratia saluati estis: suam cōfirmat sententiā. Hęc igitur (inquit) Christi gratia, sine qua nec infantes, nec ætate grādes salui fieri possunt: non meritis redditur, sed gratis datur, propter quod gratia nominatur. Sed quis offendi posset forsitan & stupore perfundi, q̄ deus non impartitur nobis æternā salutem pro nostris meritis, cum tamē Christus in die iudicij reddet vniciq; secundū opera eius. Sed vt verū fatear, mihi recte visus est dixisse Augustinus, gratiam qua saluamur, non reddi nostris meritis, eo q̄ æquari non possunt merita nostra illi gratiæ, siue vt vulgo fertur, non est æqualitas rei ad rem: spectando tamen causam secundariam, & adminiculatricē, nostris meritis rependitur præmiū æternum. Et enarrando psalmū 142. ad locū illum, Meditatus sum in omnibus operibus tuis, copiose docet nos gratia saluari, licet nostræ salutis cooperemur. Quia (inquit) omnia bona tu fecisti, & nihil cōstitisset, quod à te constitutū non esset, creatura tua spectaculū mihi facta est. Quæsiui in opere artificē, & in conditis omnibus conditorem. Quare hoc? vt quid hoc? nisi vt hoc intelligeret, quicquid in se boni esset, ab illo factū esse, ne ignorans iustitiā dei, & suam volens cōstituere, iustitiæ dei subiectus non esset, vt ei cōueniret vox illa superior, In veritate tua, & in iustitia tua. In omnib⁹ ergo dei operibus, & meditatione omnium operū, dei gratiā insinuat, gratiam cōmendat, gratiā se inuenisse gloriatur, gratiā qua gratis salui facti sumus: quia & gratis salui facti sumus. Quid gloriaris in tua iustitia? quid te extollis ignorās dei iustitiā? Dedisti forte aliquid vt saluus esses? quid dedisti vt homo esses? respice ergo conditorē vitæ tuæ, sub stitiæ & iustitiæ salutis authorē meditare in facturis manū eius, quia & iustitiā quæ in te est, ad manū eius inuenies pertinere. Audi Apostolum hoc te docentē, Non ex operib⁹ (inquit) ne forte quis extollatur. opera bona nō habemus? Habemus planē: sed vide quid sequitur, Ipsius enim sumus figmentū. Forte naturā qua homines sumus cōmemorare voluit, hoc appellato figmēto: nō plane: de operibus loquebatur, nō (inquit) ex operibus, ne quis forte extollatur, sed vt conijciamus, sequitur: Ipsius enim sumus figmētum, creati in Christo Iesu in operibus bonis. Noli ergo putare te aliquid operari, nisi inquantū malus es. Auerte ab opere tuo te ad opus illius qui fecit te, ipse formet, & ipse quod formauerat, & tu exterminasti, reformet. Vt enim sis, ipse operatus est, vt bonus sis: si bonus es, ipse operatur. Tum etiā lib. 2. Retract. cap. 1. asserit gratiā vincere liberū hominis arbitriū. Et testimonio Pauli probat, dicētis ad Corinth. Quis enim te discernit? quid autē habes quod nō accepisti? si autē accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Affirmat & idem ex Cypriano dicente, in nullo gloriandū, quando nostrum nihil est. Et de hac re fusius disputauit libro ad Simplicianū 1. quæst. 2. vbi dicit gratiā dei nō nutu nostro & industria, aut operum meritis comparari: quia vt sit nutus voluntatis, vt sit industria studij, vt sint opera charitate feruentia, ille tribuit, ille largitur: propterea petere iubemur vt accipiamus, & querere vt inueniamus, & pulsare vt aperiat nobis. Nōne aliquādo oratio nostra sic tepida est vel potius frigida, & penē nulla, imō omnino interdum ita nulla, vt neq; hoc in nobis cū dolore aduertamus: quia si vel hoc dolemus, iam oramus. Quid ergo aliud ostēditur nobis, nisi quia & petere, & querere, & pulsare ille cōcedit, qui vt hęc fugiamus, iubet. Igitur neq; volētis neq; currētis, sed miserentis

dei est: quandoquidē nec velle, nec currere, nisi eo mouente atq; excitante poterimus. Eiusdē est sententiā Chrysostomus homil. 1. de Adā & Eva, dicens: Et ne in ipsa vita bona extollatur genus humanum, & proprijs viribus victoriam sibi vendicet in eo q̄ superat affectus carnis, æquē redarguit Apostolus, dicens: Gratia salui estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed donū dei est. Non ex operibus, ne forte quis extollatur. Acque alio loco dicit: Quid habes quod non accepisti? Ita q; & si accepisti, quid gloriaris, quasi bene viuens non acceperis? Nam quis castum se gloriatur habere cor, aut mundum se esse à peccatis? Et si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. quia quod ipse dominus dicit, Sine me nihil potestis facere. Acque dixit: Nemo venit ad me, nisi pater traxerit eum. Item dixit: Non omnes capiunt verbū, sed quibus donatum est. Acque dixit: Confiteor tibi domine pater cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita pater sic fuit placitū ante te. Itē dixit: Vobis datū est nosse mysteria regni dei, illis autem non est datum. Sed ne quis dicat, quod non accepi, quid à me exigit deus? non habet excusationē, quia omnis accipiēs gratiam, iam in eadem gratia accipit & lumen. Quod si male fecerit, assignet sibi: si autem bene fecerit, assignet deo, à quo venit omne donum optimum, & lumē perfectum. Et in eadem homilia dicit: Tanta enim est erga omnes bonitas dei, vt nostra vellet esse merita, quæ sunt ipsius dona. Et pro his quæ largitus est, æterna præmia sit daturus. Agit quippe in nobis, vt quod vult & velimus, & agamus: nec otiosa in nobis esse patitur quæ exercenda, non negligenda donauit: vt & nos cooperatores gratiæ dei simus, & in his quæ in nobis ex nostra viderimus remissione languere, ad illum sollicitè recurramus: qui sanat omnes languores nostros, & redimet de interitu vitam nostram, cui quotidie dicimus. Ne inducas nos in tentationē, sed libera nos à malo. Tum etiā homil. 3. in caput Matth. 1. dicit: Saluari te dei gratia confitere, vt se ille tibi debitorem fateatur, nec modo pro operibus tuis, verū etiam pro hac gratia, humilic; sentētia. Quando enim aliqua fecerimus, habemus eum proculdubio debitore: quando vero nihil arbitramur nos operatos, amplius etiam de tali merce mur affectu, q̄ propter opera ipsa quæ facimus. Et homil. 4. in 2. epist. Pauli ad Timotheū, edisserēs locum illum, Idcirco omnia tolero propter electos, vt & ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Iesu cum gloria æterna, dicit: Sicut igitur propter nos passus est deus, ita & nos pro illis cōuenit pati. Est ergo ea res nō gratia, sed retributio. In deo quidem gratia est, nullis enim præcedētibus bonis nostris in eum sed sola gratia nos redemit, in nobis verò retributio est. Ad hæc homil. 38. ad Populum dicit: Cauemus igitur aliquid de nobis dicere, hoc enim & hominibus odiosos, & deo reddit abominabiles. Propterea quanto maiora præstitimus, tanto minora de nobis dicamus: sic enim gloriā assequemur maximā & apud homines & apud deum: quinimo neq; gloriā tantum apud deum, verū & mercedem & magnam retributionem. Ne mercedē itaq; reputes, vt capias mercedem: gratia cōfiteri saluari, vt ipse tibi se debitore confiteatur, non modo meritorum, verū & talis gratitudinis. Accedit & ad hanc opinionē Ambrosius in illud Pauli, Gratia salui facti estis per fidem, & non ex vobis, vbi dicit: Gratia fidei data est vt credētes saluentur, & omnis gratiarū actio salutis nostræ ad deū referenda est, qui misericordiā suam nobis præstat, vt reuocaret errātes ad vitā, non quærētes verum iter: ideōq; non est gloriandum nobis in nobis ipsis, sed in deo qui nos regenerauit natiuitate cælesti per fidem Christi. Ad hoc vt bonis operib⁹ exercitati, quæ deus nobis iā renatis decreuit promissā mereamur accipere. Præterea Origenes enarrās illum Pauli locum, Reliquiæ secundum electionem gratiæ dei saluæ factæ sunt. Si autē gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia, dicit: Qui per fidem saluantur, sine dubio per gratiam saluantur. Qui autem per electionem gratiæ saluantur, perfectiores animæ mihi videntur ostendi. sicut & Israel dicitur omnis, qui descendit de genere Israel. Ille autem verus Israel est, qui mente pura, corde sincero videt deum. Et

Roma. 9.
Chrysostom.

1. Corint. 4.

1. Ioan. 1.

Ioan. 15.

Ioan. 6.

Matth. 19.

Matth. 11.

Matth. 13.

Iacob. 1.

Psal. 102.

Matth. 6.

2. Timot. 22.

Ambrosius.

Origenes

Roma. 11.

hoc accipere possumus quod omnes quidem qui ad fidem veniunt Christi, per gratiam veniunt: qui vero donum gratiae operibus virtutis & puritate cordis exornant, isti non solum per gratiam, sed per electionem gratiae saluari dicuntur à Christo. Ex hac luculenta Origenis doctrina, animaduertimus hominem & gratia & puritate operum saluari, magis tamen ex gratia & electione gratiae dei. sed attende quae so diligenter quid dicat de operibus à Paulo reiectis: Opera (inquit) quae Paulus repudiat & frequenter vituperat, non sunt iustitiae quae mandantur in lege, sed ea in quibus hi qui secundum carnem legem custodiunt, gloriantur: id est vel circūcisio carnis, vel sacrificiorum ritus, vel obseruatio sabbatorum & neomeniarum. Haec & huiusmodi sunt opera, ex quibus dicit neminem potuisse saluari, & de quibus in ipso loco dicit, quod non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia. Si enim per haec quis iustificatur, non gratis iustificatur. qui autem per gratiam iustificatur, ista quidem opera ab eo minime quaeruntur, sed obseruare debet ne accepta gratia, inanis fiat in eo, sicut & Paulus dicit: Quia gratia eius in me vacua non fuit, sed amplius quam omnes illi laboraui. Et iterum addidit tanquam memor gratiae: Non ego (inquit) sed gratia dei mecum. Non facit ergo inane gloriam ille qui digna ei opera subiungit, & gratiae dei non existit ingratus. Qui enim post consecutam gratiam peccat, ingratus fit ei qui praestitit gratiam. Si autem non inane feceris gratiam, multiplicabitur tibi gratia, & tanquam mercedem boni operis gratiarum multitudinem consequeris: sicut & ipse scribit, & Petrus in epistola sua dicit, Gratia vobis & pax multiplicabitur in recognitione dei. Et iterum alibi, Vt poni difpenfatores multiplicis gratiae dei.

1. Corin. 15.

1. Pet. 1. &
2. Pet. 1.
1. Pet. 4.

CAPVT IIII.

Gratia dei prima, secundum merita non datur.] Hanc toto studio assertionem, partim ex Paulo, partim ex sana Augustini doctrina affirmabo. Volens Paulus nostris infigere praecordijs amplissima dei beneficia, & nos caperet obliuio diuinæ misericordiae, cui omnia nostrae religionis studia debemus acceptissima referre, vt procul sit à nobis nostrorum operum iactantia dixit, Omnes enim peccauerunt & egent gloria dei, iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quae est in Christo Iesu, cuius sententiam explicans Augustinus, Epistola Sixto presbytero, vbi nostras omnino tuetur partes contra insanum Pelagianorum errorem, ita scribit, Quod enim putant auferri sibi liberum arbitrium, si nec ipsam bonam voluntatem sine adiutorio dei hominē habere consenserint, non intelligunt, non se firmare humanum arbitrium, sed impellere, vt per inania feratur, non in domino tanquam in petra stabili collocetur. Paratur enim voluntas à domino. Quod autē personarum acceptorem deum se credere existimant, si credant quod sine vllis praecedentibus meritis cuius vult miseretur, & quos dignatur vocat, & quem vult religiosum facit, parum attendunt quod debita reddatur poena dānato, indebita gratia liberato. vt nec ille se indignū queratur, nec dignū se iste gloriatur, atque ibi potius acceptionem nullam fieri personarū, vbi vna eademque massa damnationis & offensionis inuoluit, vt liberatus de nō liberato discat quod etiam sibi supplicium conueniret, nisi gratia subueniret. Si autē gratia, vtiq; nullis meritis reddita, sed gratuita bonitate donata. Sed iniustū est (inquiunt) in vna eademque mala causa hunc liberare, illum puniri. Nempe ergo iustum est vtrunq; puniri. quis hoc negauerit? Agamus ergo gratias saluatori, dum nobis redditum nō cernimus, quod in dānatione similiū etiam nobis debitū fuisse cognoscimus. Si enim vtriq; liberaretur, lateret quid peccato per iustitiā debeatur: si nemo, quid gratia largiretur. vt ergo in hac difficillima quaestione verbis potius vtamur Apostoli, Volens deus ostendere iram, & demonstrare potentiam suam atrulit in multa patientia vasa irae quae perfecta sunt in perditionem. Et vt notas faceret diuitias gloriae suae in vasa misericordiae, cui non potest figmentū dicere, Quare sic me fecisti? cum habeat potestatem ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contume-

Roma. 3.
Augustinus

Rom. 9.

Ibidem.

liam, vbi quia vniuersa ista massa merito damnata est, contumeliam debitam reddidit iustitia, honorem donat indebitum gratia: non meriti prerogatiua, non fati necessitate non temeritate fortunae, sed altitudine diuitiarum sapientiae & scientiae dei: quam non aperit, sed clausam miratur Apostolus clamans: O altitudo diuitiarum sapientiae & scientiae dei, quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viae eius. Quis enim cognouit sensum domini? aut quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in secula seculorum Amen. Nolunt autem vt sit ipsi gloria in iustificandis impijs gratuita gratia, qui eius ignorantes iustitiam, suam volunt constituere, vel iam conclamantium religiosorum & piorum vocibus pressi, ita se fatentur ad habendam seu faciendam iustitiam diuinitus adiuuari, vt sui praecedat aliquid meriti, quasi priores volentes dare vt retribuatur eis ab illo de quo dictum est: Quis prior dedit illi, & retribuatur ei? Et suo putantes praere merito illum de quo audiunt, aut potius audire nolunt, Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Et in eadem epistola dicit Augustinus: Quis igitur sua merita iactaturus est liberatus? cui si digna suis meritis redderentur, non esset nisi damnatus. Nullane igitur sunt merita iustorum? Sunt planē, quia iusti sunt, sed vt iusti fierent, merita non fuerunt, iusti enim facti sunt cum iustificati sunt, sed sicut dicit Apostolus: Iustificati gratis per gratiam ipsius. Cum igitur huic gratiae inimici infestique sint isti, Pelagius tamen in Ecclesiastico iudicio Palæstino (non enim aliter impunitus exisset) anathematizauit eos qui dicunt gratiam dei secundum merita dari. Sed nihil aliud in eorum etiam posterioribus disputationibus inuenitur, quam meritis dari etiam gratiam. De cuius commendatione maxime ad Romanos Apostolica epistola loquitur, vt inde se praedicatio eius velut à capite orbis, toti orbi diffunderet. Ea est enim qua iustificatur impius, fit iustus qui prius erat impius. Et ideo percipiendae huius gratiae merita nulla praecedunt, quoniam meritis impij, non gratia, sed poena debetur. Nec ista esset gratia si non daretur gratuita, sed debita redderetur. Sed cum ab istis quaeritur quam gratiam Pelagius cogitaret sine vllis praecedentibus meritis dari, quando anathematizabat eos qui dicunt gratiam dei secundum merita nostra dari, respondent sine vllis praecedentibus meritis gratiam ipsam, humanam esse naturam, in qua conditi sumus. Neque enim antequam essemus, mereri aliquid poteramus vt essemus. Abijciatur à Christianorum cordibus ista fallacia. Nam omnino istam gratiam non commendat Apostolus qua creati sumus vt homines essemus, sed qua iustificati sumus, vt homines iusti essemus. Ista est enim gratia per Iesum Christum dominum nostrum. Etenim Christus non pro nullis vt homines conderentur, sed pro impijs mortuus est, vt iustificarentur, quippe homo erat qui dicebat Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia dei per Iesum Christum dominum nostrum. Possunt quidem dicere remissionem peccatorum esse gratiam, quae nullis praecedentibus meritis datur. Quid enim habere boni meriti possunt peccatores? Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat. Neque enim nullum est meritum fidei, qua fide ille dicebat, Deus propitius esto mihi peccatori, & descendit iustificatus merito fidelis humiliatus, quoniam qui se humiliat exaltabitur. Restat igitur vt ipsam fidem vnde omnis iustitia sumit initium, propter quod dicitur ad Ecclesiam in Cantico canticorum, Venies & pertransies ab initio fidei, non humano quo isti extolluntur, tribuamus arbitrio, nec vllis praecedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona quaecunque sunt merita, sed gratuitum donum dei esse fateamur, si gratiam veram, id est sine meritis cogitamus. Quia sicut in eadem epistola legitur, Deus vnicuique partitur mensuram fidei. Opera quippe bona fiunt ab homine, fides autem fit in homine, sine qua illa à nullo fiunt homine. Omne enim quod non est ex fide, peccatum est. Quapropter ne se vel ipsius orationis meritum extollat, etiam ad vincendas temporalium rerum cupiditates, & diligenda bona aeterna, at-

Rom. 11.

Ibidem.

Rom. 3.

Roma. 7.

Luca 18.

Roma. 14.

- Roma. 10. que ipsum fontem omnium bonorum, domini adiutorium datur oranti, fides erat quæ data erat non oranti, quæ utique nisi data esset, orare non posset. Quomodo enim inuocabunt, in quæ non crediderunt? quomodo credent quem non audierunt? quomodo audient sine prædicante? Igitur fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Proinde minister Christi huius fidei prædicator, secundum gratiam quæ data est illi, plantator est & rigator. Nec tamen qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat deus, qui unicuique partitur mensuram fidei. Plura in eadem Augustini epistola poteris euoluere, quæ tamen eandem veritatis intelligentiam spirant, nec aliò tendunt quàm quòd indicant primam gratiam qua iustificatur impius, non inniti præcedentibus hominum meritis. Et qui in gymnasticis concertationibus dicunt hominem posse primam, mereri gratiam, videntur Pelagianis applaudere. Nolim tamen negare quin homo iustificatus & diuina illustratus gratia, possit mereri secundam gratiam aut augmentum gratiæ, non enim permisit Paulus negligenter, ut gratia dei in se esset vacua. Adde quòd homo potest mereri maiorem gloriam, poterit igitur subinde mereri maiorem gratiam, qua ad maius æternæ vitæ præmium aspirabit. Alius (ut euangelicæ indicat literæ) recipit tricesimum fructum, alius sexagesimum, alius vero centesimum. Et in domo patris cælestis multæ sunt mansiones. Nihil tamen velim tibi arroges, si augmentum gratiæ promerearis, & melior euadas, sed deo agas gratias, quòd de virtute ad virtutem profeceris. quòd si quæsieris tuis rependi meritis præmium æternum, existimes merita tua non tam esse tua quàm dei dona. quòd expressit Augustinus libro vno de Gratia & libero arbitrio, capite septimo, dicens: Si ergo dei dona sunt bona merita tua, non deus coronat merita tua tanquam merita tua, sed tanquam dona sua. Proinde consideremus ipsa merita apostoli Pauli, quibus dixit coronam redditurum iudicem iustum, & videamus vtrum merita ipsius tanquam ipsius, id est ex ipso ei comparata, an dona sint dei. Bonum (inquit) certamen certavi, cursum consummaui, fidem seruauit. Primo ista bona opera si non ea præcessissent cogitationes bonæ, nulla essent. Attendite itaque quid de ipsis cogitationibus dicat, ait enim scribens ad Corinthios, Non quia idonei sumus cogitare aliquid à nobis tanquam à nobismet ipsis, sed sufficientia nostra ex deo est. Deinde singula inspiciamus. Bonum (inquit) certamen certavi. Quæro qua virtute certauerit, vtrum quæ illi ex semetipso fuerit, an quæ desuper data sit? Sed absit ut tantus doctor gentium ignorauerit legem dei, cuius vox est in Deuteronomio: Ne dicas in corde tuo, fortitudo mea & potentia manus meæ, fecit mihi virtutem magnam hanc, sed memoraberis domini dei tui: quia ipse tibi dat fortitudinem facere virtutem. Quid autem prodest bonum certamen, nisi sequatur victoria? Et quis dat victoriam, nisi ille de quo dicit ipse: Gratias deo qui dat nobis victoriam per dominum nostrum Iesum Christum. Et alio loco cum commemorasset testimonium de psalmo: Quoniam propter te mortificamur tota die, deputati sumus ut oves occisionis, subiecit atque ait: Sed in his omnibus superuincimus per eum qui dilexit nos. Non ergo per nos, sed per eum qui dilexit nos. Deinde dixit: Cursum consummaui. sed ille hoc dixit, qui alio loco dicit: Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est dei. Quæ sententia nullo modo potest etiam sic conuerti ut dicatur, Non miserentis dei, sed volentis & currentis est hominis, quisquis enim hoc ausus fuerit dicere, aperte se ostendit Apostolo contradicere. Postremo dixit, Fidem seruauit. Sed ille hoc dixit, qui alibi ait: Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem. Non enim dixit, Misericordiam consecutus sum quia fidelis eram, sed ut fidelis essem. Hinc ostendens etiam ipsam fidem haberi, nisi deo miserante non posse, & esse donum dei. quod apertissime docet, dicens: Gratia salui facti estis per fidem: & hoc non ex vobis, sed dei donum est. possent enim dicere, Ideo accepimus gratiam quia credimus: tanquam sibi fidem tribuentes, gratiam deo. Propter hoc Apostolus cum dixisset Per fidem, & hoc (inquit) non ex vobis, sed dei donum est. Rursus ne dicerent se suis operibus donum tale meruisse,

continuo subiecit, Non ex operibus, ne forte quis extollatur, non quia negauit aut euacuauit opera bona, cum dicat deum unicuique reddere secundum opera eius, sed quia opera sunt ex fide, non ex operibus fides, ac per hoc ab illo sunt nobis opera iustitiæ, à quo est ipsa fides, de qua dictum est: Iustus ex fide viuunt. Homines autem non intelligentes quod ait ipse Apostolus, Arbitramur iustificari hominem per fidem, si ne operibus legis, putauerunt eum dicere sufficere homini fidem, etiam si male viuat, & bona opera non habeat, quod absit ut sentiret vas electionis: qui cum dixisset quodam loco, In Christo enim Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium. Mox addidit, sed fides quæ per dilectionem operatur. Et capite 8. mouet argumentum aduersus id quod dicit Paulus: Stipendia peccati mors. Gratia autem dei vita æterna in Christo Iesu domino nostro. Si enim (inquit) vita æterna bonis operibus reddatur, quoniam deus reddet unicuique secundum opera eius, quoniam igitur pacto vita æterna, est dei gratia? Sed præclare hoc dissoluit argumentum, dicens: Ista quæstio nullo modo mihi videtur posse dissolui, nisi intelligamus & ipsa bona opera nostra quibus æterna redditur vita, ad dei gratiam pertinere, propter illud quod ait dominus Iesus, Sine me nihil potestis facere. Et ipse Apostolus cum dixisset, Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed dei donum est: non ex operibus, ne forte quis extollatur, vidit utique putare posse homines hoc ita dictum, quasi necessaria non sint opera bona credentibus, sed eis fides sola sufficiat, & rursus posse homines de bonis operibus extolli, velut ad ea facienda sibi sufficientiam. mox itaque addidit, Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit deus ut in illis ambulemus. Quid est hoc, quòd cum dei gratiam commendans dixisset: Non ex operibus, ne forte quis extollatur. Cur hoc dixerit ratione reddens, Ipsius enim sumus (inquit) figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis. Quomodo ergo non ex operibus: ne forte quis extollatur. Sed audi & intellige non ex operibus dictum tanquam tuis ex teipso tibi existentibus, sed tanquam his in quibus te deus finxit, id est formauit & creauit. Hoc enim ait: Ipsius sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis, non illa creatione qua homines facti sumus, sed ea de qua ille dicebat, qui utique iam homo erat: Cor, mundum crea in me deus. Et capite nono eiusdem operis plane fateretur Augustinus gratiam reddi pro gratia, scilicet præmium pro merito. Sunt enim hæc dona dei: & assertionem illam probat ex illo Ioannis testimonio, Nos omnes ex plenitudine eius accepimus, & gratiam pro gratia.

CAPVT V.

Gratia efficit ut non tantum velimus recte facere, sed etiam possimus.] Tamen Augustiniana sit hæc assertio (ut sumus ostensuri) tamè optamus primum ex Paulo suadere gratiam esse causam primariam ut recte quicquam velimus, & nos debere diuina ope niti. In primis docet Paulus ad Philip. liberum hominis arbitrium à deo tanquam à primo principio moueri ad bonum opus, imò deus est qui in nobis bonum opus operatur. sic enim loquitur: Cõsidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Iesu. nec diffidit quin deus in nobis bonum opus inceptabit, & inceptum perficiet, & consummabit. Sunt enim opera dei perfecta, & licet homo conetur ut præclarum virtutis officium aggrediatur & illud intetet, deus tamè bonum illud opus incipit & cõplet: opus enim hominis bonum, dei donum est, ut in præcedenti capite explicuimus. & hoc dicit Paulus ne homo excellentissima bonorum operum primordia sibi arroget, suamque iactet aspiciam. Hæc Pauli doctrinam enarrans Chrysostomus, ait: Non enim dixit persuasum habeo quod cœpistis & perficietis. Sed quid? Qui cœpit in vobis opus perficiet. Neque detraxit illis laudem recte factorum. Dixit enim, Cõmunionem vestra gaudeo, videlicet indicat & ipsos recte facere. Neque proprie tribuit illis quæ bene gesserat, sed deo duce & auspice gesta significat. Cõfido enim (inquit) quòd qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque ad diem Iesu Christi, videlicet ipse deus. Non enim de vobis tan-

tum hunc affectū habeo, verumtū de ijs quæ ex vobis proficiſcūtur. Hoc ipſum enim laus eſt haudquaquā mediocris, deū in quopiā operari. Etenim ſi non eſt perſo-
narū diſcrimen apud deū, ſicuti nō eſt: ſed ad ſuum propoſitū reſpiciens, auxiliatur
nobis in benefactis: nimirū ipſi ſumus in cauſa, ſi illis ſpoliamur. Itaq; nec ſic quidē
loquens Paulus priuauit illos ſua laude. Nam ſi ſimpliciter in illis operabatur deus,
nihil verabat quominus & in gentibus & in vniuerſis hominibus operaretur, ſi nos
vt ligna lapidēſq; moueret, neq; noſtrā requireret indiſtriā. Itaq; quod dicit, Deus
perſiciet, & hoc rurfus ad illorū laudē pertinet, qui cōciliarint ſibi dei gratiā vt ipſiſ
eſſet auxilio, in his quæ ſuperant humanā naturam. Quāquā iſta benefacta ſic ve-
ſtra ſunt, vt tamē humana non ſint, ſed egent fauore diuino. quod ſi deus perſiciet
non erit multū negotij, ſed oportet habere fiduciā, q̄ omnia facile perſiciētur, nimirū
illo opitulante. Quōd autē gratia nobis plurimū momenti præſtet, vt recte ve-
limus, teſtatur Paulus ad Phlippenſes, dicēs: Deus eſt enim qui operatur in vobis &
velle & perſicere pro bona voluntate. Nec reſert an ſumamus pro intelligentia il-
lius loci, gratiā pro deo nobis gratis opitulāte, an pro dono dei. Cū enim deus ope-
ratur in nobis velle, & gratia dei nos iuuat vt non fruſtra velimus. Vide tātillas ho-
minis ex ſeiſo vires ad bene viuendum, quandoquidē ſine auxilio dei non poteſt
velle recte & beate viuere, nec perſicere opus bonū. Theophylactus hunc Pauli lo-
cum ediſſerēs, dicit: Deus eſt qui nos prōptiores facit vt bona velimus, & animi e-
iuſmodi prōptitudinem ad finē deducit. Operatur autē deus in vobis & voluntatē,
hoc eſt, ſuggerit vobis vt quæ bona ſint cupiatis, & veſtrā hanc optimam augebit
cupidinē, incendētq; vt fiat feruētior. vel aliter, Cum veſtra ſit deus cōcepta termi-
natus, vos vero ad ea animū intendatis, quæ finē iam naſta eſſe perſpicimus. Pro-
pterea voluntatē dicit Apoſtolus à deo hāc ſuggeri. Exēpli gratia, Induxeras ipſe in
animū quod cōperas exequi. Si finis opus hoc tuū ſubſequatur acceptū, eris prom-
ptior vt illud perſicias: ſin minus, vel ea ſaltē quæ te inceſſerat quidpiā operandi li-
bido torpebit, deniq; & abſcedet. Cum itaq; conſtet in deo eſſe hunc finē, qui velle
hoc noſtrum incēdat, merito dicit in dei eſſe operationē, eiufmodi poteſtatē ſitam:
vel quia ſic cupiat Paulus, voluntatē hanc illis à deo dicit ſuppeditari. Quēmadmo-
dum & officia & recte facta dona appellat, nō liberum nobis arbitriū demēs, ſed vo-
lent, vt gratiæ deo per nos ſemper agātur, & illi vniuerſa cōmitti. Attēde vel hūc
dicendi modū, in vobis dixit, cum timore & tremore ſalutem operātibus. Nam in
iſtiusmodi deus hominibus omnia operatur, qui volūtate ad bonū ducitur. Adde q̄
ſi non ſimus ſufficiētes cogitare aliquid à nobis tanquā ex nobis, ſed ſufficiētia no-
ſtra ex deo ſit: nec ex nobis, tanquā ex nobis, poterimus ſufficiēter quod bonum eſt
velle. Si enim intellectus non poſſit abūde perpendere & cogitare ex ſeiſo tāquam
à primo mouēte principio, quod bonū eſt, nec volūtas à ſe tanquā ex ſeiſo poterit
elicere quod bonū eſt, ſaltē meritoriū: ſed virtus noſtra & noſtra mentis vigor om-
nis, ex deo haud dubie proficiſcetur. Nunc ad ſuffulciendā ex Auguſtino aſſertionē
progrediemur, qui omnino huic ſentētiæ aſſentitur & fauet, enarrās illud Pauli, Cor-
pus quidē mortuū eſt propter peccatū, ſpiritus autē vita eſt propter iuſtitia. Si ergo
ſpiritus eius qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis habitat in vobis, qui ſuſcitauit Chriſtū
Ieſum viuificauit & mortalia corpora veſtra per inhabitantē ſpiritū eius in vobis.
Liberū ergo (inquit) arbitrium perfecte fuit in primo homine, in nobis autem an-
te gratiā non eſt liberū arbitrium vt nō peccemus, ſed tamen vt peccare nolimus.
Gratia vero efficit vt nō tantum velimus recte facere, ſed etiā poſſimus, non viri-
bus noſtris, ſed liberatoris auxilio qui nobis etiam perfectā pacem in reſurrectio-
ne tribuit, quæ pax perfecta bonam voluntatem conſequitur. Gloria enim in ex-
celſis deo, & in terra pax, hominibus bonæ volūtatis. Hæc ille. Et Serm. 12. de Verbis
Apoſt. oſtendit omnia noſtra diuinæ gratiæ aſcribēda eſſe, nō libero arbitrio, profe-
rens illud Pſalmographi, Seruite domino in timore, & exultate eicum tremore:
nequando irascatur dominus, & pereatis de via iuſta. Time (inquit) ne cum tibi

Philip. 2.

Theophyl.

2. Corint. 3.

Augustinus
Rom. 8.

Lucæ 2.

Pſal. 2.

arrogas, quia inuēta eſt à te via iuſta, ipſa arrogātia pereas de via iuſta. Ego (inquit)
veni, arbitrio meo veni, voluntate mea veni. Quid turgeſcis? quid tumefcis? Vis
noſſe quia & hoc præſtitum eſt tibi: ipſum audi vocantem: Nemo venit ad me, niſi
pater qui me miſit, traxerit eum. Insuper explicādo illum Davidis pſalmū, Beatus
vir quē tu eruderis domine, & ex lege tua docueris eum: dicit cōſentaneè ad verbū
Chriſti dicētis: Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde. Hæc eſt ergo diſcipli-
na Chriſtiana. Nemo facit aliquid bene, niſi gratia ipſius: quod facit homo male, i-
pſius eſt hominis: quod facit bene, de beneficio dei facit. Cum cōperit facere bene,
non ſibi tribuat: cum nō ſibi tribuerit, gratias agat ei à quo acceperit. Cum autem
bene facit, non inſulter illi qui illud non facit, aut extollat ſe ſuper eum. Non enim
in illo finita eſt gratia dei, vt ad alium non perueniat. Nec ab hac diffidet ſententia
Hieronymus in 18. cap. Hieremiæ, vbi propheta de ſalubri hominis pœnitētia diſſe-
rit. licet enim Hieronymus ſummopere liberū commēdet arbitriū, cui præmia vel
pœnæ pro meritis rependūtur: tamen dicit, Non ſtatim torū erit hominis quod eue-
niet, ſed eius gratiæ qui cūcta largitus eſt. ¶ Animaduerte hominē non poſſe perfe-
cte primā veritatē & eius myſteria cognoſcere abſq; diuino auxilio, & ſpiritus ſan-
cti dono. Nā dicit Paulus ad Corinth. Nemo poteſt dicere dominus Ieſus, niſi in ſpi-
ritu ſancto. Quē locum enarrās Ambroſius dicit: Omne verū à quocūq; dicatur, à
ſpiritu ſancto eſt. poteſt tamē homo multa vera cognoſcere abſq; diuina gratia ſi-
ue dono habituali, naturali ſuperaddito. Dicit enim Auguſtinus lib. 1. Retract. Non
approbo quod in oratione dixi: Deus qui non niſi mundos verū ſcire voluiſti. Re-
ſpōderi enim poteſt, multos etiā non mundos multa ſcire vera. Nō de ſunt qui aſſe-
uerant hominem in ſtatu naturæ integre potuiſſe diligere deum ſuper omnia abſq;
gratia natiuis præſidijs adiecta. Nam pro conditione illius illibata naturæ cogno-
ſcebat homo ſe à deo pulcherrimis donis illuſtratū fuiſſe, & creatorē impēſius crea-
tura diligendū eſſe, & bonum partis à bono totius pēdere: deus tamē mouit hominē
vt agnoſceret bonū partis eſſe propter bonū totius, & amorē creaturæ referēdum
eſſe in amorē creatoris. Subinde dicunt hominē naturalibus adiumētis poſſe adim-
plere mādata dei ſine gratia, ſpectādo ſubſtāciam operū, quia poteſt operari fortia,
iuſta, & alia virtutū opera, & potiſſimū id potuit in ſtatu naturæ integræ abſq; habi-
tuali munere. Si tamen cōſideremus modū & vim adimplendi præcepta, quatenus
ſcilicet à charitate proficiſcūtur, nullo modo poteſt homo adimplere mandata dei
abſq; gratia. Nam cū dixiſſet Auguſtinus libro de Correptione & gratia, q̄ ſine gra-
tia nullū proſus bonum homines faciunt, ſubdit: Non ſolum vt monſtrante ipſa
quid faciendū ſit, ſciant: verū etiam vt præſtate ipſa faciant cum dilectione quod
ſciant. Nec poteſt homo reſurgere à peccato abſq; auxilio gratiæ. Dicit enim Hiere-
mias: Cōuerte me domine & cōuertar, & poſtquā me cōuertisti, ego egi pœnitentiā.
Cum autem homo à dei gratia ſuis ſcleribus excidit, reſpiſcendo perit conuerti,
quamobrē diuino ſubſidio indiget, vt deo recōcilietur: nec poteſt cōverti, niſi deus
eum conuerterit, tamenſi det operā vt conuertatur, & reſpiſcat. Huic quoque au-
thoritati ſubnectam rationē: Homo reſurgit à peccato, cum reparatur ad ea quæ
delinquendo amiſit, ſed non poteſt reparari ad priſtinū decorem, & ad ea quæ delin-
quendo amiſit abſq; ope diuina, igitur vt reſurgat à peccato, dei auxilio indiget. Mi-
norē ſua deo: Cū offendit deū mortaliter, incurrit maculā, corruptionē naturalis bo-
ni, & reatū pœnæ: ſed macula animi abſtergi nō poteſt ſine dei adminiculo, nec vn-
quam candor naturæ abſq; codē auxilio reparabitur, nec remittetur reatus pœnæ
æternæ deo nolēte: igitur vt homo à peccato reſurgat, auxilio gratiæ indiget.

CAPVT VI.

Generationes ab Abraham vſq; ad Chriſtū ſunt 42. nec tamen omnes car-
nales. ¶ Priorem aſſertionis partē ex euāgelio Matthæi ſua debimus. Ab
Abrahā vſq; ad David generationes ſunt 14. quæ implent primā reſſarā
decadē. Et in hūc digeretur ordinē duplici ſeptenario cōcluſum, Abrahā,
FF. iij.

Ioan. 6.
Pſal. 93.

Matth. 11.

Hieronymus

1. Corin. 12.
Ambroſius.

Hier. 31.

Matth. 14

Isaac, Iacob, Iudas, Phares, Esrō, Aram, Aminadab, Naasson, Salmon, Booz, Obed, Iesse, Dauid. A Dauid verò vsq; ad transmigratiōē Babylonis generationes sunt 14. & secundā tessaradecadē in Iosiam finiemus, quæ hoc pacto describetur: Dauid, Salomō, Roboā, Abia, Afa, Iosaphat, Ioram, Ozias, Ioathan, Achaz, Ezechias, Manasses, Amon, Iosias. Iam perspicis 28 generationes annumeratas. A trāsmigratiōne verò Babylonis vsq; ad Christū, generationes sunt 14. Et tertiā tessaradecadē à Iechonia filio Iosiaē auspicabimur. Iechonias, Salathiel, Zorobabel, Abiud, Eliacim, Azor, Sadoc, Acim, Eliud, Eleazar, Matthan, Iacob, Ioseph vir Mariæ, de qua natus est Christus. Numerando autē à Iechonia vsq; ad Ioseph, inueniemus generationes tredecim, sed quartadecima generatio in ipsum Christū reputabitur. Et huius est sententiæ Hieronymus edisserens in Matthæū temporaneam Christi secundum carnem generationē. Sunt qui incipiunt supputare tertiā tessaradecadē à Iosia & cōplent in Ioseph, qui gignitur solum & non gignit. Non enim dicit Euangelista, Ioseph genuit Christum nam Christus est extra seriem carnalē, sed ita scribit, Iacob genuit Ioseph virū Mariæ, de qua natus est Iesus qui vocatur Christus. Nec aduersus nostram assertionem concludit quod scripsit Augustinus libro 2. quæst. ex nouo testamēto, quæst. 5. si modo opus illud sit Augustinianū, quod non putat viri doctissimi, dicit ab Abrahā vsq; ad Christū esse 41. generationes. nec tamen negat quin sint 42. Secundū enim numerū generationes 41. numerātur, iuxta rationē autē 42. probantur. Iechonias autē in transmigratiōe genitus est, id est rex factus sicut continetur in Paralipomenon, finem fecit secundæ parti. Et quia post transmigratiōē remansit in regno permittente rege Nabuchodonosor, ab ipso incipit tertia pars quæ venit vsq; ad Christū, ideōq; bis cōputatur: vt & cōcludat secundā partem, & iniet tertiā. Sic enim habet, Et post transmigratiōē Babylonis, Iechonias genuit Salathiel, sed multi negarent Iechoniam finire secundā tessaradecadē, sed Iosiam. ¶ Posteriorē assertionis partem Euangelicis literis affirmabimus. Christi etiam vt hominis generatio non est carnalis, quia non innitebatur cōmixtioni feminis, sed operationi spiritus sancti, quod apertē docet Matthæus, dicens: Cum esset desponsata mater Iesu Maria, Ioseph, antequā conuenirent inuenta est in utero habens de spiritu sancto. Ioseph autē vir eius cum esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Hæc autē eo cogitante, ecce Angelus domini apparuit in somnis, ei dicens: Ioseph fili Dauid noli timere accipere Mariā coniugem tuam. Quod enim in ea natū est, de spiritu sancto est. Angelus etiam dixit virgini Mariæ demiranti quoniam pacto posset concipere & parere saluatorē mundi, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideōq; & quod nascetur ex te sanctū, vocabitur filius dei. Et licet Christus in castissimo virginis utero carnem acceperit, non propterea eius generatio simpliciter & proprie dicenda est carnalis. Nostra autem est carnalis à commixtione sexuum profecta. Noua sanè est generatio & spiritalis cōcipi de spiritu sancto, & non gigni ab homine. Et nouus est atq; excellentissimus generationis modus, nasci ex intacta, illibataque, & prorsus immaculata virgine, quam non cōtigit Ioseph, nec quicquam huic sublimi generationi contulit: fuit autem finis generationis carnalis, Christus vero initium spiritalis. Et cum Abraham ponitur generationum primus, & Ioseph vltimus, Abraham primus est in imo (vt quidam dicūt) & Ioseph vltimus in summo. Nam ad Christum procedere, non est descendere, sed ascendere, & id à carne ad spiritum, à tenebris ad lucem, à morte ad vitam, à seruitute ad libertatem, à miseria ad fœlicitatem, ab homine ad deum. Christus autem cuius generatio est noua & inenarrabilis, illis omnibus generationibus præminet.

FINIS SEPTIMI LIBRI.

Hieronymus

Augustinus.


Matth. 1.

Lucæ 1.

Theosophiæ Ioannis Arborei

LAVDVNENSIS LIBER VIII.

CAPVT I.



Hebræi suam ab Heber traxerunt originem, qui semper habitassent in terra promissionis si non peccassent.] Vtraque huiusce Assertionis pars, est Augustiniana. Existimauerat aliquādo Augustinus Hebræorum gentem cœpisse ab Abraham, vt meminit libro primo, de Cōsensu euangelistarum, capite 14. sed retractauit, quod omnibus compertum est. Sic enim loquitur libro 2. Retractationum, capite 16. Quod dixi libro primo, de Consensu euangelistarum, ex Abraham cœpisse gentem Hebræorum, est quidem & hoc credibile, vt Hebræi velut Habræi dicti esse videantur, sed ex illo verius intelliguntur appellati qui vocabatur Heber, tanquā Hebræi. Et libro 16. de Ciuitate dei, capite 3. explicans quod scriptum est in Genesi, De Sem quoque nati sunt patre omnium filiorum Heber, fratre Iaphet maiore, licet hac tralatione non vtatur, dicit: Sem natus est Heber, etiam ipsi, id est ipsi Sem natus est Heber, qui Sem pater est omnium filiorum. Sem ergo Patriarcham intelligi voluit omnium qui de stirpe eius exorti sunt, quos commemoraturus est, siue sint filij, siue sint nepotes, & pronepotes, & deinceps indidem exorti. Non sanè istum Heber genuit Sem, sed ab illo quintus, in progenitorum serie reperitur. Sem quippe inter alios filios genuit Arphaxat, Arphaxat genuit Cainam, Cainam genuit Sala, Sala genuit Heber. Nō itaque frustra ipse primus nominatus est in progenie veniente de Sem, & prælatus est etiam filijs, cum sit quintus nepos, nisi quia verum est quod traditur, ex illo Hebræos esse cognominatos tanquam Hebræos, cum & alia possit esse opinio, vt ex Abraham tanquā Abrahæi dicti esse videantur. Sed nimirum hoc verum est, quod ex Heber Hebræi appellati sunt, ac deinde vna detracta litera Hebræi, quam linguam solus Israel populus potuit obtinere, in quo dei ciuitas, & in sanctis peregrinata est, & in omnibus sacramento adumbrata. igitur filij Sem prius sex nominātur, deinde ex vno eorum nati sunt quatuor nepotes eius. Itēque alter filiorum Sem genuit eius nepotem, atque ex illo itidem pronepos natus est, atque inde abnepos qui est Heber. genuit autem Heber duos filios, quorum vnum appellauit Phalec quod interpretatur diuidens, deinde scriptura subiungēs, rationēque huius nominis reddens, quia in diebus, inquit, eius, diuisa est terra. Hoc autē quid sit postea apparebit. Alius verò qui natus est ex Heber genuit duodecim filios, ac per hoc sūt omnes progeniti de Sem vigintiseptem, in summa igitur omnes progeniti de tribus filijs Noe, id est quindecim de Iaphet & triginta vnus de Cham, vigintiseptem de Sem, sūt septuagintatres. Hæc ille. Tum etiam Iosephus libro primo antiquitatū Iudaicarum, capite 14. eiusdem est sententiæ, vbi dicit Arphaxat filius fuit Sala de quo natus est Heber, à quo Iudæos, Hebræos initio vocauerūt. Astipulatur & huic opinioni Lyranus enarrans illum Genesios locum, De Sem, quoque nati sunt patre omnium filiorum Heber: Istum, inquit, primo nominat in speciali, quia ab ipso nominati sunt Hebræi, quibus scribebat Moyfes. vbi autem nostra translatio habet Heber, Hebræi dicunt transitus. Origenes hac in re homilia 19. super Numeros, fauet Hebræis, vbi dicit: Hebræi transeuntes interpretantur. Iste ergo ipse populus etiam Hebræus dicitur, quia transit de Aegypto ad terram repromissionis, de tenebris ad lucem, de morte

Augustinus.

Gene. 10.

Iosephus.

Lyranus.

Origenes.

Burgensis. ad vitam, Burgensis vir sanè eruditus, à sententia Augustini in suis additionibus ad 21. caput Matthæi discedit, vbi dicit Hebræos nō dici ab Abraham ratione proprii nominis, quia Abraham incipit ab Aleph litera, Heber verò per Ain. quòd si Hebræus diceretur ab Abrahā, inciperet ab Aleph, quod nō est verum, sed incipit per Ain. Nec etiā dicuntur Hebræi ab Heber: quia si sic, Ammonitæ & Moabitæ qui de Loth descendunt, similiter & Ismaelitæ & Madianitæ qui descēderunt ab Abrahā, dicerētur Hebræi, cum omnes prædicti descendunt ab Heber, vt manifestum est ex Genesi, capite 11. & 16. & in alijs, sed hæc denominatio accipitur ab Abrahā non ratione proprii nominis, sed alia ratione. Ad cuius euidentiā attendendum est, quòd inter Mesopotamiam & terrā promissionis, transit fluuius Euphrates, qui cum sit magnus & vnus de quatuor fluminibus paradisi, vt habetur Gene. 2. idcirco in lī mitibus terræ promissionis vocatur fluuius simpliciter, non exprimendo nomen proprium quod est Euphrates, vt habetur Exodi 23. vbi dicitur, Ponam terminos tuos à mari rubro vsque ad mare Palæstinorū, & à deserto vsque ad fluuium, quod intelligitur de Euphrate qui terminabat terram promissionis ex parte Mesopotamiæ. Et quia Abraham natus fuit in Mesopotamia, vbi Thare pater eius & alij cognati seruiebant idolis, & inde adductus fuit diuina directione in terram Chanaam, vbi segregatus ad cultum diuinum ædificauit altaria domino inuocās nomen eius, vt habetur Geneseos 12. idcirco Abraham veniēs in terram promissionis, Hebræus vocabatur, id est transfluuialis. Heber enim Hebraice transfluuialis significat. Et ideo sicut illi qui veniunt de partibus vltromontanis communiter vltromontani dicuntur, sic Abrahā in initio suæ vocationis ad fidem in terra promissionis existens, Hebræus vocabatur, hoc est transfluuialis. Vnde Gene. 14. Venit vnus de his qui euaserant & nuntiauit Abrahæ Hebræo, quod idem est dicere Abrahæ trāsfluuiali. Ex quibus patet quòd Abraham dictus est Hebræus eo quòd ex partibus trāsfluuialibus in terram sanctam venit. Et quia ista transportatio fuit facta in principio sui accessus ad fidem, vel saltem suæ publicationis, ideo inde cognominatus est cum sua posteritate, quasi à principio suæ fidelitatis. Quæ quidem ratio potest haberi Iosue 24. vbi scriptū est: Hæc dicit dominus, trans fluuiū habitauerunt patres vestri, ab initio Thare pater Abraham & Nachor, seruiēruntque dijs alienis. Et sequitur: Tuli patrem vestrum Abrahā de Mesopotamiæ finibus, vbi in Hebræo habetur de Heber fluuij, id est de trāsfluuiio, & adduxi eum in terram Chanaam, vbi segregatus à parentibus idololatrie se publicauit diuino cultui mancipatū. Ex prædictis patet quare Hismaelitæ, Idumitæ & huiusmodi non dicuntur Hebræi, licet descendant ab Abraham. Nam illi soli qui sequuntur Abrahā in separatione ab Idololatria & cognitione dei, Hebræi debent dici, tanquā sequentes rationem illius denominationis. Sed is qui tuetur partes Lyrani, respondet argumentis ipsius Burgensis, in 10. caput Geneseos, dicens argumentum Burgensis aduersari authori, & esse contra Burgensem. Nam Hismaelitæ descendentes ab Abraham, & in cultu vnus dei remanētes, dicti sunt Hebræi, alij non: & idē dici potest de filijs Heber, sicut Abrahæ. Et illi vere dicebantur Hebræi à primaria & natua denominationis origine ab ipso Heber, qui sprete idolorum religione & obseruatione, vnū deum sanctissime colebant. nec hic tam obseruamus Hebræorum Etymologiam, quàm peculiarē ab ipso Heber denominationē. hæc adiecimus. Nec Burgensis ratio cōcludit, quia constat decem tribus ex Hebræis fuisse & esse, & tamen cultum vnus dei illis defuisse, & ad idola defluxisse. ¶ Secundā Assertionis partem ex Augustino, libro 17. de Ciuitate dei, capite 2. desumpsimus, vbi dicit promissionum dei duas res fuisse Abrahæ promissas: vnā scilicet quòd terram Chanaam possessurū foret semen eius, quod significat vbi dictum est, Vade in terram quam tibi demonstrauero, & faciam te in gentē magnam. Aliam verò longe præstantiorē, non de carnali sed spiritali semine, per quod pater est, non vnus gentis Israeliticæ, sed omnium gentium, quæ fidei eius vestigia consequuntur. Quod promitti cœpit his verbis, Et benedicentur in

Exo. 23.

Gene. 14.

Augustinus

Gene. 12.

te omnes tribus terræ. Erat igitur iam in terra promissionis semē Abrahæ, id est populus Israel secundum carnem, atque ibi non solum tenēdo ac possidēdo ciuitates aduersariorum, verumetiam reges habēdo, regnare iam cœperat, impletis de ipso populo promissionibus dei, iam magna ex parte, non solum quæ in illis tribus patribus Abraham, Isaac & Iacob, quibuscunque dictis vel signis aut figuris temporibus eorum factæ sunt, verūetiam que per ipsum Moysen, per quem populus idem de seruitute Aegyptia liberatus est, & per quæ cuncta præterita reuelata sunt temporibus eius, cum populum per eremum duceret factæ fuerant. Neque autem per insignem ducem Iesum Naue, per quem populus ille in promissionis inductus est terram, qui expugnatis gentibus eam duodecim tribubus, quibus deus iusserat, diuisit & mortuus est, neque post illum toto tempore iudicū impleta fuerat promissio dei de terra Chanaā, quòd à flumine Aegypti vsque ad flumen magnū Euphratem populus ille dominaretur, nec tamen adhuc prophetabatur futurum, sed expectabatur implendū, impletum est autem per Dauid, & eius filiū Salomonem, cuius regnum tanto quantum promissum fuerat, spatio, dilatatum est. Vniuersos quippe illos subdiderunt tributariōsque fecerūt. Sic igitur in terra promissionis secundum carnem, hoc est in terra Chanaam sub his regibus semen Abrahæ fuerat cōstitutum, vt nihil deinde superesset quo terrena illa dei promissio compleretur nisi vt in eadem terra, quantum ad prosperitatem attinet temporalem, per posteritatis successione in concusso statu vsque ad mortalis seculi huius terminum gens permaneret Hebræa, si domini dei sui legibus obediret. Sed quoniā deus nouerat, hoc eam nō esse facturam, vnus est etiam temporalibus pœnis ad exercendos in ea paucos fideles suos & admonendos qui postea futuri erant in omnibus gentibus, quas per eos admoneri oportebat, in quibus alteram promissionem reuelato nouo testamento per incarnationem Christi fuerat impleturus. hæc Augustinus. Et licet tota terra Chanaam fuerit Iudæis repromissa, non tamen tota fuit ab eis possessa, quod ostendit Hieronymus scribēs Dardano. In libro enim Numerorum isti sunt termini à meridie maris salinarum per Sina & Cadesbarne vsque ad torrentem Aegypti qui iuxta Rhinocorurā mari magno influit, & ab occidente ipsum mare Palestinae Phœnicæ, Syriae, Cœles, Ciliciaeque pertenditur, ab aquilone taurum montē, & Zephyriū vsque ad Heruath quæ appellatur Epiphania Syriae, ad Orientem verò per Antiochiam & lacū Cenereth quæ nunc Tiberias appellatur, & Iordanem qui mari influit Salinarum, quod nunc mortuum dicitur, trans Iordanem duarum semis tribuum possessio est Ruben & Gad & dimidia tribus Manasse. Hæc Hieronymus. Nec tamen Dauid hæc omnia possedit, sed illos solos terminos, quibus deinceps totus populus Iudæus coercitus est ab amne Rhinocorura ad Euphratem: & ita poteris forsitan intelligere quod dicit Augustinus, illud vaticiniū fuisse bona ex parte, per Dauid & Salomonem impletum.

CAPVT II.

Hebraea lingua prior est omnibus, & Hebraica in sacris literis exēplaria, extiterunt emēdatoria quàm Græca, & Græca quàm Latina.] Primam Assertionis partem ex Augustino & Hieronymo eruemus. Augustinus lib. 16. de Ciuitate dei, capite 11. percontādo cur dicta sit lingua Hebræa, quæ omnibus erat communis & vulgatissima, dicit: Quamobrem sicut lingua vna cum esset omnium, non ideo filij peccilentiae defuerunt, nam & ante diluuium vna erat lingua, & tamen omnes præter vnā Noe iusti domum deleri diluio meruerunt, ita quādo merito elatioris impietatis gentes linguarum diuersitate puniuntur, atque diuisæ sunt, & ciuitas impiorum cōfusionis nomen accepit, hoc est appellata est Babylon, nō defuit domus Heber, vbi ea quæ antea fuit omnium lingua remaneret. Vnde sicut supra memorauimus, cū cœpissent enumerari filij Sem, qui singuli gentes singulas procreauerunt, primus est cōnumeratus Heber, cum sit abnepos ipsius, hoc est ab illo quintus inueniatur exortus. Quia ergo in eius familia re-

Hieronymus

Augustinus.

manfit hæc lingua diuisis per alias linguas cæteris gētibus, quæ lingua prius humano generi non immerito creditur fuisse communis, ideo deinceps Hebræa est nuncupata. Tunc enim opus erat eam distingui ab alijs linguis nomine proprio, sicut aliæ quoque vocatæ sunt nominibus proprijs. Quando autem erat vna, nihil aliud quàm humana lingua, vel humana locutio vocabatur, qua sola vniuersū genus humanū loquebatur. Dixerit aliquis, si in diebus Phalec filij Heber diuisa est terra per linguas, id est homines, qui tūc erant in terra: ex eius nomine potius debuit appellari lingua illa, quæ fuit omnibus ante communis. Sed intelligendum est ipsū Heber propterea tale nomē imposuisse filio suo, vt vocaretur Phalec, quod interpretatur diuisio, quia tunc ei natus est, quando per linguas terra diuisa est, id est ipso tēpore, vt hoc sit quod dictum est, in diebus eius diuisa est terra. Nam nisi adhuc Heber viueret, quando linguarum facta est multitudo, non ex eius nomine, nomen acciperet lingua, quæ apud illum potuit permanere. Et ideo credenda est ipsa fuisse prima illa communis, quoniam de pœna venit illa multiplicatio mutatioque linguarum, & vtique præter hanc pœnam esse debuit populus dei. Nec frustra linguā istam, hoc est quam tenuit Abraham, nec in omnes filios suos transmittere potuit sed in eos tantum qui propagati per Iacob, & insignius atque eminentius in dei populum coalescentes, dei testamenta & stirpem Christi habere potuerunt. Nec Heber ipse eandem linguam in vniuersam progeniem suam refudit, sed in eam tantum, cuius generationes perducuntur ad Abraham. Quapropter etiam si non euidenter expressum est fuisse aliquod piū genus hominum, quando ab impijs Babytonia condebatur, non ad hoc valuit hæc obscuritas, vt quærentis fraudaretur, sed potius vt exerceretur intentio. Cum enim legitur vnam fuisse linguā primitus omnium, & ante omnes filios Sem, commendatur Heber, quāuis ab illo quintus oriatur, & Hebræa vocatur lingua, quam patriarcharum & prophetarum, non solum in sermonibus suis, verū etiam in literis sacris custodiuit autoritas. profecto itaque cū quæritur in diuisione linguarum, vbi lingua illa remanere potuerit, quæ fuit ante communis, quæ sine vlla dubitatione vbi remansit, non ibi fuit illa pœna quæ facta est mutatione linguarū, quid aliud occurrit, nisi quod in huius gente remanserit, à cuius nomine nomen accepit: & hoc iustitiæ gentis huius non parū apparuisse vestigium, quod cū aliæ gentes plecterentur mutatione linguarum, ad istam non peruenit tale supplicium. Astipulatur & huic sententiæ Hieronymus, dicens in tertii caput Sophoniæ, linguam Hebraicam omnium linguarum esse matricem. ¶ Secundam Assertionis partem ex Hieronymi doctrina eruimus, Præfatione in pentateucū vbi dicit contra inuidum, reddendo rationē cur post æditionem Septuaginta, vetus testamentum ex Hebræorum voluminibus Latine verterit: Quid liuore torqueris? Quid inperitorū animos contra me concitas? Sicubi in translatione tibi videor errare, interroga Hebræos, diuersarum vrbū magistrōs consule. Quod illi habent de Christo, tui codices non habent. Aliud est si contra se postea ab apostolis vsurpata testimonia probauerūt, & emendatiora sunt exemplaria Latina quàm Græca, & Græca quàm Hebraica. Verum hæc contra inuidos. Nec præfert (vt possunt doctissimi facile colligere) exemplaria Latina Græcis, & Græca Hebraicis. nam cum dicit, Aliud est si emendatiora sunt exemplaria Latina quàm Græca, & Græca, quàm Hebraica, inducit hoc velut adynatō & dictū absurdum, quo magis refellat, quod isti volebant. Dicit Erasmus in Scholijs illius præfationis quendā Glossematarium insulsiſſime citasse hunc locum. Aliud est si contra se &c. In Decretis pontificum, distinctione nona, capite Vt veterum librorum, qui putauit Hieronymum verè sensisse Græcorū exemplaria, emendatiora esse quàm Hebræa, & Latina emendatiora quàm Græca. Notissimum est Hieronymum Hebraicæ linguæ peritissimū, tantum maiestatis & autoritatis Hebraicis exemplaribus detulisse, vt prudenter moneat sicubi in Græcis codicibus hæsitamus, recurrendum esse ad purissimos Hebræorum fontes, & ad Hebraica exemplaria. Si quis etiam hæsitet in latinorum co-

Gene. 10.

Gene. 11.

Hieronymus

dicibus, recurrat ad Græca exemplaria. Id autem monitione dignum erat tempore Hieronymi, qui suis indefessis vigilijs, & inexhausto labore animaduertit frequenter infinita Latinorum exemplaria, multis scætere mendis, quæ tamen nostro seculo peritissimum industria, repurgata sunt. Adde quod Hieronymus præfatione in Iosue, subindicat Latina exemplaria minus esse emendata quàm Græca, aut Hebræa, eo quod apud Latinos tot sunt exemplaria quot codices, & vnusquisq; pro arbitrio suo vel addit vel subtrahit quod ei visum est, & qui nititur conferre diuitias linguæ Græcæ & Latinæ, diuitijs linguæ Hebraicæ, videtur sanè conferre pauperiem opibus, quod facile possumus suadere ex Hieronymo dicente in 40 caput Esaia, Multa sunt nomina quæ ita leguntur in Græco, vt in Hebraico posita sunt, propter interpretandi difficultatem, & ad comparisonem linguæ Hebraicæ, tam Græci quàm Latini sermonis pauperiem. Et vsque adeo extollit linguam Hebræam, quam nullis (ita me deus amet) encomijs satis cōmendare possumus, vt putet Hebraicam lectionem necessariam esse ad intelligentiam sacre scripturæ. Sic enim loquitur in 22. caput Hieremiæ, proferens quod transfulerunt 70. interpretes, Non comedent & non bibent, vbi secundum Hebraicam veritatem habetur, nōne comedit & bibit? Hæc inter se ita sunt dissipata atq; confusa, vt absque veritate Hebraicæ lectionis nullam intelligentiam habeant. Nec tamē ita necessaria est Hebraica lectio arcanarum literarum intelligentiæ, vt dicunt doctissimi Theologi, vt nullo modo possint sacre literæ intelligi absque cognitione linguæ Hebraicæ, alioqui dicendum esset Augustinum & plerisque alios sacre scripturæ peritissimos, qui linguam Hebræam non calluerunt, nunquam plene sacras literas intellexisse, immo nihil prorsus cognouisse, quod tamen est absurdissimum, sed Hebraica lectio est sacris literis necessaria non quidem simpliciter & absolute, sed quod sit maxime utilis, & maximum nobis præstet adiumentum, vt facilius sacre scripturæ intelligentiam cōsequamur. Nec ab hac sententia discedit Augustinus libro secundo de doctrina Christiana, capite 11. dicēs, Linguæ Latinæ homines, Hebræa & Græca, ad scripturarū diuinarum cognitionem opus habet, vt ad exemplaria præcedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit Latinorum interpretum infinita varietas. Et libro primo Retractationū, capite 7. quam nunc Assertionis partem tractamus, tuetur, vbi dicit codices Græcos Latinis esse veriores, suo quidem tempore id dictum putes, vt quidam non vulgaris doctrinæ interpretantur, vbi tamen Ecclesia Latinorum exemplaria recepit, & nobis communicauit, nō licet de illis hæsitare, nec in dubium vertere, si minus vera sunt quàm ea quæ à Græcis prodita sunt.

Augustinus

CAPVT III.



Ieremias in matris vtero sanctificatus, fuit sacerdos & propheta, qui in sua virginitate mortuus est. In primis quod fuerit in vtero matris sanctificatus, apertissime monstrat primum caput Hieremiæ, in quo scriptū est, Et factum est verbum domini ad me dicens: Priusquam te formarem in vtero, noui te, & antequam exires de vulua sanctificauit te. Insignis sanè gratia à domino collata est Hieremiæ, quod antequam ex vtero materno egrederetur in densissimas huius mundi tenebras, fuerit sanctificatus, & ab omni labe repurgatus, nec in hunc mundū sordes attulerit. Hæc dei mysteria, Priusquam te formarem in vtero &c. enarrans Hieronymus, dicit: Non quo ante conceptionem, vt hæresis suspicatur, fuerit Hieremias, sed quo præsciret eum futurum dominus, cui necdum facta, iam facta sunt, secundum illud quod apostolus loquitur, Qui vocauit ea quæ non erant, quasi ea quæ essent. Quod autem sanctificatur in vtero iuxta illud apostoli debemus accipere, Postquam autem placuit ei qui me segregauit de vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret filium suum in me, vt euangelizarem illū in gentibus. Ioannes quoque baptista sanctificatur in vtero, & sanctum scriptum accipit, & mouetur in vulua, & per os matris loquitur. Beatus Augustinus libro 6. de Genesi ad literam, capite 8. ijs qui disquirunt quomodo Hieremias erat

Hierem. 1.

Hieronymus

Roma. 4.

Gala. 1.

Luca. 1.

Augustinus

notus deo antequam formaretur, & quomodo etiam loquebatur eis qui nondum audiebant nec intelligebant, quia nec erant qui verba perciperent, responderet, deum sic illos allocutum, quemadmodum Christus nos nondum natos, etiam longe post futuros, nec tantum nos, sed etiam eos omnes qui futuri sunt post nos. Omnibus enim dicebat quos suos futuros videbat, Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi, sicut deo notus erat propheta, cui dixit: Priusquam te formarem in utero noui te, sicut decimatus est Leui cum esset in lumbis Abraham, cur enim non ita, & ipse Abraham in Adam, & ipse Adam in primis operibus mundi quae deus creauit omnia simul? Sed verba domini per os carnis eius, & verba dei per ora prophetarum temporali corporis voce proferuntur, & omnibus syllabis suis congruas temporum moras sumunt atque consumunt. Et capite 9. plenius multo tractans quomodo deus nouerat Hieremiam antequam in utero formaretur, dicit dubitare phas non esse, deum nouisse Hieremiam priusquam eum formaret in utero. Nam apertissime dicit, Priusquam te formarem in utero, noui te. Vbi autem illum nosset, antequam ita formasset, & si nostrae infirmitati assequi vel difficile vel impossibile est, utrum in aliquibus propinquioribus causis, sicut Leui in lumbis Abraham decimatus est, an in ipso Adam, in quo humanum genus tanquam radicaliter institutum est, & in eo ipso utrum iam cum de limo formatus esset, an cum casualiter in his operibus factus, quae creauit omnia simul? An vero ante omnem potius creaturam, sicut elegit & praedestinavit sanctos suos ante mundi constitutionem? An potius in omnibus praecedentibus causis, siue quas commemorauit, siue quas non commemorauit, priusquam in utero formaretur, non arbitror scrupulosius quaeri oportere, dummodo Hieremiam, constet ex quo est in hac luce a parentibus editus, ex illo egisse vitam propriam, qua grandescens aetatis accessu posset viuere siue male siue bene, antea vero nullo modo, non solum priusquam in utero formaretur, sed nec iam ibi formatus antequam natus. Haec Augustinus. Accedit Lyranus sententiae Hieronymi, edisserens haec domini verba, priusquam te formarem in utero noui te, notitia scilicet praedestinationis, quae est ab aeterno. Et antequam exires de vulua &c. te purgando ab originali in utero matris, per gratiam sanctificationem. Quod autem Hieremias fuerit sacerdos & quidem ex sacerdotibus, testatur Hieronymus praefatione in Hieremiam, sed quod descenderit ex sacerdotibus, subindicat primum caput Hieremiae in quo scriptum est, Verba Hieremiae prophetae filij Helchiae de sacerdotibus. Hieronymus explicando haec verba, filij Helchiae de sacerdotibus, dicit Hieremiam fuisse de genere sacerdotum, qui habitabant contra Septentrionem, Hierusalem in tertio miliario in viculo Anathot. Quod autem fuerit propheta, nemo nescit, & nobis locupletissimum est testimonium ex primo capite Hieremiae, ubi dicit dominus, Prophetam gentibus dedi, & illud vult intelligi authore Hieronymo, quod non solum Hierusalem sed & multis in circuitu gentibus prophetauit, & amplissime explicat Hieronymus in commentarijs eiusdem capituli, sub quibusdam regibus prophetauit Hieremias, & quo tempore: Caeteri, inquit, prophetae, ut Esaias, Osee, Ioel, fuerunt ante captiuitatem decem tribuum Israel, siue duarum tribuum, Iudae & Benjamin: alij post captiuitatem, ut Daniel, Aggeus & Zacharias. Hieremias autem & Ezechiel, imminente captiuitate vaticinium texuerunt: sed alter eorum in terra Iuda, alter in Babylone. Hieremias cum adhuc esset puer, prophetauit anno tertio decimo Iosiae filij Amos regis Iudae, prophetauitque in imperio eius annis decem & nouem, & postea sub Ioachim filio eius annis undecim, & sub Sedechia, qui vltimus fuit regum Iuda, annis undecim usque ad quintum mensem, quando a Babylonijs capta est Hierusalem, Ioachaz vero & Iechoniae terni menses (quorum alter in Aegyptum, alter cum matre ductus est in Babylonem) in supradictis annis computantur, ac per hoc ab exordio prophetiae suae usque ad captiuitatem Hierusalem, in qua & ipse captus est, prophetauit annis quadraginta & vno, praeter illud tempus, quando ductus est in Aegyptum, ibique prophetauit in Taphnis, ut hoc ipso volumine con-

Matth. 23.

Hebr. 7.

Ephes. 1.

Lyranus.

Hier. 1.
Hieronymus

tineretur. Et praefatione in Hieremiam dicit, Hic vaticinari exorsus est puer, & captiuitatem urbis atque Iudaeae non solum spiritu, sed & oculis carnis intuitus est. iam decem tribus Israel Assyrij in Medos transtulerant, iam terras earum colonia gentium possidebat. Vnde in Iuda tantum & in Benjamin prophetauit, & ciuitatis suae ruinas quadruplici planxit alphabeto. Si cupias scire quot fuerunt anni inter Esaiam & Hieremiam, lege Hieronymum enarrantem illud Esaiam vaticinium, Vae filij desertores dicit dominus, ut faceretis consiliu & non ex me, ubi dicit cetum & quinquaginta annos fuisse inter Esaiam & Hieremiam. Adde quod Augustinus differens de prophetia Hieremiae, & de tempore quo prophetauit, dicit libro 18. de Ciuitate dei, capite trigesimo tertio, Hieremiam prophetaisse regnante Iosia in Hierusalem, & apud Romanos Anco Martio, iam propinquante captiuitate Iudaeorum. Tendet autem prophetiam suam usque ad quintum mensem captiuitatis, sicut in eius literis inuenitur. Sophonias autem & in diebus Iosiae se prophetaisse dicit, sed quousque, non dicit. prophetauit ergo Hieremias non solum Anci Martij, verum etiam Tarquinij prisci temporibus, quem Romani habuerunt quintum regem: ipse enim quando est illa captiuitas facta, regnare iam coeperat. prophetauit ergo de Christo Hieremias: Spiritus, inquit, oris nostri dominus Christus captus est in peccatis nostris, sic breuiter ostendens, & dominum nostrum Christum, & passum esse pro nobis. Item alio loco, Hic deus meus, inquit, & non aestimabitur alter ad eum, qui inuenit omnem viam prudentiae, & dedit eam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo, post haec in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Hoc testimonium quidam non Hieremiam, sed scribae eius attribuunt, qui vocabatur Baruch, sed Hieremiae celebratius habetur. Rursus idem propheta de ipso, Ecce, inquit, dies veniunt, ait dominus, & suscitabo David, germen iustum, & regnabit rex, & sapiens erit, & faciet iudiciu & iustitiam in terra, in diebus illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter, & hoc est nomen quod vocabatur eum, dominus iustus noster. De vocatione etiam gentium quae futura fuerat, & eam nunc impletam cernimus, sic locutus est: Domine deus meus & refugium meum in die malorum, ad te gentes venient ab extremo terrae, & dicent: Vere mendacia coluerunt patres nostri simulachra, & non est in eis vtilitas. Quia vero non erant eum agniti Iudaei, a quibus eum & occidi oportebat, sic idem propheta significat: Graue cor per omnia & homo est, & quis cognosceret eum? Huius est etiam illud de testamento nouo, cuius est mediator Christus, ipse equippe Hieremias ait, Ecce dies veniunt, dicit dominus, & consummabo super domum Iacob testamentum nouum &c. Haec ille. Dicit quoque Origenes homilia prima in Hieremiam, ipsum Hieremiam coepisse prophetauit in diebus Iosiae filij Amos regis Iuda usque ad annum tertio decimum regni eius, deinde prophetauit in diebus Ioachim filij Iosiae regis Iuda usque ad consummationem undecimi anni Sedechia filij Iosiae regis Iuda, sed videtur Origenes euariare a Hieronymo. Nam dicit Hieremiam coepisse prophetauit usque ad annum tertio decimum regni Iosiae, Hieronymus tamen dicit ipsum coepisse prophetauit anno decimo tertio regni Iosiae, in cuius imperio prophetauit annis decem & nouem, nisi velit tralatio Origenis his verbis, coepit prophetauit usque ad annum tertio decimum regni Iosiae, innuere quod coepit prophetauit anno decimo tertio regni Iosiae, sed quis nescit haec dissidere, coepit prophetauit anno tertio decimo & usque ad annum tertio decimum? Fatetur Cyrillus libro primo contra Iulianum, Hieremiam & Sophoniam tricesimasexta Olympiade prophetaisse in Iuda. Vltimam Assertionis partem colligimus ex Lyrano enarrantem illum Hieremiae locum, Et factum est verbum domini ad me dicens, non accipies vxorem & non erunt tibi filij & filiae in loco isto, ubi dicit: Ex hoc loco dicunt doctores quod Hieremias mortuus fuit virgo, quia non est aliquo modo verisimile quod cognouerit mulierem fornicarie, cum fuit sanctificatus in utero matris, ut habetur in primo huius prophetiae capite, & illustratus dono prophetiae a iuuentute usque ad mortem. Quod si obieceris, quia dicitur in contextu, in loco isto, ex quo tibi fidem

Esa. 30.

Augustinus.

Hier. 23.

Hier. 16.

Hier. 31.

Hebr. 8.

Origenes.

Cyrillus.

Lyranus.

Hier. 16.

faceres, quòd aliubi accepit vxorem. Respòdet Lyranus quod argumentum magis est ad oppositum quàm ad propositum, quia cum dicitur, in loco isto, intelligitur tota Iudæa quæ per Nabuchodonosor fuit vastata, & multo magis excluditur ab eo nuptiæ in terra aliena, scilicet in Aegypto vbi descendit cum populo Iudæ fugitio. Eundem locum edisserens Hieronymus dicit, Si tempore imminens captiuitatis vetatur propheta vxorem ducere, ne tribulationem carnis habeat, & super dolorem proprium, vxoris quoque ac liberorù miserijs torqueatur, quanto magis Apostolus iubet, quia abbreviatum tempus est, & imminet consummatio, vt etiam qui habent vxores, sic sint quasi non habeant.

CAPVT IIII.

H Elias & Enoch mortales, per longam ætatem non marcuerunt senectute, nondum tamen sunt in illam spiritalem corporis qualitatem commutati. Ex sacris literis primùm Assertionis pronuntiatum affirmabitur. Dixit deus Adæ cum eius præceptum transgressus est, In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram de qua sumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Nec solum Adâ dono immortalitatis destituit, sed & eius posteros, vt qui illo dei iussis obtèperante fuissent iustitiæ originalis participes, sint & eodem diuinum præceptum transgrediente, pœnarum participes. factus est Adam mortalis propter peccatum, licet potuisset mori si non deliquisset, & solum cenfebatur immortalis quia poterat dei gratia à mortis vinculo præreptus non mori, & qui labè originis contraxerunt, sunt morti obnoxij, & in puluere à quo suam carnem sumpserunt, reuertetur, quod Paulus ad Romanos expressit, dicens: Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt in quo omnes peccauerunt. Et aliubi ostendit hanc primi delicti in posteris pœnam, cum ita ait, Corpus quidem mortuum est propter peccatù, spiritus verò viuut propter iustificationem. Nec sine causa dixit mortuù & non mortale. Nam primus parens erat mortalis etiam si non deliquisset, licet esset immortalis per gratiã, sed quod erat ab alteratione qualitatu contrariarum mortale, factum est proxime à peccato mortuù. Tum etiam dicit in prima ad Corinthios Epistola, Christus resurrexit à mortuis, primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Et rursum, Omnes quidè resurgemus, sed non omnes immutabimur, sed resurrectio corporis præsupponit corpus fuisse mortuum, quare concludemus omnes morituros. Atque iterum, Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Dicit etiam Theophylactus in 21. caput Ioannis, quòd quamuis Enoch & Helias non sint mortui, tamè sunt mortales, etiam quãuis Ioannes nò sit mortuus, tamè morietur. Cætera Assertionis pronuntiatum sunt Augustini, lib. 1. de Peccatorù meritis & remissione, cõtra Pelagianos cap. 3. vbi discutit scrupulum vnum de corpore ipsius Adâ, si nam diutius viuendo, fuisset senectute grauatum, & paulatim senescendo peruenisset ad mortem. Sic enim loquitur, Neque enim metuendum fuit, ne dum forte diutius, hic viueret in corpore animali, senectute grauaretur, & paulatim veterascendo perueniret ad mortem. Si enim deus Israelitarù vestimentis & calciamentis præstitit, quòd per tot annos nò sunt obruta, quid mirum si obedienti homini eiusdem potentia præstaretur, vt animale ac mortale habens corpus, haberet in eo quendam statum quo sine defectu esset annosum, tempore quo deus vellet, à mortalitate ad immortalitatem sine media morte venturus? Sicut enim hæc ipsa caro, quam nunc habemus non ideo non est vulnerabilis, quia nò est necesse vt vulneretur, sic illa nò ideo non fuit mortalis, quia non erat necesse vt moreretur. Talè puto habitudinem adhuc in corpore animali atque mortali, etiam illis qui sine morte hinc translati sunt, fuisse cõcessam. Neque enim Enoch & Helias per tam longam ætatem senectute marcuerunt, nec tamen credo eos iam in illam spiritalem

qualitatem corporis commutatos, qualis in resurrectione promittitur, quæ in domino prima præcessit, nisi quia isti fortasse nec his cibis egent, qui sui consumptione reficiunt, sed ex quo translati sunt, ita viuunt vt similem habeant satietatem illis quadraginta diebus quibus Helias ex calice aquæ, & ex collyride panis, sine cibo vixit, aut si & his sustentaculis opus est, ita fortasse in paradiso pascentur, sicut Adâ priusquam propter peccatum exinde exire meruisset. habebat enim quantum exitimo, & de lignorù fructibus refectioem contra defectionem, & de ligno vitæ stabilitatem contra vetustatem. præter hoc autem quod puniens deus dixit, Terra es, & in terram ibis, quòd nisi de morte corporis, quomodo intelligi possit, ignoro. Et libro nono de Genesi ad literam, capite 6. differens amplissime de translatione Helias & Enoch, qui excellentiorè quàm nos, vitam agunt, minus tamen excellentem quàm beati, eadem penè dicit, & ratiocinando de commutatione corporum, si Adâ non peccasset, ita loquitur: Nam si parentes filijs suis cedere ex hac vita oportebat, vt ita omne humanum genus per defectiones, & successiones certa numerositate impleretur, potuerunt etiam homines genitis filijs, perfectaq; humani officij iustitia, hinc ad meliora trãfferri, non per mortem, sed per aliquam commutationem, aut illam summam, qua receptis corporibus fient sancti sicut angeli in cœlis, aut si illa dari non oportebat, nisi omnibus simul in seculi fine, aliquam inferiorem quàm illa erit, quæ tamen haberet meliorem statum, quàm vel hoc corpus habet, vel illa etiam quæ primitus facta sunt, viri ex limo terræ, mulieris ex viri carne. Neque enim arbitrandum est Heliam vel sic esse iam, sicut erunt sancti, quando peracto operis die, denarium pariter accepturi sunt: vel sic quemadmodum sunt homines, qui ex ista vita nondum emigrarunt, de qua ille tamè non morte, sed translatione migravit. iam itaque aliquid melius habet, quàm in hac vita possit, quamuis nondum habeat, quod ex hac vita rectè gesta, in fine habiturus est, pro nobis enim meliora prouiderunt, ne sine nobis perfecti pericerentur: aut si quisquam putat hoc Heliam mereri non potuisse, si duxisset vxorè, filiosque procreasset, creditur enim non habuisse, quia hoc scriptura nò dixit, quamuis & de cælibatu eius nihil dixerit, quid de Enoch respondebit, qui filijs genitis, deo placens, non mortuus, sed viuus translatus est? Cur ergo & Adam & Eua, si iuste viuentes, caste filios procreassent, non eis possent translatione non morte succedentibus cedere? Nam si Enoch & Helias in Adâ mortui, mortisque propagationem in carne gestantes, quòd debitum vt soluant, creduntur etiam redituri ad hanc vitam, & quòd tandiu dilatatum est morituri, nunc tamen in alia vita sunt, vbi ante resurrectionem carnis, antequam animale corpus in spiritale mutetur, nec morbo, nec senectute deficiunt, quanto iustius atque probabilius primis illis hominibus præstaretur, sine vllò suo parentum ve de peccato viuentibus, vt in meliorè aliquem statum, filijs genitis cederent, vnde seculo finito cum omni posteritate sanctorum, in angelicam formam, nò per carnis mortem, sed per dei virtutem multo scelicus mutarètur? Sed ne quis putet merum esse commentum, & fabulis adnumerandum, quòd Helias & Enoch translati sint, audiamus Augustinum suam fidem de hac re protestantem libro 26. contra Faustum Manichæum, capite tertio, vbi inquit: Quidquid de Enoch & de Helia & de Moysè scriptura sancta certis & magnis suæ fidei documentis in suo summo culmine authoritatis locata, testatur, hoc credimus, non quòd Faustus nos credere suspicatur. Et capite quarto dicit, Quid de Helia factum sit, nescimus: hoc de illo tamè credimus, quòd verax scriptura testatur: illud sanè scimus, hoc de illo factum, quòd dei voluntas habet: quòd autem dei voluntas non habet, fieri de quoquam omnino non posse. Proinde si mihi dicatur posse fieri, vt caro verbi gratia huius vel illius hominis in corpus cæleste mutetur, cõcedo fieri posse, sed vtrum futurum sit, nescio: & ideo nescio, quia quid habeat de hac re dei voluntas, me latet: illud me tamen non latet, sine dubio futurum, si hoc dei voluntas habet. Capite etiam sexto, dicit contra Faustum, cur Heliam hominem natum, raptum esse diuinitus de terra credamus, Christum autem &

ex virgine vere natū, & in cruce vere mortuū. Hęc ideo credimus, quia & illud de Helia & hoc de Christo, sancta scriptura testatur, cui nemo pius, nisi qui credit: impius nemo, nisi qui non credit. illud autē de Helia vos negatis, quia omnia simulatis: de Christo autē q̄ nasci nō potuerit, & mori potuerit, nec vos dicitis, sed eius ex virgine natiuitatē nullā, mortem autē in cruce falsam fuisse cōtenditis, hoc est etiā ipsam nullā, sed ad ludificādos humanos oculos simulatā, ad nihil aliud, nisi vt ab eis qui ista crediderint, etiā vobis omnia mētientibus ignoscatur. De Enoch qui interpretatur dedicatio, & q̄ translatus placuerit deo, agit lib. 15. de Ciuitate dei, cap. 19. vbi dicit, Huius Enoch trāslatio, nostræ dedicationis est præfigurata dilatio, quæ quidem iam facta est in Christo, capite nostro, qui sic resurrexit, vt nō moriatur ulterius, sed etiā ipse translatus est. Restat autē altera dedicatio vniuersæ domus, cuius ipse Christus est fundamentū, quæ differtur in finē, quando erit omnīū resurrectio, nō moriturorū amplius. Et licet Augustinus multa præclare pertractet de Helia & Enoch trāslatione, putat tamē lib. 2. de Peccato originali contra Pelagiū & Celestiū cap. 23. inanem esse curam, & vanā ac cassam mētis afflictionem, sciscitari curiose, vbi nunc sit Helias vel Enoch, An ibi, an alicubi alibi: quos tamē non dubitamus in quibus nati sunt, corporibus viuere. Similiter impudēs est inquisitio volentiū scire, Vtrum Paulus in corpore, an extra corpus, in tertium cœlum sit raptus. Nam ille cui hoc præstitum est, salua vtiq̄ fide, se nescire testatur. Hieronymus edisserens illum Amos prophetæ locum, Si descenderint vsq̄ ad infernum, inde manus mea educet eos, & si ascenderint vsq̄ in cœlum, inde detraham eos, dicit: Enoch & Elias rapti cum corporibus in cœlum, dei regūt arbitrio. quōd autem Helias raptus sit cum corpore in cœlum, facile est deducere ex historia quarti Regum, in qua scriptum est: Et ascendit Helias per turbinē in cœlum, nec propterea tibi licebit colligere Heliam cōmutatum esse in spiritalē corporis qualitatem quam in resurrectione obtinebit. Nam cœlū illic sumitur pro paradiso, dicit enim Ecclesiasticus, Enoch placuit deo, & trāslatus est in paradysum, vt det gētibus sapientiā, & idem quoq̄ dicendum est de Helia. scriptū est etiā de trāslatione Enoch in Genesi, Enoch ambulauit cū deo, & non apparuit, quia tulit eum deus, vbi dicit Lyranus, ex sentētia doctorum Christianorum. Enoch propter excellentiā suæ virtutis assumptū fuisse à deo, & postum in paradiso terrestri in quem raptus est Helias: sunt autem aliquādo exiituri ad prædicandum contra perfidiam Antichristi. Meminit etiam beatus Paulus translationis Enoch, dicens: Fide Enoch trāslatus est ne videret mortem, & non inueniebatur quia trāstulit illum deus. ante trāslationem enim, testimonium habuit placuisse deo, & ita placuit deo vt solus (authore Hieronymo in 65. caput Esaiæ) inter peccantium plurimam multitudinem ad deum sit raptus. Nec ex eo translatus est (vt dicit libro primo aduersus Iouinianū) quōd vxorem habuerit, sed quōd primus inuocauerit deum, & crediderit in saluatorem. Nec ab hac digreditur sentētia Chrysostomus enarrans quæ dicit Paulus de translatione Enoch: Vt enim, inquit, trāfferretur, causa fuit quōd placuerat: vt autem placeret deo, causa erat fides. nisi enim sciret, quia recepturus esset retributionem, quomodo placeret deo? Sine fide enim impossibile est placere deo. Quomodo? hoc credebat enim, quia si quis crederit esse deum, etiā retributionem habebit. Et aliquot verbis interiectis, dicit: Multi autem quærunt quo translatus sit Enoch, & quare trāslatus sit, & quare non fuerit mortuus, neque ipse neq̄ Helias: & si adhuc viuunt, quomodo viuunt, & in quali habitu. Sed superuacaneum est ista requirere. Quia verò trāslatus est iste, & quia assumptus est ille, scripturæ dixerunt: vbi autem sunt, & quomodo, non addiderunt. Nihil autem amplius quàm quæ necessaria sunt, dicunt. Scribit & eadem in 5. caput Geneleos, dicens nō conuenire humanis mentibus curiosus ea quæ à deo fiunt, explorare, sed credere his quæ dicuntur. Nā quando deus aliquid pronuntiat, dictis ipsius contradicendū non est, sed digniora habēda sunt, quæ à deo pronuntiantur, etiā si oculis nostris non videātur. In expositione eiusdē capitis existimat virtutē ipsius

Roma. 6.

2. Corin. 12.

Hieronymus

Amos 9.

4. Reg. 2.

Eccle. 4. 4.

Gene. 5.

Lyranus.

Hebr. 11.

Chrysosto.

Hebr. 11.

Enoch causam fuisse quōd deus peccatum Adæ reuocauerit. Neq̄, inquit, Enoch paruo tēpore in virtutū meditatione perseuerauit. Et quia post transgressionē Adæ inuentus est homo qui ad virtutum culmē ascenderet, & primi parentis peccatum reuocaret, ob suā quam apud deū haberet gratiam. vide boni dei excellentē misericordiā. Nam quia inuenit aliquem, qui potuit peccatū Adæ reuocare, monstrādo re ipsa, quia non volēs mortē humano generi inuehere, propter mādātī transgressionem, eū qui mandatum acceperat condēnauerit, nunc viuentem illum trāsfert. Et placuit, inquit, Enoch deo, & nō inuentus est, eo quōd trāstulit illum deus, vides sapientiā domini? Non immortalitatē largitus est, vt peccādi metum eneruaret, sed morti in humanū genus, suū ius reliquit. Propter hoc iterū obscure, vt ita dicā, & laetere reuocare vult sententiam, quā contra Adā protulit, sed manifestū hoc nō facit, vt timor illius emēdationi scruiat, & idcirco Enoch, cū sibi multū placeret, trāstulit. Insuper fauet & huic Assertioni Tertullianus, libro vno de Resurrectione carnis, dicens: Enoch & Helias nondū sunt resurrectione dispuncti, quia nec morte functi, quia tamē de orbe trāslati, & hoc ipso iā æternitatis cādidi, ab omni vitio, & ab omni dāno, & ab omni iniuria & cōtumelia emunitatē carnis ediscunt cui nā fidei testimonium signāt, nisi qua credi oportet, hæc futuræ integritatis esse documēta? Ad hæc etiā facit, quod Cyprianus scribit Tractatu de Sina & Sion, aduersus Iudæos, Enoch ante diluuiū deo iustus cōplacuit, & ideo de isto mūdo in carnis suæ natiuitatē viuis translatus est in loco, vbi deus scit, ex quo loco consummationē mundi innouare habet in hoc mūdo, vnde etiā translatus est ad confundendū & reuincendū Antichristū, quo interfecto martyria sua cōplebunt viuētes in æternū in secula seculorū. Et ideo Enoch interpretatur innouatus. Amplius, Cyrillus cōmendans eximias ipsius Enoch virtutes, quibus cæteris præcelluit, dicit lib. 3. cōtra Iulianū, Cæterū post par fratrū, facti sunt & alij iustitiæ curatores, virtutibus admirabiles, & ad omne bonū opus alacritate præ alijs omnibus primatū naçti, quorū vnū fuisse dico beatissimū Enoch, de quo dicit scriptura sacra q̄ nō inuētus sit, trāstulerat enim eū deus. itaq̄; Enoch quidē transtulit, vt pote amicū & familiarē suū: itaq̄; propriū eius est omne quod est excellens, admirabile, virtutumq̄; splendoribus gloriosum. Adde quōd Ambrosius in oratione funebri de obitu fratris, ostēdens nos nō debere immodice & cū quadā animi perturbatione deslere bene mortuos, dicit: Si pacato seculo bellicq̄; cessantibus raptū Enoch nemo desleuit, sed magis propheta laudauit, sicut de illo scriptura dixit: Raptus est ne malitia mutaret cor eius, quāto magis nūc iure dicēdū est, cū ad seculi lubricū vitæ accedat ambiguū, raptus est ne in manus incideret barbarorū, raptus est ne totius orbis excidia, mundi finē, propinquorū funera, ciuiū mortes, ne postremo sanctarū virginum atq̄; viduarum, quod omni morte acerbius est, colluionē videret. Ego enim te frater, tū vitæ tuæ flore, tum mortis cōmoditate beatū arbitror. Nō enim nobis ereptus es, sed periculis: non vitā amisisti, sed ingruētium acerbitatū formidine caruisti. Dicit etiā diuus Ireneus, lib. 5. aduersus hæreses Valērii & similiū, de trāslatione Enoch, & ne quis miretur q̄ aliqui deo volēte septingētos & octingētos & noningētos annos supergressi sunt: Quid autē de illis dicemus? Quoniam quidē Enoch placēs deo, in quo placuit corpore, trāslatus est, trāslationē iustorum præmonstrans. Et Helias sicut erat in plasmatis substantia assumptus est, assumptionem patrum prophetans, & nihil impedit eos corpus in translatione, & assumptione eorum. Per illas enim manus per quas in initio plasmatis sunt, per ipsas & assumptionem & translationem acceperunt. Assuetæ enim erant in Adam manus dei coaptare & tenere, & baiulare suum plasma, & ferre & ponere, vbi ipsa vellent. Vbi ergo primus positus est homo, scilicet in paradiso, quemadmodum scriptura dicit: Et plantauit deus paradysum in Edem contra orientem, & posuit ibi hominem, quem plasmauit, & inde proiectus est in hunc mundum non obediens. Quapropter dicunt presbyteri, qui sunt Apostolorum discipuli, eos qui translati sunt, illuc translatos esse. Iustis enim hominibus, & spiritum habētibus, præparatus

Gene. 5.

Tertullianus

Cyprianus.

Cyrillus.

Ambrosius.

Sapient. 4.

Ireneus.

Gene. 2.

4. Reg. 2.
Ionæ 2.
Dan. 3.

est paradifus, in quẽ & Paulus apoftolus aſportatus audiuit ſermones inenarrabiles, quantum in nos in præſenti, & ibi manere eos qui trãſlati ſunt uſque ad cõſummationem conſpicãtes incorruptelã. Si autem quis impoſſibile æſtmet tantis temporibus permanere homines, & Heliã non in carne aſſumptũ, conſumptam autẽ carnem eius in igneo curru, intẽdat quoniam Ionas quidẽm in profundum proiectus eſt, & in ventrem Ceti abſorptus, ſaluus iterũ exputus eſt terrẽ iuſſu dei, Ananias etiã & Azarias & Mizael miſſi in caminũ ignis ſeptuplum exardentem, neq; no citi ſunt aliquid, neque odor ignis inuentus eſt in eis. Quid igitur affuit illis? manus dei, & inopinata & impoſſibilia naturẽ hominum in eis perficiens. Quid mirum ſi in ijs qui trãſlati ſunt effectit aliquid inopinatum deſeruiens voluntati patris?

C A P V T V.

Eſa. 1.

Mat. 12.
Ioan. 8.

Eſa. 1.

Hieronymus

Ierufaľe ſuis vitijs deſerta, fuit Sodoma ſcelerati or.] Cõtendemus in primis ſuffulcire priorẽ Aſſertionis partẽ ex oraculis ppheticis. Deiecta fuit olim Hierufaľe de gradu ſuã dignitatis & gloria, & à Babylonijs & Romanis principibus diruta, quod magno cũ contemptu dereliquerit dominum ſuũ, & blaſphemauerit ſanctũ Iſrael, quod pulcherrime Eſaias diuino numine aſſatus expreſſit, Vã genti peccatrici, populo graui iniquitate, femini nequã, filijs ſcleratis, dereliquerũt dominũ, blaſphemauerũt ſanctum Iſrael, abalienati ſunt retrorſum. hæc ille. Nõnne blaſphemauerũt deum viuẽtẽ ſcribã & Pharifæi, cum ore ſa crilego dixerunt, Hic nõ eijcit dẽmones niſi in Beelzebub principe demoniorum? Et rurſum, cum illi impropauerũt dicentes, Nõnne bene dicimus, quia Samaritanus es, & dẽmoniu habes? Et propter hæc ſcleratiſſima flagitia, concluſit propheta poenã quam erãt perpeſſuri: Terra (inquit) veſtra deſerta, ciuitates veſtrã igne ſuccenſã, regionẽ veſtram in cõſpectu veſtro alieni deuorãt, & deſolabitur ſicut in vaſtitate hoſtili. Hũc enarrãs locũ Hieronymus, dicit, Hæc ſub Babylonijs ex parte cõpleta ſunt, incẽfo templo, ſubuerſã Hierufaľe, quando regionẽ decem tribuũ Samaritani poſſederũt, & in tantã redacta eſt terra repromiſſionis ſolitudinẽ, vt à leonibus vaſtaretur. Plenius autem atq; perfectius quid futurũ ſit ſub Romana captiuitate deſcribitur, quando vniuerſam Iudãã Romanus vaſtauit exercitus, ciuitateſque ſuccenſã ſunt, & regionem eorũ in præſentiarum alieni deuorãt, & uſque ad finem mũdi, perfeuerabit vaſtitas Iudæorũ. Subnectit & propheta in eodẽ capite, Derelinquetur filia Syõ, ſicut vmbraculũ in vinea, ſicut tuguriũ in cucumerario, ſicut ciuitas quã vaſtatur. Hãc, vt perſpicimus, ſimilitudinẽ vaſtationis templi & Hierufaľe ſumit ab Agricolis, qui quãdiũ vinea vuarũ plena eſt, ponũt cuſtodes in vmbraculis, in cucumerario quoq; quod 70. interpretes, pomorũ cuſtodiam vocant, paruulã ſũt caſulã propter ardorẽ ſolis ac radios declinãdos, & inde vel homines, vel beſtias quã inſidiari ſolẽt natis frugibus abigunt, cum autẽ ablata fuerint iſtiuſmodi genimina, remanent arentia fruticũ vmbracula, caſulãq;, recedente cuſtode, quia nõ habet vltra quod feruet. Omitto quod in eodem capite oſtendit propheta Hierufaľe à caſtitate deſiſſiſſe ad fornicationem, & aperto ore dicat, Quomodo facta eſt meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij? Demiratur enim propheta prophetico ſpiritu, quod ciuitas quã quondã fidelis fuit, vel fidelium receptaculum, ſubito facta ſit meretrix. Aperit & euſdem vrbiſ ſubuerſionẽ in 3. capite dicẽs, Ruit enim Hierufaľem, & Iuda concidit, quia lingua eorũ & adinventiones eorum cõtra dominum, vt pro-uocarent oculos maietatis eius. nec abſurda eſt prophetã ratio, cur deus depulerit à ſe Hierufaľem & reiecerit, quia lingua Iudæorũ ex ſe nitebatur ſanctiſſimam dei maietate conſpurcare. Enimvero, impudentiſſime dixerunt, Tolle tolle, Crucifige eum, non habemus regem niſi Cãſarẽ. Dicit & aliubi propheta, Vineã facta eſt dilecto meo in cornu filio olei. Et ſepũt eam, & lapides elegit ex illa, & plantauit vineam Sorelz & ædificauit turrim in medio eius, & torcular extruxit in ea. Et expectauit vt faceret vvas, & fecit labruſcas. Nunc ergo habitator Hierufaľe & viri Iuda iudicate inter me & vineã meam, quid eſt quod vltra debui facere vineã meã, &

Eſa. 3.

Lucã 23. &
Ioan. 19.
Eſa. 5.

nõ feci ei? An quod expectauit vt faceret vvas, & fecit labruſcas. Et nunc oſtendam vobis quid ego faciã vineã meã. Auferam ſepem eius, & erit in direptionem, diruã maceriã eius, & erit in conculcationẽ, & ponam eam deſertã, non putabitur, & non fodietur, & accendẽt ſuper eam vepres & ſpinã, & nubibus mandabo ne pluãt ſuper eam. Hæc ſub metaphora vineã dicuntur de Hierufaľe, & Iudæã ſolitudinẽ, nec po teſt deus nõ ægreferre quod vineã Hierufaľe non pepererit vvas & ſanctiſſima virtutum officia, ſed labruſcas & ſterilia opera. vineã illa dei benignitate & gratia, erat fertiliſſima, ſed quia non fuit à Iudæis excolta: ſqualuit vepribus & ſpinis obſita, fuitq; à leonibus & fidei hoſtibus dilacerata, & quia Iudæi & habitatores Hierufaľe arrogantiffimi, & ſuã ſalutis immemores, noluerũt conuerti ad dominũ, dixit deus Eſaiã, Excãca cor populi huius, & aures eius aggrauã, & oculos eius claude, ne forte videat oculis ſuis, & auribus audiat, & corde intelligat, & conuertatur, & ſanetur. Et cũ quãſiſſet propheta uſq; quocõccãret hũc populũ, dixit ei dominus, donec deſolentur ciuitates abſque habitatore, & domus ſine hominibus, & terra relinquatur deſerta. Ita quod tandiũ hic populũ non audiet, neque videbit, & excãcatũ habebit cor, donec ciuitates Iudæã. Veſpafiano, Titõq; pugnantibus, penitus ſubuertantur, intantũ vt ne nomen priſtinũ quidem permaneat, & domus ſi quã remãſerint, ſine habitatore ſint, & terra redigatur in ſolitudinẽ, & vel fuga vel captiuitate in totũ orbẽ Iudaicuſ populũ diſpergatur. Et quia Hierufaľe ciuitas quondã florẽtiſſima & munitiſſima, non ſuſcepit patriſfamilias filiũ, ſed dixit, venite occidamus eum, quia iſte hæres eſt, & noſtra erit hæreditas, deſolata erit, de qua dicit dominus per prophetã, Ciuitas enim munita deſolata erit, ſpecioſã relinquetur, & dimittetur quaſi deſerta, ibi paſcetur vitulus, & ibi accubabit, & conſumet ſummitates eius, in ſiccitate meſſis illius cõterentur mulieres veniẽtes & docentes eã. Imprecatus eſt & malũ dominus ijs qui ſubuerſã Hierufaľe, & principibus ac opibus in Babylonẽ trãſlati, deſpecta ſui conſiducia & ſpreto dei cõſilio conſugerũt ad Aegyptios, & in eorũ equis ac quadrigis ſpem ſuã collocarũt. De quibus ita loquitur ppheta, Vã filij deſertores dicit dominus, vt faceretis conſiliũ, & non ex me, & ordiremini telã, & non per ſpiritu meum, vt adderetis peccatũ ſuper peccatũ. Qui ambulatis vt deſcẽdatiſ in Aegyptũ, & os meum nõ interrogatiſ ſperãtes auxiliũ in fortitudine Pharaonis, & habẽtes fiduciã in vmbra Aegypti. Et erit vobis fortitudo Pharaonis in conſuſionẽ, & fiduciã vmbra Aegypti in ignominiã. Atque iterũ, Vã qui deſcendũt in Aegyptũ ad auxiliũ, in equis ſperãtes, & habentes fiduciã ſuper quadrigis, quia multã ſunt, & ſuper equitibus, quia præualidi nimis, & non ſunt cõſiſi ſuper ſanctũ Iſrael, & dominum non requiſierũt: ipſe autem ſapiẽs adduxit malũ, & verba ſua nõ abſtulit, & cõſurget contra domũ peſſimorũ, & contra auxiliũ operantiũ iniquitatẽ. Aegyptus homo & nõ deus, & equi eorũ caro & non ſpiritus, & dominus inclinãuit manũ ſuã, & corruet auxiliator, & cadet cui præſtatur auxiliũ, ſimũque omnes conſumẽtur. Hæc plenius declarãtur in prophetia Hieremiã, in qua ſcriptum eſt, Et acceſſerunt omnes principes bellatorum, & Iohannã filius Caree, & Iechonias filius Ozia, & reliquũ vulgus à paruo uſque ad magnum, dixerũtq; ad Hieremiam prophetã, Cadat oratio noſtra in cõſpectu tuo, & ora pro nobis ad dominũ deũ tuum pro vniuerſis reliquijs iſtis, quia derelicti ſumus pauci de pluribus, ſicut oculi tui nos intuentur, & annuntiet nobis dominus deus tuus viã per quam pergamus, & verbũ quod faciamus. Dixit autẽ ad eos Hieremias propheta, Audiui, ecce ego oro ad dominũ deũ veſtrum, ſecũdum verba veſtra, omne verbũ quocũque reſpõderit mihi, indicabo vobis, nec celabo vos quicquã. Et illi dixerunt ad Hieremiam, Sit dominus deus tuus ad nos, ſic faciemus ſiue bonũ eſt ſiue malũ, voci domini dei noſtri ad quẽ mittimus te, obediemus, vt bene ſit nobis, cum audierimus voẽm domini dei noſtri. Cũ autem cõpleti eſſent decem dies, factum eſt verbũ domini ad Hieremiam. Vocauitq; Iohannã filium Caree, & omnes principes bellatorum qui erãt

Eſa. 6.

Mat. 21.

Eſa. 27.

Eſa. 30.

Eſa. 31.

Hiere. 42.

cum eo, & vniuersum populum à minimo vsque ad maximū, & dixit ad eos: Hæc dixit dominus deus Israel, ad quē misistis me, vt prosternerem preces vestras in cōspectu eius, Si quiescentes māseritis in terra hac, ædificabo vos & non destrua, plantabo & non euellam: iam enim placatus sum super malo quod feci vobis. Nolite timere à facie regis Babylonis quē vos pauidi formidatis. Nolite metuere eū dicit dominus, quia vobiscū sum ego, vt saluos vos faciam, & eruam de manu eius, & dabo vobis misericordias, & miserebor vestri, & habitare vos faciā in terra vestra. Si autē dixeritis vos, nō habitabimus in terra ista, nec audiemus vocē domini dei nostri dicētes: Nequaquam, sed ad terrā Aegypti pergemus, vbi non videbimus bellū, & clangorem tubæ nō audiemus, & famē non sustinebimus, & ibi habitabimus. ppter hoc nūc audite verbū domini reliquæ Iuda. Hæc dicit dominus exercituū deus Israel: Si posueritis faciem vestrā, vt ingrediamini Aegyptū, & intraueritis vt ibi habitetis, gladius quē vos formidatis, ibi cōprehendet vos in terra Aegypti, & fames pro qua estis solliciti, adhærebit vobis in Aegypto, & ibi moriemini. Omnēsque viri qui posuerūt faciem suam, vt ingrediantur Aegyptum, vt habitent ibi, morientur gladio & fame & peste, nullus de eis remanebit, nec effugiet à facie mali, quod ego afferā super eos. Subsequens caput ostendit illos dei & Hieremiæ præceptum contempserūt, & pro contemptu & superbia acerrimas luisse pœnas. Caput autē sic incipit, Factum est autem cum compleisset Hieremias loquēs ad populum vniuersos sermones domini eorū pro quibus miserat eum dominus deus eorū ad illos, omnia verba hæc, dixit Azarias filius Ozia & Iohanan filius Caree, & omnes viri superbi dicentes ad Hieremiā, Mendacium tu loqueris, nō misit te dominus deus noster, dicens: Ne ingrediamini Aegyptū, vt habitetis illic, sed Baruch filius Neria incitat te aduersum nos, vt tradat nos in manus Chaldaeorū, vt interficiat nos, & traduci faciat in Babylonē. Et non audiuit Iohanan filius Caree, & omnes principes bellatorum, & vniuersus populus vocē domini, vt manerēt in terra Iuda, sed tollēs Iohanan filius Caree, & vniuersi principes bellatorū vniuersos reliquarū Iuda, qui reuersi fuerant de cunctis gētibus ad quas fuerant ante dispersi vt habitarent in terra Iuda, viros & mulieres & paruulos & filias regis, & omnē animam quā reliquerat Nabuzardā princeps militiæ cū Godolia filio Acham filij Saphā, & tulit Hieremiā prophetam & Baruch filiū Neria, & ingressi sunt in terrā Aegypti, quia nō obedierunt voci domini. Et venerunt vsq; ad Taphnis, & factus est sermo domini ad Hieremiā in Taphnis dicens, Sume tibi lapides grandes in manu tua, & absconde eos in crypta quæ est sub muro lateritio in porta domus Pharaonis in Taphnis, cernētibus viris Iudæis, & dices ad eos: Hæc dicit dominus exercituū deus Israel, Ecce ego mittā & assumā Nabuchodonosor regē Babylonis seruum meū, & ponam thronū eius super lapides istos quos abscondi, & statuet solū suum super eos. Veniēsq; percutiet terrā Aegypti: quos in morte, in mortē: & quos in captiuitate, in captiuitatē: & quos in gladio, in gladiū. Et succendet ignē in delubris deorū Aegypti, & comburet ea, & captiuos ducet illos, & amicitur terra Aegypti sicut amicitur pastor pallio suo, & egredietur inde in pace. Et conteret statuas domus solis quæ sunt in terra Aegypti, & delubra deorū Aegypti cōburet igni. Explicatur & in subsequenti capite afflictio illorū qui deo obedire contempserunt. Verbum quod factum est ad Hieremiā & ad omnes Iudæos qui habitabāt in terra Aegypti, habitantes in Magdalo & in Taphnis, & in Mēphis, & in terra Phatures, dicens: Hæc dicit dominus exercituū deus Israel, Vos vidistis omne malū istud quod adduxi super Hierusalē, & super omnes vrbes Iuda, & ecce desertæ sunt hodie, & nō est in eis habitator propter malitiā quam fecerūt, vt me ad iracundiā prouocarēt, & irent & sacrificarēt, & colerent deos alienos quos nesciebāt & illi, & vos, & patres vestri. Et misi ad vos omnes seruos meos prophetas de nocte cōsurgens, mittēsq; & dicēs: Nolite facere verbū abominationis huiuscemodi. Et non audierūt nec inclinauerūt aurem suā, vt cōuerterētur à malis suis, & nō sacrificarent dijs alienis, & cōflata est indignatio meā, & furor meus, &

Hier. 43.

Hier. 44.

succensa est in ciuitatibus Iuda, & in plateis Hierusalē, & versa sunt in solitudinē & vastitatē secundū diem hanc. Aperit Hieremias in multis locis euersionē Hierusalē per Babyloniorum regē. præcepit enim Babylonijs vt vallarēt Hierusalē aggeribus & alijs munitionibus, sicut scriptū est, Hæc dicit dominus exercituū: Cedite lignū eius, & fundite circa Hierusalē aggerē. Hæc est ciuitas visitationis, omnis calumnia in medio eius. Sicut frigidam facit cisterna aquā suam, sic frigidam fecit malitiam suam: iniquitas & vastitas audietur in ea, coram me semper infirmitas & plaga. & quia habitatores Hierusalē non audierunt verba dei, & eius legē proiecerunt, nō mediocrem illis plagam per Babylonios comminatur, dicens: Ecce ego dabo in populum istum ruinas, & ruent in eis patres & filij simul, vicinus & proximus peribunt. Ecce populus veniet de terra aquilonis, & gens magna cōsurget à finibus terræ. Sagittā & scutum arripiet: crudelis est, & non miserebitur, vox eius quasi mare sonabit, & super equos ascendet, præparati quasi vir ad prælium aduersum te filia Syon. Et aliubi scribit Hieremias quæ dominus illaturus est Hierusalē: Et dabo Hierusalē in acervos arenæ & in cubilia draconū, & ciuitates Iuda dabo in desolationem, eo quod non sit habitator. Quis est vir sapiens qui intelligat hoc, & ad quē verbū oris domini fiat vt annūtiat istud? Quare perierit terra, & exusta sit quasi desertum, eo quod non sit qui pertranseat. Et dixit dominus, quia dereliquerunt legem meā quā dedi eis, & non audierunt vocē meam, & nō ambulauerūt in eo, & abierūt post prauitatem cordis sui, & post Baalim quod didicerunt à patribus suis. Idcirco hæc dicit dominus exercituū deus Israel: Ego cibabo populum istū absynthio, & potum dabo eis aquā fellis, & dispergam eos in gentibus, quas non nouerunt, ipsi & patres eorum, & mittam post eos gladiū, donec consumantur. Atque iterum, Ecce ego inducam afflictionem super locum istum, ita vt omnis qui audierit illā tinniant aures eius, eo quod dereliquerunt me, & alienum fecerunt locum istum, & libauerunt in eo dijs alienis, quos nescierūt ipsi, & patres eorum & reges Iuda, & repleuerunt locum istū sanguine innocentum, & ædificauerunt excelsa Baalim, ad comburendos filios suos igni in holocaustum Baalim quæ nō præcepi, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum. Propterea ecce dies venient dicit dominus, & non vocabitur amplius locus iste Tophet & vallis filij Ennō, sed vallis occisionis. Et dissipabo cōsiliū Iuda & Hierusalē in loco isto, & subuertam eos gladio in conspectu inimicorum suorum, & in manu quærentium animas eorum, & dabo cadauera eorum escam volatilibus cœli & bestijs terræ, & ponā ciuitatem hanc in stuporem & in sibilum. Omnis qui præterierit per eam obstupescet, & sibilabit super vniuersa plaga eius, & cibabo eos carnibus filiorū suorum, & carnibus filiarum suarum, & vnusquisque carnes amici sui comedet in obsidione, & in angustia in qua cōcludēt eos inimici eorū, & qui quærūt animas eorum. Et aliubi futura Sedechiæ calamitas ostenditur, Verbum quod factum est ad Hieremiā à domino, quando misit ad eū rex Sedechiæ Phassur filiū Melchiæ & Sophoniā filium Mafia sacerdotē, dicens: Interroga pro nobis dominum, quia Nabuchodonosor rex Babylonis præliatur aduersum nos, si forte faciat dominus nobiscum secundum omnia mirabilia sua, & recedat à nobis. Et dixit Hieremias ad eos, Sic dicetis Sedechiæ: Hæc dicit dominus deus Israel, Ecce ego cōuertā vasa belli quæ in manibus vestris sunt, & quibus vos pugnatistis aduersum regem Babylonis, & Chaldaeos qui obsident vos in circuitu murorum, & congregabo ea in medio ciuitatis huius, & debellabo ego vos, in manu extenta, & in brachio forti, & in furore, & in indignatione, & in ira grandi, & percutiam habitatores ciuitatis huius. Homines & bestia pestilentia magna morientur. Et post hoc ait dominus, Dabo Sedechiam regē Iuda & seruos eius, & populum eius, & qui derelicti sunt in ciuitate hac à peste, & à gladio, & fame, & in manu Nabuchodonosor regis Babylonis, & in manu inimicorum eorum, & in manu quærentium animā eorum, & percutiet eos in ore gladij, & non flectetur neque parceret, nec miserebitur. Item, Hæc dicit dominus exercituū, Pro eo quod non audistis verba mea, ecce ego mittā

Hier. 6.

Hier. 9.

Hier. 19.

Hier. 27.

- Hiere. 25. & assumā vniuersas cognationes Aquilonis, ait dominus, & Nabuchodonosor regē Babylonis seruum meū, & adducam eos super terrā istā, & super habitatores eius, & super omnes nationes quæ in circuitu illius sunt, & interficiā eos, & ponam eos in stuporem & in sibilū & in solitudines sempiternas, perdāmque; ex eis vocem gaudij & vocē lætitiæ, vocem sponsi & vocē sponsæ, vocem molæ, & lumē lucernæ. Et erit vniuersa terra eius in solitudinem & in stuporem, & seruient omnes gētes istæ regi Babylonis septuaginta annis. Sed quæ subsequūtur, ostendunt dei misericordiam erga suū populū præelectum. Cūque impleti fuerint septuaginta anni, visitabo super regem Babylonis & super gētem illam dicit dominus, iniquitatem eorum, & super terrā Chaldæorum, & ponam illā in solitudines sempiternas. Nabuchodonosor vt norunt omnes, in superbiam elatus, & nimis cōfidens suis viribus, fuit à Persis & Medis subiugatus. Præterea cum anno nono Sedechiæ regis Iuda mensē decimo venit Nabuchodonosor rex Babylonis & omnis exercitus eius ad Hierusalelem, & obsiderent eam. Vndecimo anno Sedechiæ mensē quarto quinta die mensis aperta est ciuitas, & ingressi sunt omnes principes regis Babylonis, & sederunt in porta media. Cūque vidisset eos Sedechas rex Iuda & omnes viri bellatores fugerunt, & egressi sunt nocte de ciuitate per viam horti regis, & per portā quæ erat inter duos muros, & egressi sunt ad viam deserti. Persecutus est autem eos exercitus Chaldæorum & comprehenderūt Sedechiam in campo solitudinis Hierichontinæ, & captū adduxerunt ad Nabuchodonosor regem Babylonis in Reblatha, quæ est in terra Emath, & locutus est ad eum iudicia. Et occidit rex Babylonis filios Sedechiæ in Reblatha in oculis eius, & omnes nobiles Iuda occidit rex Babylonis: oculos quoque Sedechiæ eruit, & vinxit eum compedibus vt duceretur in Babylonem: domum quoque regis & domum vulgi succenderunt Chaldæi igni, & murum Hierusalem subuerterunt. Et reliquias populi quæ remanserunt in ciuitate, & profugos qui transfugerant ad eum & superfluos vulgi qui remanserant, transfudit Nabuzardan magister militum in Babylonem, & de plebe pauperum qui nihil penitus habebant, dimisit Nabuzardan magister militiæ in terra Iuda, & dedit eis vineas & cisternas in die illa. Et licet vltice dei manu Nabuchodonosor subuerteret Hierusale & exoculatum Sedechiæ vicerit, qui noluit obedire Hieremiæ consulēti vt sese dederet regi Babyloniorū, sed potius pseudopphetis, qui inducerāt in eius animum falsa persuasione, quod non traderetur Babylonijs, tamen Hierusalem ab anno nono Sedechiæ, vsque ad vndecimū eiusdem annum obseſſa, vsque adeo graui inedia & fame premebatur, vt defuerint obseſſis alimenta, & tunc tēporis dirupta est ciuitas, & omnes viri bellatores fugerūt. Prædixerat & Christus euersionē Hierusalem non quidem sub Nabuchodonosor, sed sub Tito & Vespasiano & alijs Romanis imperatoribus, post suā passionem, 42. anno, vt nonnulli dicunt vëturam, & deplorando miserā vrbis Hierosolymitanæ, & quæ Iudæis aliquando sinistre contingerent, dicebat, Hierusale, Hierusalem quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui cōgregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluiſti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. & cū discipuli Christi accessissent ad suū præceptorem è templo egredientē, vt ei ostenderent ædificationes tēpli, dixit illis: Videtis hæc omnia? Amē dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem qui non destruat. Et appropinquans morti cum fecit in Hierusalem suum ingressum, videndo ciuitatem, fleuit super illam, dicens: Quia si cognouisses & tu & quidē in hac die tua quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & congaustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoueris tempus visitationis tuæ. ¶ Posteriorem Assertionis partem ex Hieronymo aduersus Pelagianos libro 1. desumpsimus, vbi dicit: Quid mirū in collatione sanctorum alios esse meliores, & alios inferiores, cū e contrario in collatione peccatorū hoc intelligi possit? Ad
- Hiere. 39.
- Hiere. 52.
- Mat. 23.
- Mat. 24.
- Luce 19.
- Hieronym⁹

Hierusale dicitur, quæ multis peccatorū erat confossa vulneribus, iustificata est Sodoma ex te, nō quod Sodoma per se iusta sit, quæ in æternos collapsa cineres, audit per Ezechielem, Sodoma restituetur in antiquum, sed quod cōparatione scelerationis Hierusale, hæc iusta videatur, & non inualidam assignat rationem. Illa enim dei filium trucidauit, hæc propter abundantiam panis, & per luxuriæ magnitudinem excessit modum libidinis. Publicanus in Euangelio qui percutiebat pectus quasi thesaurum cogitationum pessimarum, & conscientia delictorum, oculos non audebat attollere, superbientis Pharisei collatione fit iustior. Esaias vocat flagitiosissimos Iudæos, & eos qui affixerūt cruci saluatorem principes Sodomorum, & populū Gomorra, & ex eo vocantur principes Sodomorum & populū Gomorra, quia cogitauerunt consiliū pessimum, & alligauerunt iustum atque dixerunt, Non habemus regem nisi Cæsarem. Et rursum: Nos scimus quia Moyſi locutus est deus, istum autem quis sit, nescimus. Et aliubi Esaias confert huiusmodi homicidas Sodomitis, dicens: Agnitio vultus eorum respondit eis, & peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt. Hunc locum enarrans Hieronymus, dicit: Et quomodo Sodomitæ cum omni libertate peccantes, & nec pudorem quidem vllum habentes in scelere, dixerunt ad Loth: Educ foras viros vt concubamus cum eis. Sic & isti publice proclamantes, suum prædicauere peccatum, nec vllam in blasphemando habuere verecundiam. Secunda enim post naufragium tabula, pœnitentia est, & consolatio miseriarum impietatem suam abscondere. Cohærent & huic Esaiæ loco quæ de petulantia, enormi fornicatione, & mendacio Hierusale scripsit Hieremias dicens, Et in prophetis Hierusalem vidi similitudinem, adulterium & iter mendacij, & cōfortauerunt manus pessimorū, vt non conuerteretur vnusquisque à malitia sua, facti sunt mihi omnes vt Sodoma, & habitatores eius quasi Gomorra. Ampli⁹ hanc assertionem ex Ezechiele comprobabimus: Et factus est (inquit) sermo domini ad me, dicens: Fili hominis notas fac Hierusalem abominationes suas, & dices: Hæc dicit dominus deus Hierusalem, radix tua & generatio tua de terra Chanaan, pater tuus Amorreus, & mater tua Cethæa. Et de inauditis illius vitijs, dicit dominus per prophetam, Tulisti filios tuos, & filias tuas quas generasti mihi, & immolasti eis ad deuorandū. nunquid parua est fornicatio tua? Immolasti filios meos, & dedisti illos consecrans eis. Et post omnes abominationes tuas & fornicationes non es recordata dierū adolescentiæ tuæ, quando eras nuda & confusione plena, conculcata in sanguine tuo: & accidit post omnem malitiam tuā Væ væ tibi, ait dominus deus. Et ædificasti tibi lupanar, & fecisti tibi prostibulū in cunctis plateis. Ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ, & abominabilem fecisti decorem tuum: & dimisisti pedes tuos omni transeunti, & multiplicasti omnes fornicationes tuas. Et fornicata es cum filijs Aegypti vicinis tuis magnarum carnum, & multiplicasti fornicationem tuam ad irritandum me. Ecce ego extendam manum meam super te, & auferam iustificationem tuam, & dabo te in animas odientium te filiarum Palæstinarum, quæ erubescunt in via tua scelerata: & fornicata es in filijs Assyriorū, eo quod necdum fueris expleta. Et postquam fornicata es, nec sic es satiata, & multiplicasti fornicationem tuam in terra Chanaan cum Chaldæis, & nec sic satiata es. Et paulo post declarata tantorum scelerum colluie, ostendit apertissime Hierusalem fuisse Sodoma sceleratiore, Viuo ego, dicit dominus deus: quia non fecit Sodoma soror tua ipsa & filiæ eius, sicut fecisti tu & filiæ tuæ. Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius & filiarum eius. Et manū egeno & pauperi non porrigebant, & eleuatæ sunt, & fecerunt abominationes coram me, & abstuli eas sicut vidisti. Et Samaria dimidio peccatorum tuorum non peccauit, sed vicisti eas sceleribus tuis, & iustificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis quas operata es. Ergo & tu porta cōfusionem tuam, quæ vicisti sorores tuas peccatis tuis, sceleratius agens ab eis. Iustificatæ sunt enim à te. Ergo & tu confundere, & porta ignominiam tuam, quæ iustificasti sorores tuas.

Ezechi. 16.

Ibidem.

Luce 18.

Esa. 1.

Ioan. 19.

Ioan. 9.

Esa. 3.

Gene. 19.

Hiere. 23.

Ezech. 16.



Erodes non excusatur ab homicidio Ioanis Baptista. Hæc suadeo Assertionem. Sciebat Herodes Ioannem Baptistam esse prophetam sanctissimum & innocentissimum, qui interrito animo dixit Herodi, Non licet tibi habere Herodiadem vxorem Philippi fratris tui, & ea de causa iussit Herodes, libidinis ardore succensus, eum conijci in carceres, iniquo ferens animo se castigari & reprehendi à Ioanne. Cum igitur sciret Herodes Ioannem Baptistam nihil mali admisisse, non debuit suis satellitibus & spiculatoribus iubere vt caput Ioannis detruncaret, nec temerario obstringere iuramento se daturum filia Herodiadis lasciuia gesticulatione saltanti, quicquid deposceret. Enimuero iusiurandum incautum, quod in deteriorem exitum vergit, minime est obseruandum. Illud sanè iuramentum respersum erat sanguine, quod maluit tyrannus ille immanissimus obseruare, quam tueri vitam hominis sanctissimi & innocentissimi. Plaudit & huic assertioni Hieronymus, enarrans illum Matthæi locum, Cum iuramento pollicitus est ei dare quodcumque postulasset ab eo, vbi dicit: Ego non excuso Herodem quod inuitus & nolens propter iuramentum, homicidium fecerit, qui ad hoc forte iurauit, vt futura occasione machinas prepararet. alioquin si ob iusiurandum fecisse se dicit, si patris, si matris postulasset interitum, facturus fuerat an non? Quod in se ergo repudiaturus fuit, cõtemnere debuit & in propheta. Et Herodias (quam insanius amabat Herodes) timens ne incestæ nuptiæ repudio solueretur, monuit suam filiam vt in ipso statim conuiuio caput Ioanis postularret. Doluit tamen Herodes & contristatus est quod petierit caput Ioannis sibi dari in disco, sed simulat artifex homicidij mœrorem & tristitiam, nam facie suffusa mœrore, animo gaudebat: tamen propter iusiurandum, iussit dari in disco caput Ioannis. Scelus (vt inquit Hieronymus) excusat iuramento, vt sub occasione pietatis impius feret. Quod autem subiecit, & propter eos qui pariter discubebant, vult omnes sceleris sui esse consortes, vt in luxurioso impuroque conuiuio cruenta epulæ deferrentur. Adde quod Chrysostomus edisserens in Matthæum, hoc Herodis facinus inauditum & nephandissimum, dicit: Vides quàm atrox, quàm insensatus, quàm vecors est, qui iurando se obnoxium facit, & illi petendi potestatem concedit, & posteaquam vidit ad quantum mali res prorupit, mœrore cõfectus est. At qui timuisse ipsum à principio scribitur. Cur igitur mœret? Quia videlicet talis res virtus est, vt nequam etiam homines & admirentur ipsam & laudent. Sed ò furiosam mulierem quæ cum adorare admirarique deberet Ioannem, quoniam ab iniuria eam vendicabat, eadem construit, laqueum ponit, & gratiam perit diabolicam. Et enarrando cur timuerit Herodes, inquit: Et quamobrem quod grauius erat non timuisti? Nam si testes periurij habere formidabas, multo te magis metuere oportuit, tot tantisque iniquissimæ cædis testes habere. Verum percontatur Chrysostomus, quare non licuit Herodi habere vxorem fratris, si vita defunctus fuerit, vt conijcere videtur, licet Hieronymus asserat illum superstitem fuisse cum Ioannes dixit, Non licet tibi habere vxorem fratris tui: lex enim Mosaica id permisit. & de certando in hunc modum loquitur: Verum quoniam multos opinor criminis causam, vnde cædes oborta est, ignorare, operæpretiũ duco id nunc discere, vt legumlatoris prudentiam videatis. Quænam ergo erat prisca illa lex, quam Herodes conculcabat, & Ioannes vlcisceretur? Si quis absque liberis obierit, fratri eius vxor sua detur. An quoniam nullo solatio mors mitigabatur, & pro vita omnia facere licebat, lex promulgata fuit vt frater viuens mortui fratris vxorem ducat, & fetus inde procreatus, defuncti nomine appellaretur, ne domus scilicet illius omnino corrueret? Nisi enim liberos defunctus reliquisset, quæ res maxime mortis consolatio est, intolerabilis luctus atque inextinguibilis fuisset: idcirco tale solamen conditor legum excogitauit, & nasciturum illius nomine vocari præcepit. Cum vero liberi erant defuncti, nullo modo tale matrimonium procedebat. Sed curnã ita? inquit.

Matth. 14.

Hieronymus

Chrysosto.

Deuter. 25.

Nam si alij vxorem defuncti ducere licebat, nonne multo magis fratri? Minime, voluit enim latius affinitates euagari, vt multis modis inter se homines vincerentur. Quare igitur non alius quàm frater sine liberis defuncti vxorẽ ducebat? Quia eo pacto nequaquam defuncti fœdus putaretur. Nunc autem si frater generaret, probabilis animos hominum occuparet cautio, quamuis & alioqui nulla necessitate alius vrgebatur defuncti domũ restituere, quod à fratre iure propinquitatis postulabatur. Quoniã igitur Herodes vxorẽ fratris, cuius filia viuebat, duxit, hac de causa Ioannes criminatur, moderate id, & cum fiducia mansuetudine mixta faciens. Tu vero perspice quomodo totum illud spectaculũ fatanæ erat, nam primũ temulentia & delicijs cõstabat, vnde nihil vnquam probe factum est. Deinde spectatores omnes erant corrupti, & ille qui cõuiuio præerat omnium iniquissimus. Tertio voluptas atque licentia omnia dicendi, audiendi, faciendi, maxima in ipsis erat. Quarto puella propter quam matrimonium fieri non poterat, quæ abdi atque occultari propter contemptum matris debebat, ingreditur, omnia palam faciens, & omnes meretrices virgo impudentia superans. Temporis quoque ipsius inopportunitas, scelus Herodis mirum in modum amplificat. Nam quando gratias deo agere oportebat, qui eum illo die in lucem produxit, tunc nephandissimam cædem committit: quãdo vincit ex gaudio soluere debebat, tunc ad vincula iniquissima iussu mors suo accessit. De eadem Herodis sauitia agit homilia 27. in 12. caput epistolæ Pauli ad Corinthios. Adde quod Theophylactus differens de eodem Herodis scelere, sentit cum Chrysostomo, dicens: Arguit autem Ioannes Herodem, vt fratris vxorem non legitime habentem. Lex enim iubebat fratris vxorem accipere post fratrem, si ille absque liberis defungeretur. Hic autem Philippus non absque liberis defunctus erat: erat enim ei puella quæ saltabat. Sunt autem quidam qui dicunt, quod etiam adhuc viuente Philippo, Herodes ei abstulerit vxorem & Tetrarchiam. Siue autem hoc, siue illud erat, illicitum erat facinus: non timebat autem deum, sed turbam timebat, vnde distulit cædem, at diabolus opportunum tempus sibi inuenit. Et considerando insipientiam Herodis iurantem se daturum quicquid illa gestatrix peteret, dicit: Quod si caput tuum petijisset, dedissetne illud? & licet indoluerit Herodes, propter virtutem qua excellere Ioannes: attamen propter iusiurandum dat donum inhumanum. Discamus autem hoc loco esse aliquãdo minus malum peierare, quàm propter iuramentum impium aliquid facere. Tum etiam Ambrosius lib. 3. Officiorum, cap. 12. ostendit Herodem grauius deliquisse iubendo eius caput amputari, & temerarium illius iusiurandum reprobatur: Tolerabilius est (inquit) promissum non facere, quàm facere quod turpe sit. Sæpe plerique constringunt se ipsos iurandi sacramento, & cum ipsi cognouerint promittendum non fuisse, sacramento tamen cõtemplatione faciunt quod sponderunt: sicut de Herode qui saltatrici præmium turpiter promissit, crudeliter soluit. Turpe, quod regnum pro saltatione promittitur: crudele, quod mors prophetæ pro iurandi religione donatur. Quanto tolerabilius tali fuisset periurium sacramento? Si tamen periurium possit dici, quod ebrius inter vina iurauerat, quod euiratus inter saltantium choros promiserat: infertur disco prophetæ caput, & hoc æstimatum est fidei esse, quod amentia fuit. Et enarratione in 35. psalmum dicit de hoc flagitiosissimo facto, Quomodo igitur improbi iniquitatem suam & odium querant consideremus. Nempe Herodias erat Tetrarchæ Philippi legitimo nexa coniugio, regiæ abundans opibus potestatis, quæ Herodem Romam adusque tendentem, quasi germanum mariti hospitij & affinitatis iure suscepit, cum quo despecta suam copulã non multo post relicto viro consortij sui iura mutauit. Nonne ea quæ fuit iniquitatẽ & odium? quæ coniugium deseruit, vt inueniret adulterium? Et quia sanctus Baptista nuptias illicitas constanter increpauit, dicens Herodi: Non licet tibi eam vxorem habere, quæ maritum contra legem reliquit, & fratri mariti quasi ex lege conuenit, commota est adultera, vt eum vellet occidere: sed cognito quod Herodẽ ad necem iusti non

Theophyl.

Deuter. 25

Ambrosius.

facile posset inflectere, excogitavit qua via istud efficeret. Natalis erat Herodis, quē luxu nimio (vt plerisque regibus mos est) celebrare cōsueuerat. Adornauit filiam, vt in conuiuio regis pignus regale saltaret. Et cum placuisset Herodi, quod displicere poterat, patruo, obrulit ei vt quod vellet prāmium pro saltationis opprobrio postularer. Matrem illa consuluit, cuius impulsu caput Baptistæ poposcit. Victus Herodes, quia sacramento se constrinxerat daturum quicquid neptis propria petisset, iussit occidi Ioannem, & caput eius afferri, quod allatum puellæ dedit, & illa matri suæ pertulit. Verum est ergo quōd iniquitas & odium requirantur. quandoquidē ea mulier quod facili petitione impetrare non poterat, prauis artibus excogitata fraudis elicit. Insuper dicit Tertullianus lib. 4. aduersus Marcionem, de morte Ioānis Baptistæ & impio Herodis animo: Ioannes enim retundens Herodem quōd aduersus legem, vxorem fratris sui defuncti duxisset, habentis filiam ex illa, non alia: hoc permittente imō & præcipiente lege: quia si frater illiberis decesserit, vt à fratre ipsius & ex costa ipsius suppararetur semen illi, cōiectus in carcerem fuerat, ab eodem postmodum & occisus. Facta igitur mentione Ioannis, dominus & vtique successus exitus eius, illicitorum matrimoniorū & adulteri figura iaculatus est in Herodem, adulterum pronuntians, etiam qui dimissam à viro duxerit, quo magis impietatem Herodis oneraret, qui non minus morte quā repudio dimissam à viro duxerat. Et hoc fratre habente ex illa filiā, & vel eo nomine illicita ex libidinis non ex legis instinctu, ac propterea prophetam quoque assertorem legis occiderat. De hoc funesto Herode agit Iosephus libro 18. Antiquitatum Iudaicarum, capite nono vbi dicit hunc Herodem Tetrarcham, habuisse vxorē Aretæ filiam, cum qua non paruū tempus aduixerat: sed cum Romam euocaretur transiens in domo Herodis exceptus est, frater eius erat etiā ipse, sed non ex vna matre progenitus. Herodes enim ex filia Simonis sacerdotis fuerat procreatus. Cūmq; ibi esset, Herodiadis amore captus est, vxoris alterius Herodis. filia enim erat ista Aristobuli, soror autem Agrippæ maioris. Audet igitur cum muliere de nuptijs ineundis miscere sermonem. Illa vero suscipiente pacta, firmantur, vt cum Roma reuersus fuisset, illa connubij iura susciperet, erat enim in pactis vt filiam Aretæ regis excluderet. sed cum eius vxor aperuit suo patri Herodis voluntatem & dolos, subortæ sunt seditiones inter focerum & generum. In 10. capite eiusdem libri, reddit rationem quare Herodes iussit occidi Ioannem, virum quidem valde bonum, qui præcipiebat Iudæis virtuti operam dare, iustitiam colere, in deum seruare pietatem, & per baptismum in vnum coire. Cum enim ad audiendum Ioannem plurima multitudo concurreret, veritus Herodes ne forte doctrinæ eius persuasione populi, à suo regno discederent (videbat enim quōd præceptis eius ac monitis parata esset plebs in omnibus obedire) melius credidit prius quā noui aliquid fieret, præuenire hominem nece, quā postmodum turbatis rebus, seram pœnitudinē gerere. Ex sola hac suspicione Herodis, vinctus in castellum Macherunta abducitur Ioannes, ibique obruncatur. Iudæis autem videbatur pro eius vltione interitum illius exercitui, deum importasse, quo Herodes sumpisset digna supplicia. Putat Lyranus enarrans in Matthæum, historiam de interitu Ioannis Baptistæ, Herodem in promissione illa puellæ facta, & in iuramento temere pronuntiato, nihil non fictitium habuisse. Nam eo sine iuravit vt haberet occasionem apparentem interficiendi Ioannē. Etenim vsq; adeo ardebat libidine in Herodiadem, vt voluerit hanc coningere malitiam.

CAPVT VII.

Homo antequam peccet, quod vult agit: vbi autem peccauit, non quia vult, bene agit.] Hanc eruius Assertionem ex Chryostomo, Tomo 2. homilia 35. de Aduentu domini. Existimat enim doctor ille celeberrimus, liberum arbitrium peccato mutilatum & vulneratū, figurari asina alligata, quæ ex se à vinculis solui nō potuit, soluta est autem à deo per apostolos, quam vnā cum pullo adduxerūt ad Christum, & de humani arbitri,

felicitate ante ruinā & eiusdem iactura post lapsum, ita philosophatur: Omnes homines antequam peccemus, liberum quidem habemus arbitrium, si volumus sequi voluntatem diaboli, an non. Quōd si semel peccantes obligauerimus nos operibus eius, iam nostra virtute euadere non possumus, sed sicut naui fracto gubernaculo illuc ducitur, vbi tempestas voluerit: sic & homo diuinæ gratiæ auxilio perduto peccatū, non quod vult agit, sed quod diabolus vult. Et nisi deus valida manu misericordiæ suæ soluerit illum, vsque ad mortem in peccatorum suorū vinculis permanebit. Ergo nostra quidem voluntate & negligentia alligamur, sed per dei misericordiam absolui mur. Sicut enim videmus in istis mundialibus regnis quomodo in primis quidem nemo potest facere seipsum regem, sed populus creat sibi regē quem eligit: sed cum ille rex fuerit factus & confirmatus in regno, iam habet potestatem in hominibus, & non potest populus iugum eius de ceruice sua repellere. Nam primum quidem in potestate populi est facere sibi regem quem vult, factū autem de regno iam repellere non est in potestate eius. & sic voluntas postea in necessitatem conuertitur. Sic & homo prius quā peccet, liberum habet arbitrium, vtrum velit sub regno esse diaboli, an non: cum autem se peccando tradiderit sub regno ipsius, iam non potest de potestate eius exire: sed sic prima voluntas eius in necessitatem conuertitur. Et hoc est quod homines seculares & peccatores dicere solent, Nunquid volumus esse sancti? & quis non vult esse iustus? sed non possumus. Verum quidem est quod dicunt, sed non habent excusationem, quia primum poterunt non esse sub potestate diaboli si voluissent: postquam vero posuerunt thronum diaboli in cordibus suis, iam nemo potest eos eripere de potestate diaboli, nisi solus deus. Et ne quis putet non omnimode plaudentum esse hac in re Chryostomo, vt firmiter affirmari possit hoc assertum, proferemus quæ scripsit Paulus de imbecillitate hominis sub peccato vanundati: Omnes (inquit) peccauerunt, & egent gloria dei, & maxime diuino indigent subsidio post lapsum, & vsque adeo dei gratia indigent, vt scelerum cœno volutari, extricari non possint ab ea sentina in quam peccando ceciderant, nisi dominus illis sua clementia & misericordia adiutricem manum admouerit, quam si prompto officio receperint, & conentur à peccato resurgere, non addubito quin ex labore diuinæ gratiæ coniuncto, commodum consequantur, & cum à pristinis sordibus iustificantur, gratis (ex Paulo) per gratiam dei iustificantur. Hæc autem iustificatio à redemptione in Christo Iesu collocata dimanat, quem deus sua benignitate proposuit propitiorem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum. Quis igitur antiquam illam labem expiauit & absterxit? Christus, & ita respondurum confidebam, nec tamen nos absque fide iustificat, quādoquidem. siue fide impossibile est deo placere. Nec absque hoc subterniculo diuinæ bonitati connectimur, nec vt deo copulemur sufficit, nisi charitatis cādore exornemur. quōd si non opereris, credas tamen in eum qui iustificat impium, fides tua tibi reputabitur ad iustitiam, non quidem secundum debitum, sed secundum propositū gratiæ dei. Si vero opereris, merces tibi reddetur, & imputabitur secundum debitum, nec tamen iniustus esset dominus, si tuis officijs, tuisque laboribus non rependeret. præmium. Etenim æterna illa beatorū merces, non est tibi debita simpliciter, quia non est æqua tui laboris ad æternum illud præmiū proportio. Non enim sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis, sed illud beneficium magis tibi ex liberalitate dei quā iustitia donatur, est tamen illa merces tibi debita secundum quid, & ex diuino pacto, siue (vt fertur) secundum præsentem iustitiam. Nouimus quidem pactum illud ex sacris literis, quōd deus iudex æquissimus, reddet vnicuique secundum opus eius. Adde quod sicut regnauit peccatum in mortē, ita & gratia regnat per iustitiam in vitam æternam per Iesum Christum dominum nostrum. Nec solum loquitur Paulus de morte temporanea, sed de æterna: imō maxime de æterna, & solum videtur loqui de illa, si diligenter eius similitu

Tertullianus

Iosephus.

Lyranus.

Chryostomus.

Matth. 21.

Roma. 3.

Hebr. 11.

Roma. 4.

Roma. 8.

Matth. 16.

Roma. 5.

dinem inspexerimus. Nam ut se habet gratia ad vitam aeternam, ita se habet peccatum ad mortem aeternam: & attende quantum habeat virium mortale delictum, & quanta sit mortiferi peccati pestis & contagio, ut possit hominem aeterna morti, perpetuisque supplicijs addicere, & ad inferos usque detrudere. Et licet coneris ut ab illa morte eripiaris, non tamen absque dei gratia eriperis. Dic quae so miser, quis te eripuit? ne tui liberi arbitrij vires tãtopere iactes. sanè gratia dei, quae si non praeuenisset, in eodẽ antiqui vitij volutabro quo prius volutabar, perstitisses. Et tua voluntas fuisset in necessitatem conuersa, non quidem simplicem & absolutam, alioqui homo necessario peccaret, & peccatum non esset voluntarium, sed in necessitate secundum quid, quae maximae difficultati coequari potest, ita quod tibi esset admodum difficile a peccato resurgere. Nemo igitur dicat, nisi dei gratiam imminuere velit, post peccatum se recte agere, quia vult. Nec me lateret ad veritatem causalis operere antecedens esse causam totam & integram consequentis, quod si homo quia vult post lapsum bene ageret, voluntas hominis esset causa omnimoda & integra boni operis, & nullus diuinæ gratiae locus relinqueretur, quod est absurdum, & planè aduersatur Paulo dicenti: *Quod enim operor non intelligo, non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum, illud facio. Si autem quod nolo illud facio, consentio legi quoniam bona est. Nunc autem iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Scio enim quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Nam velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Non igitur ex hac Pauli ratiocinatione potest humana voluntas perficere bonum. hinc colligas eam non esse causam totam & sufficientem ut quis bonum operetur. Et alibi id Paulus expressit, *Qui cepit (inquit) in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Iesu. Atque iterum, Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate. Quod si (ut asserit idem doctor) non simus sufficientes cogitare aliquid a nobis, tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex deo sit, multominus erimus a nobis tanquam ex nobis, sufficientes opus bonum perficere, sed gratia dei, cui non deerit liberi arbitrij conatus, opus pium & honestum in nobis perficiet. Proferam quae de hac sublimi disputatione disseruit Augustinus multis in locis. Siquidem resumit lib. 1. Retract. cap. 9. quae prius scripserat libro 2. de Libero arbitrio, capite 20. vbi dicit: Tu tantum inconcussam pietatem tene, ut nullum tibi bonum vel sentienti vel intelligenti vel quo quo modo cogitanti occurrit, quod non sit ex deo. Item, Sed quoniam non sicut sponte homo cecidit, ita etiam sponte surgere potest, porrectam nobis desuper dextram dei, id est dominum nostrum Iesum Christum firma fide teneamus. Quod autem post ruinam non sit in potestate hominis, quod sit bonus, saltem ut bonum citra diuinum adminiculum perficiat, peccati poena est, non natura. Et hanc antiquae maculae poenam deplorat nobis inesse Paulus, dicens: *Nō quod volo bonum illud ago, sed quod nolo malum illud facio. Et tibi persuadeas hanc esse Augustini sententiam, a qua ne lato quidem vngue dimoueri debes. Et libro 12. de Trinitate, capite 11. stupidum nostri arbitrij post ruinam conatum declarat, dicens: Animus quasi pondere suo prae-grauatus, a beatitudine expellitur, & per illud suae medietatis experimentum poena sua discit, quid intersit inter bonum defertum, malumque commissum: nec redire potest effusus ac perditis viribus, nisi gratia conditoris sui ad poenitentiam vocantis, & peccata donantis. Quis enim infelicem animam liberabit a corpore mortis huius, nisi gratia dei per Iesum Christum dominum nostrum? Stabilemus & fusius vtraque assertionis partem ex eodem doctore lib. 14. de Ciuit. dei, cap. 15. vbi dicit iustam damnationem subsecutam contemptum dei & inobedientiam. & talis quidem facta est damnatio, ut homo qui custodiendo mandatum futurus fuerat etiam carne spiritalis, fieret etiam mente carnalis: & quia sua superbia sibi placuerat, dei iustitia sibi donaretur, nec sicut affectabat, in sua esset omnimodo potestate, sed a seipso quoque dissentiens, sub illo cui peccando consensit, pro libertate quam concupuerat, duram miseramque ageret seruitutem, mor-***

Roma. 7.

Philipp. 1.
Philipp. 2.

2. Corint. 3.

Augustinus.

Roma. 7.

Ibidem.

tuus spiritu volens, & corpore moriturus inuitus, desertor aeternae vitae, etiam aeterna (nisi gratia liberaret) morte damnatus. Quisquis huiusmodi damnationem vel nimiam, vel iniustam putat, metiri profecto nescit, quanta fuerit iniquitas in peccando, vbi tanta erat non peccandi facilitas. Sicut enim Abraham non immerito magna obedientia praedicatur, quia ut occideret filium, res difficillima est imperata: ita & in Paradiso tanto maior inobedientia fuit, quanto id quod praecipitum est, nullius difficultatis fuit. Et sicut obedientia secundi hominis eo praedicabilior, quia factus est obediens usque ad mortem: ita inobedientia primi hominis eo detestabilior, quia factus est inobediens usque ad mortem. Vbi enim magna est inobedientiae poena proposita, & res a creatore facilis imperata, quis nam satis explicet quantum malum sit non obedire in re facili, & tantae potestatis imperio, & tanto terrenti supplicio? Denique: ut breuiter dicatur in illius peccati poena, quid inobedientiae, nisi inobedientia retributa est? Nam quae hominis est alia miseria nisi aduersus eum ipsum inobedientia eius ipsius, ut quoniam noluit quod potuit, quod non potest, velit? In paradiso enim etiam si non omnia poterat ante peccatum, quicquid tamen non poterat, non volebat: & ideo poterat omnia quae volebat. Nunc vero sicut in eius stirpe cognoscimus, & diuina scriptura testatur, Homo vanitati similis factus est. Quis enim enumeret quam multa quae non potest velit, dum sibi ipsi, id est volutati eius, ipse animus eius, eoque inferior caro eius non obtemperat? Ipso nanque inuito & animus plerumque turbatur, & caro dolet & veterascit & moritur, & quicquid aliud patimur, quod non pateremur inuiti, si voluntati nostrae nostra natura omnimodo atque ex omnibus partibus obediret. Idem explicat libro vno de Natura & gratia contra Pelagianos, capite 43. vbi dicit deum bonum & iustum talem hominem fecisse cui peccati malo carere sufficeret, sed si voluisset. Quis enim eum nescit sanum & inculpabilem factum, & libero arbitrio atque ad iuste viuendum potestate libera constitutum? Sed nunc de illo agitur, quem femiuuuum latrones in via reliquerunt, qui grauius saucius, confosusque vulneribus, non ita potest ad iustitiae culmen ascendere, sicut potuit inde descendere. Qui etiam si iam in stabulo est, adhuc curatur. Non igitur deus impossibilia iubet, sed iubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis. Iam nunc videamus vnde possit, vnde non possit. Iste dicit, voluntate non est quod natura potest, ego dico voluntate quidem non est homo iustus, si natura potest, sed medicina poterit, quod vitio non potest. Vltima haec sententia manifeste ostendit hominem lapsum per se non posse erigi. quod enim non potest homo vitio contaminatus, poterit medicina, quam ei deus sua clementia praestabit. Ausculta his quae scripsit libro de Praedestinatione sanctorum, capite 15. vbi dicit: Humana merita perierunt per Adam, regnat autem gratia dei per Iesum Christum. Nec tamen hinc colligas nos non posse mereri, sed ex eo: peccato Adae perierunt hominum merita, quia tardius. Nec tam facile mereri possumus propter dissidium & iuge bellum inter carnem & rationem. Dicit etiam libro vno de Gratia & correptione ad Valentinum, capite primo, Homo in malo faciendo liber est iustitiae, & seruus peccati, in bono autem liber esse non potest, nisi liberatus fuerit a Christo. Secundam partem probat ex illo Ioannis loquo, capite quidem 8. Si vos filius liberauerit, tunc vere liberi eritis. Plenius multo hanc difficultatem discutit enarrando locum illum Psalmographi, Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius: vbi ita loquitur, Ergo si premebatur peccatis suis, adest misericordia dei, ideo praecessit ille sine peccato, ut deleat peccata sequentium. Nolite in vobis praesumere, sed a vigilia matutina praesumite. Videte caput vestrum resurrexisse & ascendisse in caelum: in illo culpa non erat sed per illum vestra culpa delebuntur. Ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius. quia Israel vendere se potuit, & fieri venedatus sub peccato, redimere se ab iniquitatibus non potest. Ille potuit redimere, qui se non potuit vendere, qui non commisit peccatum, ipse est redemptor a peccato, ipse redimet Israel. Vnde redimet? Ab illa iniquitate,

Gene. 22.

Philipp. 2.

Psal. 143.

Lucæ 10.

Ioan. 8.

Psal. 129.

an ab illa? Ab omnibus iniquitatibus suis. Non ergo timeat accessurus ad deum aliquas iniquitates suas, tantummodo accedat pleno corde, & desinat iam facere quae antea faciebat, & non dicat: Illa iniquitas non mihi dimittitur. Si enim hoc dixerit propter ipsam quam putat sibi non dimitti, non se conuertat, & faciendo caetera, non illi dimittitur & illud quod non timebat. Quia feci (inquit) scelus magnum, & non mihi potest dimitti, iam faciam & caetera. hoc enim perdo quod non facio. Non li timere, in profundo es: noli contemnere de profundo clamare ad dominum, & dicere: Si iniquitates obseruaueris domine, domine quis sustinebit? Obserua illum, & expecta illum, & sustine propter legem ipsius. Quam legem tibi dedit? Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Spera te resurrecturum, & tunc futurum omnimodo sine peccato, quoniam ille surrexit qui primus fuit sine peccato. A vigilia matutina spera: noli dicere, Ego non sum dignus propter peccata. Non es dignus, sed multa apud illum redemptio. Et ipse redimet Israhel ex omnibus iniquitatibus eius. Et illum edisserendo psalmum, Lauda anima mea dominum, dicit animam rationalem non posse regere quod regebat, quia regi noluit a quo regebatur. Et Sermone secundo de verbis Apostoli, subscribit sententiae Chrysostomi, reclamando illis qui plus tribuunt libero arbitrio vulnerato quam deberent: Sunt (inquit) homines ingrati gratiae, multum tribuentes inopi fauciaeque naturae. Verum est, magnas arbitrij liberi vires homo cum conderetur accepit, sed peccando amisit: in mortem lapsus est, infirmus factus est, a latronibus semiuuius in via relictus est, in iumentum suum leuauit eum transiens Samaritanus, quod interpretatur custos, ad stabulum adhuc perducitur. Quid extollitur? adhuc curatur.

CAPVT VIII.

Homicidium non semper committit, qui hominem occidit. Nec solum is censendus est homicida qui manibus occidit, sed cuius consilio & fraude alij occidunt. Priorem huius Assertionis partem ex 22. capite Exodi desumemus, in quo scriptum est: Si effringens fur domum, siue effodiens fuerit inuetus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis: quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, & ipse moriatur. ex hoc loco ita possum ratiocinari, Vt quis dicatur homicidium committere, oportet eum esse reum sanguinis. Sed qui furem nocturnum effringentem domum occidit, non est reus sanguinis: igitur qui occidit furem nocturnum, non committit homicidium. Hanc quoque legem maxime confirmat Plato, de Legibus, Dialogo 9. dicens: Qui noctu furem domum suam ingressum interemit, mundus sit. Et qui spoliatores, in defensionem suam similiter. Astipulatur & huic parti Augustinus, enarrans illam legem, quaestione 84. super Exodum, vbi dicit: Intellegitur ergo tunc non pertinere ad homicidium, si fur nocturnus occiditur: si autem diurnus, pertinere. hoc est enim quod ait, Si orietur super eum sol, poterat quippe discerni quod ad furandum, non occidendum venisset, & ideo non deberet occidi. Hoc & in legibus antiquis secularibus, quibus tamen ista est antiquior, inuenitur impune occidi nocturnum furem quoquo modo: diurnum autem si se cum telo defenderit: iam enim plus est quam fur. Potest & eadem pars aliter suaderi hac illius legislatoris propositione siue argumento, Maleficos non patieris viuere, si enim Socrates sit maleficus, aut expilator, vel grassator reipublicae nocentissimus, licite enecabitur a ministro iustitiae, cui credita est talis potestas. Sunt enim singuli homines membra reipublicae & corporis politici. quod si grauer deliquerint, & admiserint flagitium morte dignum, vt bonum commune seruetur illa sum & integrum, iuste tolluntur de medio, autoritate quidem publica. nec minus diuelli debent & dimoueri a reipublica, quam praecidatur membrum vnum putridum & aliorum infectuum a toto corpore, magis enim studendum est saluti totius quam partis: & qui huiusmodi homines sceleratissimos occidunt edicto legis & autoritate principis, non censentur committere homicidium, quia non sunt rei sanguinis. secus esset si homo priuatus

Psal. 129.
Math. 6.

Psa. 145.

Exo. 22.

Plato,

Augustinus

ff. ad l.
Aqui. l. 4.

Exo. 22.

& priuata quidem autoritate interficeret hominem. Occidere enim malefactorum solum licitum est, cum ordinatur ad salutem totius communitatis, quare ad illud solum spectat hoc negotium, cui commissae est cura communitatis: conseruandae: quod si quis contempta sui superioris potestate vim intulerit alicui etiam vsque ad mortem, diuinae ordinationi resistit. Quod ostendit Paulus loquens ad Romanos de principibus, quibus gladius a deo creditus est. Omnis (inquit) anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a deo. quae autem sunt, a deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, dei ordinationi resistit. Qui autem resistit, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa: dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat. dei enim minister est: vindex in ira, ei qui malum agit. Possumus & eandem propositionem alia hypothese stabilire. Grassator in nemoribus me inuadit, & intendit me occidere: nec possum nisi eum interficiendo, consulere meam vitam: suppono enim quod si in ita interclusus aut obsesus, vt non mihi relictus sit fugiendi locus, possum licite tuedo corpus meum, illum interficere, modo non intendam eius mortem, sed solum defensionem meam vitam: quod enim illum interfecerim, accidit defensionem meam vitam, quia non intedebam illum interimere, sed solum corpus meum defendere. Intellecta hac hypothese, velim suadere quod mihi licuit, principe id permittente, illum inuasorem mei corporis interficere. Mihi conceditur interficere furem nocturnum fortunas meas surripientem, igitur & mihi concedetur hunc mei corporis inuasorem, & reipublicae infestissimum interficere. Enimuero multo magis licitum est propriam vitam tueri, quam propriam domum. Adde quod iuris permissione vim vi repellere licet cum moderatione inculpatae tutelae. Nec est necessarium ad salutem, vt quis hunc actum moderatae tutelae praetermittat ad euitandum occisionem alterius, vt dicit sanctus Thomas 2. 2. quaestione 64. articulo 7. in quo hunc agitatur scrupulum. Quia homo magis astringitur consulere suam vitam quam alienam. Quod si depugnaueris aduersus hanc propositionem ex Augustino dicente ad Publicolam, Ne ab his quisquam occidatur. non mihi placet consilium, nisi forte sit miles, aut publica functione teneatur, vt non pro se hoc faciat, sed pro alijs accepta legitima potestate, si eius congruat persona. Respondebo auctoritatem illam esse intelligendam, quando intendit interficere alterum, vt seipsum a morte eripiat & liberet. Nam vitanda est interficiendi & vlciscendi libido: quod si desit affectus & cupiditas interficiendi, vim vi repellere licebit. Et hanc quaestionem nequaquam inutilem, mouet Augustinus libro primo de Libero arbitrio, capite 5. vbi in hunc modum subtiliter differit cum suo Euodio qui quaeserat si nam in sacrilegijs libido dominaretur: sed antequam Augustinus quaestionem hanc dissoluat, dicit illi: Vide ne praeproperum sit, prius enim mihi discutendum videtur, vtum vel hostis irruens, vel insidiator ficarius, siue pro vita, siue pro libertate, siue pro pudicitia, sine vlla interficiatur libidine. Euodius respondet, Quomodo possum arbitrari carere istos libidine, qui pro ijs rebus digladiantur, quas possunt amittere inuiti: aut si non possunt, quid opus est pro his vsque ad hominis necem progredi? Non ergo lex iusta est, quae dat potestatem vel viatori, vt latronem, ne ab eo ipse occidatur, occidat: vel cuiuspiam viro aut foeminae, vt violenter sibi stupratorem irruentem ante illatum stuprum, si possit interimat. Nam militi etiam iubetur lege, vt hostem necet, a qua caede si temperauerit, ab imperatore poenas luit. Num istas leges iniustas, vel potius nullas dicere audebimus? Nam mihi lex esse non videtur, quae iusta non fuerit. Augustinus suam fert censuram, dicens: Legem quidem fati video esse munitam contra huiusmodi accusationem, quae in eo populo que regit, minoribus malefactis, ne maiora committantur, dedit licentiam. Multo est enim mitius eum qui alienam vitam insidiatur, quam eum qui suam tuetur, occidi. Et multo est immanius inuitum hominem stuprum perpeti, quam eum a quo illa vis infertur, ab eo cui inferre conatur, interimi. Jam vero mi-

Roma. 13.

Thomas
Augustinus

HH. j.

les in hoste interficiendo minister est legis, quare officium suum facile nulla libidine impleuit. Porro ipsa lex quae tuendi populi causa lata est, nullius libidinis argui potest. Siquidem ille qui tulit, si dei iussu tulit, id est quod praecipit, aeterna iustitia, expers omnino libidinis id agere potuit. Si autem ille cum aliqua libidine hoc statuit, non ex eo fit, ut ei legi cum libidine obtemperare necesse sit, quia bona lex, & à non bono ferri potest. Non enim si quis, verbi causa, tyrannicam potestatem nactus, ab aliquo cui hoc conducit, pretium accipiat ut statuat nulli licere vel ad coniugium foemina rapere, propterea mala lex erit, quia ille iniustus atque corruptus hanc tulit. Potest ergo illi legi quae tuendorum civium causa vim hostilem eadem vi repelli iubet, sine libidine obtemperari. Et de omnibus ministris qui iure atque ordine potestatibus quibusque subiecti sunt, id dici potest. Sed illi homines lege inculcata quo modo inculpati queat esse, non video. non enim lex eos cogit occidere, sed relinquit in potestate liberum eis. Itaque est neminem necare pro ijs rebus quas inuiti possunt amittere, & ob hoc amittere debent. De vita enim fortasse cuiuspiam sit dubium, vtrum animae nullo pacto auferatur, dum hoc corpus interimitur: sed si auferri potest, contemnenda est: si non potest, nihil metuendum. De pudicitia vero quis dubitauerit, quin ea sit in ipso animo constituta, quandoquidem virtus est. vnde à violento stupratore eripi nec ipsa potest. Quicquid igitur erepturus erat ille qui occidit, id totum in potestate nostra non est, quare quemadmodum nostrum appelladum sit, non intelligo. Quapropter legem quidem non reprehendo, quae tales permittit interfici: sed quo pacto istos defendam qui interficiunt, non inuenio. Et multo minus inuenire possum, cur hominibus defensionem queras, quos reos nulla lex tenet. Augustinus, Nulla fortasse, sed earum legum quae apparent, & ab hominibus leguntur. Nam nescio vtrum non aliqua vehementiore ac secretissima lege teneantur, si nihil rerum est, quod non administret diuina prouidentia. Quomodo enim apud eam sunt isti peccato liberi, qui pro ijs rebus quas contemni oportet, humana caede polluti sunt? Et videtur ergo mihi & legem istam quae populo regendo scribitur recte ista permittere, & per diuinam prouidentiam vindicari. Ea enim vindicanda sibi haec lex populi assumit, quae satis sint conciliandae paci hominibus imperitis, & quanta possunt per hominem regi. Illae vero culpae alias poenas aptas habent, à quibus sola mihi videtur posse liberare sapientia. Augustinus, Laudo & probo istam, quamuis inchoatam, minusque perfectam, tamen fidem & sublimia quaedam petentem distinctionem tuam. Videtur enim tibi lex ista, quae regendis ciuitatibus fertur, multa concedere, atque impunita relinquere, quae per diuinam tamen prouidentiam vindicantur & recte. Neque enim quia non omnia facit, ideo quae facit improbanda sunt. Haec tamen ille. Ex hac Augustini disputatione, & quaestione discussione solertissima (tamen si acrius & tutius disputet quam respondeat) & nodum dissoluat, duo elicere possumus & adnotare. Alterum, Multo mitius est & minus malum eum qui alienae vitae insidiatur, quam eum qui suam tuetur, occidi. Alterum, Licet lex illa quae permittit ut grassatorem aut sicarium interimamus, vbi aliter euadere non possumus, iusta, licita & inculcata sit: tamen is qui huiusmodi nebulones & sceleratissimos homines occidit, non videtur esse à culpa, immunis, nec asserit quod peccet, sed ignorat quomodo possit esse inculpatus, cum deberet suam pro nomine Christi contemnere vitam, sperando pro hac animi magnitudine & tolerantia, se aeternam habiturum mercedem. Prius tamen dixerat Augustinus quod poterat quis illi humanae legi vim vi repellendo, sine libidine obtemperare, quam obrem arbitror Augustinum solum voluisse innuere, quod non licet inuaforem & illos qui nos gladio imperunt, interficere, eorum necem (vt iam diximus) intendendo. De eadem difficultate agit epistola Macedonio, vbi dicit, Cum homo ab homine occiditur, multum distat vtrum fiat nocendi cupiditate, vel iniuste aliquid auferendi, sicut fit ab inimico, sicut à latrone: an vlciscendi vel obediendi ordine, sicut à iudice, sicut à carnifice: an euadendi vel subueniendi ne-

cessitate, sicut interimitur latro à viatore, hostis à milite. ¶ Secundam assertionis partem desumpsimus ex Augustino enarrante illum Prophetae locum, Dormiui conturbatus: & ad id facilius suadendum profert quod habetur in Euangelio Ioannis, de perditissimis Iudaeis, qui Pilato dicebant: Nobis non licet interficere quenquam: Interficere (inquit) non licet, tradere ad interfectionem licet? Quis autem occidit? qui audito clamore cessit, an qui clamando ut occideretur extorsit? Ipse dominus dicat testimonium à quibus occisus est, vtrum ab illo Pilato, qui nolens eum occidit: vnde etiam eum flagellauit, & veste ignominiosa circumdedit, & flagellatum ad eorum oculos produxit, ut saltem poena flagellorum eius satiati, eum occidi non extorquerent. Propterea etiam cum videret eos perseverare, sicut legimus: Lauit manus suas & dixit: Innocens ego sum à sanguine iusti huius, vos videritis. vtrum ille innocens qui vel cessit clamantibus, multo magis tamen illi nocentes, qui clamando eum occidere voluerunt. Sed nos interrogemus & audiamus dominum, quibus tribuat mortem suam, quia dixit, Dormiui conturbatus. Interrogemus eum, & dicamus: Quoniam dormisti turbatus, qui te persecuti sunt? qui te occiderunt? Nunquid forte Pilatus qui te militibus dedit in ligno suspendendum, clavis transfigendum? Audite, Qui? Filij hominum, id est, illos vtrique dicit, quos persecutores passus est. Sed quomodo ipsi occiderunt qui ferrum non ferebant, qui gladium non strinxerunt, qui impetum in eum non fecerunt ad occidendum? Vnde occiderunt? Dentes eorum arma & sagittae, & lingua eorum gladius acutus, id est, Noli attendere inermes manus, sed os armatum, inde gladius processit quo Christus occideretur, quo modo & de ore Christi vnde & Iudaei occiderentur. Habet enim ille gladium bis acutum, occidentis & resurgentis, & resurgens percussit eos, & diuisit ab eis quos faceret fideles suos. illi malum gladium, ille bonum: illi sagittas malas, ille bonas. Et cum in Ioannem explicat eundem locum, Nobis non licet interficere quenquam, dicit: Quid est quod loquitur insana crudelitas? An non interficiebant quem interficiendum offerebant? an forte crux non interficit? Sic desipiunt qui non sectantur, sed insectantur sapientiam. Habet & eandem propositionem Gratianus in opere de Poenitentia, distinctione prima, capite Periculose, & quidem ex sententia Augustini, vbi dicitur: Periculose decipiuntur, qui existimant eos tantum homicidas esse, qui manibus hominem occidunt, & non potius eos, per quorum consilium & fraudem & exhortationem homines extinguuntur. Nam Iudaei nequaquam proprijs manibus Christum occiderunt, sicut scriptum est: Nobis non licet interficere quenquam, sed tamen illis mors domini imputatur, quia ipsi lingua eum interfecerunt, dicentes: Crucifige, crucifige eum. vnde vnus Euangelista dixit dominum esse crucifixum hora tertia, alius hora sexta: quia Iudaei crucifixerunt eum hora tertia, lingua: milites hora sexta, manibus. Et capite Omnis, ex sententia Hieronymi in Esaiam scriptum est, Omnis iniquitas & oppressio, & iniustitia, iudicium sanguinis est. & licet gladio non occidas, voluntate tamen interficis. Et capite Nunquid, ex Cypriano, Sermone quarto de Mortalitate, Nunquid Caim cum domino munus offerret peremerat fratrem? & tamen fratri cidium mente conceptum deus prouidus ante damnauit. vt illic cogitatio mala, & pernitiosa conceptio, deo prouidente prospecta est, ita & in dei seruis apud quos cogitatur, & martyrium mente concipitur, animus ad bonum deditus deo iudice coronatur. Aliud est martyrio animum deesse, aliud animo defuisse martyrium. Qualem te inuenit dominus cum vocat, talem pariter & iudicat, quoniam ipse testatur & dicit: Et scient omnes Ecclesiae quia ego sum scrutator renum & cordis. Capite etiam Noli, ex sententia Augustini enarrantis illum Ioannis locum, Ille ab initio erat homicida, dicitur: Noli putare te non esse homicidam, quando fratri tuo mala persuades. Si fratri tuo mala persuades, occidis. & vt scias quia occidis, audi Psalmistam, Filij hominum dentes eorum arma, & sagittae, & lingua eorum machera acuta. ¶ Sciscitabitur quispiam, An is qui casu aut fortuito

Psal. 56.
Ioan. 18.

Matth. 27.

Gratianus de
Poeni. dist. 7.Marc. 15.
Ioan. 19.Cyprianus.
Gene. 4.

Hier. 17.

Ioan. 8.

Psal. 56.

H. H. ij.

Augustinus

uentu interficit hominē sit sanguinis aut homicidij reus. Et sanè non videtur homicidij notam incurere. Nam dicit Augustinus libro 1. de Libero arbitrio, capite 4. Nam & miles hostem, & iudex vel minister eius nocentem, & cui forte inuito atq; imprudenti reum manu fugit, non mihi videntur peccare cum hominē occidunt. Et ad Publicolā dicit: Absit vt ea quæ propter bonū aut licitum facimus, siquidem propter hoc præter nostrā voluntatē quicquid mali acciderit, nobis imputetur. sed contingit quandoq; vt aliquis non nihil boni gratia faciat, & tamē faciēdo, homicidij casus occurrat: igitur casus ille homicidij non imputabitur faciēti. Paucis huic percontationi respōdebo. Si quis det operā rei licitæ, & omnimoda diligentia præcaueat ab homicidio, si casu enecet aliquē, nō erit reus homicidij, quia casus ille est omnino inuoluntarius. Si tamē vacet rei illicitæ, vnde enascatur sua incuria, casuale (vt fertur) homicidium, aut rei incumbat licitæ, sed non adhibeat eam diligentiam quam potuit, vt homicidij deuicaret, si casu quēpiam enecauerit, reus est sanguinis. Et casus ille accidentario est voluntarius & intentus, quia potuit illū non incurere.

CAPVT IX.

Augustinus



Aeretici ad vnitatem Ecclesiæ sunt cogēdi, & pro pertinaci vitio com-
burendi. Quadebimus in primis priorē Assertionis partem ex ijs quæ
luculēter & copiose scripsit Augustinus epistola Vincētio, de Hæreticis
vi corrigēdis, exploratissimam reddere, deinde posteriorem partem af-
firmabimus. Congrediēdo itaq; cum Vincentio, quē de gradu deiecit,
ita loquitur: Donatistæ nimium inquieti sunt, quos per ordinatas a deo potestates co-
hiberi atq; corrigi mihi nō videtur inutile. Nam de multorū iam correctiōe gau-
demus, qui tam veraciter vnitatē catholicā tenent, atq; defendunt, & à pristino er-
rore se liberatos esse lætantur, vt eos cū magna gratulatione miremur. Qui tamen
nescio qua vi cōsuetudinis nullo modo mutari in melius cogitarēt, nisi hoc terrore
perculsi, sollicitā mentem ad considerationē veritatis intenderēt, ne forte non pro
iustitia, sed pro peruersitate & præsumptione hominū ipsas tēporales molestias, in-
fructuosa & vana tolerātia paterentur, & apud deū postea non inuenirēt nisi debi-
tas pœnas impiorū, qui eius tam lenem admonitionem, & paterna flagella cōtem-
pserint. Et paulo post vrget acrius disputādo, Istos (inquit) atroces quondā inimicos
nostros pacem & quietē nostram varijs violentiarum & insidiarum generibus gra-
uiter infestantes, si sic contemneremus & toleraremus vt nihil omnino quo ad eos
terrendos ac corrigēdos valere posset, excogitaretur & ageretur à nobis, vere ma-
lum pro malo redderemus. Si enim quisquam inimicum suum periculosis febribus
phreneticum factū, currere videret in præceps, nōne tunc potius malū pro malo
redderet, si eum sic currere permitteret, q̄ si corripiendū ligandūq; curaret? & ta-
men tunc ei molestissimus & aduersissimus videretur, quādo vtilissimus & miseri-
cordissimus extitisset. sed planè salute reparata tāto vberius ei gratias ageret, quā-
to sibi eū minus pepercisse sensisset. O si possem tibi ostēdere ex ipsis circuncellio-
nibus, quā multos iam catholicos manifestos habeamus, damnantes suam pristi-
nam vitā, & miserabilem errorē, quo se arbitrabantur pro Ecclesia dei facere quic-
quid inquieta temeritate faciebant, qui tamen ad hanc sanitatem non perduceren-
tur, nisi legū istarum quæ tibi displicēt, vinculis tanquā phrenetici ligarentur. Quid
illud alterū genus morbi grauissimi eorum qui turbulentā quidem audaciā non ha-
bebant, sed quadā vetusta socordia premebātur, dicentes nobis: Verū quidem dicitis,
non est quod respōdeatur, sed durū est nobis traditionem parētum relinquere,
nōne salubriter regula temporalium molestiarum excutiendi erant, vt tanquam
de somno lethargico emergerent, & in salutem vnitatis euigilarent? Quam multū
ex ipsis nunc nobiscum gaudentes pristinum pōdus perniciosi sui operis accusant,
& fatentur nos sibi molestos esse debuisse, ne tanquam mortifero somno ita mor-
bo veterinosæ consuetudinis interirent. At enim quibusdam ista non profunt, nun-
quid ideo negligenda est medicina, quia nonnullorum insanabilis est pestilentia?

Tu non attēdis nisi eos qui ita duri sunt, vt nec istam recipiant disciplinā. De tali-
bus enim scriptum est, Frustra flagellauit filios vestros, disciplinā non receperūt. Pu-
to tamen quia dilectione, nō odio flagellati sunt. Sed debes etiā tam multos atten-
dere, de quorum salute gaudemus. Si enim terrentur & non docerētur, improba
quasi dominatio videretur: sed rursus si docerētur & non terrentur, vetustate con-
suetudinis obdurati, ad capeffendā viam salutis pigrius mouerētur. Quandoquidē
multi (quos bene nouimus) reddita sibi ratione, & manifestata ex diuinis testimō-
nijs veritate, respōdebant nobis, cupere se in Ecclesiæ catholicæ cōmunionem trās-
ire, sed & violentas perditorū hominum inimicitias formidare, quas quidem pro iu-
stitia & pro æterna vita vtiq; contēnere debuerunt: sed talium infirmitas donec fir-
mi efficiantur sustinēda est, non desperanda. Nec obliuiscendū quod ipse dominus
adhuc infirmo Petro ait, Non potes me modo sequi, sequeris autē postea. Cū vero
terrori vtili doctrina salutaris adiungitur, vt non solū tenebras erroris lux verita-
tis expellat, verū etiam malæ consuetudinis vincula vis timoris abrumpat, de mul-
torum (sicut dixi) salute lætamur benedicētium nobiscū & gratias agentium deo,
quod sua pollicitatione cōpleta, qua reges terræ Christo seruituros esse promisit, sic
curauit morbos, sic sanauit infirmos. Non omnis qui parcat, amicus est: nec om-
nis qui verberat, inimicus. Meliora sunt vulnera amici, q̄ voluntaria oscula inimi-
ci. Melius est cum feueritate diligere, q̄ cum lenitate decipere. Et qui phreneticum
ligat, & qui lethargicum excitat, ambobus molestus, ambos amat. Quis nos potest
amplius amare q̄ deus? Et tamē nos non solum docere suauiter, verū etiam salubri-
ter terrore non cessat. Formētis lenibus quibus cōsolatur, sæpe etiā mordacissimum
medicamentū tribulationis adiungens, exercet fame patriarchas, etiam pios & reli-
giosos, populū contumacem pœnis grauioribus agit. Non aufert ab Apostolo sti-
mulum carnis, tertio rogatus, vt virtutē in infirmitate perficiat. Deinde reprehēdit
Vincentium q̄ dixerit, neminē debere cogi ad iustitiam: & ad oppugnandū hunc er-
rorē, adduximus rationes Augustini lib. 1. nostræ Theosophiæ, cap. 12. Et ne quis ob-
murmuret aduersus principes cum ecclesiasticos, tum seculares, qui non solū hære-
ticijs verum etiam omnibus improbe viuētibus infligūt pœnas, dicit: Quicquid ergo
facit vera & legitima mater, etiā si asperum amarūq; sentiat, non malū pro ma-
lo reddit, sed bonū disciplinæ, expellendo malū iniquitatis apponit, non odio nocen-
di, sed dilectione sanandi. Cum boni & mali eadē faciunt, eadēq; patiūtur, non fa-
ctis & pœnis, sed causis vtiq; discernēdi sunt. Pharao populū dei duris laboribus at-
terebat, Moysē eundē populum impie agentē duris coercionibus affligebat, similia
fecerūt, sed non similiter prodesse voluerūt. Ille dominatione inflatus, iste zelo in-
flāmat. Iezabel occidit prophetas, Helias occidit pseudopphetas. Puto q̄ di-
uersa sunt merita facientū, & diuersa passorū. Probat & exēplo Pauli pœnas iustissi-
me perditissimis hominibus irrogandas esse. Tradidit enim Paulus Corinthium ho-
minem in interitum carnis, vt spiritus eius saluus fieret in die domini nostri Iesu
Christi. Deuouit & Hymenæū & Alexandrū satanæ, vt discerēt non blasphemare,
nec tamen malum pro malo reddidit, sed potius malos per malum emendare, bo-
num opus esse indicauit. quod si semper esset laudabile persecutionē pati, sufficeret
domino dicere, Beati qui persecutionem patiuntur, nec adderet propter iustitiam.
Item, si semper esset culpabile persecutionem facere, non scriptum esset in sanctis
libris, Detrahentem proximo suo occulte, hunc persequerebar. Aliquando ergo &
qui eam patitur, iniustus est: & qui eam facit, iustus est. Sed planè semper & mali
persecuti sunt bonos, & boni persecuti sunt malos. Illi nocendo per iniustitiam, illi
consulendo per disciplinam: illi immaniter, illi temperanter: illi seruientes cupidita-
ti, illi charitati. Nam qui trucidat, non considerat quemadmodum laniet: qui
autem curat, considerat quemadmodum fecerit. Ille enim persequitur sanitatem,
ille putredinem. Mouet subinde argumentum aduersariorum: Non inuenitur
exemplum in euangelicis & apostolicis literis, aliquid petium a regibus terræ, pro
HH. iij.

Hier. 2.

Ioan. 13.

Proverb. 27.

1. Corin. 12.

Exo. 12. 21 & 22.

3. Reg. 18.

1. Corin. 5.

1. Timot. 1.

Matth. 5.

2. Sa. 100.

Pfal. 2. Ecclesia & cōtra inimicos Ecclesiae. Verū huic respondet obiectioni, dicēs: Quis negat non inueniri? Sed nondū implebatur illa prophetia, Et nūc reges intelligite, & erudimini qui iudicatis terram. Seruite domino in timore. Adhuc enim illud implebatur quod in eodem Psalmo paulo superius dicitur: Quare fremuerūt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terrae, & principes conuenerunt in vnum, aduersus dominum, & aduersus Christum eius. Veruntamen si facta praeterita in prophetis libris, figurā fuerūt futurorum, in rege illo qui appellabatur Nabuchodonosor, vtrunque tempus figuratū est, & quod sub apostolis habuit, & quod nunc habet Ecclesia. Temporibus itaque apostolorum & martyrum illud implebatur quod figuratum est quando rex memoratus pius & iustus coegebat adorare simul lacra, & recusantes in flammis mittebat. Nunc autem illud impletur quod paulo post in eodem rege figuratum est, cum conuersus ad honorandum deum verum, decreuit in regno suo, vt quicumque blasphemaret deum Sidrac, Misac, & Abdenago, poenis debitis subiaceret. Prius ergo tēpus illius regis, significabat priora tempora regum infidelium, quos passi sunt Christiani pro impijs. Posterius vero tempus illius regis significauit tempora posteriorum regum iam fidelium, quos patiūtur impij pro Christianis. Sed planē in eis qui sub nomine Christi errant, seducti à peruersis, ne forte oues Christi sint errantes, & ad gregem aliter reuocandae sint, temperata seueritas, & magis mansuetudo seruatur, vt coercione exiliorum, atq; damnorū tribulatione, admoncantur cōsiderare quid & quare patiantur, & discant praepone re rumoribus & calumnijs hominum scripturas quas legunt. Inspiciamus diligenter quae hic dicit Augustinus de poenis quibus plectendi sunt nocentissimi reipublicae perturbatores. Nabuchodonosor ad deum viuentem cōuersus sanxit, vt quicumque deum Sidrac, &c. blasphemaret, poenam suo crimini debitam lueret. Sed cum haeretici irrogent deo blasphemiam, sacras pro animi sententia deprauantes scripturas, & Ecclesiam conuitijs & contumelijs infectentur ac dilacerent, quis non animaduertat eos esse grauissimo supplicio, etiam vltimicibus flāmis discrucianos? Etenim aequissimum est cognita haeticorū pernitie, & perniciosissima peste, qua Christianos inficiunt & infestāt, vt illis vmbri & figuris veritas succedat. Subnectit & Augustinus quae calumniatorum ora obturant. Quis enim nostrum, quis vestrum nō laudat leges ab imperatoribus datas aduersus sacrificia Paganorum? Et certe ibi longe poena seuerior constituta est. Illius quippe impietatis capitale supplicium est, de vobis autem corripendis atq; coercendis, habita ratio est, qua potius admoneremini ab errore discedere, q̄ pro scelere puniremini. Ibidem dicit sibi per placere institutum terrenarum potestatum contra schismaticos & haeticos, qui nō mediocri poena digni sunt, q̄ contra ipsam veritatē pertinaciter dimicēt. Nec doctorem illū summi nominis, summāq; eruditionis puduit retractare quod aliquando non satis prudenter de haeticorū animaduersione censuerat. Sic enim scribit in eadē epistola, Mea primitus sententia erat neminē ad vnitatē Christi esse cogendū, verbo esse agendum, disputatione pugnandū, ratione vincēdum, ne fictos catholicos haberemus, quos apertos haeticos noueramus. Sed haec opinio mea, non contradicētium verbis, sed demonstrantiū superabatur exēplis: nam primo mihi opponebatur ciuitas mea, quae cum tota esset in parte Donati, ad vnitatē Catholicam timore legum imperialium conuersa est, quam nunc videmus ita huius vestrā animositatis perniciem detestari, vt in ea nunquā fuisse credatur. Ita aliae multae, quae mihi nominatim commemorabantur, vt ipsis rebus agnoscerem etiam in hac causa recte intelligi posse quod scriptum est, Da sapienti occasionem, & sapientior erit. Et paulo post quam maximas deo agit gratias quod eum docuerit hanc veritatem, vt planē intelligeret principes dei ministros, non sine causa portare gladium, aduersus reipublicae hostes & Christianae vnitatis euersores sceleratissimos. His omnibus (inquit) harum legum terror, quibus promulgandis reges seruiunt domino in timore, ita profuit, vt nunc alij dicant, iam hoc volebamus. Sed deo gratias qui nobis oc-

casione praebeat, iamque faciendi & dilationum morulas, amputauit, alij dicant, Hoc esse verum iam sciebamus, sed nescio qua consuetudine tenebamur gratias domino qui vincula nostra ditripuit, & nos ad pacis vinculum transtulit. Alij dicant, Nesciebamus hic esse veritatem, nec eam discere volebamus, sed nos ad eam cognoscendam metus fecit attentos, quo timuimus ne forte sine vllis rerum aeternarum lucris, damno rerum temporalium feriremur. Gratias domino qui negligentiam nostram stimulo terroris excussit, vt saltem solliciti quaeremus quod securi nunquā nosse curauimus. Alij dicāt, Nos falsis rumoribus terrebamur intrare quos falsos esse nesciremus, nisi intraremus: nec intraremus, nisi cogere mur. Gratias domino qui trepidationem nostrā flagello abstulit, expertos docuit quā vana & inania de Ecclesia sua mendax fama iactauerit. Hinc iā credimus & illa falsa esse, quae auctores huius haeresis criminati sunt, quādo posterum eorum tam falsa & peiora finxerunt. Alij dicant, Putabamus quidē nihil interesse vbi fidem Christi teneremus, sed gratias domino qui nos à diuisione collegit, & hoc vni deo congruere, vt in vnitrate colatur, ostēdit. His ergo dominicis lucris impediēdis, ad contradicendū me opponere collegis meis, ne in montibus & collibus vestris, id est in tumoribus superbiae vestrā Christi oues errantes in pacis ouile colligeretur, vbi est vnus grex, & vnus pastor. Ita sanē huic prouisioni contradicere debui, ne res quas dicitis vestras, perderetis, & securi Christum prosciberetis. ¶ At dicit quispiam, Fateor Augustinum censuisse haeticos debere castigari etiam à potestate seculari, non tamen voluit, ne quāquam censuit vt enecarentur. Nam epistola Donato proconsuli Africāe, differens de haeticorū correctione dicit: Vnde ex occasione terribilium iudicium ac legum, ne aeterni iudicij poenas incidant, corrigi eos cupimus, non necari, nec disciplinam circa eos negligi volumus, nec supplicij quibus digni sunt exerceri. Sic igitur eorum peccata comescere, vt sint quos poeniteat peccasse. Quasi sumus igitur vt cum Ecclesia causas audis, quamlibet nepharijs iniurijs appetitam vel afflictam esse cognoueris, potestatem occidēdi te habere obliuiscaris, & petitionem nostram non obliuiscaris. Nō tibi vile sit neque contemptibile fili honorabiliter dilectissime, quod vos rogamus ne occidantur, pro quibus dominum rogamus, vt corrigantur, excepto etiam quod à perpetuo proposito recedere non debemus vincendi in bono malum. Illud quoque prudentia tua cogitet, quod causas Ecclesiasticas insinuare vobis nemo praeter ecclesiasticos curat. Proinde si occidendos in his sceleribus homines putaueritis, deterrebis nos ne per operam nostram, ad vestrum iudicium aliquid tale perueniat, quo comperto illi in nostram perniciem licentiore audacia grassabuntur, necessitate nobis impacta, indicta, vt etiā occidi ab eis eligamus, quā eos occidendos vestrīs iudicij ingeramus. Haec ille. Magna profecto haec est constantia & admiranda huius inuicti animi magnitudo, vt malit Augustinus ab haeticis occidi, quā quod eos iudicibus occidēdos ingereret. Nec desijt interpellare iudicem ne interficerentur, & non mediocri damnū adduxit ac patefecit, si occiderentur. Sed sana haec Augustini doctrina intelligenda est de illis qui suis falsis dogmatibus nondum pertinaciam adiecerunt, nec oues Christi infecerunt, sed aut subornati, & a pestilentissimis haeticis seducti, in haesim lapsi sunt, aut diu versati in sacris disciplinis, arbitrantur se à sana & germana bibliorum intelligentia nunquam deflexisse, aut si deflexerint, nondū fuerunt ab Ecclesia reprehensi. Si tamen bis fuerint correcti, nec à cōtumaci pertinacia diuelli velint, sunt sanē deuitandi & absq; insigni Ecclesiae offēdiculo cōcremandi. Dicit enim Paulus ad Titū, Haetici cū hominem post primā & secundam correptionē deuita, sciens quia iam subuersus est, hoc est pertinacia laqueis irretitur, & incurabili penē morbo laborat. de quo & similibus dicit Hieronymus & habetur 24. quaestione 3. capite Refecandae. Refecandae sunt putridae carnes, & scabiosa ouis à caulis repellenda, ne tota domus massa corpus & pecora ardeat, corrumpatur, putrescat, intereat. ¶ Secundam assertionis partē iam à nobis quodammodo probatam, primo aliquot rationibus nequaquam

Ioan. 10.

Rom. 12.

Tit. 3.

Hieronymus
24. quaest. 3.

pœnitendis suadebimus. Multo grauius est subuerrere fidem, & Christianismum pe-
 stiferis dogmatibus labefactare, quàm falsare pecuniã, siue adulterare. sed qui sub-
 dolo astu & quæstus gratia adulterinis vtuntur nûmis, & pecuniam ipsam falsant,
 iuste plectuntur morte, secundû recta legum sancita: ergo hæretici pertinaci errore
 inuoluti, sacrã scripturam ad falsum & alienû sensum detorquentes, debent secun-
 dum humanas legû constitutiones plecti morte etiam atrocissima, vbi cõuicti fue-
 rint. nec satis est cû peruenerint ad messẽm vt ecclesiastico mucrone feriãtur, sed
 maxime conueniens est, vt per potestatem secularem in vulcanû & ignes viuã dei-
 jiciantur. timendum enim esset, ne si superuiderent, plerisque à recta euangeli-
 cã veritatẽ semita abducerent in varia errorum præcipitia, & grauem reipublicã
 christianã plagam adferrent. Tum etiam lege ciuili, iuste occiduntur grassatores,
 piratã, prædones, sicarij, & homicidã, quos princeps secularis dei minister, qui non
 sine causa gestat gladium in vindictã malefactorum, iubet affigi cruce, sed hære-
 tici plus detrimenti adferunt reipublicã, quàm grassatores, & homicidã. Igitur si il-
 li pro suis flagitijs iuste occiduntur, multo magis & hæretici debent occidi, nec so-
 lum crucis pœna digni sunt, sed longe maiori, scilicet ignis cruciãtu. Grauiora qui-
 dem scelera, grauiorem promerentur pœnam. Adde quòd lex euãgelica legi natu-
 rã nõ aduersatur, nec eam subuertit: sed vult lex naturã & iubet vt à corpore hu-
 mano abscindatur membrum putridum, ne illius contagione sana corporis mem-
 bra inficiantur. Ergo secundû legem euangelicã in reipublica christiana extirpan-
 dus est & euellendus feueritate iudicij secularis pertinax hæreticus, ne pestifera eius
 doctrina contaminentur alij Christiani. Nec addubito quin olim principes catho-
 lici, sua autoritate à viris optimis approbata, & iusta feueritate persecuti sint ob-
 stinatos hæreticos, & debita mulctauerint pœna. Enimvero Constantinus magnus
 imperator, Arrium & eius sectatores damnauit exilio, quia noluit subscribere de-
 creto concilij Niceni. Theodosius etiam imperator, hæreticos Manichæos puniuit
 spoliatione omnium bonorum, eosque omni possessione & hæreditaria successione
 priuauit. Idem quoque decreuit cum Valentiniano ne Manichæi in Roma conue-
 niendi & habitandi haberent facultatem, deniq; eosdem vltimo supplicio traden-
 dos, libros itidem hæreticorû diligẽti studio perquiri, ac publicè comburi constituit.
 Demum Valentinianus & Martianus imperatores consimilia in hæreticos statue-
 runt. Insuper afferere hæreticos non esse potestati seculari tradendos, vt seuerè pu-
 niantur, error est Catharorum, Valdensium, & Hegardorum, dãnatus in sacro Con-
 stantienfi concilio, sessione decimaquinta, inter triginta articulos Ioannis Hus, er-
 roneos, inibi in propria expressos forma & cõdemnatos, quorum vnus præsentem
 concernens materiã est huiusmodi, Doctores ponentes quòd aliquis per censuram
 Ecclesiasticã emendandus, si corrigi noluerit, iudicio seculari est tradendus, pro
 certo sequuntur in hoc, Pontifices, Scribas, & Phariseos qui Christum nolẽtem eis
 obedire in omnibus, dicẽtes: Nobis non licet interficere quenquã, demum seculari
 iudicio tradiderunt: eo quòd tales sunt homicidã grauiores quàm Pilatus. Hęc ibi.
 Cum itaque hic articulus publica illius generalis concilij autoritate sit reprobatus
 & cõdemnatus, quis non videbit illos qui hoc sanctum violãt edictum, eique tota
 vi ingenij reclamant, hac aut consimili censura damnandos esse? illum me hercle
 impudentissimum & arrogantissimum viri optimi & doctissimi existimant esse,
 qui suã peculiari hæresi adhãrendo, ecclesiasticas sanctiones & deridet & omnino
 contemnit. ¶ Sed qui nobis aduersantur, & non tam nobis quàm veritati, molium
 tur ex parabola zizaniorum subuerrere, quã pro tuendo veritatis propugnaculo
 extruximus. Vtuit paterfamilias qui seminauerat bonû semen in agro suo, ne eius
 famuli euellerent zizania repente suborta, ne forte colligẽdo zizania, eradicarent
 simul cum eis & triticum: sed voluit vt sinerẽt vtraque crescere vsque ad messẽm,
 & in tempore messis, suis diceret messoribus: Colligite primum zizania, & alligate
 ea in fasciculos ad comburendum: triticum autem congregate in horreum meum.

Roma, 13.

Cõstantinus.

Theodosius

Valentinianus

Martianus.

Cõcilij Con-
stantienfis
decretum.

Ioan. 18.

Matth. 13.

Vult igitur Christus iuxta Tropologiam, vt Ecclesia Christianorum omnium alu-
 na, toleret hereticos zizanijs adumbratos, donec peruenerint ad messẽm, hoc est
 donec omnimode fuerint obstinati & consummati in sua hæresi, aut vt quidã vo-
 lunt donec venerit cõsummatio seculi. Chrysofomus homilia 47. in Matthæum, Chrysofo.
 hanc edisserens parabolam dicit: Nam si trucidarentur hæretici, absque foedere pa-
 cis atque iudicij, bellum orbi inferretur. Duabus igitur rationibus prohibuit. Alte-
 ra, quia frumentis parum nocerent: altera, quia nisi sanarentur, extrema supplicia
 non euaderent. Quare si & puniri eos vultis, & frumentis nequaquam officere, op-
 portunitas temporis congrua expectanda vobis est. Quid autem est quòd eradicabi-
 bus simul cum ipsis etiam frumẽta? Certe aut quia si arma capieris, inquit, neces-
 se est, cum hæreticos trucidatis, multos sanctorum simul interimere, aut quia ab ip-
 sis zizanijs multa commutata, in frumenti conditionem seipsã conuerterent. Si er-
 go præueniẽtes euelletis, ea frumenta deperibunt, quã à commutatis zizanijs pro-
 uenirent. Nõ prohibet autem conciliabula hæreticorum dissipare, ora obstruere, li-
 bertatem loquendi concidere, verum interficere ac trucidare. Hęc Chrysofomus:
 cui Hieronymus subscribere videtur, vim & explicationem eiusdem parabola at-
 tingens, & potissimû illam Christi sententiam, Ne forte colligẽtes zizania, eradice-
 tis simul & triticû, vbi dicit: Datur locus pœnitentiã, & monemur, ne cito ampute-
 mus fratrem, quia fieri potest vt ille qui hodie noxiõ deprauiatus est dogmate, cras re-
 sipiscat, & defendere incipiat veritatem. illud quoque quòd sequitur, Sinite vtraq;
 crescere vsque ad messẽm, videtur illi præcepto esse contrarium, Auferte malum
 de medio vestrum, & nequaquam societatem habendam cum his qui fratres nomi-
 nantur, & sunt aduleri & fornicatores. Si enim prohibetur eradicatio, & vsque ad
 messẽm tenenda est patientia, quomodo eijciendi sunt quidam de medio nostrum?
 Præmonet ergo dominus, ne vbi quid ambiguum est, cito sententiã proferamus,
 sed deo iudicij terminum reseruemus, vt cum dies iudicij venerit, ille nõ suspicio-
 nem criminis, sed manifestum reatum de sanctorum cõtu eijciat. Quòd autem di-
 xit zizaniorum fasciculos ignibus tradi, & triticum congregari in horrea, manife-
 stum est hæreticos quosque & hypocritas fidei, gehennã ignibus cõcremandos: san-
 ctos verò, qui appellantur triticû, horreis, id est mansionibus celestibus suscipi. sed
 illa gehenna de qua loquitur, est perpetuum tormentum, & illius ignis extingui non
 poterit. ¶ Tamen Chrysofomus & Hieronymus non minus scite quàm polite il-
 lam edisseruerint parabolã, & quid nã sub illius inuolueris & velamento lateret,
 abunde aperuerint & aperte detexerint, nihil tamen, si recte intelligantur, dixerunt,
 quòd nobis aduersetur, & hæreticis faueat. quòd si hac interpretatione læsissent Ec-
 clesiam, & quodpiam illi offendiculum attulissent, non essent recipiendi. Non enim
 subito euellendi sunt hæretici, & ignibus deuouendi, & præsertim cum nihil aut pa-
 rum nocenti Christianã reipublicã attulerunt, vt prudẽter dicit Chrysofomus:
 & cum non obfuerint hæc zizania frumento, quòd si confestim & importune era-
 dicarentur, timendum esset ne simul & triticum eradicaretur, & maximum in Ec-
 clesia enasceretur scandalum. Sed vbi non euelleretur triticum vnã cum lolijs, nec
 sancti viri ruinam perferrent, nec detrimẽtum Christianã reipublicã contingeret,
 aut si quòd contingeret, maius tamen eueniret commodum quàm dispendium ex
 diuisione hæreticorum ab ouili Christi, & eorundem exustione, non video quin
 maxime expediat, vt prædicantur à sano Ecclesiã corpore, & vlticibus flammis ad
 aliorum commodum & terrorem discrucientur, & hoc subindicat energia parabola
 cõcludentis adustionem zizaniorum cum peruenerint ad messẽm, & hæreticorum
 errori cõiuicta fuerit pertinacia, qua & seipsos & quãmplurimos seduxerunt. Per-
 placet & nobis quòd dixit Hieronymus: Monemur hac parabola ne cito amputemus
 fratrem, quia fieri potest, vt qui hodie infectus est hæresi, cras resipiscat, & qui dixit
 ne cito amputemus fratrem, non negat quin amputari possit vbi permanet in suo er-
 rore, nec vult resipiscere. Quãobrem nõ possum approbare quòd scripsit Erasmus

Chrysofo.

Hieronymus

1. Corin. 5.

Erasmus.

in Paraphrasi 13. capitis Matthæi, hanc edifferendo parabolâ, vbi ita scribit: Serui qui volunt ante tēpus colligere zizania, sunt ij qui pseudopostolos & hæresiarchas gladijs ac mortibus existimât e medio tollendos, quū paterfamilias nolit eos extinguere, sed tolerari, si forte resipiscant, & e zizanij vertantur in triticum. quod si non resipiscant, seruentur suo iudici, cui pœnas dabunt aliquando. Hæc ille. Demiror hominem crudicum, & in sacris literis versatum, quem non latuerat Ecclesiâ approbasse legem æquissimam ab imperatoribus cōtra hæreticos latam, Euangelicis scripturis duos errores inseruisse, & zizanij accumulasse zizania. Absurdum est quod dicit patremfamilias nolle hæresiarchas extingui si resipiscant, vbi potissimum ante resipiscantiam oues Christi suo veneno infecerunt, etiam explorata sibi Ecclesiæ aduersus illam hæresim censura, & non mediocre damnum Christianâ reipublicâ intulerūt, quod verisimile est de hæresiarchis, id est hæreticorum principibus. quod si in vniuersum intellexerit (quod existimo eū intellexisse) omnes hæreticos si resipiscant non debere extingui, nec interfici, oporteret dicere iudices illos fuisse iniquissimos & inhumanissimos, qui plerosq; hæreticos post resipiscantiam morti adiudicarunt. Absurdus est quod dicit, quod si non resipiscant, seruētur suo iudici, scilicet deo. quod si hanc deberemus amplexari sententiam & imitari, subinde dicendum esset Ecclesiâ errare, quæ plaudit humanis legibus decernentibus, vt hæretici & ij præsertim qui non resipiscunt, flammis adurantur, nec potest Erasmus sibi ex scripturis Hieronymi prætexere excusationem, & in tantum virum suam culpam rejicere. Non enim dixit Hieronymus, vt compertū est eius doctrinam dispicienti, si hæretici non resipiscant, seruentur suo iudici, cui pœnas dabunt aliquando, sed solum innuit dominum præmonere, ne vbi quid ambiguum est, cito sententiam proferamus, sed deo iudici terminū referuamus. quod si principes Ecclesiastici non hæsitent Socratem hæreticum plerosque seduxisse, & in sua hæresi omnibus manifestissima persistisse, cur huiusmodi hominem verius pestem, nō poterunt iuste seculari iudicio tradere, vt vnâ cum sua pestilētissima contagione extinguat & incendio pereat? Sed plus satis de huius erroris oppugnatione. Mos olim inualuerat, & potissimum apud ecclesiasticos iudices, vt hæretici perpetuis carceribus includerentur, ibique vitam exhalarent. Dicit enim Gregorius libro 5. Decretalium, titulo 8. de Schismaticis: Si in hæresi deprehensi nolunt redire ad fidem, detrudendi sunt in perpetuos carceres, ad penitentiam peragendam. sed quia imminabat ijs qui illos custodiebāt, aut visitabant, periculum & fidei subuersio, & poena illa æquo mitior erat, longe grauior prudenter excogitata est, vt ostenditur libro quinto, sexti Decretalium de Hæreticis, capite quarto, in cuius scriptum est rubrica, Relapsi in hæresim sunt tradendi curiæ seculari, licet eos poeniteat, & ad fidem redeant. Et in capite Dicitur, qui abiurarunt hæresim, si deprehensi fuerint in abiuratum hæresim recidisse, seculari decernuntur iudicio, sine vlla penitus audientia.

Gregorius.

C A P V T X.



Hæresis sine errore intellectus esse non potest.] Hanc suadeo Assertione: Hæresis, est falsum & peruersum dogma orthodoxæ fidei repugnās: falsum autem & peruersum dogma orthodoxæ fidei repugnās non potest esse sine errore intellectus, igitur hæresis non potest esse sine errore intellectus. nec obscurum est assumptionem probare: Cum quispiam false & peruerse iudicat Christum non fuisse verum hominem, aut non fuisse conceptum in pudicissimo virginis Mariæ vtero, maxime delirat & insigniter errat, sacris literis repugnando. Nam de Christo dicit Ioannes, Et verbum caro factum est, id est, filius dei qui dicitur Christus, factus est verus homo, & sibi naturam humanā hypostatice vniuit. Dicit & de eodem Paulus, Qui factus est ex semine Dauid secundum carnem, quod prius expresserat Matthæus dicens, Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham. Et quod conceptus fuerit ex virgine, prædixerat Esaias, quod euenit vt prædixerat. Ecce (inquit) virgo concipiet, & pariet filiū, & vo-

Ioan. 1.

Roma. 1.

Matth. 1.

Esa. 7.

cabitur nomen eius Emmanuel, quod interprete Matthæo, dicitur nobiscum deus. Dicit & idem Euāgelista differens de hac excellentissima conceptione & etiam naïtate, Cum esset desponsata mater Iesu Maria, Ioseph, antequam conuenirent inuenta est in vtero habens de spiritu sancto. locus ille planè indicat Mariam etiā virginem, Christum comcepisse, quod etiam Lucas declarauit, referens quæ nam angelus dixerit virgini Mariæ, Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud deū. Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. & cum Maria diceret angelo, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? sublimem modum huiusce conceptionis ei aperuit angelus dicens, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te sanctū, vocabitur filius dei. Illius igitur hæretici intellectus manifeste errat, & errando sacris literis aduersatur, qui negat Christum fuisse verum hominem, nec fuisse conceptum in pudicissimo virginis Mariæ vtero. Vis hæreseos (vt perspicis) innuitur peruerso dogmati eius qui in sacrarum literarum interpretatione aberrat, & aberrando orthodoxæ fidei repugnat. Nec quis idcirco censetur hæreticus, quod furetur aut fornicetur, sed quod errat intellectu, credendo & asserendo furtum non esse vitium, neque fornicationē. nec etiam quis propterea censetur hæreticus, quod cōmuret temporale in spirituale, sed quia cū pertinacia credit spiritualia esse venalia. Gregorius Nazianzenus vt commemorat Gratianus 1. quæstione 1. capite, Qui studet, dixit Simoniacam esse hæresim, spiritus sancti donum pretio comparari, sed non est propria hæresis, sed Simonia illa potest quodā modo munire viam ad hæresim. qui enim commutat ex assuetudine temporale in spirituale, potest tādē erronee credere spiritualia esse venalia, & cū pertinacia labi in hæresim. Simonia tamen simpliciter & absolute non est hæresis, cū in se non includat vt quis discredat cum pertinacia articulis fidei, vel his quæ ex illis deducuntur. Nec temere illū debemus censere hæreticum esse, qui pronuntiat & etiam asserit hæresim. non enim satis est vt quis ea dura & acerba nota vapulet, cum huiusmodi errorem & peruersam sententiam pronuntiat. Etenim forsitan eum latet, si nam Ecclesia determinauerit illam sententiam esse hæreticam, aut si determinauerit, paratus est Ecclesiæ recta monēti obsequi, vbi nec scandalum adhuc pepererit, nec quosdam seduxerit. non enim deuitari debet, & talis vocari, nisi post primam & secundam correptionem, si Paulo dignum sit (quod nemo addubitat) credere. Tria adnotant diligenter & obseruant doctissimi sacra scripturæ interpretes, vt quis iudicetur hæreticus. Primū, vt fidem catholicā semel in baptismo susceperit. Nam qui nunquam Christo fuit sacro baptismi fonte dedicatus, non censetur hæreticus, sed infidelis aut paganus, aut Iudæus, aut Sarracenus. quare Auicenna & Auerrois non sunt hæreticorum catalogo inscribēdi, licet amplexi sint sectam Mahumeticam, & fidei Christianæ sint aduersari. Secundum, post fidei sacramētum, requiritur error in fide, qui inuoluit hæresim. hinc colligimus schismaticum non proprie censendum esse hæreticum, nisi hæresim constringat, propter quam ab vnitæte Ecclesiæ diuidatur. Sed quia Hieronymo teste in 3. caput Epistolæ Pauli ad Titum, ad locum illum, Hæreticum hominem post vnam & alteram correptionem deuita: nullum est schisma quod non sibi aliquam hæresim constringat, vt recte videatur ab Ecclesia recessisse. hinc est, quod schismaticus appellari solet hæreticus, non quod ipsum schisma sit hæresis, sed quia disponit ad hæresim. Ibidē Hieronymus ponit discrimen inter hæresim & schisma. Hæresis, peruersum dogma habet, Schisma propter Episcopalem dissensionem ab Ecclesia separatur. Ostendit & Augustinus libro 2. contra Cresconium Grammaticum, capite 3. dissidium inter schisma & hæresim. Hæresis est diuersa sequentiū secta, Schisma vero eadem sequentium separatio. Et capite 7. dicit, Proinde quamuis inter schisma & hæresim magis eam distinctionem approbem, qua dicitur schisma esse recens congregationis ex aliqua sententiarum diuersitate dissensio: neq; enim scissio vel schisma fieri potest, nisi diuersum aliquid sequantur qui faciunt: hæresis

Mat. 1.

Lucæ 1.

Gregorius Nazianzenus Gratianus.

Hieronymus

Augustinus.

autem schisma inueteratum. Hæc ille. Nunc videamus quod nam vnitatis genus sectentur Hæretici & Schismatici, & an vna & eadem vnitatis formula in illis reperiatur. Hoc manifestabit vnionis siue vnitatis diductio. Altera est vnio per charitatem, qua tanquam quibusdam iuncturis membra suo capiti scilicet Christo connectuntur. De hoc vnionis nexu, loquitur Paulus ad Romanos dicens: Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra, habentes donationes secundum gratiam quæ data est nobis differentes, siue prophetiam secundum rationem fidei, siue ministerium in ministrando, siue qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate. Dilectio sine simulatione, odiætes malum adhaerentes bono, charitatem fraternitatis inuicem diligentes, honore inuicem præuenientes, sollicitudine non pigri, spiritu feruentes, domino seruientes, spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes, necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes. Et aliubi dicit Paulus, Honestam autem nostram nullius egent, sed deus temperavit corpus, ei cui deerat abundantior tribuendo honorem, ut non sit schisma in corpore, sed in idipsum pro inuicem sollicita sint membra. Et si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: siue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra. Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro. Et quosdam quidem posuit deus in Ecclesia. Primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Et rursum precatur Paulus, ut arctissimum charitatis & mutuae amicitiae vinculum, quo deo felicissime coniungimur, obseruemus: Obsecro itaque vos ego vinculus in domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia, supportantes inuicem in charitate, solliciti seruare vnitatem spiritus, in vinculo pacis, vnum corpus & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestrae, schisma (quod Latine dicitur, scissura aut diuisio) huic vnioni opponitur, & schismatici inani iactantiae & arrogantiæ vento delusi, hoc insigni mutuae charitatis nexu non adherent Ecclesiae, sed ab ea diuelluntur. licet firmissime credant Ecclesiam esse omnium matrem, & eam fidem teneant quam & catholica Ecclesia tueretur. Et hac ratione à veris Christianis discernuntur, quod negent Romanum pontificem recte & ut decebat electum esse, eiusque sanctiones & decreta ridere & subannant, atque ideo nolunt ei morem gerere & obsequi, quod non putent eum esse verum pontificem. Et quauis credere teneamur etiam fide certissima, verum Petri successorem, esse supremum totius Ecclesiae pastorem, non tamen obstringimur eadem fide credere Clemetem, aut Paulum esse verum Petri successorem, quoniam non tenemur fide catholica credere, vtrumque istorum fuisse recte & canonicè electum. fieri enim potest ut hic aut ille Romanus pontifex (nec de cuiusquam persona disputamus) sit aut immodico fauore, aut astu, aut occulto Simoniae vitio delectus: optamus ut spiritus sanctus sua gratia præpediat, ne in electoribus Romani pontificis hæc regnent vitia, quo facilius corpus Christi seruetur integrum & illibatum. Alia est vnio Ecclesiae per fidem, qua fideles omnes sunt vnum ouile sub vno pastore collectum. De hac vnione loquitur Paulus dicens, In vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue gentiles, siue serui, siue liberi, & omnes in vno spiritu potati sumus. Et aliubi dicit, Vnum corpus & vnus spiritus, sicut vocati estis, in vna spe vocationis vestrae, vnus dominus, vna fides, vnum baptisma. Et hæc Christianorum est Ecclesia, quæ in Euangelio, comparatur sagenæ demissæ in mare, & ex omni piscium genere congreganti, hanc vnitatem non deseruerunt schismatici nec omnino hæretici. Tertium, ut quis hæreticus dici possit, opus est ut non omnibus fidei articulis renuntiet & aduersetur. Nam qui omnino fidem deserit, is non hæreticus, sed apostata dicitur, qualis fuit Iulianus imperator, qui cum Christianus

& Monachus prius fuisset, adeo fidei repugnauit, ut ad eandem deserendam alios impulerit, martyresque plures hac occasione effecerit. Sed pertinacia errori adiuncta, consummat hæreticum. Vnde Augustinus contra Manichæos: Qui in Ecclesia Christi morbidum aliquid, prauumque quid sapiunt, si correcti (ut sanum rectumque sapiant) resistunt contumaciter, suaque pestifera & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici sunt. Pertinacia tamen sublata, quantumlibet quis erret, non est dicendus hæreticus, quod ex eodem doctore colligere possumus, in Epistola ad Glorium & Eleusium, vbi ait: Qui sententiam suam quamuis falsam atque peruersam nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quæ non audacia suæ præsumptionis pepererint, sed à seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quarunt autem tanta sollicitudine veritatem, corrigi parati cum inuenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi. Verum ut rem apertius patefaciamus, & ut sciant imperiti quem vocamus pertinacem, non indignum videbitur adnotare: Illum dici pertinacem, qui adeo pertinaciter suæ adheret sententiæ, ut Ecclesiae quantumlibet monenti, paratus sit obsistere: quæ quidem pertinacia, etiã in his quæ ambigua sunt, & vbi adhuc Ecclesia nihil definiuit, tam peruersa est, ut ea sola sufficiat hominem hæreticum reddere. Si quis enim credat ignem inferni esse huic similem aut dissimilem, quem apud nos videmus, non censetur hæreticus, eo quod res adhuc est controuersa. Quod si alteram partem tali animo amplectatur ut paratus sit suam tueri partem, etiam vbi Ecclesia oppositam definiuit, hæreticus censendus est, non quia hæc vel illam sententiam tueretur, quæ forte vera est, sed propter pertinaciam adiunctam, & paratus est Ecclesiae aliud doceri resistere, quam credit posse errare, ut dicit Alphonsus à Castro vir doctissimus, libro primo aduersus hæreses, capite 9. Quod si is qui ita lapsus est in hæresim, aut quis alius, sciens repugnet & contradicat ijs quæ ab Ecclesia expressa sunt & definita, etiam si dicat se paratum ab Ecclesia aut à sacris concilijs corrigi, hæreticus censendus est. quoniam eo ipso quod Ecclesiae definitioni etiam cognitæ contradicit, pertinax est. Nam etsi dicat se paratum corrigi, non tamen forsitan ita est. Qui enim fit, ut quis sit paratus corrigi ab eo quem tunc manifeste oppugnat? Atque ideo Ecclesia non consuevit quæ semel definita sunt, in quæstionem vertere. quare qui audiuit Ecclesiam definiuisse talè Assertionem esse hæreticam, prompto animo & absque ampliori inquisitione obtemperare debet. quod si impudenter reclamet, hæreticus censetur. Vnde Gelasius papa, Maiores nostri diuina inspiratione cernentes, necessario præcauerunt, ut quod contra vnamquamque hæresim, coacta semel Synodus, pro fidei communionem & veritate catholicam & apostolicam promulgasset, non sineret nouis post hæc retractationibus mutilari, ne prauis occasio præberetur, quæ medicinaliter fuerunt statuta, pulsandi, sed auctore cuiuslibet infania ac pariter errore damnato sufficere iudicauerunt, ut quisquis aliquando huius erroris communicator existeret, principali sententia damnationis eius esset obstrictus. Sic Sabellium damnauit Synodus, nec fuit necesse ut eius sectatores postea damnarentur, sed pro tenore constitutionis antiquæ, qui vel prauitatis illius vel communionis extiterint participes, vniuersalis Ecclesia duxit esse refutandos. Sic Arrium, sic Eunomium, Macedonium, Nestorium. Synodus semel gesta condemnans, vltterius ad noua concilia venire non sinit. Eadè Felix & Leo Romani pontifices, suis statutis præscripserunt.

CAPVT XI.



Aeresum vna origo est, sacras literas in vulgarem linguam trãsserre. Hanc Assertionem hac ratione stabiliemus: Hæresis nũquam ex sacris literis, sed ex peruersa illarum intelligentia oritur, sed facile est vulgus imperitissimum & ad varia errorum præcipitia propensissimum, biblijs omnibus indiscriminatim in vulgarem linguam translatis, incidere in Hæresim, ergo qui sacras literas in vulgarem linguam tranfferunt, sunt ipsi hæresum fontes & seminaria, ex quibus multæ pestes enascuntur, & luët illi pœnas, quod

Augustinus.

Alphonsus à Castro.

periculosissimis eorum molitionibus, & inuentis, simplices & idiotæ lapsi sint in hæresim, & multæ perierint animæ. Maiorem nostræ ratiocinationis ex Hylario suadebimus, qui libro 2. de Trinitate dicit: Extiterunt enim plures qui cælestium verborum simplicitatem, pro voluntatis suæ sensu, non pro veritatis ipsius absolutione suscipere aliter interpretanda, quam dictorum virtus postularet. De intelligentia enim hæresis, non de scriptura est, & sensus non sermo fit crimen. Minorem probo, Vulgus indoctus non potest arcana sacrarum literarum mysteria intelligere, & consequi, nec pondera & maiestatem tantæ rei ferre. Tropos denique, Allegorias & abstrusissimos rerum diuinarum sensus, ob stupidam ingenij imbecillitatem rejicit, nec eo mentis acumine valet, vt Bibliorū locos qui manifeste inuicem pugnare videntur, cõponere possit. cum igitur sacræ lectionis sit imperitissimum, si sacræ musæ illi tractandæ præbeantur, ex peruersa & deprauata earū intelligentia facile in hæresim prolabetur. Quod si viri doctissimi qui longo studio & indefessis vigilijs in sacris literis versati, Bibliorū intelligentiam vix consequi possint, qui fieri poterit vt cerdones, fabri, sutores, agricolæ, pueri, vetulæ, & plebeij quique rudes & illiterati, qui nunquam etiam ab ipso limine sacras musas salutarunt, inscrutabilia & abscondita dei mysteria, ac sacratiores literas intelligent? Adde quod beatus Hylarius enarrans illū Psalmographi locū, In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccet tibi, ostendit sacra mysteria non omnibus esse diuulganda, Meminimus, inquit, simile huic dicto legi solere, vbi dicitur, mysteriū regis bonum est abscondere, meminimus etiam Paulum ad Corinthios adhuc in fide paruulos, quadam dei eloquia occultasse cū dicit: Lacte vos potavi, nõ cibo, nondū enim poteratis, sed nõdum potestis. Legimus & in Euāgelio, in agro vberi atq; fecundo, repertū thesaurū, eundemq; empto agro occultari. Nouimus neq; margaritas ante porcos proijciendas esse, neq; sanctū canibus dari oportere. Ergo intelligimus quadā nos cordis nostri secreto continere, quæ diuulgata, inexpiabilis peccati culpā comparabūt. Ita enim dixit Dauid, In corde meo abscondi eloquia tua vt non peccet tibi. vbi ostendit se abstrusa sapiētia sacramēta, & occulta dei mysteria mētis suæ secreto continuisse. q̄ si insignis ille propheta magno apud se silētio, dei eloquia, secretiorēsq; diuinæ philosophiæ rationes reticuerit, nec vnquā imperitæ multitudini prodendas cõsuerit, quid dicemus de quibusdā veterum errorū innouatoribus, qui noua Bibliorū, in vulgatissimā linguam translatione, nõ solum non relexerūt huiusce sublimioris philosophiæ mysteria & arcana, verū etiam in populariū ac plebeiorū perniciem etiā maximam diuulgarūt, & diuulgata cõtaminarunt? Sed quis nõ videt hanc mali labē, in totū penē terrarū orbem serpsisse, & in simpliciū animos pestilentissimā sui contagionē transfudisse? Quot dij boni, enati sunt ex istis diuulgatis versionibus, in rudiorū animis scrupuli? quos neq; illi neque eorū parentes vnquā cõceperāt. Quot altercationes ex hac prima mali origine scaturierunt? Rixatur belle de sacris literis vetula cum vetulo, obtundit & vxor garrula, in hisce cõfistationibus sui viri caput: quid dicam obtundit, imò certè hebetat & vulnerat, nec de sacris literis differendo, vult marito cedere. Et nisi rubore ac immodica verecundia suffunderetur, optaret suggestū & sacra (vt palā concionaretur) cathedrā conscendere, quod tamen prohibet Paulus dicens, (vt palā concionaretur) cathedrā conscendere, quod tamen prohibet Paulus dicens, Mulieres in ecclesijs taceāt, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse sicut & lex dicit. Si quid autē volunt dicerē, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia. Et aliubi, mulier in silētio discat, cū omni subiectione. docere autē mulieri nõ permitto, neq; dominari in virū, sed esse in silentio. Adhæc, nõ tãtopere cõtendisset Paulus rudiores à sacris Euāgelij margaritis & misterijs dimouere, si sapiētia dei ineffabilis & inscrutabilis, in omniū vsum & maternā linguam transferri debuisset, nec de illa nisi cū perfectis differuit, & ijs potissimū qui sensus habēt in sacris literis exercitatissimos. Sic enim loquitur in Epistola ad Corinthios, Sapientia autē loquimur inter perfectos, sapientia vero non huius seculi, neq; principū huius seculi qui destruūtur, sed loquimur dei sapientia in mysterio absconditā.

Sed cur noluerit Corinthijs, & ijs qui blādissimas carnis delicias sectabātur, hæc adaperire sapientiā, reddidit rationē, dicens: Nõ potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanq̄ paruulis in Christo, lac vobis potū dedi, nõ escā: nondū enim poteratis, sed nec nūc quidē potestis, adhuc enim carnalēs estis. Hæc qui legūt sententiā & intelligūt, planē agnoscut illos toto cælo aberrare, qui selectissimos Bibliorū thesauros vulgo cõmunicant, & in omniū linguas trãfferunt. Debuerāt illi noua rerū verius hæresū inuētores, imperitā vulgi multitudinē lacte & nõ solido cibo pascere. sed magis hæc, cõtra sanctissima Ecclesiæ instituta excogitarūt, vt popularem aurā aucuparentur, q̄ vt Christiana reipublica profecissent: & cū volunt toti orbi innotescere, suā produnt stultitiā. Denique audistin quid sibi velit Euāgelica illa parabola? Simile est regnum cælorū thesauro abscondito in agro, quē qui inuenit homo abscondit, & præ gaudio illius vadit & vendit vniuersa quæ habet, & emit agrū illū. hic Thesaurus in agri visceribus reclusus, nobis abstrusissima & occultissima sacrarū literarū mysteria subindicat, quæ dūtaxat adaperienda sunt illis qui sedatis animi affectibus iugiter sacræ scripturæ incubunt. Nec absurde dixit Christ⁹, Nolite dare sanctū canibus, neq; mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte cõculcent eas pedibus suis, & conuersi dirūpant vos. manet haud dubie Paradoxū istud, sacra dei eloquia, & pellucas Bibliorū margaritas, non esse ijs qui voluptatū cœno voluntur, & solū terrena, & quæ sub omniū oculos posita sunt vidēt, communicanda. potius enim sacra hæc immūdis pedibus cõcularent, & nec fatis ab eis intellecta dirumperent quàm tuerentur, & animi sanctimonia cõseruarent. Nec subtricare possum quod dicit Hieronymus in 4. Ezechielis, aduersus huiusce veritatis calūniatores. Alta & profunda dei, nõ sunt monstrada vulgo, nec proferenda ad populū qui nõ est sanctificatus, nec domini sanctitudini præparatus, ne si maiora se audierint, maiestare sciētia ferre non possint, & quasi solido suffocētur cibo, qui adhuc lacte infantia nutriēdi sunt. Adferūt & nobis plurimū adiuuētī seriā Christi verba, quibus animos apostolorū vehemēter cõmotos sedauit. cū enim Christo dicerēt, Quare in parabolis turbæ loqueris? respōdit illis Christus, Quia vobis datū est nosse mysteria regni cælorū, illis autē non est datū. Ideo in parabolis loquor eis, quia vidētes nõ vident, & audiētes non audiunt neq; intelligunt, vt adimpleatur in eis prophētia Esaiæ dicētis, Auditu audietis, & nõ intelligetis: & vidētes videbitis, & nõ videbitis. Ad huiusce loci explicationē dicit Hieronymus, arcēdo plebeios à sacrarū literarum mysterijs: Hæc de turbis prophetata sunt, quæ stant in littore, & dei nõ merentur audire sermonē. Accedamus ergo & nos cū discipulis ad Iesum, & rogemus eū differtionē parabolæ, ne cū turbis frustra aures & oculos habere videamur. Hæc ille. Vult Christus (nisi mea me fallat opinio) classicos Ecclesiæ, & sacrarū literarum peritissimos, à sacris diuini eloquij fontibus perfectā haurire intelligentiā, & secretiora dei mysteria intelligere: rudiores verò quibusdā domesticis exēplis, ac parabolis, rerūq; sensiliū imaginibus ad cælestiū cognitionē euehi, nec eos vult sublimia dei oracula perquirere. Et quid hoc sibi vult quod Christus in montē secedebat, cū suos discipulos sublimiorē sacrarum literarum philosophiā docebat, nisi q̄ præten debat suæ Ecclesiæ duces, debere sacris incubere studijs, & die noctēq; in sua lege versari, quo cõmodius sacræ scripturæ ignaros docerēt quæ illis ad cõsequendā æternæ vitæ fœlicitatē essent vtilissima? eosq; monerent vt omissis rebus sublimioribus reperēt humi, & dūtaxat discerent quæ suæ saluti maximopere cõducerent. Et huic ad blanditur sententiā Chryso. lib. 4. de Sacerdotio, qui postq̄ probauit ex illo Pauli loco, Dū venio attende lectioni, exhortationi, doctrinā. Episcopis præceptū esse dare operā sacræ scripturæ, ostēdit ex alijs Pauli locis, etiā præceptum esse laicis scire sacras literas, quantū eorum saluti cõducit. nec addubito quin debeant ab optimis saltē concionatoribus discere suæ legis præcepta, & quæ plurimum faciunt ad consequendā salutem. Quod autē (inquit) ea etiā subditis præcepta sint, audi rursus quid Paulus in alia quadā Epistola alios cõmonefaciat: Sermo Christi inhabitet in

Hylarius.

Psalm. 67.

1. Corin. 3.

Matth. 13.

Matth. 7.

Psalm. 118.

1. Corin. 14.

Gene. 3.

1. Timot. 2.

1. Corin. 2.

1. Corin. 3.

Matth. 13.

Matth. 7.

Hieronym⁹

Matth. 13

Esa. 6.

Chryso.

1. Timot. 4.

Collo. 3. vobis opulente cū omni sapientia. Ac rursus, Sermo vester semper cū gratia sit fa-
 Collo. 4. le cōditus, vt sciatis quomodo oporteat vos vnicuique respondere. Id id quod Petrus
 1. Pet. 3. vult, vt parati scilicet simus ad respondendū, omnibus quidē præceptū est. Nec ta-
 me dicit Chrysofost. apostolos præcipere laicis vt ediscant sublimia sacrarū literarū
 Augustinus oracula & arduas, quæ à doctōribus tractari solēt, quæstiones. Pulchre docet Augusti-
 nus Epist. Volufiano, quoniam ex sacris literis decerpta, tardioribus conueniāt, & quæ
 etiā non cōueniant, vbi dicit sanctā scripturā omnibus esse accessibile: Quāuis pau-
 cissimis sit penetrabilis, ea quæ aperta cōtinet, quasi amicus familiaris sine fūco ad-
 cor loquitur indoctorū atque doctōrū. Ea verò quæ in mysterijs occultat, nec ipsa
 eloquio superbo erigit, quo nō audeat accedere mens tardiuscula, & inerudita, quasi
 pauper ad diuitē, sed inuitat omnes humili sermone, quos nō solum manifesta pas-
 cat, sed etiā secreta exerceat veritate, hoc in præceptis quod in reconditis habēs. Sed
 ne aperta fastidiretur, eadē rursus operta desideratur, desiderata quodāmodo reno-
 uatur, renouata suauiter intimitur. His salubriter & praua corriguntur, & parua nu-
 triuntur, & magna oblectantur ingenia. Quod si auctore Augustino ad summa dei my-
 steria mens tardiuscula nō audeat accedere, cur indiscriminatim sacræ literæ in vul-
 garē linguā transferuntur? Enimvero ex prophetarū & Cantici Canticorū, in vulga-
 rē linguā versione, hebetes & stupidissimi qui ignorāt sub cortice & velamento lite-
 ræ pleraque etiam sublimia latere mysteria, nec discernere possūt an hic vel ille scri-
 pturæ locus sit ad literā, quæ occidit, an potius ad Tropologiam & sensum spiritalem
 intelligendus, facile periclitaretur, & plus detrimenti quam cōmodi ex nuda illa le-
 ctione consequerentur. Insuper huic fauet Assertioni Gregorius Nazianzenus, dicēs
 Gregorius Nazianzenus lib. 1. suæ Theologiæ: His cōuenit de rebus diuinis differere, qui contemplandi acu-
 mine cæteris antecellit, & prius animū ab affectu sordibus purgauerūt. Denique
 Hieronymus Hebræi (auctore Hierony. in præmio Ezechielis) nulli principia Geneseos, & Can-
 ticū Canticorū ac Ezechielis exordiū & finem legere permittūt, nisi atate sacerdo-
 talis ministerij, id est tricesimū annum impleuerit, vt ad perfectā scientiam, & my-
 sticos intellectus, plenū humanæ naturæ tempus accedat. Præterea Romani tantā ex-
 hibuerūt libris Sybillinis reuerentiā vt (quodmodū testatur Fenestella de magistra-
 ribus loquens lib. 1. cap. 13.) solis Duumuiris eos libros inspicere liceret. Verū in po-
 sterū cū id Duumuirorū sacerdotiū ad decē vsque protractū fuisset, qui Decēuirī ap-
 pellati sunt, ab eis demū solis Decēuiris Sybillini libri legi permittuntur: multo ergo
 Fenestella. magis Christianos decet, eā sacris literis maiestātē & reuerentiā exhibere, vt nō
 omnes ab omnibus passim legantur. Quoniam pacto rudes & idiotæ hūc Ioānis locum
 Ioan. 14. in vulgare linguā versum: Pater maior me est, intelligāt, non video: cū aliubi scri-
 Ioan. 10. ptū sit quod illi loco pugnare videtur: Ego & pater vnū sumus. Iungat & vulgus im-
 Roma. 3. peritissimū hos duos sacræ scripturæ locos: Arbitramur hominē iustificari per fidē
 Jacobi 2. sine operibus legis. Et, Ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantū. faciat etiā
 Psal. 4. suo Marte vt cohæreāt hæc: Irascimini & nolite peccare. Omnis qui irascitur fratri
 Matth. 5. suo reus erit iudicio. Iōge plura proferre quæ inuicē pugnare vidētur, quæ plebeio-
 rum ingenijs cōponi non possunt. Ex pessima illorū radice qui dixerūt sacra Biblia
 Valdenses. debere in vulgare linguam transferri. Prodiērent Valdenses, qui alio nomine pau-
 peres de Lugduno appellātur. Valdo enim eorū princeps, à quo Valdenses dicti sunt,
 cū esset idiota & planē illiteratus, aliquos sibi curauit transferri libros, quos cū non
 Begardi. intelligeret, in varios lapsus est errores. Ex eodē fonte lutulento dimanarūt Begar-
 di, Turelupini, homines prodigiose & insigniter indocti. Proluit & Lutherus sua in
 Turelupini. eodē fonte labra, dicens, Nouū testamentū vsque adeo apertū esse & cognitu facile
 Lutherus. vt ab omnibus legi & intelligi possit: cui aduersantur rationes à nobis paulo ante ad-
 ductæ. Aduersatur & eidē Beatus Petrus, dicēs in Paulinis Epistolis, quædā esse dif-
 2. Pet. 3. ficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas, ad
 suam ipsorū perditionē. Et Paulus de huiusmodi hominibus loquens ad Timotheū,
 1. Timot. 1. dicit eos nō intelligere neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Quod si sacræ

noui testamenti literæ ab omnibus facillime intelligerētur, non diceret Paulus, Sa-
 pientiam loquimur inter perfectos in mysterio absconditam. Et rursus, Nō potui
 vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, tanquā paruulis in Christo, lac
 1. Corin. 2. vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem pote-
 1. Corin. 3. stis, adhuc enim carnales estis. Nec diuersum dicit ad Hebræos, Omnis enim qui la-
 Hebr. 5. ctis est particeps, expers est sermonis iustitiæ, paruulus enim est, perfectorum autē
 est solidus cibus, corū qui pro ipsa consuetudine exercitatos habēt sensus ad discre-
 tionē boni ac mali. Amplius fatetur suum Euangeliū opertum esse in ijs qui pereūt,
 2. Corin. 4. in quibus deus huius seculi excacauit mētes infidelium, vt non fulgeat illis illumina-
 tio Euangelij gloriæ Christi, qui est imago dei. Nescio quid commouit Erasmus
 Erasmus. vt in plerisque libris ab eo aditis, dixerit, cuperem sacras literas in omnes verti lin-
 guas, vt possint legi ab agricola, à fabro, à latone, à muliere, hūc errorem damna-
 uit sacratissima Theologorum Parisiensium facultas, cuius censuræ mea in edisse-
 rendis Bibliorū literis studia submissi, & cum ille palinodiā non recineret, suā nixus
 est aliquot ratiūculis sententiam stabilire, Sacræ (inquit) literæ, olim in linguā vul-
 garem fuerunt versæ, Chrysofostomus etiam cōmendat laicis studium diuinorū vo-
 luminū, quod & laudauit Hieronymus in fœminis, qui fatetur Paulā & Eustochiū
 cecinisse frequenter Hebraice psalmos. refert & ille, Hieronymū Dalmatica linguā
 sacros vertisse libros. Sed illius rationes non vrgent neque conuincunt, vt præclare
 docet Alphonsus à Castro, lib. 1. aduersus hæreses, cap. 13. Nam sæpenumero contin-
 gere videmus nonnihil de aliqua re statui ad corrigendos hominum mores, quæ vbi
 experimēto agnoscerimus illud plus nocuenti quàm vtilitatis adferre, in totū abro-
 gatur. Olim viri, vxores, pueri, puellæ, monachi, virginēs sacræ, in nocturnis vigi-
 lijs cursabant ad sepulchra martyrum, & cum huic consuetudini detraheret Vigili-
 antius, & institutū illud derideret, scripsit aduersus eū Hieronymus & vehemētius
 quàm par sit, in Vigilantiū stomachatus est. id autē quod beatus Hieronymus tāto-
 pere laudabat, flagitia quæ sub prætextu religionis & pietatis admittebantur, persua-
 serūt, vt prorsus tolleretur, neque hoc sua delictitudine abrogatum est, sed etiā conci-
 lij definitione. Cōcilium siquidem Elibertinum cap. 35. suorū decretorū, de hac re
 sic ait: Placuit prohiberi, ne fœminæ in cœmētario peruigilent, eo quod sæpe sub ob-
 tentu orationis, scelera latenter committāt. Olim etiam corpus domini dabatur in
 manus, quod quisque domum suam portabat, vt cū vellet, domi acciperet. Hoc ex
 lib. 6. cap. 33. historia Ecclesiastica Eusebij facile colligitur. At cum deprehensū fue-
 rint multi, qui sacram Eucharistiā indigne tractarent, & ad artes magicas abuteren-
 tur, abrogata est illa consuetudo. Adde quod olim laici communicabant sub vtraque
 specie, quod tamen antiquatū est propter pericula & scandala quæ contigerunt, &
 adhuc cōtingere possunt. Licet igitur sacræ literæ olim versæ fuerint in vulgarem
 linguam, & eas Hieronymus in Dalmaticā linguam verterit, non propterea simile
 modo fieri oportet, imò nec expedit, quoniam nouimus & experimento didicimus,
 huiusmodi inuentis plerisque in execrandas hæreses decidisse. Nec quod rursus il-
 le obijcit, quidpiā haber momenti. Quicquid est hæresis in orbe, totum ferē natū
 est, vel ex philosophia, vel ex ipsis sacris literis perperam intellectis: sed à philoso-
 phorū libris nullus arcetur, nullus ergo à sacris literis debet submoueri. Sed comper-
 tum est omnibus latissimū esse discrimē inter gentiliū libros & sacras literas. Nam
 Christiani & fideles omnes, sacras literas legūt, vt diuina oracula, quapropter nō li-
 cet illis reclamare, sed cōstanti animo & firmissima fide defendunt quicquid in sa-
 cris studijs ebiberūt. Philosophorum autem libros nullus Christo initiatus, ita legit
 vt diuina oracula, sed legit vt libros hominū, qui quantūlibet fuerint docti, potue-
 runt tamen errare. submouendi tamen essent homines à lepidissimis ethnicorū li-
 bris, vbi illos ad paganismū allicerent, illisque descendendi à fide periculū immineret.

Theosophiæ Ioannis Arborei

LAVDVNENSIS LIBER IX.

CAPVT I.

Cyprianus.

Esa. 54.

Gene. 16.

Gene. 21.

Gene. 29.

1. Reg. 1.

1. Reg. 2.

Apoc. 1.

Tobiaz 12.

zacha. 3.

Prouer. 9.

Augustinus


1. Corin. 10.

Gene. 28.

Gene. 22.

Hebr. 11.

Roma. 8.



Saac fuit typus Christi, pariter Ioseph, & Samuel.]
Hâc ex Cypriano eruimus Assertionē, suadente lib. 2. aduersus Iudæos Ecclesiā ex gentibus collectā, longē plures q̄ Synagogā, ad Christū accersuisse. Quod Ecclesia (inquit) quæ prius sterilis fuerat, plures filios habitura esset ex gentibus, q̄ quot Synagoga antea habuisset, apud Esaiam cōpertum est, locūdare sterilis, quæ nō paris, erūpe & exclama quæ nō parturis, quia multi filij desertæ magis q̄ eius quæ habet virū. Dixit enim dominus, dilata locū tabernaculi tui, & pelles tabernaculorū tuorū extēde. Noli parcere, lōgas fac mē furas tuas, & palos tuos cōfirma. Adhuc in dexterā tuam, & in sinistrā extēde, & semen tuū possidebit gentes, & ciuitates desertas inhabitabit. Noli timere quia reuincēs, neq; reuerearis, quia maledicta es, quoniā confusionē aternā obliuisceris. Sic & Abraham, cū de ancilla natus esset prior filius, Sara sterilis diu māsit, & sero in senecta de pollicitatione peperit filiū Isaac, qui fuit typus Christi. Sic & Iacob accepit vxores duas, maiorē Liam oculis infirmiorib⁹ in typū Synagogæ, minorē speciosam Rachel in typum Ecclesiæ, quæ & sterilis diu māsit, & postea peperit Ioseph, qui & ipse fuit typus Christi. Et in Regū 1. legitur Helcana vxores duas habuisse, Fenēnam cū filijs, & Annā sterilē, ex qua nascitur Samuel, non secundū ordinē generandi, sed secundū dei miserationē & promissionem, cū illa orasset in tēplo: & natus Samuel, typus fuit Christi. Itē in Regū primo, sterilis septē peperit, & quæ plurimos haberet filios infirmata est, filij autē sunt Ecclesiæ septē. Vnde & Paulus septē dona spirit⁹ scripsit, & Apoc. 1. Ecclesias septē ponit, vt seruetur septenarius numerus, vt dies septē, quibus dominus mundū fecit, vt angeli septē qui assistūt & conuersantur ante faciē dei, sicut Raphael angelus dicit in Tobia, & lucerna septiformis in tabernaculo testi monij, & oculi domini, qui mundū speculantur, & lapis cū oculis septē, vt Zacharias dicit, & spiritus septem, & cādelabra, in Apoc. 1. septem, & colūnæ septē super quas ædificauit domū sapientia apud Salomonē. Huic subscribit sententiā August. lib. 2. de Trinitate, cap. 6. vbi differit cursim de petra, quā Paulus vocat Christū, illa (inquit) petra iā erat in creatura, & per actionis modū, nuncupata est nomine Christi quē significabat, sicut lapis ille quē Iacob posuit ad caput, etiā vnctionē ad significandū dominū assumpsit. Sicut Isaac Christus erat cū ad se immolādum ligna portabat: sed cū dicit August. Isaac erat Christus, intellige Isaac fuisse typū Christi siue significasse Christū, sicut petra erat Christus, q̄ significaret Christū, nec absq; Tropo hâc intelligitur. Et lib. 16. de Ciuitate dei, ca. 32. explicās excellētissimā promissionē Abraham factā, quod in Isaac, id est in Christo, filij promissionis vocarentur, dicit: Hâc ergo promissionē pater pius fideliter tenens, quia per hūc oportebat impleri, quē deus iubebat occidi: nō hæsitaui quod sibi reddi poterat immolatus, qui dari poterat nō speratus. Sic intellectū est & in Episto. ad Hebræos, & sic expositū: Fide, inquit, præcessit Abraham in Isaac tētatus, & vnicū obtulit, qui promissiones suscepit, ad quē dicitur est, in Isaac vocabitur tibi semē, cogitans quia & ex mortuis excitare potest deus. Proinde addidit, pro hoc etiā eum & in similitudinē adduxit: cuius similitudinē nisi illius de quo dicit idē Apostolus: Qui proprio filio nō pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illū. Propterea & Isaac, sicut dominus crucē suam, ita sibi ligna

ad victimæ locū, quibus fuerat imponēdus, ipse portauit. Postremo quia Isaac occidi nō poterat posteaquā est pater eū ferire prohibitus, quis erat ille aries, quo immolato impletū est significatiuū sanguine sacrificiū? Nempe quando eum vidit Abraham, cornibus in frutice tenebatur. Quis ergo illo figurabatur? nisi Iesus Christ⁹ antequā immolaretur, spinis Iudaicis coronatus? Idem scribit lib. 12. contra Faustum Manichæū, capite 25. vbi ita loquitur: Quis alius in Abraham exit de terra sua, & de cognatione sua, vt apud exteros dicitur, & locupletetur, nisi qui relicta terra & cognatione Iudæorum, vnde secundum carnem natus est, apud gentes ita præpollet, & præualeat, vt videmus? Quis alius in Isaac lignū sibi portabat ad victimam, nisi qui crucem sibi ad passionem ipse portabat? Quis alius aries immolandus in vepe cornibus adhærebat, nisi qui crucis patibulo pro nobis offerendus affigebatur? Tum etiā libro tertio, cōtra Maximinum Arrianorum Episcopū capite 26. in quo amplissime differit de figuris veteris instrumētī, quibus Christus adumbrabatur, dicit in primis de angelo qui luctatus est cum Iacob, & per quem Christus figurabatur. Deus ergo erat in angelo, sicut est deus in homine, maxime quando per hominem loquitur, ita verò per hunc angelum figuratus est Christus, sicut per hunc hominem. Nam & Isaac filius Abraham, quid erat in figura nisi Christus? quando sicut ouis ad immolandum ductus est, & quando sicut dominus crucem suam, ita & ipse sibi quibus fuerat imponendus, ligna portabat. Postremo quid miramur per angelum figuratū esse Iesum, si non solum per hominem, verū etiam per pecudem figuratus est? Nam quis alius erat ille aries, qui cornibus tenebatur in vepe, nisi Christus crucifixus vel spinis coronatus? Hunc autem arietē pro filio, cui parcere iussus est, immolauit Abraham. Ita enim homini parci deus iussit, vt tamen ex pecude propter passionē Christi quæ illo modo prænuntiabatur, mysteriū sacri sanguinis impleretur. Deinde disputando contra Maximinū qui asserēbat filiū dei ab hominibus visum fuisse, non autem patrem etiam per subiectam sibi creaturam, dicit: Si autem putas proprietate, non figura Christū fuisse arietē, quem patriarcha immolauit Abraham: potes postremo dicere proprietate, non figura Christum fuisse petram, quæ percussa ligno, sitienti populo porum largissimum fudit. Sic enim dicit Apostolus: Bibebat enim de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus. figuræ istæ, nō res ipsæ fuerūt, quibus figuris præcedentibus res significabantur esse venturæ, quæ figuræ per subiectam deo creaturam, & maxime per angelorum ministerium, mortalium exhibebantur aspectibus, dei quidem agente potentia, sed tamen latente natura, siue patris, siue filij, siue spiritus sancti, frustra itaque asseris filium dei visum fuisse ab hominibus, patrem autem non fuisse visum, cum per subiectam sibi creaturam, & pater videri potuerit, & filius, & spiritus sanctus: per suam verò substantiam nullus illorum visus est. Enarrando etiā illum psalmi locum, Qui videbāt me foras, fugerunt à me, dicit Isaac tanquā filium vnicum dilectum figuram habuisse filij dei. Quod autem Ioseph fuerit typus Christi, approbat idem Augustinus & maxime confirmat, quæstione 123. super Genesim, vbi scribit in hunc modū: Quod dicit Iacob ad Ioseph, quod est somniū hoc quod somniaisti? Nunquid veniētes veniemus ego & mater tua, & fratres tui adorare te super terram? nisi in aliquo mysterio dictū accipiatur, quomodo intelligitur de matre Ioseph quæ iam erat mortua? vnde nec in Aegypto cū sublimaretur, putādum est hoc esse completū, quia nec pater eū adorauit, quando ad eū venit in Aegyptū, nec materolim defuncta potuit. In Christi ergo persona facile intelligi potest etiā de mortuis, secundū illud quod dicit Apostolus: Quia donauit ei nomē, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium, & infernorum. Et in eodē opere quæstio. 148. alia ratione eandem probat Assertionem vbi ait: Quid est quod dicit Ioseph, misit enim me deus ante vos remanere vestrū reliquias super terram, & enutrire vestrū reliquias, mirum est, hoc enim non vsquequaq; consonat, vt reliquias accipiamus, II. ij.

Gene. 22.

Gene. 32.

Esa. 53. & Hiero. 11.

1. Corin. 10.

Psal. 30.

Gene. 37.

Philip. 2.

Gene. 45.

Roma. 11.
Efa. 10.
Pfal. 80.
Efa. 54. &
ad Gala. 4.
Luca. 2.
Gala. 4.
Matth. 16.
Chryfosto.
Gene. 39.
Hieronym⁹
Osee 11.
Gene. 29.

Iacob & filios eius, cū omnes sicut incolomes. An forte illud significat alto secretō- que mysterio, quod ait apostolus: Reliquiæ per electionem gratiæ, saluæ factæ sunt. Quia propheta prædixerat: Et si fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris, reliquiæ saluæ fient. Ad hoc enim occisus est Christus à Iudæis, & traditus gentibus, tanquam Ioseph Aegyptijs à fratribus, vt & reliquiæ Israel saluæ fieret. Vnde dicit Apostolus, Nam & ego Israelita sum, vt & plenitudo gētium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret, id est ex reliquijs Israel secundū carnem, & plenitudine gentiū, quæ in fide Christi secundum spiritum sunt Israel. Aut si & genti illi Israelitæ restat fidei plenitudo, ex qua erant reliquiæ, in quibus reliquijs tunc & apostoli salui facti sunt, hoc significatur ea plenitudine liberationis Israel, qua per Moysen ex Aegypto liberati sunt. Tum etiam edisserendo psalmum illum, Testimonium in Ioseph posuit illud, dicit: Eia fratres quid est? Ioseph interpretatur augmentatio. Meminitis, nostis Ioseph in Aegyptum venditum, Christus ad gentes transiens, ibi Ioseph post tribulationes exaltatus, & hic Christus post passionem martyrum glorificatus. Ergo ad Ioseph magis gentes pertinent, & ideo augmentatio, quia multi filij desertæ magis quàm eius quæ habet virum. Idem asserit Sermone 81. vbi dicit Ioseph typum gessisse domini saluatoris, Nonnulli varijs argumētis probant Isaac fuisse per omnia typum & mysterium Christi. Sicut enim ille Isaac desperantibus iam parentibus, in vltima senectute donatus est lætitiā suis, vt cognoscatur quia non erat filius naturæ, sed gratiæ: sic & noster Isaac, in nouissimo sine productus est à matre Iudæa gaudium cūctis, sicut dicit angelus ad pastores: Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni plebi. Vnde Apostolus: Postquam venit plenitudo temporis, misit deus filium suum natum ex muliere, natum sub lege. Sed iste per virginē, ille de anu, ambo extra spem naturæ: ille postquam mater eius parere posse cessauerat, iste priusquam mater eius parere posse inciperet. Sed ille de ancilla ideo iam deficiente, iste autem de virgine iam incorrupta, quia ille Isaac filios fuerat geniturus in lege corrumpenda, iste autem in gratia permanens. Sicut illum mater nesciuit, quando ducebatur ad immolandum, sed postquam reuersus est, cognouit quia erat oblatus. Sic istum Synagoga non cognouit esse filium dei, cum duceretur ad mortem, sed postquam resurrexit à mortuis tunc cognouerunt eum Iudæi. Sicut ille ligna portauit, vbi fuerat incendendus, sic & iste lignum portauit vbi fuerat crucifigendus. Sicut ille non restitit Abraham, cum veller eum occidere, sed dixit: Pater ligna mihi manus & pedes, ne quando insurgam in impugnationem: sic & iste nō contradixit patri, sed paratus respondit, Si possibile est, trāseat à me calix iste, sed non sicut ego volo, sed sicut tu pater. Chryostomus homilia octuagesima quinta in Matthæum, astipulatur secundæ parti nostræ Assertionis, vbi dicit: Beatus ille Ioseph qui magno animo iniurias tulit, vbi que vt victor prædicatur. Nam & fratres & Aegyptiam illam mulierem insidiantes æquo animo ferendo superauit. noli mihi hi carceres, vbi vincētus fuit, nec regiam vbi mulier illa versabatur, domum obiectare: sed victum mihi, atque victorem ostende, & qui in voluptate, qui in mœrore viuebat, patefacias. illa nec iustum illum virum, nec cupiditatem propriam superauit, hic & mulierem repulit, & à difficillimo captus morbo non est. Et si vis verba mulieris audiamus, vt à superato penitus atq; prostrato animo proferrī videas. Adduxisti nobis huc (inquit) puerum Hebræum illudere nobis. Non ille ò misera, atque iniquissima, sed diabolus tibi illuſit, quia persuasit posse adamantinum abs te animum infringi. Non adduxit tibi maritus Hebræū insidiantem puerum, sed callidissimus dæmon, qui in illicitam te impulit cupidinem. Quid autem Ioseph? tacet omnino, & sic cōdemnatur, velut & Christus, figura enim illa Christi fuerant. Adde quod Hieronymus enarrans illum Osee prophetæ locum, Ex Aegypto vocaui filium meum, qui perfecte refertur ad Christum, dicit Isaac in typo Christi fuisse, quod futuræ mortis ligna sibi ipsi portauerit, & Iacob, quia Liam dolentem oculos, & Rachel pulchram habuerit uxorem, in Lia quæ maior erat, cecitatem intelligit.

mus Synagogæ, in Rachel pulchritudinem Ecclesiæ: & tamen qui ex parte typi fuerūt domini saluatoris, non omnia quæ fecisse narrantur, in typo eius fecisse credendi sunt. Typus enim partem indicat, quod si totum præcedat in typo, iam non est typus, sed historiæ veritas appellanda est. Insuper Tertullianus in hanc descendit sententiam libro aduersus Iudæos, in quo ostendit patriarchas figurasse Christū, itaque in primis Isaac cum à patre hostia duceretur, lignūmq; ipse sibi portās, Christi exitum iam tunc denotabat, in victimam concessi à patre, lignum passionis suæ baiularis, Ioseph & ipse Christum figurauit, vel hoc solo, ne cursum demorer ipse, quod persecutionē à fratribus passus est, & venundatus est in Aegyptum, ob dei gratiam, sicut & Christus ab Israel à fratribus venundatus, à Iuda cum traditur. Nam & benedicitur à patre in hæc verba Ioseph, Tauri decor eius, cornua vnicornis cornua eius, in eis nationes ventilabit pariter, ad summum vsque terræ. Non vtique Rhinoceros destinabatur vnicornis, vel minotaurus bicornis, sed Christus in illo significabatur taurus ob vtramque dispositionem, alijs ferus vt iudex, alijs mansuetus vt saluator, cuius cornua essent crucis extrema. Nam & in antenna nauis, quæ crucis pars est, hoc extremitates huius vocantur: Vnicornis autem medij stipitis palus. Hac denique virtute crucis, & hoc more cornutus vniuersas gētes, & nunc ventilat per fidem, auferens à terra in cælum, & tunc ventilabit per iudicium, descendēs de cælo in terram. Eadem probatione vtitur libro tertio aduersus Marcionem. Fauet & Origenes priorī nostræ Assertionis particula, homilia octaua super Genesim, dicens: Quod ipse sibi ligna ad holocaustum portat Isaac, illa figura est, quod & Christus ipse sibi baiulauit crucem, & tamen portare ligna ad holocaustum sacerdotis officium est, sit ergo ipse hostia & sacerdos. Et homilia vigesima octaua, in Luca explicans hunc locum, Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, confirmat secundam nostræ Assertionis propositionē, vbi dicit, Ioseph triginta annorū erat quando dimissus è vinculis, & interpretatus somnium Pharaonis Aegypti, effectus est princeps, vbertatisque tēpore triticum congregauit, vt famis tempore haberet quod distribueret. Ego puto quod triginta anni Ioseph, in typo triginta annorum præcesserint saluatoris: iste enim Ioseph non tale triticū congregauit, quale in Aegypto ille Ioseph, sed triticum verum atque cæleste, vt tempore vbertatis tritico cōgregato haberet quod distribueret, cum famis esset missa in Aegyptum, non fames panis neque sitis aquæ, sed fames audiendi sermonem dei.

CAPVT II.

Iacob non peccauit emendo ab Esau primogenita, nec mentitus est cū dixit suo patri Isaac, Ego sum Esau primogenitus tuus. Vtramque huius Assertionis partem ex Augustino exponente libro 16. de Ciuitate dei, capite 37. sublimia illa mysteria, quæ habentur in Genesi, capite 25. & 27. suadebimus, prius tamen pro tuēda priorī nostræ Assertionis particula, historiam proferemus. Coxit autem Iacob pulmentum, ad quem cum venisset Esau de agro lassus ait, Da mihi de coctione hac rufa, quia oppido lassus sum. Quā ob causam vocatum est nomen eius Edom. Cui dixit Iacob, Vende mihi primogenita tua. ille respondit, En morior. Quid mihi proderunt primogenita? Ait Iacob, iura ergo mihi. iurauit Esau, & vendidit primogenita, & sic accepto pane & lentis edulio, comedit & bibit & abiit paruipendens quod primogenita vendidisset. cum autem Iacob monitus à sua matre Rebecca, pulmētum suo patri Isaac primæ benedictionis obtinēdæ gratia, obtulisset, & maximopere optasset hoc beneficium sibi dari, dixit Isaac: Quis es tu fili mi? cui respondit Iacob, Ego sum Esau primogenitus tuus. hæc ad secundam Assertionis enuntiationem spectant. Hæc autē sacramenta edisserens Augustinus dicit, Duo igitur Isaac filij, Esau & Iacob pariter crescunt. Primatus maioris, transfunditur in minorem ex pacto & placito inter illos, eo quod lenticulam, quem cibum minor parauerat, maior immoderatus concupiuit, eoque pretio primogenita sua, fratri iuratione interposita vendidit, vbi discimus in vescendo non

cibi genere, sed auiditate immodesta quenquam culpādam, senescit Isaac, eiusque oculis per senectam visus aufertur, vult benedicere filium maiorem, & pro illo nesciens, benedicit minorem, pro fratre maiore, qui erat pilosus se paternis manibus supponentem, hœdinis sibi pelliculis coaptatis velut aliena peccata portantem. Iste dolus Iacob, ne putaretur fraudulentus dolus, & non in eo magnæ rei mysteriū quæreretur, superius prædixit scriptura, Et erat Esau homo sciens venari agrestia, Iacob autem homo simplex habitans domum. Hoc nostri quidam interpretati sunt sine dolo: siue autem sine dolo, siue simplex, siue potius sine fictione dicatur quod est Græce Aplastos, quis est in ista benedictione percipienda dolus hominis sine dolo? Quis est dolus simplicis, quæ fictio non mentientis, nisi profundum mysterium veritatis? Ipsa autem benedictio qualis est? Ecce (inquit) odor filij mei tanquam odor agri pleni, quæ benedixit dominus. Et det tibi deus de rore cœli, & de vbertate terræ, & multitudinem frumenti & vini, & seruiant tibi gentes, & adorēt te principes, & fias dominus fratris tui, & adorabunt te filij patris tui. Qui maledixerit te, maledictus: & qui benedixerit te, benedictus. Benedictio igitur Iacob, prædicatio Christi est, in omnibus gentibus, hoc fit, hoc agitur, lex & prophetia est in Isaac, etiam per os Iudæorum Christus ab illo benedicitur velut à nesciente, quia ipse nescitur. Odo-re nominis Christi, sicut ager, mundus impletur, eius est benedictio de rore cœli, hoc est de verborum pluuia diuinorum, & de vbertate terræ, hoc est de congregatione populorum, eius est multitudo frumenti & vini, hoc est multitudo quam colligit frumentum, & vinum in sacramēto corporis & sanguinis eius. Ei seruiunt gētes, ipsum adorant principes, ipse est dominus fratris sui, quia populus eius dominatur Iudæis, ipsum adorant filij patris eius, hoc est filij Abrahæ, secundum fidem, quia & ipse filius est Abrahæ secundum carnē: ipsum qui maledixerit, maledictus: & qui benedixerit, benedictus est. Christus inquam noster etiam ex ore Iudæorum quāuis errantium, sed tamen legem prophetāque cantātium, benedicitur, id est veraciter dicitur, & alius benedici putatur, qui ab eis errātibus expectatur. Ecce benedictionē promissam repente maiore: expauescit Isaac, & aliū pro alio se benedixisse cognoscit. Miratur, & quisnam ille sit percunctatur, nec tamen se deceptum esse conqueritur, imò confestim reuelato sibi intus in corde magno sacramento, deuitat indignationem, confirmat benedictionem. Quis ergo (inquit) venatus est mihi venationem, & intulit mihi, & manducaui ab omnibus antequam tu venires? & benedixi eum, & fit benedictus. Quis non hic maledictionem potius expectaret irati, si hæc non superna inspiratione, sed terreno more gererentur? O res gestas, sed prophetice gestas: in terra, sed cœlitus: per homines, sed diuinitus. Adde quod Chryso-stomus fauet vtrique parti huiusce Assertionis. Siquidem exponens homilia 50. in Genesim locum illum nuper adductum, Da mihi hodie primogenita tua &c. inquit, Ecce nunc hic inuersus est ordo, & primogenituræ dignitas transijt ad eum qui virtute animi præfulgebat. vendidit autem Esau cibi gratia dignitatem natura sibi datam, ideo & subdidit contextus, Et paruipendit Esau primogenita, quasi diceret, ingratus erat ac indignus ea, quam sibi natura dederat, dignitate. Hoc autem totum factum est, vt illius demonstraretur ingratitude, & dei oraculum adimpleretur. Hæc audientes discamus, nunquam negligere dona à deo nobis data, neque perdere magna propter parua & vilia. Et cum edisserit illam sententiam, Ego sum Esau primogenitus tuus &c. dicit, Considera hic obsecro quanta cum anxietate verba hæc locutus sit Iacob, qui principio dixerat matri, Timeo ne inducam super me maledictionem, & non benedictionem, nunc in quanto timore cōstituatur verisimile est, qui tantum actum simulat. Verum quia deus erat qui cooperabatur his quæ fiebāt, omnia opere sunt impleta. Quid igitur? cooperatus ne deus est mēdacio? Dilecte ne indages tantū quod fit, sed attende etiam scopum, & quod non factum sit temporalis commodi, vel auaritiæ causa, sed quod patris benedictionem sibi cōparare stude-ret. Alioqui si ita simpliciter quæ sūt exquisiturus es, vide ne & patriarchā puerici-

Chryso.

dam, & Phinees homicidā dicas. verum neque Abrahā pueri homicidā, sed & valde ei affectus, si quis alius: neque Phinees homicidā, sed zelotes. Vterque enim quod deo probabatur, faciebat: atque ille per obediētiam, multam à deo remunerationem promeruit, hic verò propter zelum prædicatur. Dicit enim, Stetit Phinees, & placatus est. Si igitur homicidium & puericidium placuerunt, quia iuxta dei sententiam fiebant, ne attendamus ad facta, sed ad scopum eorum quæ fiebant, & ad voluntatem eorum qui fecerunt, multo magis & hic expendendum fuerit. Ne igitur hoc considera, quod mentita fuerint quæ dicebantur à Iacob, sed illud cogita, quod volens deus prædictionē impleri, omnia vt sic fiant, dispensauit. Et tu scias quod deus omnia facilia reddebat, etiam quæ difficilia. vide quomodo iustus non potuit subolere fraudem, sed persuadetur dictis Iacob, & cum edulia ista comedisset, benedictionibus eum remunerauit. Et non prius à venatione affuit Esau, quousque omnia sunt impleta, vt per omnia sciamus, voluntate dei hæc gesta esse. At dicit quispiam, Iacob emendo ab Esau primogenituram, commisit Simoniam: igitur facto illo deliquit. antecedens probatur: Primogeniti vigente lege naturali, quā antiqui illi patriarchæ obseruabant, nec illis data erat lex Mosayca, erant sacerdotes. cum igitur sacerdotium semper fuerit sacrum & spiritale, qui primogenituram emebat, censetur Simoniacus. Ad hæc, primogenitus iure primogenituræ duplicem partē bonorum sui patris obtinebat, hinc Ioseph, cui Iacob dedit primogenituram, inter alios fratres habuit duas sortes, & duas tribus, scilicet tribū Ephraim, & tribum Manasse. cum igitur Isaac pater Iacob & Esau esset opulentissimus, verisimile est primogenituram illius multum valuisse, & sic Iacob pro re minima obtinens primogenituram fessellit suum fratrem, eique versuram fecit. His respondet argumentis Lyranus, enarrans 25. caput Geneseos, & discutiendo primam rationem, dicit ius primogenituræ fuisse ipsius Iacob, ex determinatione diuina, quia prædictum erat, vt maior seruiret minori. Malachiæ etiā 1. cap. dicit dominus, Iacob dilexi, Esau autem odio habui: quare compertum est ius primogenituræ esse debitū Iacob, & quidem diuina sententia, quod agnouit Iacob à sua matre dictum fuisse, Esau verò ipso facto ius primogenituræ possidebat, quod tamen Iacob caute retraxit, quod fecit cum Esau lassitudine itineris fatigatū lenticula refocillauit, nec magnificiebat Esau ius primogenituræ, qui non solum peccauit vitio gulæ, inordinate appetendo cibū, veruetiam & Simoniam, quod intenderit rem sacram vendere. Ex hac responsione facile potest secundæ rationis solutio elici. cum enim ius primogenituræ debebatur diuina ordinatione ipsi Iacob, nullam ipsi fecit imposturam nec fraudem cōmisit emendo ab Esau primogenita, nec intendit vnquam insigne illud bonū tantillo ære pensare, sed ne displiceret fratri esurienti, obtulit quod ille petebat. Nec proprie censetur emisse primogenita, nam diuina ordinatione ad eum spectabant. Nemo autem simpliciter emit quod suum est. Et cum dixit, vende mihi primogenita tua, non induxit Esau ad peccādum, non enim volebat neque intendebat rem iniustam ab eo fieri, licet vt quidam dicunt, ei obtulerit materiam iniquitatis, & ille ex verbis eius acceperit occasionem peccandi. Et sensus illius propositionis, Vende mihi primogenita tua, est iste, Da mihi primogenita quæ mea sunt, & quia non vis gratis dare, offero tibi cibum. Et solum Iacob intendebat redimere suam vexationem, & passus est rem iniustā ab Esau fieri. Tuetur & idem doctor secundam nostræ Assertionis partem, exponēs verba hæc, Ego sum Esau primogenitus tuus, vbi reprehendit Rabbīnum Salomonem, qui vt excuset Iacob à mendacio, dicit sic punctuando contextum, Ego sum scilicet qui tibi apporto cibum. Sed Esau est primogenitus tuus: sed iste manifeste corrumpit sensum, nec hac deprauata interpretatione concludit. Nam quacūque arte verborum aliquis fallat alium, non propterea excusatur à mendacio: idcirco aliter ille respondet, & sincere explicat historiam. Licet enim Iacob nō esset Esau in persona, erat tamen in officio & dignitate, quantum ad ius primogenituræ. Ideo Iacob debebatur benedictio. Et sensus huiusce enū-

Lyranus/
Gene. 25.
Mala. 1.
Roma. 9.

II. iij.

Lyranus.
Matth. 11.

Ioan. 1.

2. Reg. 11.
Gene. 37.

Gene. 46.

Exo. 1.

Deuter. 10.
Iosephus.

Hieronymus

ciationis, Ego sum Esau primogenitus tuus. Hoc est, ego sum is cui debetur dignitas & officium primogenituræ. Et hac loquendi formula vsus est Christus, cum dixit de Ioanne, ipse est Helias, dicit tamen Lyranus non esse magnam necessitatem excusandi patres veteris testamēti, à mendacio maxime officioso, sicut hic & in plerisque alijs locis. Nam certū est apostolos fuisse multo perfectiores antiquis illis patribus, nec tamen fuerunt immunes à peccato veniali. Vnde dicit Ioannes, Si diximus quia peccatū non habemus, nosmetipsos seducimus. Multo igitur minus patres veteris testamenti fuerunt à peccato veniali immunes. plures etiam leguntur mortaliter peccasse, sicut Dauid in adulterio Bersabæ, & homicidio Vriæ, Patriarchæ etiam ex odio & inuidia, vendiderunt Ioseph fratrem suum in Aegyptum.

CAPVT III.

Iacob in septuaginta animabus descendit in Aegyptū. Hanc, ex Pentateuco Assertionē deducam. In Genesi scriptum est, Omnes animæ domus Iacob quæ ingressæ sunt in Aegyptum, fuerunt septuaginta. Etiam in primo capite Exodi legimus, Erant igitur omnes animæ eorū qui egressi sūt de fœmore Iacob, septuaginta. Et in Deuteronomio dicitur, In septuaginta animabus descenderunt patres tui in Aegyptum. Confirmat & hanc veritatem Iosephus libro 6. Antiquitatum Iudaicarum, capite 5. dicens Iacob cum septuaginta solummodo generis Hebræorum propter famem venisse in Aegyptū, vbi ostendit Samuelem non sine causâ ingratitudinem filiorum Israel reprehendisse. ¶ Dicit aliquis, licet in Genesi connumerentur 70. animæ quæ ingressæ sunt cum Iacob in Aegyptum, tamen in eodem capite iam adducto prius numeratur solum 66. sic enim scriptum est: Cūctæque animæ quæ ingressæ sunt cū Iacob in Aegyptum, & egressæ sunt de fœmore illius absque vxoribus filiorum eius sexaginta sex, filij autē Ioseph, qui nati sunt ei in terra Aegypti animæ duæ. Adde quoddam Hieronymus hanc edisserens difficultatem, in quæstionibus Hebraicis, dicit: Omnes ergo animæ quæ ingressæ sunt cum Iacob Aegyptum, & quæ exierunt de fœmoribus eius absque mulieribus filiorum Iacob, animæ sexaginta sex, filij autem Ioseph qui nati sunt ei in Aegypto, animæ nouē, & hunc coaceruando numerum, ita concludit: Omnes ergo animæ quæ ingressæ sunt cum Iacob Aegyptum, septuaginta quinque. Sed quæ videntur abinuicem pugnare, cōponit: Quod excepto, inquit, Ioseph & filijs eius, sexaginta sex animæ, quæ egressæ sunt de fœmoribus Iacob introierūt Aegyptum, nulla dubitatio est, ita enim & paulatim per singulos supputatus numerus approbat, & in Hebræis voluminibus inuenitur. Hoc autem quod in septuaginta legimus, filij autem Ioseph qui nati sunt ei in Aegypto, animæ nouē, sciamus in Hebræo pro nouem, esse duas, Ephraim quippe & Manasse, antequam Iacob intraret Aegyptū, & famis tempus ingrueret, nati sunt de Afeneth filia Phutipharis in Aegypto, Sed & illud quod supra legimus, facti sunt autem filij Manasse, quos genuit ei concubina Syra Machir, & Machir genuit Galaad: filij autem Ephraim fratris Manasse, Suthalaam, Ethaam: filij verò Suthalaam Edom, additum est. siquidē id quod postea legimus, quasi per anticipationē factum esse describitur. Neq; enim illo tempore, quo ingressus est Iacob Aegyptum, eius ætatis erant Ephraim & Manasse, vt filios generare potuerint. Ex quo manifestū est omnes animas quæ ingressæ sunt Aegyptū de fœmoribus Iacob, fuisse septuaginta, dum sexaginta sex postea ingressæ sunt, & repperunt in Aegypto tres animas, Ioseph scilicet cū duobus filijs eius. Septuagesimus autē ipse fuerit Iacob. Hanc rem, ne videamur aduersum scripturæ autoritatem loqui, etiam Septuaginta interpretes, in Deuteronomio transtulerunt, q̄ in septuaginta animabus ingressus est Iacob in Aegyptū. Si quis igitur nostræ sententiæ refragatur, scripturam inter se contrariam faciet, ipsi enim septuaginta interpretes, qui hic septuaginta quinque animas per πέρλυσιμ, cum Ioseph & posteris suis Aegyptum ingressas esse dixerūt, in Deuteronomio septuaginta tantum intrasse memorant. Quod si e contrario nobis id opponitur, quomodo in Actibus

apostolorum in concione Stephani dicatur ad populum: Septuagintaquinque animas ingressas esse in Aegyptum, facilis excusatio est. Non enim debuit sanctus Lucas qui ipsius historiæ scriptor est, in gantes Actū apostolorum volumē emittens, contrariū aliquid scribere aduersus eam scripturam, quæ iam fuerat gētibus diulgata. Et vtiq; maioris opinionis illo dūtaxat tempore septuaginta interpretum habebatur autoritas, quàm Lucæ: qui igaotus & vilis, & non magnæ fidei in nationibus ducebatur. Hoc autem generaliter obseruandum, quod vbiunque sancti apostoli, aut apostolici viri loquuntur ad populos, his plerunquē testimonijs abutuntur, quæ iam fuerant in gentibus diulgata. licet plerique tradant Lucam euangelistam vt profelytum literas Hebræas ignorasse. Attende quæso quāta ingenij vehementia, nescio an audacia id Hieronymus dixerit in sanctum Lucam euangelistam, & virum sacri eloquij peritissimum. Nulli (vt vides) parcat in tractandis & exponendis sacris scripturis, nescio si putet Lucam in hac supputatione contrarium scripsisse, quod Hebræas literas ignorauerit, quod tamē existimare non possum. Nec defunt viri literatissimi qui beatum Lucam excusant. Venerabilis Beda enarrans illud Lucæ in Actis apostolorum, Mittens autem Ioseph accersiuit Iacob patrem suum, & omnem cognationē suam in animabus septuagintaquinque, inquit: Hoc secundum editionem septuaginta interpretum dicitur, in Hebræo septuaginta tantum reperiuntur, sed si series animarum secundum Genesim computetur, addito Iacob & Ioseph cum duobus filijs qui erant in Aegypto, septuaginta solummodo inueniuntur. Ra. Si Iacob & Ioseph cum duobus filijs non numerantur, 66. tantummodo erunt, illis autem annumeratis 70. fiunt. Lucas quinque superaddit secundum editionem septuaginta, quam vulgatam nouerat esse, & firmatam autoritate Græcorum. Si ergo obuiaret cōsuetæ autoritati, non crederetur illi, qui videretur derogare olim creditæ editioni. Maluit ergo consentientibus interpretibus fidem Christi firmare, quàm pro hebraica veritate sermonem suum suspectum habere. Hæc ille. Dicit & Lyranus eundem locum edisserendo, cum scriptum est in Genesi, Omnes animæ domus Iacob quæ ingressæ sunt Aegyptum, fuerunt septuaginta, ibi tantum enumerantur personæ egressæ de Iacob actu natæ. Hic autem numerantur cum illis quinque nepotes Ioseph, eo quod pertinebant ad populum Israel, propter quod septuaginta interpretes posuerūt septuagintaquinque, quam interpretationem sequitur hic sanctus Lucas. Præterea Augustinus edisserens hanc difficultatem, libro 16. de Ciuitate dei, capite 40. sequitur septuaginta interpretum editionem. Ingressi itaque (inquit) referuntur in Aegyptum simul cum ipso Iacob septuagintaquinque homines annumerato ipso cum filijs suis. in quo numero duæ tantum fœminæ commemorantur, vna filia, neptis altera. Sed res diligenter considerata, non indicat quod tātus numerus fuerit in progenie Iacob die vel anno quo ingressus est Aegyptum. Commemorati sunt quippe in eis etiam pronepotes Ioseph, qui nullo modo iam tunc esse potuerunt, quoniam tunc centum triginta annorum erat Iacob: filius vero eius Ioseph, triginta nouē, quem cum accepisse tricesimo anno suo, vel amplius constat vxorem, quomodo potuit per nouem annos habere pronepotes de filijs quos ex eadem vxore suscepit? Cum igitur nec filios haberet Effrem & Manasse filij Ioseph, sed eos pueros infra quàm nouennes Iacob Aegyptum ingressus inuenerit, quo pacto eorum non solum filij sed etiam nepotes in illis septuaginta quinque viris numerantur, qui tunc Aegyptum ingressi sunt cum Iacob? Nam commemoratur ibi Machir filius Manasse nepos Ioseph, & eiusdem Machir filius, id est Galaad nepos Manasse, pronepos Ioseph: ibi est & quæ genuit Effrem alter filius Ioseph, id est Vtalaan nepos Ioseph, ibi est & Bareth filius ipsius Vtaliæ, id est nepos Effrem, pronepos Ioseph, qui nullo modo esse potuerunt, quando Iacob in Aegyptum venit, & filios Ioseph nepotes suos, auos istorū minores quàm nouem annorum pueros inuenit. Sed nimirum, introitus Iacob in Aegyptum quando eum in septuagintaquinque hominibus scriptura cōmemorat, non vnus dies vel vnus

Acto. 7.

Ibidem.

Beda.

Lyranus.

Augustinus

annus, sed totum illud est tempus quandiu vixit Ioseph, per quem factum est vt intrarent. Nam de ipso Ioseph eadem scriptura sic loquitur, Et habitauit Ioseph in Aegypto ipse & fratres eius, & omnis cohabitatio patris eius, & vixit annos centum decem, & vidit Ioseph filios Manassés & Effrem vsque in tertiam generationem. Ipse est ille pronepos eius ab Effrem tertius, generationem quippe tertiam dicit filium, nepotem, pronepotē. Deinde sequitur, Et filij Machir, filij Manassé nati sunt supra fœmora Ioseph. & hic ille ipse est nepos Manassé, pronepos Ioseph. Sed pluraliter appellati sunt, sicut scriptura consuevit, quæ vnam quoque filiam Iacob, filias nuncupauit, sicut in Latina linguæ consuetudine, liberi dicuntur pluraliter filij, etiam si non sint vno amplius. Quum ergo ipsius Ioseph prædicetur felicitas, quia videre potuit pronepotes, nullo modo putandi sunt iam fuisse tricesimonono anno proau sui Ioseph, quando ad eum in Aegyptū Iacob pater eius aduenit. Illud autem est quod fallit minus ista diligenter intuentes: quoniam scriptum est, Hæc autem nomina filiorū Israel qui intrauerunt in Aegyptum simul cum Iacob patre suo. Hoc enim dictum est, quia simul cum illo computantur septuagintaquinque, non quia simul iam erant omnes quando Aegyptum ingressus est ipse, sed (vt dixi) totum tempus habetur eius ingressus, quo vixit Ioseph, per quē videatur ingressus. Tum etiam Chrysofomus homilia 65. in Genesim, imitatur interpretationem septuaginta, qui censuerunt legendum esse in 46. capite Geneseos, In sexaginta sex animabus descendit Iacob in Aegyptum: & Ioseph, ac filij eius, qui nati sunt ei in Aegypto nouem erāt, & ita cum Ioseph erant omnes animæ septuagintaquinque, vbi ita loquitur: Quare scriptura numerum tanta diligentia annotauit? Vt scire possimus, quomodo dei prædictio impleta sit, dicens: In gentem magnam faciam te illic. Nam ex his septuagintaquinque animabus in sexcenta millia genus Israel propagatum est. Vidisti quomodo non frustra, neque temere numerum eorum, qui in Aegyptum descenderunt, nos docuerit, sed vt scire possimus quàm multi ex tam paucis facti sint, & diuinis promissionibus ne minus credamus. Nam quando cogitas quòd post mortem Iacob & Ioseph, tāta machinatione vsus Aegyptiorum rex, vt numerum eorum minueret & paruum faceret, ne in tantam propagaretur multitudinem, nihil potuerit, sed magis & magis creuerit populus, admirare & stupefcere misericordiam dei, & quòd non sit possibile cassare quæ ipse arbitratus fuerit, etiā si infinita machinētur alij. Ad hæc, Origenes homilia prima in primum caput Exodi legit: Erant autem omnes animæ de Iacob septuagintaquinque.

CAPVT IIII.

Ioseph non excusatur à mendacio, quòd dixerit suos fratres esse exploratores. Hanc ex Augustino Assertionem deducam, qui pulchre & erudite docet quæstione 68. super Leuiticum, discrimen inter calumniam & mendacium, exponēdo illud Leuitici, Non furtū facietis, neque mentimini, neque calumniam faciet vnusquisque proximo suo, vbi dicit, calumniam fieri non posse sine mendacio, quod falsi testimonij generalitate concluditur. Sed vtrum hæc aliqua compensatione admittenda sint, magna (inquit) quæstio est, sicut de mendacio penè omnibus videtur, quòd vbi nemo læditur, pro salute mentiendum est. Hæc tamen minime approbantur à Theologis, quòd scilicet vbi nemo læditur, pro salute mentiendum sit. Nam mendacium auctore Philosopho, nullo modo potest bene fieri, & intrinsece malum cœsetur. Sed pergamus ad ea quæ nostræ assertioni fauere videbuntur. Vtrum ergo (inquit) ita & de furto, an furtum fieri potest, vbi nullus læditur? Quinimò fieri potest etiam quando ei cui fit, consultitur: tanquam si quisquam hominum volenti se occidere, gladium furetur. Nam calumnia nescio vtrum cuiquam ad eius vtilitatem fieri possit, nisi forte quod ad maius gaudium fiebat, quo postea fruerebatur, quòd Ioseph de cypho calumniabatur fratribus suis, quibus etiam explorationis falsum crimen intenderat. Ex his verbis ratiocinari possumus, Ioseph incidisse in mēdacium, cum suos fratres

Chrysofomus.

Origenes

Leuit. 19.

Augustinus

vocauit exploratores, nam falsum explorationis crimen intendebat. Et subiungit, Quamquam si definitionibus ita determinare tentemus, fortasse furtum non est, nisi quando alieno occulte ablato proximus læditur: & calūnia non est, nisi quando falsi criminis obiectione proximus læditur: mendacium autem non possumus dicere tunc tantummodo esse, quando proximus læditur: cum enim falsum ab sciente dicitur, proculdubio mendacium est, siue illo quisquam, siue nemo lædatur. Hæc ille. Quamuis igitur Ioseph non fecerit suis fratribus calumniam cum eos exploratores vocauit, tamen intendendo falsum explorationis crimen, mentiebatur. Fauet & nostræ assertioni Lyranus, enarrans illum Geneseos locū, Exploratores estis, vt videatis infirmiora terræ venistis, cui tamen absque vlla fictione responderunt: Non est ita domine, sed serui tui venerūt vt emerent cibos. Omnes filij vnus viri sumus. Aliqui (inquit Lyranus) excusant Ioseph à mendacio, dicunt enim quòd intelligebat eos inuenisse & explorasse viam meliorem & securiorem qua transire possent, quorum tamen expositionem reijcit vt extortam, non enim hac prætextata explicatione excusandus est Ioseph à mendacio, quia quacunque arte verborum aliquis fallat alium, mēdacium incurrit, vt vult Augustinus. Nec est aliqua necessitas excusandi Ioseph hic & in sequentibus, à mendacio maxime officioso. Nam illis verbis prætendebat deuenire ad cognitionē veritatis de affectu fratrum suorum erga Benjamin fratrem suum vterinū, & vtrum eos pœniteret quòd eum vendidissent. tale autem mēdacium, peccatum est veniale, in quo non oportet Ioseph excusari. Si enim apostoli perfectiores multo antiquis patribus, deliquerint saltem venialiter, non addubitandum est illos deliquisse venialiter. Videtur tamen Chrysofomus excusare Ioseph à mendacio, edisserens particulatim homilia 64. quæ de hoc scrupo pertractantur in 42. capite Geneseos, nec tamen obstringimur illi credere, quia solū probabiliter disserit, nec planè illum excusat, nec accusat. Ad hæc verba, Exploratores estis, &c. dicit introducendo personam Ioseph loquentis, Non recta mente aduenistis, videmini arte & malignitate quadā huc profecti. Illi autē anxij dixerūt: Non domine. Et id quod discere studebat Ioseph, hoc à semetipsis docēt & dicit, Serui tui venimus, vt emamus frumenta. Omnes filij sumus vnus viri, pacifici sumus, non sunt serui tui exploratores, id est, Adhuc pro seipsis satiffa ciebant, & timore attoniti, mente nondū quæ ad Ioseph pertinebāt, dixerant: ideo perseuerans dicebat: Nō, sed venistis vt vestigia terræ exploretis. Superuacue (inquit) hæc mihi dicitis, etenim hoc habitus vestri aduentus declarat, quòd malitia quadam exciti huc venistis. Illi autem necessitate eoacti, & volentes eum ad misericordiam flectere, dicit: Duodecim sumus fratres tui, id est: O verborum deceptionem, etiam eum quem negotiatoribus vendiderant, in numero suo recensent. Et non dicunt, duodecim fuimus, sed duodecim sumus fratres, & ecce iunior cum patre nostro, alius autem non superest. Nec dicunt rem manifeste, sed tantum non superest. Ex hoc in suspicionem venit, ne forte & Benjamin simili modo affectissent. Hoc est (inquit) quod dixi vobis, quòd exploratores sitis. Nequaquā hinc mihi exhibitis, quousque frater vester iunior venerit huc: illum videre volo, id est: cupio videre eum, qui ex eodem vtero natus est: suspicor enim ex his quæ aduersus me egistis, mentem vestram fraterno odio laborare. Si igitur vultis, mittite vnum ex vobis, & adducat eū: vos autem manete in carcere, donec ille venerit. ille enim cum aduenerit, docebit num vera sint quæ dicitis, & liberabit vos ab omni suspicionem: Nam si hoc non fuerit, manifestum est quòd exploratores sitis, & propterea huc veneritis. Posuit autem eos in carcere. Vide quomodo ipsorum probat animū, & per ea quæ illis facit, suam erga fratres declarat beneuolentiam. Astipulatur & Chrysofomo Iosephus libro 2. Antiquitatum Iudaicarum, capite 5. vbi videtur innuere Ioseph solum appellasse suos fratres exploratores, vt resciret quidnam illi sentirent, & extorqueret ab eis veritatem quam tandem professi sunt. Tentabat (inquit) eos vt dicerent quam haberent de rebus omnibus voluntatem. Quibus frumenta qui-

Lyranus.
Gene. 42.

Chrysofomus

Iosephus.

dem non vanundabat, exploratores vero rerum principis esse dicebat, & ex multis quidem locis eos esse congregatos: excusationis vero causa se cognatos afferere, impossibile dicens esse viro idiotæ tales filios & forma ita clarissimos enutrire, quæ regibus tot filiorum copia esset valde difficilis, vt per hæc etiam de patre quæ prouenissent latenter agnosceret, similiter & vt de fratre suo Benjamin audiret. Metuebat enim ne forsitan & in illum, vt in se quoque peccauerant, aliquid deliquissent.

CAPVT V.

Iosue & Hebræorum principes, obstringebantur seruare iuramentum fœderis cum Gabaonitis.] Hanc deducam Assertionem ex his quæ in libro Iosue scripta sunt, Filij Israel pepercerunt Gabaonitis, eo quod iurassent eis principes multitudinis in nomine domini dei Israel, murmurauit tamen omne vulgus contra principes Israel, qui responderunt eis: Iurauimus eis in nomine domini dei Israel, & idcirco non possumus eos contingere, sed hoc faciemus eis: Reseruentur quidem vt uiuant, ne contra nos ira domini concitetur, si peierauerimus, sed sic uiuent, vt in vsu vniuersæ multitudinis ligna cadant, aquasque comportent. quibus hæc loquentibus, vocauit Gabaonitas Iosue, & dixit eis: Cur nos decipere fraude voluistis, vt diceretis procul valde habitamus à vobis, cum in medio nostri sitis? Itaque sub maledictione eritis, & non deficiet de stirpe vestra ligna cædens, aquasque comportans in domum dei mei. Qui responderunt: Nuntiatum est nobis seruis tuis quod promississet dominus deus tuus Moyfi seruo suo vt traderet vobis omnem terram, & disperderet cunctos habitatores eius. Timuimus igitur valde, & prouidimus animabus nostris, vestro terrore cõpulsis, & hoc cõsiliu inuimus. Nunc autem in manu tua sumus, quod tibi bonum & rectum videtur, fac nobis. Fecit ergo Iosue vt dixerat, & liberauit eos de manibus filiorum Israel, vt non occiderentur, decreuitque in illo die eos esse in ministerio cuncti populi & altaris domini, cædentes ligna, & aquas cõportantes vsque in præsens tempus, in loco quem dominus elegisset. Hæc historia. Et licet filij Israel non debuerint inire fœdus cum extraneis & infidelibus, sed potius eos interficere iussu domini, tamen pepercerunt Gabaonitis (quos poterant licite interimere) ne violarent iuramentum. Nec huic aduersatur assertioni Augustinus, quæstione 13. super Iosue, vbi dicit: Quæri potest quomodo iurationem seruandam esse crediderunt Hebræi Gabaonitis, quibus ita iurauerant tanquã de longinqua terra venientibus, sicut illi mentiti fuerant. Sciebant enim se debellandos, si cognitum esset Hebræis in ea terra eos habitare, quam promissam fuerant ab habitantibus recepturi. Mentientibus ergo quod de longinqua terra ad eos venissent, iurauerunt eis Israelitæ. Postea vero quàm cognouerunt ibi eos habitare, vbi omnes quos inuenerant, secundum dei præceptum debellare oportebat, nolébãt tamen frangere iurationem. Et licet eos mentitos esse didicissent, parcere maluerunt iurationis causa, cū possent vtique dicere se tantum illis iurasse, quos eos esse crediderant, id est de longinquo venientes. Cum vero aliud cognouerunt, præceptum circa eos domini implendum erat, vt sicuti ceteri expugnarentur. Deus autem hoc approbavit, nec parentibus succensuit, quamuis eum non interrogassent quinam illi essent, & ideo eos illi fallere valuissent. Vnde non importune vtique credendi sunt, etsi fallere homines pro sua salute voluerunt, non tamẽ fallaciter deum timuisse in populo eius, propterea nec succensuit dominus iurantibus aut parentibus, vt postea Gabaonitas ipsos tanquã populi sui homines de domo Saul vindicauerit, sicut Regnorum ostendit historia. Et quoniam iuratio sic seruata est, quamuis in hominibus qui mentiti sunt, vt ad clementiam sententia flecteretur, non displicuit deo. Nam si e contrario iurassent aliquos se interfekturos quos Gabaonitas in terra promissionis esse putauissent, & postea didicissent eos esse ab illa terra extraneos, & de longinquo ad se venisse, nullo modo arbitrandum est quod eos essent debellaturi causa iurationis implendæ, cū propter ipsam parcendi clementiam sanctus Dauid etiam post verba, quibus se Nabal

Iosue 9.

Augustinus

interfecturum esse iurauerat, vtique sciens quem fuerat interfekturus, parcere maluit, nec in re duriore implere iuramentum, magis deo placere existimans, si quod ira perturbatus, ad nocendum iurauerat, non fecisset, quàm si perfecisset. ¶ Dicit aliquis, Iuramentum quod diuino præcepto aduersatur, non est obseruandum, sed illud iuramentum diuino præcepto aduersatur: igitur non erat obseruandum. Maior est notissima, quia nihil agendum est contra dei præceptum. Minorem suadeo. Præceperat dominus omnes habitatores illius terræ occidi, vt habetur Numerorũ 33. Quando trãseritis Iordanem intrantes terram Chanaan, disperdite cunctos habitatores terræ illius, confringite titulos, & statuas comminuete, atque omnia excelsa vastate, mundantes terram, & habitantes in ea. Ego enim dedi vobis illam in possessionem, quam diuidetis vobis sorte. Adde quod iuramentum conditionatum non habet vim deficiente conditione. Nam eius virtus innitur conditioni. Sed illud iuramentum fuit conditionatum, modo illi quibus fiebat, non essent de terra promissionis, & hæc conditio non sterit: nam habitabant illi in terra Chanaã. Tum etiam fraus & dolus nulli debent patrocinari, sed Gabaonitæ dolum & fraudem commiserunt, nec abstinerunt à mendacio, vt ostendit caput Iosue iam adductum. Igitur Iosue vnã cum principibus Hebræorum non astringebatur illud iuramentum obseruare. ¶ Istis respondet argumentis Lyranus in nono caput Iosue, sed prius adnotat quæ diluendis obiectionibus non mediocre præstant adiumentum. Triplici (inquit) ratione seruandum erat illud iuramentum. Prima accipitur ex parte Gabaonitarum, qui venerunt ad Iosue in nomine domini, volentes eius cultui subijci, quare præceptum domini de interficiendis habitatoribus terræ non militabat contra Gabaonitas. Siquidẽ præceptum illud datum erat propter malitiam habitantium in terra & eorũ obstinatione. Domini enim sententia fuerat vt indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Israel, & caderent, & non mereretur vllam clementiam, ac perirent sicut præceperat dominus Moyfi. Gabaonitæ autem volentes deũ Israel colere, meruerunt dei clementiã. Secunda ratio desumitur ex parte filiorum Israel. nam istud fuit primum pactum & iuramentum quod fecerunt extraneis gentibus, excepto tamen iuramento particulari ipsi Raab factõ, vt ostendit 2. caput Iosue. Istud autem iuramentum fuit commune, quod si fregissent iuramentum occidendo ipsos Gabaonitas, quibus iurauerant quod non occiderentur, hoc fuisset cõterminis & vicinis diuulgatum, & reputati fuissent filij Israel perfidi & infideles, quod in maximum illorum scandalum & dedecus cessisset, fecissent etiam Hebræi deo irreuerentiam & blasphemiam: vt autem hæc incommoda vitarentur, curauerunt iuramentum obseruari. Tertia ex parte dei, qui pronior est multo ad miserandum quàm ad condemnandum. Et ideo credendum est Iosue ex familiari dei consilio mortem illorum corporalem, commutasse in ciuilem, vt scilicet premerentur oneribus portandis, & mendacij pœnas luerent, obseruato iuramento. Quod autem dominus hanc sententiam approbauerit, patet ex hoc quod propter iniustam afflictionem Gabaonitarum à Saule factam, fuit fames in terra Israel tribus annis, & septem viri de stirpe Saulis fuerunt crucifixi, vt habetur 2. Regũ 21. cap. Istis adnotatis facile est primam rationem diluere, negando minorem, nec eius probatio militat contra Gabaonitas, quia solum interficiendi erant illi qui in sua infidelitate & pertinaci malitia persistenterent. Secundæ rationis solutio, Licet in contractu & pacto cum Gabaonitis facta fuerit conditionis mentio, tamen cum postea iurauerunt principes, conditio illa non fuit posita sub forma iuramenti, & licet fuisset posita, poterat tamen iuramentum obseruari propter rationes adductas. Tertiam rationem ita diluimus: Fraus & dolus cum ordinantur in malum finem & detrimentum alterius, nulli debent patrocinari, sed non ita erat de astutia & dolo Gabaonitarũ, quorum mendacia & commenta licet essent ex se mala, tamen ordinabatur ad bonum finem, scilicet ad salutem eorum cum corporalem tum spiritualem. ¶ Conflitaberis aduersum Lyranum, Si iuramentum illud non fuerit contra dei prohibitionem

Nume. 33.

Lyranus.

factum, eo quod Gabaonitæ volebant ab infidelitate resipiscere. videtur igitur quod illud iuramentum fuerit licitum, oppositum tamen nunc ostendemus. Item si voluissent Gabaonitæ vnum deum colere, & adherere religioni Iudæorum, Iosue non succensisset tantopere Gabaonitis, dicendo: Cur nos decipere fraude voluistis, & diceretis procul valde habitamus à vobis, cū in medio nostri sitis? Et potuisset præceptum domini de enecandis habitatoribus terræ promissionis interpretari, de his qui pertinaces essent in pristinis erroribus, & nollēt ab infidelitate ad fidem veri dei deficere. Secunda ratio non multum habet ponderis, quia Iosue Gabaonitis succensuit quod voluerint callide decipere Hebræos, & quod merum admisissent mendacium: & licet Gabaonitæ voluissent vnum deum colere, forsitan ignorabat Iosue & putabat illos omnia dolo intentasse, & finxisse se velle deū Israel colere. Videtur tamen contextus ostendere illos partim timore pœnarum adductos ad cultū vnius dei, quod (vt visum est) existimat Augustinus, dicens Gabaonitas non fallaciter timuisse deum in populo eius, non enim eos latebat Hay & Hiericho cecidisse manu dei vltice. Dixerūt enim Iosue: De terra longinqua valde venerūt serui tui, in nomine dei tui. Audiuimus enim famā potentiae eius cuncta quæ fecit in Aegypto, & duobus regibus Amorrhæorum qui fuerunt trans Iordanem, Seon regi Efebon, & Og regi Basan, qui erant in Astaroth. Dixeruntque nobis seniores & omnes habitatores terræ nostræ: Tollite in manibus vestris cibaria ob longissimam viam, & occurrite eis & dicite: Serui vestri sumus, foedus inite nobiscum. Ad primam rationem diceret aliquis, Lyrantum non negasse illud iuramentū fuisse licitum, quia prohibitio illa excludebat Gabaonitas ad deum conuersos, nec fuit contrariae sententiae Augustinus. Nam (vt paulo ante commemorauimus) dicit deum non succensuisse iurantibus nec parentibus. quod si non succensuerit iurantibus, iusiurandum illud non erat illicitum, alioqui deus illis iurantibus succensuisset: & quia nec succensuit parentibus, iuramentum illud licite obseruauerunt. Adde quod Ambrosius libro 3. Offic. cap. 10. commendat fidem Iosue in hoc facto iuramēti religione firmatam, vbi dicit: Veterem autem istam de dolo non iurisperitorum formulam, sed patriarcharum sententiam scriptura diuina euidenter expressit in libro testamenti veteris, qui Iesu Naue inscribitur. Nam cum exisset fama per populos, sicca tum esse mare in Hebræorū transitu, fluxisse aquam de petra, diurnam de caelo administrari alimoniam tot populi milibus abundantem, corruisse muros Hiericho sacro tubarum sono ictos, & vltulatu plebis arietatos, Gethæorum quoque regem victum, & suspensum in ligno vsque ad vesperam. Gabaonitæ metuētes validam manum, venerunt cum versutia, simulantes se de terra longinqua esse, diūque peregrinatos dirupisse calciamenta, detriuisse amictus vestium, quarum veterascensium indicia monstrarent. Causam autem tanti laboris, emerendæ pacis, & ineundæ cum Hebræis esse amicitiae cupiditatem, & coeperunt ab Iesu Naue poscere vt secum firmaret societatem. Et quia adhuc erat ignarus locorum, atque incolarum inscius, nō cognouit fraudes eorum, neque dominum interrogauit, sed cito credidit, adeo sancta erat illis tēporibus fides, vt fallere aliquos posse non crederetur. Quis hoc reprehendat in sanctis, qui cæteros de suo affectu æstimant? Et quia ipsis amica est veritas, mentiri neminē putant, fallere quid sit ignorant, libenter credunt quod ipsi sunt, nec possunt suspectum habere quod non sunt. Hinc Salomon ait, Innocens credit omni verbo. Non vituperanda facilitas, sed laudanda bonitas, hoc est innocentem esse, ignorare quod noceat: etsi circumscribitur ab aliquo, de omnibus tamen bene iudicat, qui fidem esse in omnibus arbitratur. Hac igitur mētis suæ deuotione inclinatus vt crederet, testamentum disposuit, pacem dedit, confirmauit societatem: sed vbi in terras eorum ventum est, deprehensa fraude quod cum essent finitimi, aduenas se esse simulauerant, circumscripsum sese populus patrum indignari coepit: Iesus autem pacem quam dederat, reuocandam non censuit, quia firmata erat sacramenti religione: ne dum alienam perfidiam arguit, suam fidem solueret.

Iosue 9.

Ambrosius.

Mulctauit tamen eos vilioris obsequio ministerij: clementior sententia, sed diuturnior. Manet enim officij pœna veteris astutiae hæreditario in hunc diem ministerio deputata. Hæc ille. Gratianus 22. quaestione 4. cap. Innocens, asserit iuramentum Iosue & principum Israel, Gabaonitis factum, fuisse illicitum, ab eis tamē licite obseruatum est: illi astipulaberis si velis, nec ficulnea mouetur ratione ad suam opinionem confirmandam: quia iusiurandum illud de inita pace cum Gabaonitis erat contra præceptum dei. An tamen ita sit, paulo antè ex sententia Lyrani expressimus. Nec me pigebit in hunc locum adducere quæ de hac re scribit Gratianus, Illicitum (inquit) iuramentum quod seruari prohibetur, intelligendum est quod scitur esse illicitum dum iuratur. Si autem nescitur illicitum esse, ipsa ignorantia excusat, si putetur illicitum esse non ex ignorantia iuris, sed facti. Aliud enim est si alicuius copula creditur esse licita, quia nescitur esse cōsanguinea, vel quia creditur esse vidua, aliud si ideo putatur licita, quia cōsanguinearum coniunctio, vel relictarum copula nullo iure credatur esse prohibita: hic enim est ignorantia iuris, quæ neminem excusat, nisi cui permittitur ius ignorare: ibi vero ignorantia facti, qua quisque vere excusatur. Seniores autem Israel non ignorabant gētes terræ promissionis ex præcepto domini esse delendas, sed ignorabant Gabaonitas esse incolas terræ promissionis: ignorabant siquidem factum, sed non ignorabāt ius facti. Atque ideo etsi illicitum esset quod iurauerunt, tamen licite seruari debuit, quod iuramento firmauerunt. Quod autem illicitum iuramentum seruari prohibetur, non est generaliter intelligendum. Iuramentum nanque (vt Hieronymus testatur super Hieremiam) debet habere tres comites: veritatem, iudicium, & iustitiam: vbi autem ista defuerint, non est iuramentum, sed periurium: vnde datur intelligi illicitū esse iuramentum, cui aliquod istorum defuerit, non tamen cuiusque contigerit aliquod istorum deesse, prohibetur seruari, aliquando nanque iuramento deest iustitia, veluti cum quispiam post votum castitatis ducit uxorem, iuramento firmans nunquam se ab ea discessurum: quod quamuis illicitum sit, quia iustitia sibi probatur deesse, tamen auctoritate Augustini seruari præcipitur. Hoc autem si quis contendat prærogatiua coniugij, non propter religionem iusiurandi seruari, animaduertat Gabaonitas ob solam religionem contra domini imperium referuatos. Cum ergo omne domini præceptū iustum sit, pater ei iustitiam deesse quod eius præcepto contrarium inuenitur. Iudicium quoque aliquando iuramento constat deesse, veluti cum propria meritate aliquis ductus iurat se manducaturum & bibiturum: hoc quamuis leuitate indiscreta illicitum probetur, non tamen ideo violari iubetur iuramentum, itaque multipliciter illicitum intelligitur. Est enim illicitum aliquando ex eo quod iuratur, aliquando ex causa extraneienti, aliquando ex modo iurandi. Ex eo quod iuratur, tunc est illicitum iuramentum, quando id quod iuratur in sui natura vitiosum est, vel vitam adimens: vt adulterium, homicidium, & his similia: vel reparare non permittēs, veluti cum inimico ad pacem non redire, indigenti misericorditer non subuenire: ista quia perspicuam in se habent iniustitiam, etsi iuramento firmentur, tamen seruari non debent. circa hæc vtique iuramenta intelligenda sunt quæ de illicitis iuramentis non obseruandis supra statuta leguntur. Quisquis ergo se iuramento firmauerit aliquid facturum, quo vel corporalis vel spiritalis salus adimatur vel sine quo vtraque salus reparari vel cōfirmari non possit, fidem promissam seruare prohibetur: quorum exempla præmissæ auctoritates subiiciunt, dum cum qui homicidium facere, vel alimenta matri & fratribus non subministrare, in adulterio permanere, vel ad pacem cum aduersario non redire, iuramento præstando promiserit, salubriori consilio illicita vota obseruare non permittunt. Est etiam id quod iuratur, aliquando vitiosum non in natura sui, sed ex causis extraneietibus: veluti cum aliquis post votum castitatis iurat alicui se habiturum eam in coniugē coniugem nanque habere, in seipso malum non est, tamen huic ex voto perniciosum est: hoc autem iuramentum etiam si illicitum sit, non tamen seruari prohibe-

Gratianus.

tur, sed de violatione voti poenitentia sibi iubetur indici. Ex modo iurandi tunc est illicitum iuramentum, quando inconsiderate & incircumspecte aliquid iuratur, quo nec corporalis nec spiritalis salus adiuuatur, & sine quo vtraque salus reparari, & vita conseruari valet: veluti dum aliquis a parentibus coactus, vt clericatus tonsuram, vel religionis vestem suscipiat, se neutrum facturum iuramento firmaverit: hoc quavis aliquibus videatur reprehensibile, quia opus charitatis iuramento se non facturum promissit, nulla tamen auctoritate seruari prohibetur: quia etsi nunquam clericatus tonsuram vel religionis vestem suscipiat, non tamen ideo minus salutem promereri valet, cum nonnulli in laicali habitu sanctissimi, & deo dilecti inueniantur, quo exemplo euidenter datur intelligi quotiens aliquis iurat se non facturum aliquid, quo expeditior sibi via praeparatur ad beatitudinem, dummodo sine eo valeat salutem inuenire: quod iuramentum non prohibetur seruare. Vnde cum nos iuramus non daturus aliquid alicui, sine quo vtraque salus eius potest esse incolumis, etsi aliqua ex ea sibi commoditas praeretur, nulla tamen auctoritate iuramentum seruare prohibemur, dummodo sit nobis alia via necessitatis eius subueniendi.

CAPVT VI.

Iephte deliquit suam offerendo filiam in holocaustum, nec eius votum probatur.] Hanc in primis suadebo Assertionem ex scripturis veteris testamenti, deinde doctrina eruditissimorum hominum confirmabo. Iephte pugnaturus contra filios Ammon votum vouit domino, dicens: Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meae, mihi que occurrerit reuertenti cum pace a filiis Ammon, eum holocaustum offeram domino. Transiitque Iephte ad filios Ammon vt pugnaret contra eos, quos tradidit dominus in manus eius. Percussitque ab Aroer vsque dum venias in Mennith viginti ciuitates, & vsque ad Abel, quae est vinctis confita plaga magna nimis humiliatque sunt filij Ammon a filiis Israel. Reuertenti autem Iephte in Maspha domum suam, occurrit ei vnigenita filia sua cum tympanis & choris: non enim habebat alios liberos. Quia visa, scidit vestimenta sua, & ait: Heu me filia mi, decepisti me, & ipsa decepta es. Aperui enim os meum ad dominum, & aliud facere non potero. Cui illa respondit: Pater mi, si aperuisti os tuum ad dominum, fac mihi quodcumque pollicitus es, concessa tibi vltione atque victoria de hostibus tuis. Dixitque ad patrem: Hoc solum mihi praesta quod deprecor, Dimitte me vt duobus mensibus circummeam montes, & plangam virginitatem meam cum sodalibus meis. Cui ille respondit: Vade. Et dimisit eam duobus mensibus. Cumque abisset cum socijs ac sodalibus suis, flebat virginitatem suam in montibus. Expletisque duobus mensibus reuersa est ad patrem suum, & fecit ei sicut vouerat, quae ignorabat virum. Exinde mos increuit in Israel, & consuetudo seruata est, vt post anni circulum conueniant in vnum filiae Israel, & plangant filij Iephte Galaaditae diebus quatuor. Haecenus historia. Ex qua non difficile erit colligere ipsum Iephte, indiscrete & imprudenter vouisse, quod scilicet quicquid sibi reuertenti a certamine occurreret, deo in holocaustum offerret. non enim exceptit animal quod non immolabatur, aut quod immolari non consueuerat: humana siquidem holocausta vetera erant, neque deo placebant, nisi deus specialiter praecipisset hominem sibi immolari, quod non praeeperat Iephte, vt scilicet filiam suam virginem offerret in sacrificium, debuit solum ille vouere se oblaturum deo animal immolatum, & non suum profundero sermonem in cuiusuis animalis immolatione. Adde quod si votum illud deo placuisset, nec deliquisset Iephte promittendo se oblaturum deo in holocaustum suam filiam, non se discruciasset tanto dolore cum ei a bello reuertenti filia occurrerit. Videtur Augustinus hanc maxime confirmare sententiam, quae est. 49. super Iudicum, multorum iudicio: vbi amplissime differit de sacrificijs quae deo offerri debebant, & quae prohibita illis erant illi offerri. De filia (inquit) Iephte, quod eam pater in holocaustoma obtulit deo, quonia in bello vouerat si vicisset, eum se holocausto

Iudic. xxi

Augustinus

ma oblaturum qui sibi de domo exiens occurrisset, quod cum vouisset, vicit. Et occurrente sibi filia quod vouerat, reddidit. solet esse magna & ad diiudicandum difficillima quaestio: quibusdam quid sibi hoc velit nosse cupientibus & pie quaerentibus, quibusdam vero qui scripturis his sanctis imperita impietate aduersantur, hoc maxime in crimen vocantibus, quod legis & prophetarum deus, etiam humanis sacrificijs fuerit delectatus. Quorum calumnijs sic primitus respondemus, vt deum legis & prophetarum, atque (vt expressius dicam) deum Abraham, & deum Isaac, & deum Iacob, nec illa sacrificia delectarint, vbi pecorum holocausta offerebantur, sed quod significatiua fuerint, & quaedam vmbra futurorum, res ipsas nobis quae his sacrificijs significabantur, commendare voluisse. fuisse autem etiam istam vtilem causam, cur illa mutarentur: nec modo iuberentur, imò prohiberentur offerri, ne vere secundum carnalem affectum talibus deum delectari putaremus. Sed vtrum etiam humanis sacrificijs significari futura oportuerit, merito quaeritur, non quod mortes hominum quandoque moriturorum in hac causa exhorrescere & formidare deberemus, si illi qui haec de se fieri gratanter acciperent in aeternam remunerationem commendarentur deo. Sed si hoc verum esset, hoc genus sacrificiorum deo non displiceret. Displicere autem deo satis euidenter eadem scriptura testatur. Nam cum omnia primogenita sibi dicari & sua esse voluerit atque praeeperit, reddimi tamen a se voluit primogenita hominum, ne immolandos deo crederent filios suos, quos natos primitus suscepissent. Denique hoc apertius ita loquitur, quod humana holocausta sic deus improbet, vt prohibeat detestans ea in alijs gentibus & populo suo praecipiens, ne audeat imitari: Si autem (inquit) exterminauerit dominus deus tuus gentes, in quas tu intrabis haereditare terram eorum in conspectu tuo, & haereditabis eos, & habitabis in terra eorum: attende tibi ipsi ne exquiras deos eorum dicens, quemadmodum faciunt gentes dijs suis, faciam & ego: non facies ita domino deo tuo. Abominamenta enim quae dominus odit, fecerunt dijs suis: quoniam & filios suos & filias suas comburunt igni dijs suis. Quid euidentius ostendi potest his sanctae scripturae testimonijs, vt aliam huiusmodi omittam, quam deum a quo haec scriptura humano generi contributa est, non solum non diligere, verum etiam odisse talia sacrificia in quibus homines immolantur? Illa plane diligit & coronat, cum quisque iustus iniquitatem patiens vsque ad mortem pro veritate decertat, vel ab inimicis quos pro iustitia offendit, occiditur, retribuens eis bona pro malis, id est pro odio dilectionem. Talem dicit dominus sanguinem iustum, a sanguine Abel vsque ad sanguinem Zachariae. Praecipue autem quod sanguinem fudit ipse pro nobis, & sacrificium seipsum obtulit deo. Sic vtrique obrulit, vt ab inimicis pro iustitia occideretur, hunc imitata martyrum milia vsque ad mortem pro veritate certarunt, & ab inimicis saeuientibus immolata sunt. de quibus dicit scriptura: Tanquam aurum in fornace probauit illos, & sicut holocausti hostiam accepit illos. Vnde & Apostolus dicit: Ego enim iam immolor. Sed non sic Iephte de filia fecit holocaustoma domino, sed sicut praecipitum fuerat pecora offerri, & prohibitum fuerat homines immolari. Magis hoc illi simile videtur quod fecit Abraham, quod dominus specialiter fieri praecipit, non generali lege vt talia sibi sacrificia fierent, aliquando mandauit: imò etiam fieri omnino prohibuit. Distat hoc itaque quod Iephte fecit a facto Abraham, quonia ipse iussus obrulit filium, iste autem fecit quod & lege vetabatur, & nullo speciali iubebatur imperio. Deinde non solum in sua lege postea, verum etiam tunc dominus in ipso Abraham filio talibus sacrificijs quod non delectaretur ostendit, cum patrem cuius fidem iubendo probauerat, a filij tamen interfectione prohibuit, ac arietem quo sacrificium licite secundum veterem congrua temporibus consuetudinem compleretur, apposuit. Si autem hoc quaequam mouet, quomodo pie crediderit Abraham dominum sacrificijs talibus delectari si haec illicite offeruntur deo, & ideo putat recte credidisse etiam Iephte quod tale sacrificium deo posset esse acceptum, primo consideret aliud esse vltro vouere aliud

KK. j.

Exod. 13. &
Nume. 3.

Nume. 18.

Matth. 23.

Sap. 3.
2. Tim. 4.

Gene. 22.

iubenti obtēperare. Nō enim si aliquid præter morē in domo à domino institutū feruo iubetur, atq; id laudabili obediētia facit, ideo non est plectēdus, si hoc facere spōte præsumpserit. Deinde habebat quod crederet Abrahā, vt propter diuinū imperiū non parceret filio, non credens deū tales victimas libēter accipere, sed hoc eum propterea iussisse, vt resuscitaret occisum, & hinc aliquid tanquam deus sapiēs demonstraret. Nam hoc de illo etiā in epistola legitur quæ inscribitur ad Hebræos, & fides eius, quia hoc de deo crediderit, q̄ posset filium eius suscitare, laudatur. Iste vero & deo non iubentē, neq; poscente, & contra legitimū eius præceptū vltro sacrificium vouit humanum, nec his verbis, Quicumq; mihi reuertenti à bello occurrit, eum offeram domino holocaustum: pecus aliquod vouit, quod secundū legem holocaustoma posset offerre. Neq; enim est aut fuit cōsuetudinis, vt redeuntibus cum victoria de bello ducibus pecora occurrerent. Deinde dicit Augustinus cōmuni ad hærendo sentētiæ, & de tali facto suam ferēdo sententiā: Quia ergo de isto Iephte facto in neutrá partē, sentētiā scriptura dei protulit, vt noster intellectus in iudicādo exerceatur, possemus iam dicere, deo displicuisse tale votum, & ad illam perductum esse vindictam vt patri potissimum filia vnica occurreret, quod si sperasset atque vouisset, non continuo vt eam vidit, scidisset vestimenta sua, & dixisset: Heu me filia mea, impedisti me, in offendiculum facta es in oculis meis. Deinde sexaginta dierum tam lōga dilatione data filia suæ, dominus ab vnica & charissimæ nece, cum eum non prohibuerit, sicut prohibuit Abraham, donec perficiendo quod vouerat seipsum percuteret orbitate grauissima, Deum autem nequaquam hominis immolatione placaret, & ideo huiuscemodi patri pœnam fuisse retributam, ne impunitum talis voti relinqueretur exemplum, vt aut ne magnum aliquid se vouere deo putarent homines, cum victimas humanas vouerent, & quod est horribilius filiorum, aut non vera sed potius simulata eadem vota essent, cum velut exemplo Abrahæ sperarent qui vouissent, deum prohibitorum talia vota compleri. Videtur tamen Augustinus dubius & maxime perplexus in huiusce scrupi discussione, modo plurimum sectando sententiā, ipsius Iephte factum reprobatur, & ita non absque ratione iam iudicauit, modo declinat propter duas auctoritates sacræ scripturæ, quæ videntur ipsius Iephte factum nō tam excusare quàm approbare, quibus tamen non difficile est respondere. Possemus (inquit) hæc dicere, nisi ab ista sententiā duo nos præcipue diuinarum scripturarum testimonia retardarent, vt hanc rem gestam, & in his libris tantæ auctoritatis memoriæ commēdatam, diligentius quantum dominus adiuuat, & cautius perferretur, ne in vllam partē iudicium temerarium proferamus. Vnum q̄ in epistola ad Hebræos iste Iephte inter tales commemoratur vt eum culpāre vereamur, vbi sic scriptum est: Et quid adhuc dicam? Deficit enim me tempus enarrandi de Gedeon, Barach, Sampson, & Iephte, & Dauid, & Samuel, & prophetis, qui per fidem vicerunt regna, operantes iustitiam, consecuti sunt promissiones. Huic tamen auctoritati respondere conabor. Non ex eo Paulus ipsum Iephte virorum optimorum & sanctissimorum catalogo ascribit, q̄ nunquam deliquerit in suis factis, alioqui dicendum esset omnes hic cōnumeratos nunquam deliquisse, quod est impium & hæreticum: sed quia Iephte fide sincera vnā cum honestis vitæ officijs ad dei regnum peruenerit, nec mortuus sit in peccato mortali, licet aliquando deliquerit. Laudandus est affectus ipsius Iephte quo erga deum afficiebatur, cui ob victoriā obtentam munus obtulit, ne ingratitude nota inureretur: sed factum eius non est laudandum. Alterum Augustinus ex factis literis profert testimonium, quod vbi de illo ista narratur, quod tale vouerit & impleuerit votum, præmisit scriptura dicens: Et factus est super Iephte spiritus domini, & perrexit Galaad & Manasse, & transijt speculam Galaad, & de specula Galaad tránsijt ad filios Ammon, & votū vouit Iephte domino, & cætera ad hoc ipsum votum pertinentia, vt omnia quæ deinceps facta sunt, tanquam opera spiritus domini qui super eum factus est, intelligenda facta videantur. Ista testimo-

Hebr. xi.

Ibidem.

nia nos compellunt quærere potius cur factum sit, quàm facile improbare quod factum est. Diluam ego & quod ex contextu adduxit vt Iephte factum excusaret. Non enim factus est super Iephte spiritus domini vt voueret deo suam filiā in holocaustum, alioqui instinctu huius spiritus ad vouendum ductus, non vsque adeo doluisset se immolaturum deo suam filiam, sed spiritu dei ductus est ad pugnam contra filios Ammon, & vt facilius assequeretur victoriā, vouit se immolaturum deo eum qui sibi à certamine reuertenti occurreret. Nec obtinuit victoriā propter illud votum, alioqui votum illud non displicuisset deo, sed propter feruentissimam fidem qua credebat deum quem sincero affectu colebat, sibi daturū victoriā contra infideles. Sanctus Thomas 2.2. quæstione. 88. articulo secundo improbat factum Iephte & votum, vt respondeat illi auctoritati iam adductæ: Et factus est super Iephte spiritus domini. dicit fidem & deuotionem ipsius Iephte ex qua motus est ad vouendum, fuisse à spiritu sancto. Idcirco ponitur in catalogo sanctorum, & propter victoriā quam obtinuit: quia probabile est eum facti pœnituisse, quod tamē aliquod bonū figurabat. Adde quod beatus Ambrosius tota vi ingenij ostendit lib. 3. Offic. cap. 12. ipsum Iephte perperam egisse illud votū emittendo. Neq; (inquit) vnquid adducar vt credam nō incaute principē promississe Iephte vt immolaret deo quicquid sibi reuertenti intra limen domus suæ occurreret, cum & ipsum voti pœnituerit sui, postquā filia occurrit sibi. Deniq; cōscidit vestimenta sua, & dixit: Heu me filia, impedisti mihi, impedisti mihi, in stimulū dolorū facta es mihi: qui licet pio metu ac formidine acerbitate duræ solutionis impleuerit, tamen luctū annuū etiā posteris deplorandū statuit ac dereliquit. Dura promissio, acerbior solutio, quā necesse habuit lugere etiā ipse qui fecit. Deniq; factū est præceptū & decretum in Israel ex diebus in dies. Ambulabunt (inquit) filia populi Israel lugentes filiam Iephte Galaaditæ quatuor diebus in anno. Non possum accusare virū qui necesse habuit implere quæ vouerat, sed tamē miserabilis necessitas quæ soluitur paricidio. Melius est non vouere, q̄ vouere id quod sibi cui promittitur, nolit exolui. Denique in Isaac habemus exemplum, pro quo arietem deus statuit immolari sibi. Non semper igitur promissa soluenda omnia sunt. Deniq; ipse dominus frequēter suam mutat sententiā, sicut scriptura indicat. Nam & in eo libro qui inscribitur Numeri, proposuerat percutere morte, & perdere populū, sed postea rogatus à Moysse, reconciliatus est populo suo. Et iterū ad Moysen & Aaron ait: Diuidite vos de medio synagoga, & consummabo eos simul. Quibus discedentibus à cœtu Dathan & Abirō atq; Chore, subito impios terra prærupto soluta hiato absorbit. Præcellētius & antiquius istud exemplum de filia Iephte, q̄ illud quod memorabile habetur apud philosophos de duobus Pythagoreis, quorū alter cū à tyrāno Dionysio capitis dānatus esset, præscripto mortis die, proposcit vt domū pergēti ei facultas daretur, quo cōmendaret suos. Ac ne reuertēti nutaret fides, vadē mortis obtulit, ea conditione vt si ipse deforet ad constitutū diē, vas eius sibi pro eo moriendū agnosceret. Nec qualitate spōsionis qui offerebatur recusauit, cōstantiq; animo diē necis præstolabatur: itaq; alter se non subtraxit, alter ad diē repedauit. Quod eousq; fuit mirabile, vt tyrānus eos sibi in amicitia adscisceret, quorū vrgebat periculū. Quod ergo in spectatis & eruditus viris plenū miraculi est, hoc in virgine multo magnificentius, multoq; illustrius deprehēditur: quæ ingemiscēti patri ait: Fac mihi vt exiit de ore tuo. Sed spatium duorum poposcit mensium, vt cum æqualibus conuentū ageret in mōtibus, quæ virginitatē eius prædestinatā neci, pio affectu prosequeretur. Nec fletus æqualium mouit puellā, nec dolor flexit, nec gemitus retardauit, nec dies præterijt, nec fefellit hora. Redit ad patrē, quasi ad votū rediret, & volūtate propria cunctantē impulit, fecitque arbitrato spontaneo, vt quod erat impietatis fortuitū, fieret pietatis sacrificium. Et enarrādo illum Pauli locum, Quid & nos periclitamur omni hora? quotidie morior pro gloria vestra, quā habeo in domino, dicit Iephte in re quæ accepta fieri non poterat, fidelē inuentū, offerēdo filiā suam secundū votū suū quod

Ambrosius.

Gene. 22.

Nume. 14.

Nume. 16.

1. Corin. 15.

KK. ij.

Hieronymus
4. Reg. 17.

stulte vouerat. Non ergo factū probatur, sed perseverantia fidei in exēplum profer-
tur. Assentitur & Ambrosio Hieronymus in 7. cap. Hieremias, reprehendens illos qui
filios suos in igne idolis consecrabāt, siue holocausta offerebāt quæ non præceperat
eis deus, nec vlla legis iusserat sanctione, vbi dicit: quod si Iephte obtulit filiam suam
virginē deo, non sacrificiū placet, sed animus offerentis. Neque enim si canis aut as-
inus, aut immundū quodlibet animal primū occurrisset patri à cæde hostium reuer-
tenti, deo illud offerre debuerat. Et libro 1. aduersus Iouinianū dicit: A plerisque He-
bræorum reprehēditur pater voti temerarij, quia dixerit, Si tradens tradideris filios
Ammō in manibus meis, quicūque exierit de domo mea in occursum mihi, cū reuer-
ti cepero in pace à filijs Ammon, erit domino, & offerā illum holocaustū. Si canis
(inquit) si asinus occurrisset, quid faceret? ex quo volunt dei dispensatione esse fa-
ctum, vt qui improspecte vouerat, errorē votorum in filia morte sentiret. Fauet &
Lyranus Hebræorū interpretationi, enarrās locum illū, Iephte votū vouit deo, &c.
vbi dicit: Licet autē illud votū processerit ex deuotione, tamē factum fuit indiscre-
te, quia de domo sua primo poterat egredi obuiā ei canis, qui non est animal immo-
lantiū. imō nec in oblatione poterat recipi eius pretiū. Beatus tamē Chrysostomus
homi. 14. ad Populū videtur excusare factū ipsius Iephte, cuius sententiā adhærebis
(si voles) vbi dicit: Iephte deo pollicitus se primū sibi occurfurū post belli victoriā
iugulaturū, in filia necem cecidit, filiā enim primam sibi occurrētem immola-
uit, & deus non prohibuit. Et noui quidē, quod infidelium multi crudelitātē & inhumani-
tatem nobis impropertat propter hoc sacrificiū. Ego vero multæ prouidētiæ & cle-
mentia demonstratione permissionē in hoc sacrificio factā esse dicerē, & quod ge-
neris nostri curā gerens, non statim cædē prohibuit, sed post hæc. Si enim post votū
& promissionē illam sacrificiū prohibuisset, multi etiam post Iephte deum speran-
tes suscepturū, multa vouissent huiusmodi vota, & procedentes in filiorū cædē ce-
cidissent: nūc vero illud opere permittēs impleri, posteros omnes prohibuit. Et quod
hoc sit verum, postquā Iephte filiā fuit iugulata, vt sempiternæ memoriæ calami-
tas esset, neu malum obliuioni traderetur, apud Iudæos lex est lata, vt virgines illo
tempore conuenientes quadraginta diebus cōmissam cædem deplorarent, vt luctu
cædis memoriā renouantes, posteros omnes prudētiore faciāt, & discant quod de mē-
te dei non erat vt hoc fieret, neque enim lugere, & plorare virgines permisisset. Et quod
non cōiectura sit quod dicitur, finis demonstrat. Post illud enim sacrificiū, nemo
tale deo votū vouit, propterea hoc non prohibuit. Quod autem ipse mandauit in
Isaac, vt uult, per ambo demōstrans quod non gaudet huiusmodi sacrificijs. Et tomo 2.
homilia 3. 29. homiliarū, exponens mystice votum Iephte, dicit: Nunc aggediamur
lectionem ex libro Iudicum, quæ nobis à lectore apposta est, & ex ferculo oris sui
aures nostræ pulsata sunt. Hæc lectio de Iephte lecta est, vbi iudex populi factus
perrexit ad præliandum pro victoria populi, proponens propositum, vt regrediens
gloriosus victor si quid ei occurreret, primum offerret deo. Hic vnicam filiam ha-
bens, occurrit ei præ nimio gaudio exultans, quod patrem suscepit sospitem, vi-
ctorēque populi. Iste cum vidisset pignus vnicum viscerum suorum, scidit ve-
stimenta sua, dicens: Heu filia decepisti me, & ipsa decepta es. Aperui enim os meū
ante dominum, vt siquid mihi occurrisset de prælio reuertenti immolarem domi-
no. Et illa obtemperans patri postposita dulcedine præsentis vitæ, ait: Si aperuisti
os tuum, fac & imple quod promissisti. Sed tantum obsecro te, vt dimittas me duo-
bus mensibus plangere virginitatem meam. Transactis ergo ijs diebus oblata est
domino. Ista secundum historiam lectionis facta, sed in sinu secreti habebant dif-
ficultatem interpretationis, quod dominus aperiet mihi & vobis, orantibus vobis
pro nobis. Ergo vnusquisque nostrum debemus esse Iephte, qui deuictis inimicis cu-
piditatum nostrarum, & voluptate carnis nostræ, offeramus vnicam animam no-
stram, de qua dicebat propheta: Erue à framea animam meam, & de manu canis
vnicam meam. Occis in nobis omnibus delectationibus carnis, victores redimus

Psal. 27.

ad deum, offerentes (vt dixi) animam nostram, quæ est singularis & vnicā, sed scif-
fis vestimentis malarum cogitationum temporalium quæ velant animam, offera-
mus illam occidendam in malis, viuificandam in bonis: vnde dicebat dominus in
Euangelio: Qui perdidit animam suam, inueniet eam. Nam sexaginta dies plan-
gere virginitatē, quid significabat, nisi cōgeminatus trigenarius numerus demon-
strat nobis baptisimū Christi? qui triginta annorū baptizatus est, & alius trigenarius
numerus pertinet ad Ecclesiā in trinitate baptizās, decalogū implens. Nam ipse se-
xagenarius numerus cōquadratus, & bis trigeni, sexagies facit: & ter vigeni sexagi-
es facit, & quater quindenari sexagies facit, & sexies deni sexagies. Ergo iste con-
quadratus numerus demonstrat nobis planctum præsentis vitæ, dicēte domino: Beati
qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Desertum ergo plangimus huius mundi. Matth. 5.
Desertū enim dicitur res vbi non manetur, quia ergo hic non permanetur, deser-
tum dicitur. Sed tales sunt conferui nostri cultores dei, filij sapientia, germē boni-
tatis, qui nobiscum vnum & vnicū amant, quos vna vulua fontis ex semine verbi
in fide baptisimi produxit. Ideo ergo quia sexagenarius iste sacratus semper inueni-
tur, eo quod per sex dies deus constituit omnia quæ in mundo sunt, & sex ætates ef-
se voluit, id est infantiam, pueritiam, adolescentiam, iuuentutem, grauitatē, & sene-
ctutem. Quæ infantia agnoscitur ab Adam vsque ad Noe. Pueritia, à Noe: vsque ad
Abrahā: Adolescentia, ab Abraham vsque ad Dauid: Iuuentus, à Dauid vsque ad trans-
migrationem Babylonis: Grauitas, à transmigratione Babylonis vsque ad Ioannem
Baptistam, & incarnationē domini: Senectus vsque ad finem mundi. Nam & generis
humani sex ætates agnoscuntur, hoc est (vt dixi superius) Infantia, pueritia, adole-
scentia, iuuentus, grauitas, & senectus. Decalogū ergo omnes ætates implentes om-
nibus diebus nostris, quia sexies deni sexagies facit, & quia videtur duo menses im-
pleri, & bis trigeni, sexagies, ideo duplex iste numerus pertinet ad duo testamenta,
vel dilectionē dei & proximi. Plangendū est ergo in vita ista caduca, ruinis plena, ca-
sibus obuoluta, vt cum plangimus suscipiat deus immolationem animæ nostræ, &
vnicā offeramus victores, dicētes cum Apostolo, Bonū certamen certavi, cursum
consummaui, fidē seruauī: de cætero, superest mihi corona iustitiæ quā reddet mihi 2. Tim. 4.
dominus iustus iudex in illa die. non tantū autē mihi, sed & omnibus qui diligūt ma-
nifestationē eius. Adhuc istum Iephte existimo esse dominū nostrum Iesum Chri-
stum victorē mundi, qui obtulit filiā suam vnicā, ipsam Ecclesiam tēpore persecu-
tionis malis potestibus, non agnorū sed luporū, dicente ipso: Ecce ego mitto vos si-
cut oves in medio luporū. Obrulit ergo Ecclesiā per immolationē martyriū tempo-
re persecutionis, & victima vnicā oblata est deo, vt sacrificiū acceptabile esset pa-
tri ex lucris vnguenti. Offert vnicus vnicā, spōsus sponsam, pater filiā. Quid enim
potest inueniri fortius integritate & virginitate Ecclesiæ: quæ concipit in incorru-
ptione, creat in integritate. Virgo est ista quæ virum non nouit. Plangit autē sexa-
ginta diebus virginitatē suam, id est omnibus diebus suis. Nec enim mittit ad domi-
nū qui in ipsa proficiūt, nisi ex magna tribulatione, nisi ex plāctu, & fletu, & lachry-
mis. Hæc Ecclesia cultoribus suis lætitiā non promittit, neque in præsentī seculo se-
curitatē, quia reuera omnis lætitiā periculosa est, omnis securitas casibus plena, om-
nis iucūditas laqueis impeditur. Gaudete ergo quia dominus noster reuelauit nobis
quod absconditū Iudæis inimicis suis esse voluit. Si enim vellet manifestare secreta
eis, in parabolis non loqueretur, sed ideo locutus est Iudæis in parabolis, quia præsci-
uit eos futuros crucifixores suos. Et nec alius ordo erat quo trāsiretur ad nos, nisi vt
animā nostrā offeramus contribulatā, quia prope est dominus qui cōtritos corde, &
humiles spiritu saluabit. Nullus asperā habeat præsentis vitæ tristitiā, quia sola est
quæ in futuro representat perpetuam lætitiā. Vos qui fortes estis, infirmitatē in-
firmorū tolerate, & pro inuicem (vt saluamini) orate. Charitatem diligite, pacē pos-
fidete, iram temperate, oculus pudicitius agite, humanā gloriam appetere nolite,
innocentes & recti in deo permanete, vt ibi de vobis gaudeat mater Ecclesiā, quæ
KK. iij.

deo quotidie mittit proficientium lucra, vt venientes in sanctum locū illum, secretum tribunalis Christi, dicat de vobis filius: Ecce ego & pueri quos dedisti mihi.

CAPVT VII.

Ishel occidendo Sifarā non deliquit, sed fecit rem licitā & meritoria.] Hanc eruemus Assertionē ex 4. cap. libri Iudicū, nec Iahel interfecisse Sifarā absq; diuina iussione aut interna dei inspiratione. Et historiam ab exordio ad finē vsq; perducemus, quo facilius factū istud intelligamus. Addiderunt filij Israel facere malum in cōspectu domini post mortem Aioth, & tradidit illos dominus in manus Iabin regis Chanaā, qui regnauit in Afor: habuitq; ducē exercitus sui nomine Sifarā. Ipse autem habitabat in Aroseth gentium. Clamaueruntq; filij Israel ad dominū, nongentos enim habebat falcatos currus, & per viginti annos vehementer opprēsserat eos. Erat autem Delbora propheta vxor Lapidoth, quā iudicabat populum in illo tēpore, & sedebat sub palma quā nomine illius vocabatur inter Rhama & Bethel in monte Ephraim. Ascendebantque ad eam filij Israel in omne iudicium, quā misit & vocauit Barach filium Abinoem de Cedēs Nephtalim, dixitq; ad eum: Præcepit tibi dominus deus Israel, Vade, descende, & duc exercitum in montem Thabor, tollēsque tecum decem milia pugnatorum de filijs Nephtalim, & de filijs Zabulon. Ego autem adducā ad te in loco torrentis Cifon, Sifarā principē exercitus Iabin, & currus eius, atq; omnem multitudinem, & tradam eos in manu tua. Dixitque ad eam Barach: Si venis mecum, vadam: si nolueris venire mecum, non pergā. Quæ dixit ad eum: Ibo quidem tecum: sed in hac vice, victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Sifara. hoc expēde, quia in manu mulieris tradetur Sifara. Præsignabat Delbora spiritu prophético Sifarā in Iahel muliere interficiendū esse, quod certe euenit. Subiungit contextus, Surrexit itaque Delbora & perrexit cum Barach in Cedēs. Qui accitis Zabulon & Nephtalim, ascendit cum decē milibus pugnatorū, habens Delboram in comitatu suo. Aber autem Cināus recesserat quondam à cæteris Cināis fratribus suis filijs Obab cognati Moyfi, & tetēderat tabernacula vsque ad vallem quæ vocabatur Sennim, & erat iuxta Cedēs. Nuntiatūque est Sifaræ quoddā ascendet Barach filius Abinoem in montem Thabor. Et congregauit nongentos falcatos currus & omnem exercitum de Aroseth gentium ad torrentem Cifon. Dixitque Delbora ad Barach: Surge, hæc est enim dies in qua tradidit dominus Sifarā in manus tuas. en ipse ductor est tuus. Descendit itaq; Barach de monte Thabor, & decem milia pugnatorum cum eo. Perterruitque dominus Sifarā & omnes currus eius, vniuersāque multitudinem in ore gladij ad conspectum Barach: intantum vt Sifara de curru defiliens pedibus fugeret, & Barach persequeretur fugientes currus & exercitum vsque ad Aroseth gentium: & omnis hostium multitudo vsque ad internecionem caderet. Exponēs Augustinus quæst. 27. super Iudicum locum hunc, perterruit dominus Sifarā, dicit: Ecce quemadmodum commendat scriptura agere deū in cordibus, vt det exitum rebus quem cōstituit. Vtique enim pauēfecit vel obstupēfecit Sifarā vt traderet eum. Subnectit historia, Sifara autem fugiens peruenit ad tentorium Iahel vxoris Aber Cināi. Erat enim pax inter Iabin regem Afor, & domum Aber Cināi. Egressa igitur Iahel in occursum Sifaræ, dixit ad eum: Intra ad me domine mi, intra, ne timeas. Qui ingressus tabernaculum eius, & opertus ab ea pallio, dixit ad eam: Da mihi obsecro paululū aquæ, quia sitio valde. Quæ aperuit vtrē lactis & dedit ei bibere, & operuit illum. Dixitq; Sifara ad eam: Sta ante ostiū tabernaculi, & cum venerit aliquis interrogans te & dicēs, Nunquid hic est aliquis? Respondebis, Nullus est. Tulit itaque Iahel vxor Aber clauum tabernaculi, assumens pariter & malleum, & ingressa abscondite & cum silentio, posuit supra tempus capitis eius clauum: percussūque malleo, defixit in cerebrum vsque ad terram. Qui soporem morti socians, defecit, & mortuus est. Et ecce Barach sequens Sifarā veniebat, egressaque Iahel in occursum eius, dixit ei: Veni &

Iudic. 4.

Augustinus

ostendam tibi virum quem quæris. Qui cum intrasset ad eam, vidit Sifarā iacentem mortuum, & clauum infixum in tempore eius. Humiliauit ergo deus in illo die Iabin regem Chanaan coram filijs Israel, qui crescebat quotidie & forti manu opprimebant Iabin regem Chanaan, donec deleret. ¶ At dicit aliquis, Pax erat tunc temporis (vt in contextu ostēditur) inter Iabin regem & domum Aber Cinai, idcirco fœdus erat inter Iahel & Sifarā, & ratione fœderis Sifara securus intrauit tabernaculum Iahel. Cum igitur Iahel fregerit vafre fœdus inter se & Sifarā, videtur egisse contra dictamē rationis naturalis, & per consequens deliquisse occidendo Sifarā. Adde quoddā Iahel promiserat Sifaræ securitatē, & postea latenter eum occidit, quare non videtur laudanda, sed potius vituperanda in tali facto. ¶ Istis respondet argumentis Lyranus, à quo non dissidemus: In facto (inquit) huius mulieris aliqua sunt mala & vituperanda, scilicet falsitas in verbis & signis, quibus ostendebat se velle eum protegere, dicēdo: Intra ad me domine mi, ne timeas: cum tamen intenderet eum interficere. & hæc non commendantur in sacra scriptura, nec secundum philosophos bene possunt fieri, nec à sacris doctoribus laudatur hæc commendatur propter sincerū affectum quem habuit ad liberandū Hebræos de manu Holofernis, vituperantur tamen mendacia quæ protulit. Laudantur etiam obstetrices ob pietatem qua saluauerunt filios Hebræorum, earū tamen mendacium rejicitur, Iahel tamen occidendo Sifarā fecit rem licitam & meritoriam. Nam in cantico Delboræ quæ habuit spiritum domini, commendatur factum Iahel, de qua dicitur, Benedicita inter mulieres Iahel, vxor Aber Cināi, & benedicatur in tabernaculo suo: illius tamen facto permixta fuerunt quædam illicita. Sciebat & Iahel Sifarā esse maximum opprēssorem fidelis populi, cuius fidei ipsa erat, quia Iethro qui dictus est Cināus & alij descendentes ab eo, cōuersi fuerunt ad Iudaismum, recipientes legem dei, vt ostēditur Exod. 18. & Num. 10. Et cum Iahel esset membrum illius cōmunitatis, quæ hoc factum approbavit, iustū habuit argumentum interficiendū Sifarā. Etiam manifestissimis signis videbat illum ex iustitia diuina enecandum. Nouit enim exercitum eius copiosissimū à paucis debellatum, & exercitus illius magis fuit deletus & fusus ictibus fulguris, & lapidibus gradinis, deo pro filijs Israel dimicante, quàm bellatorum gladijs: quare cum Sifarā interemit, sese voluntari dī uinæ cōformauit. Nec concludit prima ratio adducta. Pax enim inter Iabin regē & Aber facta erat, ne Aber non soluēdo immodicū & nimis graue tributū Iabin, suis omnino bonis priuaretur, & fœdus illud erat quodāmodo coactum, quare poterat à tali iniusta exactione se suis aut suorum viribus liberare. Nec dicit historia fœdus fuisse inter Aber & Iabin iuramento firmatum, sed quod duntaxat pax erat inter Iabin & domum Aber, quod fieri potuit modo iniusto, & licet factū fuisset fœdus aut pactum sub iuramēto, non tamen Aber tenebatur illud obseruare, quia in huiusmodi fœderibus & pactis mulieres nō vocantur, sed tantū viri. Vxor autē non semper astringitur seruare pacta & iuramēta sui viri. Adnotamentis discussa est secunda ratio. Origenes homil. 5. super librum Iudicū patefacit quidnā significet Iahel Sifarā interemisse. Intelligendū est (inquit) & Sifarā istū animale hominē, & vitiorū principem per doctrinā Ecclesiæ, quā nō ex fide suscepit, extinctū. Sed & vnaquæque anima satis agat lacte isto Euāgelico atq; apostolico sopire in semetipso, & extinguere Sifarā. Si enim per hæc edoctus quis mortificauerit mēbra sua quæ sunt super terrā, auariciam, fornicationē, &c. quæ sanctus Apostolus enumerat, Sifarā in semetipso videbitur peremisse, vt hæc non solū in persona Ecclesiæ consummari, verū etiam vnusquisq; in sua anima ostendat impleri. Quia (sicut diximus) ceptus est quidē Sifara insectari à populo priori, interēptus est autē à muliere ac Ecclesia gentiū, & in manu eius data est palma victoriæ in consummatione omnium, id est, in fine seculi: etiam canticum domino cantabitur per Delborā, in quo primatus

Lyranus.

Iudic. 5.

Origenes.

K.K.iiij.

quidem dabitur Iahel Ecclesiae gentium, nec tamē Delborae laus silebitur, sed & pri-
mis & nouissimis victoriæ præmiū dabitur per Iesum Christum dominū nostrum.

CAPVT VIII.

Iehu non deliquit cum dixit se velle seruire idolo Baal.] Hanc suadeo
Assertorem, Cum Iehu finxit se velle colere Baal, & prudenti simula-
tione dixit se illi cultum & religionem exhibiturum, nullius neq; Achab
neque alterius ruinam aut detrimentum intendebat, sed solum appro-
bata illa fictione conabatur tollere de medio perditissimos sacerdotes
Baal, & cum nulla alia via commodissima potuisset interimere illos sacrificulos, sin-
xit consulto & prudentissime se velle colere Baal, vt hac fictione subuerneret cul-
tum idolorum, & dissipatis idolis, vni vero deo doceret esse sacrificandum & in ser-
uiendum. Nemo autem nescit fictionem nullius detrimento intentam, sed solum
gratia boni spiritalis & sanctissimæ religionis, licitā esse. Et ad infigendum omnium
animis hanc persuasione, proferam historiam huiusce rei, Cōgregauit Iehu om-
nem populum, & dixit ad eos: Achab coluit Baal parum, ego autem colā eum am-
plius. nunc igitur omnes prophetas Baal, & vniuersos seruos eius, & cunctos sacer-
dotes ipsius vocate ad me: nullus sit qui non veniat. Sacrificium enim grande est
mihi Baal. Quicūque defuerit, non viuet. Porro Iehu faciebat hoc insidiose, vt di-
perderet cultores Baal. Attendamus ad hæc, vt disperderet cultores Baal. Fictio igitur
Iehu non eō tendebat vt vir ille deo gratus intenderet litare Baal, sed solum
prætexerat hunc cultum, vt facilius dirueret superstitiosam & vanam reli-
gionem, & disperderet cultores Baal, subiungit historia, Et dixit: Sanctificate diem
solennem Baal. Vocauitque & misit in vniuersos terminos Israel, & venerunt cun-
cti serui Baal. Non fuit residuus, nec vnus quidem qui non veniret: & ingressi sunt
templū Baal. Et repleta est domus Baal à summo vsq; ad summum. Dixitq; his qui
præerant super vestes: Proferte vestimenta vniuersi seruis Baal, & protulerūt eis
vestes. Ingressiūq; Iehu & Ionadab filius Rechab templū Baal, ait cultoribus Baal:
Perquirite & videte ne quis forte vobiscum sit de seruis domini, sed vt sint serui
Baal soli. Ingressi sunt igitur vt facerent victimas & holocausta, Iehu autem præpa-
rauerat sibi foris octoginta viros, & dixerat eis: Quicumque fugerit de hominibus
his quos ego adduxero in manus vestras, anima eius erit pro anima illius. Factū est
autem cum completum esset holocaustum, præcepit Iehu militibus & ducibus suis,
Ingredimini & percute eos, nullus euadat. Percusserunt eos in ore gladij, & proie-
cerunt milites & duces, & ierunt in ciuitatem tēpli Baal, & protulerunt statuam de
phano Baal, & combusserunt & comminuerunt eam. Destrueruntque edem Baal,
& fecerunt pro ea latrinas vsq; in diem hanc. Deleuit itaq; Iehu Baal de Israel, ve-
runtamen à peccatis Hieroboam filij Nabath, qui peccare fecit Israel, non recessit,
nec dereliquit vitulos aureos qui erant in Bethel & in Dan. Dixit autem dominus
ad Iehu: Quia studiose egisti quod rectū erat, & placebat in oculis meis, & omnia
quæ erant in corde meo fecisti contra domum Achab, filij tui vsq; ad quartam ge-
nerationem sedebūt super thronum Israel. Hæc non mediocre nobis præstant ad-
iumentum ad tuendam nostram assertionē. Si enim studiose & præclare egerit Ie-
hu fingendo se velle sacrificare Baal vt prosterneret cultores Baal, & factum illud
deus fuerit gratissimum, non possumus non magnopere fictionem illam cōmenda-
re. Accedit & huic sententiæ Hieronymus edisserens illum Pauli locū, Cum autem
venisset Petrus Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat: vbi lau-
dat simulationem Petri: Vtilem (inquit) simulationem, & assumendam in tempore
Iehu regis Israel, nos doceat exemplum, qui cum non potuisset interficere sacerdo-
tes Baal, nisi se finxisset velle idolum colere, dicens: Cōgrega mihi omnes sacerdo-
tes Baal, si enim Achab seruiuit Baal in paucis, ego seruiā in multis. Et Dauid quan-
do mutauit faciem suam coram Abimelech, & dimisit eum, & abiit. Nec mirum,
quamuis iustos homines, tamen aliqua simulare pro tempore ob suam & aliorum

4. Reg. 10.

Hieronymus
Gala. 2.

salutem, cum & ipse dominus noster non habens peccatum, nec carnem peccati, si-
mulationem peccatrici carnis assumpserit, vt cōdemnans in carne peccatum, nos
in se faceret iusticiā dei. Non desunt viri docti qui non excusant Iehu à simula-
tione, licet laudent zelum & affectum ipsius Iehu, quo accendebatur ad destruendū cul-
tum Baal. Et Augustinus libro vno cōtra mendacium ad Consentium, capite 2. dicit
Iehu factō illo cōmississe mendacium impium, quod eō tendebat, vt cupiditate do-
minationis domum Achab omnino deleteret: hoc tamen contextus non indicat, id-
circo adhæreo Hieronymo, nec arbitror improbadam esse simulationem cautelæ,
siue fictionem ad consequendum in republica Christiana maximum commodum,
licet simulatio vana, subdola & quæ inniteretur deceptioni, esset vituperanda, qualis
est simulatio sanctitatis ad aucupandum beneficium, quæ repugnat charitati dei
& proximi, eo quod huiusmodi subdolos simulator intēdit verbis aut factis se præ-
bere sanctum & probum virum, beneficij obtinendi gratia. Aduersatur etiam talis
simulatio veritati, nam per signa exteriora simulator ille verbis aut factis ostendit
se esse virum sanctissimum, qualis tamen non est. Verax autem signis exterioribus
ostendit se esse talē qualis est & vita & sermone. Nec illa simulatio caret mendacio.

Augustinus

CAPVT IX.

Israel in deserto nullas spontaneas, aut paucissimas deo hostias obtulit, sed
Moloch.] Hanc eruimus Assertorem, ex prophetia Amos, in qua cōque-
ritur dominus quod filij Israel peregrinantes 40. annis in deserto, non si-
di, sed Moloch hostias & sacrificia obrulerint. Sic enim scriptum est, Nun-
quid hostias & sacrificiū obtulistis mihi in deserto quadraginta annis domus Israel?
Et portastis tabernaculum Moloch vestro, & imaginem idolorum vestrorum, sidus
dei vestri, quæ fecistis vobis. Et migrare vos faciam trans Damascum. Hierony-
mus huiusce veritatis assertor, hunc prophetæ locum edisserendo dicit: Ex hoc lo-
co discimus omnes hostias, & sacrificia quæ in deserto obtulit Israel, non deo obru-
lisse, sed Moloch regi suo, cuius portauerunt tabernacula, & imaginē idolorum suo-
rum statuarūq; venerati sunt. Et quæ sit ipsa imago vel idolum sequenti sermone
demonstrat: Sidus dei vestri Rempham, id est luciferi, quem Sarraceni hucusque ve-
nerantur. Quam ob causam migrare eos fecit dominus trans Damascum, id est in
Assyrios atq; Chaldaeos. Cuius omnipotentia ex eo quod deus exercitū est, demon-
stratur. Quærimus quomodo hostias & sacrificium non deo obtulerint in deserto,
sed regi suo quem luciferum nuncupant. Ex eo tempore quo aurum in caput vitu-
li transformatum dicentes: Isti sunt dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegy-
pti, omnia quæ fecerūt, non deo sed idolis fecisse monstrantur. Et quod postea quæ-
dam domino eos legimus obtulisse, non voluntate, sed pœnarum tacerunt metu, &
eorum interfectione, qui propter idola corruerunt. Dominus autē non ea quæ offe-
runtur, sed voluntatem respicit offerentium. intellige sane quod dicit Hieronymus,
dominū non respicere ad ea que offeruntur, non quæ nō respiciat ad munera ei obla-
ta, sed quod minus respiciat ad munera, quam ad animum offerentis: respexit enim
dominus ad Abel, & ad munera eius. Deinde subnectit Hieronymus: Denique vbi-
cunque occasio fuit, semper corde reuersi sunt in Aegyptum, desiderantes alia &
cæpe, & cucumeres, & carnes Aegyptias, & manna quod de cælo datum est, cōtem-
nentes. Quod vt sic intelligamus, Stephanus primus martyr Euangelij dignus no-
mine suo, in Apostolorum narrat historia: Et vitulum fecerūt in illis diebus, & ob-
tulerunt hostiam simulachro, & lætabantur in operibus manuum suarum. Conuer-
tit autem deus & tradidit eos seruire militiae cæli, sicut scriptum est in libro prophe-
tarū: Nunquid victimas aut hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto do-
mus Israel? Et suscepistis tabernaculum Moloch, & sidus dei vestri Rempham, figu-
ras quas fecistis adorare eas, & transferam vos trans Babylonem. Nec putandus est
primus martyr errasse, qui pro eo quod in propheta scriptum est, trās Damascum,
dixerit trās Babylonem. Magis enim intelligentiā quam verbum posuit, quia trans

Amos 5.

Hieronymus

Exo. 32.

Gene. 4.

Acto. 7.

Damasum ducti sunt in Babylonem, siue trans Babylonem. Et licet Hieronymus dixerit Israel non obtulisse suas hostias deo cum ageret in deserto, non tamen putandum est Hieronymum sensisse nullas hostias deo oblatas fuisse à filiis Israel toto illo tempore quo fuerunt in deserto. Nam dicit si postea obtulerint, scilicet post transformatum aurum in caput vituli, deo hostias, non voluntate, sed poenarum metu obtulerunt, & ita hanc Assertionem intelligimus, videtur tamen prophetia Amos innuere, Israel nullas in deserto hostias deo obtulisse, quod & commemorauit Stephanus, in Actis apostolorum producendo contextum prophetarum: sed id dictum putes, quod paucissimas deo hostias in deserto obtulerit, vt asserit Lyranus edisserens in Actis apostolorum locum illum: Nunquid victimas aut hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto domus Israel? Vbi dicit, Non per hoc intelligendum est, quod filij Israel nullas victimas aut hostias obtulerunt deo in deserto, quia Leuitici nono dicitur expresse, quod in consecratione Aaron & filiorum eius fuerunt plures hostiae deo oblatae. Nec subiticebo quae de istis sacrificijs scripta sunt. Vocauit Moyses Aaron & filios eius ac maiores natu Israel, dixitque ad Aaron: Tolle de armento vitulum pro peccato, & arietem in holocaustum, vtrumque immaculatum, & offer illos coram domino, & ad filios Israel loqueris: Tollite hircum pro peccato, & vitulum atque agnum anniculum, & sine macula in holocaustum, bouem & arietem pro pacificis, & immolate eos coram domino, in sacrificio singulorum similam conspersam oleo offerentes. Hodie enim dominus apparebit vobis. tulerunt ergo cuncta quae iusserat Moyses ad ostium tabernaculi, vbi cum omnis multitudo astaret ait Moyses, iste est sermo quem praecipit dominus, facite & apparebit vobis gloria eius. Et dixit ad Aaron, accede ad altare, & immola pro peccato tuo. Offer holocaustum & deprecare pro te, & pro populo. Cumque mactaueris hostiam populi ora pro eis, sicut praecipit dominus. Statimque Aaron accedens ad altare immolauit vitulum pro peccato suo, cuius sanguinem obtulerunt ei filij sui, in quo tingens digitum, tetigit cornua altaris, & fudit residuum ad basim eius. Adipemque & renunculos ac reticulum iecoris quae sunt pro peccato adoleuit super altare, sicut praeeperat dominus Moyse. Carnes vero & pellis eius extra castra combussit igni, immolauit & holocausti victimam. Et pro peccato populi Aaron mactauit hircum, expiatque altari fecit holocaustum addens in sacrificio libamenta quae pariter offeruntur, & adolens ea super altare absque ceremonijs holocausti matutini, immolauit & bouem atque arietem hostias pacificas populi. Et in libro Numerorum fit mentio de oblatione principum, quidnam obtulerint Naason de tribu Iuda & Nathanael de tribu Isachar, Heliab de tribu Zabulon, Elisur de tribu Ruben, Salamihel de tribu Simeon, Heliaph de tribu Gaad, Elisama de tribu Effraim, Gamaliel de tribu Manasse, Abida de tribu Benjamin, Abiezer de tribu Dan, Phegiel de tribu Aser, Ahira de tribu Neptalim. Deinde dicit Lyranus, ad quem ego reuertor, prophetam Amos hoc sibi voluisse quod paucarum victimarum fuerunt oblatae deo ab Israel in deserto, vnde dicit Rabbi Salomon super illud Numerorum nono, Fecerunt filij Israel phase &c. quod toto tempore quo in deserto fuerunt, non fecerunt phase nisi illud tantum, tamen si fuisset solennitas principalis, & fuerit praecipitum Exodi duodecimo, ipsum quolibet anno fieri, & ideo si fuit omissa in illis quadraginta annis, multo magis sacrificia quae praecipiebantur fieri in solennitatibus, & in diebus minus solennibus. fuit enim cum populo super hoc dispensatum à deo propter incertum motum nubis, sicut & de circuncisione quae Geneseos decimosextimo praecipitur fieri octauo die, & tamen omissa fuit, quandiu populus fuit in deserto: vt patet Iosue quinto. Adde quod nostrae fauet Assertioni Beda explicans in Actis apostolorum, locum illum prophetarum Amos iam pronuntiatum. Eiusdem est sententiae Albertus Magnus vir sane doctissimus, pertractans eandem difficultatem, in quintum caput Amos, qui ne lato quidem vngue ab opinione Hieronymi discessit. Idem sentit Dionysius Carthusianus in enarratione eiusdem loci.

Lyranus.

Leuiti. 9.

Nume. 7.

Nume. 9.

Beda.

Albertus.

Dionysius
Carthusianus

CAPVT X.

Iob Euangelicus ante Euangelium, & apostolicus ante praecipitum apostolorum, videtur magis passionibus aequo animo toleratis, quam virtutis actionibus profecisse. Priorem huius Assertionis partem ex Hieronymo, in Epistola ad Demetriadem, si tamen illa admodum erudita & eloquens sit Hieronymi, deducemus. Quid de beato (inquit) Iob dicam, famosissimo illo athleta dei, qui post direptas opes, & funditus deleta patrimonia, post filiorum ac filiarum vnum subito interitum, ad vltimum proprio contra diabolum corpore dimicauit? Auferebantur omnia quae extrinsecus possidebat, & extranea bona repente decidebant, vt magis propria clarescant. Omnibus prorsus velut indumentis exuitur, vt expeditius ac fortius nudus triumphet, & hostem quem ferendo damna ante superauerat, rursus tolerando supplicia deuincat. De quo tale ipsius domini testimonium est: Nunquid considerasti puerum meum Iob? Non est enim similis ei quisquam in terris, homo sine querela, verus dei cultor, abstinens se ab omni malo: nec immerito, semper enim, vt ipse ait, tanquam tumentes super se fluctus, timebat dominum, & praesentiae eius potius, ferre non poterat, nec audebat aliquando contemnere, quem semper adesse credebat, dicebatque securus sum, non enim reprehendit me cor meum in omni vita mea. Qui antequam dominus inimicos praeciperet esse diligendos, dicere poterat: Si in malis inimici mei gauisus sum, si dixi in corde meo benefactum est. Necdum Euangelicum illud sonuerat, Omni petenti te tribue, & iam ille dicebat: Si exire passus sum inopem ianuam meam sinu vacuo. Nondum legerat illud apostoli, Domini quod iustum est & aequum, seruis praestare, & confidens clamabat ad dominum, Si seruo nocui, si ancillam laesi, omnia tu scis domine. Priusquam idem apostolus praeciperet diuitibus non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sic habuit ille diuitias, vt se alibi diuitem esse monstraret. In diuitijs (inquit) non confidebam, nec in lapide pretioso. Et hoc non verbis tantum, sed ipsis quoque rebus probauit, qui cum omnia perderet, non dolebat, dicebatque per singula: Dominus dedit, dominus abstulit, sicut domino placuit, ita factum est, sit nomen domini benedictum in secula. nudus exiui de utero matris meae, nudus redeam illuc. Quo enim affectu possideamus aliquid, docemus cum id amittimus, & cupiditatem fruendi, carendi dolor prodit, quem qui in carendo non habuit, in possidendo quoniam modo habuit? O virum ante Euangelium Euangelicum, & apostolicum ante apostolica praecipitum, discipulum apostolorum, qui aperiens occultas diuitias naturae, & in medium proferens, ex se quid omnes possumus, ostendit, docuitque quantus sit ille thesaurus animae, quem nos sine vfu possidemus, & quod proferre nolumus, nec habere nos credimus. Secunda Assertionis enuntiatio desumpta est ex Chryostomo homil. 5. de patitia Iob, vbi dicit, Non modo enim facere quid bonum, sed & quid malum pati, mercede multa rependitur, atque Iob ipse passionibus videtur magis, quam virtutis actionibus profecisse. Nam neque ita illustris est habitus, cum pecuniam possidebat, cum domum pauperibus referabat, substantiamque erogabat, quam quod audiens ruinam, non se acerbe egit. Non adeo tum clarus erat, cum de velleribus ouium nudos vestiebat, quam illustris probabilisque, cum de caelo ignem cecidisse, consumpsissetque omnia audiebat cum gratiarum actione. Tunc amator hominum, nunc amator sapientiae fuit: tunc pauperum miserebatur, nunc domino gratias soluebat, neque ipse dixit: Quid nam hoc est? greges consumpti sunt, quorum ope decem mille enutriebantur pauperes, & si indignus ipse eram in rerum affluentia assistens, propter eos certe qui longe ab eo distabant, parci oportuerat. nihil dixit tale, neque cogitauit, sed deum nouit cuncta & vtiliora dispensantem. Atque vt discas quoniam maiorem postmodum diabolo plagam intulit, cum sublatis sibi bonis gratias egit, quam cum possidens miserebatur pauperum, audi: Cum possidebat, vel suspitione diabolus habuit, quoniam non gratis te colit Iob, vbi vero vniuersa surripuit, omnibusque nudauit eum, hic vero eandem deo seruauit mentem, tunc obstructum est turpe illius

Hieronymus

Iob. 1.

Luca 6.

Collo. 4.

1. Timot. 6.

Chryostomus

os, nec tunc quid habuit dicere, clarior namque quam in prioribus iustus erat, clarior inquam quam in delicijs viuens, eleemosynasque praebens, surrepta enim bona generose ac cū actione gratiarum tolerare multo maius est. Nam secundis quidem sese rebus habentibus gratias referre deo, non admodum mirabile. Porro cum multus fuerit fluctus, cymba;que circumacta periclitatur, tunc magna atque excellēs est patientiæ atque bonæ voluntatis ostensio. Si enim infinitorum malefactorum sibiipfis conscijs, cum parum quid auri amiserunt, & id plerumque ex præda habentes, acerbam sibi atque intolerabilem vitam esse dicunt, quantis, quibusque coronis dignus fuerit Iob, cui iustissime parta, simpliciter à se diripi videre contigit, subireque mille alias procellas post illa omnia, atque in cunctis sese immobilem reddere, debitæque propensius domino gratias agere. Nā etsi quis cætera omiserit, sola mulieris verba, vel saxum mouere poterant. Si enim his qui iucunde viuunt, nihilque ærumnosum patiuntur, mulieres sæpenumero suadere potuerūt, puta quā valida erat anima, quæ illā post tot arma repulerit. Cum enim mulier sic verba miseranda dicat. Tempus accommodatum atque comparatio simul facta, vulnera;que & cicatrices, milleque calamitatum fluctus quomodo quis omni adamante duriorē eam animam negauerit, quæ tanta in tempestate nō succubuerit? Data mihi pace, oportet dicere, quoniam etsi maior apostolis, minor beatus ille non fuit. Hos enim eadem pro Christo pati solabatur, ille autem hoc solatio destitutus, quodque maius, multis in delicijs educatus, nequaquam de piscatoribus & colonis atque ex his qui tenuiter viuunt, sed tot honoribus dignus effectus, passus est omnia. Et grauissimum in apostolis videbatur, quod ab amicis domesticisque atque ab his qui sua beneficia susceperant, sic & Iob non ab inimicis odio & iniuria affectus. Quod verò sic se hæc habebant, iam ergo & gestorum cum dignitate fortitudinēque, passionum simul comparationem dicamus, quo & manifeste pateat, non benefactorum modo, sed & passionum manere meritum, & meritum quidem admodum magnū, neque merito benefactorum inferius, introducāmusque si placet ipsum hunc magnum patientiæ luctatorem Iob, hinc atque inde illustrem, simulque videamus cōpatientes. Quando fuit illustrior, cum domū cunctis aperuerit, aut eadem cadente cum benedixit deum, nullōque amaro sermone locutus est? Quando alacrior fuit, dic mihi cum pro natis agebat sacrificium, atque concordiam adducebat, aut quando ipsis contumelatis, functis;que vita amarissimo mortis genere, multa cum philosophia casum sustulit? Quādo magis claruit, cum de velleribus agnorum suorū, calefacti sunt nudorum humeri, aut cum audiens de cælo ignem descendisse, gregēque consumpsisse cum pastoribus? nec est turbatus, non tumultuans quid peregit, sed mansuete tulit calamitatem. Quando maior fuit cum ad oppressorum defensionem corporis sanitate utebatur, conterens molares iniquorum, & è medio dentium eorum prædam eripiens, aut cum hoc ipsum corpus oppressorū scutum confumi vermibus videbat, sedens;que in sterquilinio, idem ipse saniem radebat, testam accipiens? Et illa quidē omnia præclara gesta, hæc autem patibula, tormenta;que erant: sed tamen plus hæc, quā illa Iob clariorē ostenderunt. Si quidem cum illa fiebant, quamuis turpiter valdeque atrociter contradixit tamen diabolus dicens: Nunquid frustra colit deū Iob? His verò contingentibus se occultans, terga dedit, neque turpis sermonis alicuius causas, ymbram ve inferre habuit. Igitur si quādo virum iustū magnorum operum profectu fulgere videris, multisque subesse malis, ne mireris. Nam ediuerso mirari oportuerat, si multas accipiens diabolus plagas taciturus fuisset, mansueteque vulnera perlaturus. Neque enim si serpens assidue stimulatus indignetur atque resiliat contra stimulantem, mirandum fuerit, & à prælio victoriā;que & cæde redeuntē pugnare necesse est, sæpenumero autem & vulnera habere. Cum ergo videris quempiam eleemosynas faciētem, aliāque mille operantē bona, præcidentem diaboli vires: postea tentationibus periculisque circumduci, idcirco ne turberis. Nam propterea in tentationem cecidit, quod diabolo plagas vehementer in-

fligeret. Et quomodo id deus (inquit) permisit? quo magis, scilicet coronetur, quo plures ille recipiat plagas. Magnum quidem secundis se rebus habentibus & misereri vel florere virtute, longe autem maius male patientem inuictum sese maiorique cum proposito præstare pro virtutis laboribus. Quemadmodum enim in peccatoribus contingit, qui nihil hic patiuntur mali, maiorem illic subeunt vltionis poenā: sic & hi qui se officiose gerunt, qui multa hic tolerant aduersa, multo illic honore dignantur. Et quemadmodum peccatoribus duobus existentibus, alter quidem hic tormentis affligatur, alter nō: afflicto ille, non afflicto melior est. Sic & duobus iustis hic existētibus, si quidem alter plures, alter pauciores ærumnas sufferat: qui plures sustinuerit, beator erit. Qui enim dei disciplinam cum gratiarum actione non sufferunt dedignant: & ex hoc nullum sequi fructum contingit, & calamitatibus vltimis se implicant. Si in paupertate degis, & fame, innumerisque periculis, disce vel ab egenis domino gratias reddere. Si autem vitam eorum mendicando terentes, non blasphemant, non turbantur, non indignantur, sed cum gratiarum actione tolerant. Quid enim tale es passus, quale ille? Oculo priuatus es, ille ambobus: morbo diurno laborasti, sed ille insanabili: amisti liberos, sed ille & proprii corporis sanitatem: damno magno plesteris, at nec ad id peruenisti, vt alijs indigeas. Sed neque satis tibi sunt hæc. Considerabo Iob patientiæ turrim minime nurantem. Quis enim hoc pauperior? qui publica ad balnea abiectis pauperior fuit, his qui super fornacis sedēt cinere, atque omnibus prorsus hominibus inferior. Hi namque vel vestimentum lacerum habent, ille verò nudus sedebat, & quod habuit indumentum à natura, carnis scilicet velamen, sanie acerbata diabolus corruptit. Et pauperes quidem vel sub tecto sunt, stipula;que vel saltem operiuntur, ille verò sub diuo nocturnus semper agebat, neque tugurij tenuis solamen habens, atque quod maius, quoniam multorum malorum pro exacta iam vita sibi conscijs sunt, neque paruum ad solatium ingruentis calamitatis se sibi conscium esse, iustēque punitum. Hic autem & eo priuatus solatio erat, vt pote qui consolationem, conuersationem, virtutē plenam ostēderet, eorum qui vltima audent mala, poenas pēdebat. Et illi quidem olim & à principio de ærumna calamitatē;que cogitauerunt, ille vero calamitatem inopina tam subiit, repentinam accipiens ex diuitijs mutationem. Vidisti eum in vltimam veniētem paupertatem, & eam, postquam non est aliam inuenire. Quid enim vel nudo, vel tectum non habente pauperius? non enim in terra, sed in sterquilinio sedebat. Itaque cum temetipsum videris paupertate vigeri, cogita huius iusti tormenta, atque ilico exurges, parui pendēsque propriam calamitatē. Hæc ille, & longe plura de inuicta ipsius Iob patientia illic exprimit. Sed intellige quod dicit Chrysostomus, Iob magis passionibus quā virtutis actionibus profecisse, non considerando solum passiones, ærumnas, & dolores quos ille pertulit, sed promptissimam eius voluntatem qua voluit omnia tormenta, omnes denique calamitates æquo animo pro honore dei tolerare. tanta tormentorum & afflictionum magnitudo, in finem vltimum destinata, eleemosynam temporalem superat, & illis summis ærūnis & passionibus magis satisfacimus deo pro nostris vitijs abstergendis quā eleemosynis: deinde cum dicit Iob nō fuisse minorem apostolis, intellige nō quidem simpliciter. Nam apostoli longe plura & secretiora rerum diuinarum arcana & mysteria nouerunt quā Iob, sed aliqua ratione aut quantum ad aliquid, Iob non fuit minor apostolis, in hoc scilicet quod voluit omnia tormenta & omne afflictionum genus magno animo perferre pro nomine dei. & multa sanē pertulit, quod fecerūt & apostoli pro nomine Christi, quem præsentem viderunt, ille autem venturum credidit. Et quemadmodum apostoli res humanas despexerunt, & suos inimicos dilexerunt, ita & Iob omni virtute consummatissimus. Perstringemus quæ & alij authores eruditissimi de patientia Iob scripserunt, de qua dicit Tertullianus libro de Patientia, Dissocabatur malus, cum Iob immūdam vlcis sui redundantiam magna æquanimitate destringeret, cum erumpentes bestiolas inde in eosdem specus & pectus re-

Tertullian⁹

fossæ carnis ludendo reuocaret. itaque operarius ille victoriæ dei retufis omnibus iaculis tentationum, lorica, clypeoque patientiæ, & integritatem mox corporis a deo recuperatam, & quæ amiserat, centuplicata possedit. Et si filios quoque restitui voluisset, pater iterum vocaretur. Sed maluit in illo die reddi sibi tantum gaudij, securus sic de domino distulit, sustinuit tam voluntariam orbitatem, ne sine aliqua patientia viueret. Adeo satis idoneus patientiæ sequester deus. Si iniuriam depofueris penes eum, vltor est: si damnum, restitutor est: si dolorem, medicus est: si mortem, resuscitator est. Quantum patientiæ licet, vt deum habeat debitorem? Nec immerito. Omnia enim placita eius tuetur, omnibus mandatis eius interuenit, fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adiuuat, humilitatem instruit, pœnitentiam expectat, exomologesim adsignat, carnem regit, spiritum seruat, linguam frenat, manum continet, tentationes inculcat, scandala pellit, martyria cõsummat, pauperem consolatur, diuitem temperat, infirmum non extendit, valentem non consumit, fidelem delectat, gentilem inuitat, seruum domino, dominum deo commendat, fœminam exornat, virum approbat, amatur in puero, laudatur in iuene, suspicitur in sene, in omni sexu, in omni ætate formosa est. Dicit & Cyprianus libro tertio de bono patientiæ, Iob examinatus est, & probatus est, ad summum fastigium patientiæ laudis virtute prouectus. Quanta aduersus eum iacula Zabuli emissã: quanta admota tormenta? Iactura rei familiaris infligitur, numerosa sobolis orbitas irrogatur, diues in censu dominus, & in liberis pater ditior, nec dominus repente, nec pater est, accedit vulnere vastitas, & tabescentes ac defluentes artus, vermium quoque edax pœna consumit. Ac ne quid omnino remaneret, quod non Iob in suis tentationibus experiretur, armat Zabulus & vxorẽ illo antiquo nequitia suæ vsus ingenio, quasi omnes per mulierẽ decipere possent & fallere, quod fecit in origine, nec tamen Iob grauibus ac densis conflictationibus frangitur, quo minus inter illas angustias & pressuras suas dei benedictio victrice patientiæ prædicetur. Adde quod Augustinus mire commendat in plerisque locis patientiam ipsius Iob, cruciatus & dolores. Siquidem libro primo de Ciuitate dei, capite nono, dicit Iob cum temporalibus malis affigebatur, eam habuisse causam boni, vt sibi ipse humanus animus sit probatus & cognitus quã virtute pietatis gratis deum diligat. Et libro vno de Patientia (si modo opus illud sit Augustini) dicit capite vndecimo, Iob sanctus, diabolus expertus est, vtraque tentatione vexatus, sed in vtraque stabili patientiæ robore, & armis pietatis inuictus. Nam prius illæto corpore cuncta quæ habebat, amisit, vt animus ante suæ carnis cruciatum, subtractis rebus, quas magnipendere homines assolent, frangeretur, & aduersus deũ loqueretur aliquid, his amissis propter quæ illum dolere putabat. Percussus etiam omnium subita orbitate filiorum, vt quos sigillatim susceperat, simul perderet, tanquam eorum numerositas non vnde fœlicitas oriretur, extiterit, sed vnde calamitas augetur. Vbi autẽ ista perpeffus, in deo suo mansit immobilis: eius affixus est voluntati, quem non posset amittere nisi propria voluntate: & pro ijs quæ perdidit, eum qui abstulit tenuit, in quo inueniret quod nunquam periret. Neque enim ille abstulerat, qui nocendi habuit voluntatem, sed ille qui dederat potestatem. Et capite 12. Aggressus est inimicus & corpus, nec ea quæ homini extrinsecus inerant, sed ipsum iam hominem, in qua potuit parte percussit. A capite vsque ad pedes, ardebant dolores, scatebant vermes, sanies defluebat, manebat in putrido corpore animus integer, horrendusque cruciatus carnis contabescens inuiolata pietate, & incorrupta patientia perferebat, aderat vxor, nec ferebat opem aliquam viro, sed in deum blasphemiam suggerebat. Non enim eam diabolus, cum etiam filios abstulisset, tanquam nocendi imperitus reliquerat, qui quantum esset necessaria tentatori, iam in Eua didicerat, sed modo alterum Adam quem per mulierem caperet, nõ inuenerat. Cautior fuit iste in doloribus, quàm ille in nemoribus: ille victus est in delicijs, iste vicit in pœnis. Consensit ille oblectamentis, non cessit iste tormētis. Aderant & amici non vt in malis consolaretur, sed vt mala

Cyprianus.

Augustinus

suspiciarentur. Neque enim eum qui tanta patiebatur innocentem esse credebant, nec tacebat eorum lingua, quod illius conscientia non habebat, vt inter immanes cruciatus corporis, etiam falsis animus cederetur opprobrijs. At ille sustinens in carne dolores suos, in corde errores alienos, coniugis corripiebat insipientiam, amicos docebat sapientiam, seruabat vbique patientiam. Ostedit & Origenes libro tertio, in opus ipsius Iob, nos nullis encomijs posse satis abunde ipsius Iob tolerantiam extollere. Quis enim (inquit) iuxta meritum poterit iustum illum magnificare, quem ipse dominus qui corda cognoscit, magnificans dicit: Non est similis illi quisquam super terram. Si igitur ante passionem non fuit illi similis quisquam super terram, si autem nec ante nec postea fuit illi similis quisquam super terram, quis ex his qui sunt super terram, iuxta meritum, narrationem vel laudẽ illi exhibere potest? Non solum enim omnes homines, sed puto quod & audeo dicere, etiã ipsos angelos, atq; omnes dæmones perterritus Iob tolerantia & constantia atque fides, cum terra & lutum superauit omnem virtutem ac fortitudinem, atque omnem veritatem malignissimi diaboli, qui cum acceperit in eum potestatem, cuncta hæc in eo exercuit, quæ omnia corda in pauore deducunt, & omnem animam stupere faciunt. Et paulo post dicit, in confusionem dæmonis qui excitauerat vxorem Iob, vt suum virum seduceret & supplantaret: Quemadmodum qui ad petram sagittauerit, petra quidem nihil facit, omnes verò sagittas in semetipsum conuertit, ita nequissimus diabolus cum inuiolabilem petram Iob atque incontaminatam sagittaret, ad adamantem semetipsum vulnerauit, ac deiecit, Iob verò nihil fecit.

CAPVT XI.

Iob Typus Christi, nõ peccauit cum maledixit diei suo, qui corporum resurrectionem sic prophetat, vt nullus de ea vel manifestius vel cautius scripserit. Primam Assertionis partem suadebimus, ex Origene libro primo, in Iob, vbi dicit: Cum sua prostratione Iob diabolus deiecit, & sua tolerantia nequissimum superauit, formam ostendit eius qui de celo venit, qui vt granum tritici in terram cadens diabolus deiecit, & fortem alligauit, & vasa eius diripuit, & spolia diuisit, & captiuam duxit captiuitatem, & passione atque resurrectione sua mundum redemit, atque seculum saluauit. Horum namque omnium formã atque exemplum ostendens, post horum omnium lamentabilium tolerantiam, prostratus in terra, orauit ad dominum, vt prostratio eius ruina efficeretur diabolo, atque subuerfori maligno, & figuram per hæc in se gereret passionis ac resurrectionis domini. Et libro secundo eiusdem operis differens de perseuerantia Iob in iugi simplicitate quam dominus laudauit, (inquit) figura fuit eorũ quæ in noua gratia omnia in simplicitate transierunt, atque sustinuerunt, nulli malum pro malo reddentes, sed præceptum domini adimplentes dicentis: Diligite inimicos vestros, & benedixite eis qui maledixerint vobis, & volẽti auferre pallium tuum dimitte ei & tunicã. Horum namque omnium Typum gerens beatus Iob, cũ hoc quod in simplicitate perseuerauit, atque cuncta sustinuit, cum hoc ipso etiam auferenti pallium suũ, hoc est omnem substantiam suam diabolo, & tunicam dimisit, conscindens illam, atque proiciens illi, & dicens: Quæ postulasti à deo accepisti, tolle & hæc quæ non quæstisti, tunicam atque pallium meum. Perseuerans adhuc in simplicitate. Nã quantum ad tuos sermones õ diabole aduersarij in eum insurrexerunt, inimici eum deprædati sunt, sed nec istis in aliquo replicauit, sed circa istos omnes simplicitatem ostendit, merito dicit perseuerans in simplicitate, typũ atque figuram gerens domini dicentis per prophetã de semetipso: Ego autem tãquam agnus immaculatus ductus sum ad sacrificium. Et rursus exponens locum illum, accepit testam vt raderet saniem vulnerum suorum, dicit: Typus sum sine peccato, hos sustinendo dolores illius, qui nouissimo tempore descendens de cælis deus vnigenitus, terreni corporis testa, ex virgine se induens, totius mundi saniem, immunditiam quoque ac putredinem rasisit, atque mundauit omniũ peccata supportando. Postmodum pro impietatibus eo-

Origenes.

Origenes

Ioan. 12.

Matth. 12.

Psal. 67.

Eph. 4.

Roma. 12.

Matth. 5.

Esa. 53.

rum in mortem deductus est, cuius liuore omnes sanati atq; mundati sunt, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Dicit etiam Hieronymus, in cōmentarijs Iob, si modo illi sint Hieronymi, Iob typum Christi tulisse, & explicat quid terra Hur, in Christo significet: Terrā hanc, assumptum verum hominem ex Maria intelligimus, quā ideo filio dei affumēte eam, consiliatrix dicitur, quod per diuinitatem affumentis habitant in ea thesauri diuinā sapientiā & scientiā absconditi, quā sibi ita indissolubili connexionē coniunxit, vt ipse in trinitate vnus sit filius dei: septem verò filij septiformē spiritus sancti gratiam, & tres filia, legem, & prophetiam & Euāgelium nobis videntur significare. Oues plebem Christi propter innocentiam, quā in baptismo sordes peccatorum deposuerint, nominat: in camelis verò gentium prauitatem, cum oneribus criminū & tortuosis sensibus ad Christum venientium ostendit: in bobus qui munda animalia sunt, Iudæorum plebem: in asinis verò immundum pecus, gentium populum demonstrat. Vnde Esaias ait, Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui, scilicet quod natiuitatem Christi in carne, & Iudæi ex parte & gentes agnouerint, & in præsepi altaris domini, quasi munda animalia per baptismū accesserint. forte ad hoc respicit illud Euangelij, iugum enim meū suauē est, & onus meum leuē: in iugo Iudæos, in asino, ad quem onus magis pertinet, gentes. ¶ Secundam Assertionis partem ex Gregorio desumpsimus exponente eleganter & erudite locum illum ipsius Iob: Post hæc aperuit Iob os suum, & maledixit diei suo, & locutus est: Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est, conceptus est homo: vbi primum adnotat, capite 5. scripturam sacram duobus modis maledictum memorare. Aliud videlicet quod approbat, aliud quod damnat. Aliter enim maledictum profertur iudicio iustitiæ, aliter liuore vindictæ. Maledictum quippe iustitiæ iudicio, ipsi primo homini peccanti prolatum est, cū audiuit: Maledicta terra in opere tuo. Maledictum iudicio iustitiæ profertur, cum ad Abraham dicitur, Maledicam maledicentibus tibi. Rursum quia maledictū non iudicio iustitiæ profertur, sed liuore vindictæ promitur, voce Pauli apostoli prædicantis admonemur, qui ait: Benedicite, & nolite maledicere. Et rursum, Neque maledici regnū dei possidebunt. Deus ergo maledicere dicitur, & tamen maledicere homo prohibetur, quia quod homo agit malitia vindictæ, Deus nō facit nisi examine & virtute iustitiæ. Et capite 6. ad præcedentia concludit: Cum ergo sancti viri maledictionis sententiā proferunt, non ad hanc ex voto ultionis, sed ex iustitia examinis erumpunt: intus enim subtile dei iudicium aspiciunt, & mala foris exurgentia, quia maledicto debeant ferire cognoscunt, & eo in maledicto non peccant quo ab interno iudicio non discordant. Hinc est quod Petrus in offerentem sibi pecunias Simonem, sententiam maledictionis intorsit, dicens: Pecunia tua tecum sit in perditionem. Qui enim non ait est, sed sit, non indicatiuo, sed optatiuo modo se signauit hæc dixisse. Hinc Helias duobus quinquagenarijs ad se venientibus dixit: Si homo dei sum, descendat ignis de celo, & consumat vos. Quorum vtrorumque sententia, quanta seueritatis ratione conualuit, terminus causæ monstrat. Nam & Simon æterna perditione interijt, & duos quinquagenarios desuper veniens flamma consumpsit. Virtus ergo subsequens testificatur qua mente maledictionis sententia promitur. Cum enim & maledicentis innocētia permanet, & tamen eum qui maledicatur vsque ad interitum maledictio absorbet, ex vtriusque partis sine colligitur, quia ab vno & intimo iudice, in reum sententiā sumpta iaculatur. Igitur si subtiliter beati Iob verba pensamus, non est eius maledictio ex malitia delinquentis, sed ex rectitudine iudicis: non est ira commoti, sed doctrina tranquilli. Qui enim tam recta maledicens intulit, non perturbationis vitio succubuit, sed doctrinæ magisterium impendit. Vidit quippe amicos cum clamore flere, vidit vestes scindere, vidit puluere capita conspergere, vidit consideratione suæ percussione obmutescere, & vir sanctus inspexit, quia hi qui prospera tēporalia requirebant, ex comparatione mentis propriæ, cum temporali fractū aduersitate credide-

rant. Pespexit quod trāsitoria afflictione percussum desperare non flerent, nisi ipsi desperatā mentem ab spe incolumitatis internæ subtraherēt, & dum erumpit foras in vocem doloris, vulneratis intus ostēdit virtutem medicaminis, dicens, vt mutabilitatē huius trāsitoria vitæ in qua nati sumus, sanctus quisq; perire desideret, pereat dies in qua natus sum. Dies autē ille natiuitatis, est tempus nostræ mortalitatis, vt quādū nos in hac nostræ mutabilitatis corruptione retinet, æternitatis nobis incommutabilitas non apparet. Qui igitur diem iam æternitatis vider, ægre diem suæ mortalitatis sustinet. Et notādum quod non ait, pereat dies in qua cōditus sum, sed pereat dies, in qua natus sum. In die quippe iustitiæ homo est conditus, sed iam in tēpore culpæ natus. Adam enim conditus, sed Cain primus est natus. Quid est ergo dici natiuitatis maledicere, nisi aperte dicere, dies mutabilitatis pereat, & lumen æternitatis erūpat? Et capite 7. dicit perire duobus sumi modis: Aliter enim perire dicimus, quando aliquid optamus, vt nō sit: & aliter perire dicimus, quādo optamus, vt male sit, hoc quod de hoc die subditur, Obscure eum caligo, & inuoluatur amaritudine, liquido ostēdit, quia dies iste nō ita, vt non sit, sed ita perire optatur, vt male sit: inuolui enim amaritudine non potest, quod omnino perditū est. Hoc autem tēpus nostræ mutabilitatis, nō quandoq; ita periturum, id est transiturū est, vt male sit, sed vt penitus nō sit, angelo in sacro eloquio attestante, qui ait: Per viuentem in secula, quia tempus iam non erit. Nā & si propheta dicit, Erit tempus eorum in æternū, quia per momenta tēpus deficit, nomine temporis eorū defectum vocauit, ostendens quod sine fine omnino defectu deficiūt, hi qui à visionis intimæ cōsolatione separātur. Quia ergo nostræ mortalitatis hoc tempus nō ita vt male sit, sed ita perit vt non sit, quærendū est, quid sit quod nō ita vt non sit, sed ita perire optatur vt male sit: & respōdet, id intelligi de apostata diabolo, qui dici potest dies perditionis, vt retrorsus dignis supplicijs, etiā tentandi licentiam amittat. Nec solū putat Diuus Gregorius Iob nō deliquisse cum maledixit diei suo, sed nec vnquam suis labijs offendisse. Enarrās enim locum illū, In omnibus his nō peccauit Iob labijs suis, dicit, Duobus modis labijs delinquimus, cū aut iniusta dicimus, aut iusta reticemus. Nam & si aliquādo tacere culpa non esset, propheta non diceret, Vx mihi quia tacui. Beatus igitur Iob in cunctis quæ egit, labijs suis minime peccauit, quia nec contra ferientem superba dixit, nec cōtra suadentem recta reticuit. Nec loquens ergo nec tacens deliquit, quia & flagellanti patri gratias reddidit, & male suadēti coniugi doctrinæ sapiētiam ministravit. Quia enim sciuit quid deberet deo, quid proximo: scilicet patientiam conditori, sapiētiam coniugi: idcirco & hanc redarguendo docuit, & illum gratias agendo, laudauit. Adde quod Origenes eundē edisserens locum, dicit: O laus, o honor, gloria & suffragiū, o delectatio atque prælatio beati Iob. Quid primum magnificetur iusti illius, quā iusta ac pia vita eius, ab initio & misericors atq; bona? An tolerātia vehementiū dolorum cum gratiarum actionibus? Aut etiā hoc quod cum callide seduceretur à diabolo per os vxoris, sapiēter restitit, & in his omnibus iustū ac bonū deum existimauit, qui hæc ei vniuersa bene ingessit? Hæc itaque demonstrans dicit, in his omnibus quæ ei acciderūt, nihil peccauit Iob in labijs suis, neq; in conspectu domini, in his, inquit, omnibus plurimis, magnis ac mirabilibus atque terribilibus, lamentabilibus quoque ac miserabilibus, quibus similia gesta nō sunt, in miserijs atq; in infortūtatibus, in omnibus quæ à seculo sunt facta, & sicut vsque in æternū, quibus similia visa non sunt, neque audita sub sole ab initio seculi, & vsque ad consummationē seculorum, in istis ergo omnibus nihil peccauit Iob, neque in verbis labiorum, neque in oris eloquijs, neq; in cordis cogitationibus, neq; in animi meditationibus. Quod autē ita sit, ostendit mox in subsequētibus, dicens: Neq; in labijs suis, neq; in conspectu domini. & nō suffecerat vt diceret, neq; in cōspectu domini, sed & hoc dixit, neq; in labijs suis. Quid est hoc neq; in labijs suis? vel quid hoc est, neq; in conspectu domini? Audite o amici veridicā expositionem. Quod dicit in cōspectu domini, hoc est cordis cogitatione, & animæ profundo tra-

Apoca. 10.
Psal. 80.

Iob. 22

Esa. 6.

Origenes

statu aduersus deum nihil cogitans in reprehensione, & in blasphemia atque criminatione, quæ in cōspectu dei deprimunt, qui inquit renes & corda, qui nouit occulta cordis, sicut dicit scriptura. Verba autem labiorum aliquando ex corde dicuntur, aliquando autem inconsideranter proferuntur ex incautela, & non ex iniquitate, neque ex maleuolentia, sed frequenter ore loquitur homo, quod omnino corde, neque cogitauit, nec cogitat. Ergo quia admirabilis & patētissimus Iob, cum in tantas tribulationes trāsiret, & tantos dolores nefandos sustineret, tantāsque seductiones superaret, neque in corde malum de deo, neque aduersus deum cogitauit, neque in labijs suis per incuriam vllum prauum sermonem protulit, propterea magnificans illum & laudās, atque præferens, dicit, in his omnibus quæ ei acciderunt, non peccauit Iob, neque in labijs suis, neque in conspectu domini. Ac si diceret, O magna atque vehemens admiratio, ò magna atque ingens patientia viri, vt in omnibus tā validis doloribus atque in omnibus iugibus pœnis, ita se beatus ille obseruaret, vt omnino nec in labijs suis, neque in corde suo circa deum delinqueret. Nam sicut cordis sui cogitationes atq; animi sui meditationes castas omnes, ac mundas conseruauit, & nō prauæ circa deum cogitauit, ita & verbis labiorū, atque oris eloquijs obseruauit, vt nec corde delinqueret, neque in sermone peccaret, sed totū semetipsum, & cordis consilia, & sermonis eloquia, & verba labiorum cuncta in gratiarum actionem atque confessionem dei conuerteret. Et explanās locum illum, maledixit Iob diei suo, dicit: Hæc audientes quidā ex verribilibus & insipientibus ac imperitis, accusare atque reprehendere iustum illum Iob ausi sunt, quasi qui deum blasphemauerit, & diē suum maledixerit. Quibus duriter restitit ipse deus in finem huius scripturæ, cum veracem astruens Iob, dicit ad Eliphar: Peccasti tu qui de peccato accusasti Iob, Iob verò nō peccauit: peccasti tu & duo amici tui. Ob quā rem? Ob hoc inquit, quia nō locuti estis quicquid veritatis in conspectu meo, sicut famulus meus Iob. Quē ergo ipse deus irreprehensibilem cōfessus est, famulū suum eum appellando, & hoc in fine totius toleratiæ, quis sanus criminari audeat? quis sapiens reprehendere aggrediat? Quis enim accusabit electos dei? Iustum maxime, quē tantum elegit, & se dignū testificatus est ita, vt etiam sacerdotē, illum delinquentium amicorū constitueret, & per illū peccata eorū illis promitteret remittere. Iustū ergo qui à deo purgatus est, quis audeat reprehendere, vel accusare quasi illicite diem suū maledicentē? Super quæ omnia ò viri si ob hoc reprehēditur Iob, vel accusatur quòd diē suum maledixerit, reprehēdatur pariter cum illo vel accusetur sanctissimus Hieremias propheta. Nā sicut Iob maledixit diē natiuitatis suæ, ita & Hieremias deuotauit diē natiuitatis suæ, & omnia cōsequenter similiter vt Iob locutus est de diē natiuitatis atq; de cæteris omnibus. Si ergo reprehēdit quis, vel accusat, vtrunq; reprehēdere vel accusare debet, & Iob: & Hieremiā, & si de blasphemia accusat, vtrunq; debet accusare, & Iob, & Hieremiā. Vterque enim, & Iob, & Hieremias similia dixerūt, similia locuti sunt, eūdem diem natiuitatis suæ maledixerūt atque deuotarunt. sed & Iob, beatus est in conspectu domini, & Hieremias gloriosus est cū sanctis. Væ autem his qui sanctos blasphemauerint, qui amicos dei accusauerint, maxime quos etiā deus post mortem memoria honorificauit, sicut Iob de quo dicit, Si autē steterit Iob, & Noe, & Daniel in cōspectu meo: aut sicut Hieremias, quē in vita plus omnibus magnificans, dicit: Antequam formarē te in vtero, noui te, & antequam exires de vulua, sanctificauit te, & prophetam in gentibus posui te. Postquā autem irreprehensibiles fuisse sanctos ostēdimus, non nos, sed etiam ipse deus, beati Iob sermonum commemorēmur, qui bene à sancto illo sancti dicti sunt, male autem ab impijs in blasphemiam verfi sunt: Aperuit, inquit, Iob os suum, & maledicebat diem natiuitatis suæ. Primum hoc aduertamus, ò viri periti, quod dicitur, Iob suū maledicebat, non diē dei, non conditionis, neq; creaturæ dei, sed diem suum, quem diem suum? Qui non fuit, quem non habuit, quem non possedit: quem ergo nō habuit, neque possedit, neque vidit, neque in eius potestate fuit, hunc cū malediceret, nihil

Hier. 20.

Ezech. 14.
Hier. 1.

maledixit, maledixit quod non fuit, quod non habuit, quod non vidit. Item adhuc maledicebat, inquit, suū diem. Siue diem suum maledixerit, siue alienum, nihil maledixit, hoc quod non fuit maledixit. Dies enim non est in natura, nō est in substantia, neq; in propria potestate. Lux videtur, substantia autem non videtur, natura verò non tenetur, neque apprehenditur, quia dies non habet naturam, neque substantiam. Nomen habet, naturam verò non habet. Sicut hora nomen habet, substantiā autem nō habet: sic & dies nomen habet, sed substantiam vel naturam non habet. Quid ergo est dies? Lucis tempus, lucis transitus, & solis ortus ab oriente vsque ad occasum decursus. Solis ergo lux, dies appellatur, solis trāsitus, dies æstimatur. Nam vere ita est, Solis enim decursus diei tempus dimetitur, diei terminū ponit, siue ad breuiandum diem siue ad prolongandum. Quòd autem ita est scriptura demonstrat, dicens: Omnis lux diei, ex sole. ac si diceret, Omne tempus à sole. Nam sicut quilibet alicubi in tenebris cum lucerna transferit, vsquequo lucerna adest, illiusque & lux est, neque substantiam habens, neque naturam, sed splendorem tantum. Si ergo quis maledixerit splendorem lucernæ, nihil maledicit nisi transitū inanem, atque decursum nō manentem: ita & Iob cum luminis atque splendoris transitū malediceret, hoc quod non erat maledixit. Hæc ille. Sublimis sanè est hæc Origenis philosophia, quam soli docti intelligere possunt. Nec pures Origenem in eo fuisse errore, vt censuerit diem nihil esse simpliciter, nec ens, nec creaturam. Nam deus lucem creauit & diem, sed nihil est quod subsistat aut permaneat, neque natura est neque substantia, sed est transitus inanis qui cito disparet. Tum etiam beatus Hylarius enarrans illum Psalmographi locū, Heu me quòd incolatus meus prolongatus est, huic Assertioni astipulatur, ostendens Dauid non solum æterni temporis gloriam desiderasse, sed moras odisse, & ipsam illam non potuisti iam desiderij tantū dilationem doluisse. Querelam (inquit) istiusmodi à plurimis sanctis frequenter audiuimus, de tarditate ipse suæ, & morosa corporum dissolutione desistentium. Dominus in Euangelijs suis, docuit accelerationem regni cælestis orandum, impatientem enim charitatem esse eorum qui amant, cōuenit: atque ideo dici oportet, quod vt dicamus à domino præcipimur: Adueniat regnum tuū, fiat voluntas tua. Paulus beatus in habitatione corporis sui congemiscit, per incolatum carnis peregrinari se à deo conquerens, ex quo contra peregrinandum in carne scit sibi esse, vt ei cum deo incolatus sit. Sed tamen melius ei esset dissolui, & cum Christo esse. & Ecclesiastes ait: Et laudauit omnes qui mortui sunt super omnes qui viuunt vsque nūc, libera scilicet per dissolutionē corporis anima onere, atque consortio, atque etiam infirmis huius atque periculosa carnis exuta. In hoc igitur nimium sibi prolixo in corpore incolatu congemiscit propheta, festinans peregrinari à terrenis & incolere cælestia, vt derelictis corruptibilibus atque præsentibus, cōsequatur inuisibilia & æterna. Iob sanctus & testimonio dei dignus, non solum corporis istius incolatu congemiscit, sed ipsam illam natiuitatis suæ diem maledicit, dicens: Pereat dies ille in quo natus sum, & nox in qua dixerunt, Ecce masculus natus est. & Hieremias similiter, Maledicta dies in qua genitus sum, maledictus nūcians patri meo, & dicens, quia natus est tibi masculus. Atqui idem à domino audierat, Priusquā te formare in vtero, noui te: & priusquā exires de ventre, sanctificauit te. Quid ergo? maledicit ne cepisse se qui antequam esset, & deo cognitus est, & sanctificatus à deo est? Absit istud. Non enim hoc in se quòd sanctificatus est, odit: sed ea quæ in sanctificationem consecuta sunt, maledicit: prouectum scilicet per incrementa corporis in has molestias corporei incolatus. formatus enim intra matris vuluam, & per virtutem creatoris sui in substantiam animæ ad dei imaginem figuratus, non conceptus, nec figuratio nis suæ ortum, sed eum qui ex incremento accessit profectum æditi corporis congemiscit, in quo sibi in malis seculi & infirmitatibus carnis, vitiiisque viuendum sit. iam tamen cōformato in vtero, & in vulua sanctificato specie in se originis cælestis æterna, non ambiguum quin ex dei significatione post legem mortis huius esset

Hylarius
Psal. 119.Matth. 6.
2. Corin. 5.
Philip. 1.

Eccle. 4.

Hier. 20.

mansurus aeternus. Sed prophetae huius, non multum longe alius affectus est quam Iob, atque Hieremiae. non enim incolarum, sed prolongatum incolatum suum queritur. ¶ Dicit aliquis, Hieronymus libro primo aduersus Pelagianos non excusat Iob à peccato in omnibus quae egit cum varijs tormentis affligeretur. Cum enim Critobulus altera illius Dialogi persona, dixisset Iob fuisse sine crimine, & Zachariam, & Helisabet, & aliquot ex sacris scripturis testimonia protulisset ad id probandum, respondet illi Atticus nomine Hieronymi introductus, proposuisti testimonia quae non de alterius scripturae loco, sed de proprijs libris absoluta sunt. Nam & Iob postquam percussus est plaga multa, aduersus dei sententiam (prouocans eum ad iudicium) dixisse conuincitur: Atque utinam sic iudicaretur vir cum deo, quomodo iudicaretur filius hominis cum collega suo. Et iterum, Quis mihi tribuat auditorem, ut desiderium meum omnipotens audiat, & librum scribat ipse qui iudicat? Et rursus, Si enim fuero iustus, os meum impia loquetur: & si absque crimine, prauus inueniar: & si purificatus niue, & lotus manibus, satis me sordè tinxisti, execratum est in me vestimentum meum. Et de Zacharia scriptum est, quod angelo natiuitatem filij pollicente dixerit: Vnde hoc sciam? Ego enim sum senex, & vxor mea processit in diebus suis: ob quae statim silentio condemnatur. Eris tacens & loqui non poteris vsque ad diem quo fient haec, quia non credidisti verbis meis, quae implebuntur in tempore suo. Ex quo perspicuum est, iustos quidem & immaculatos dici, sed si negligentia subrepsit, posse concidere, & semper hominem in meditullio positum, ut & de virtutum culmine ad vitia delabatur, & de vitijs ascendat ad sublimia, & nunquam eum esse securum, sed semper metuere in tranquillitate naufragium: ac per hoc hominem sine peccato esse non posse, dicente Salomone: Non est homo iustus super terram qui faciat bonum, & non peccet. Et eodem in Regum libro, Neque enim est homo qui non peccet. ac beato Dauid, Delicta quis intelligit: ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo. Et iterum, Ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Et multa alia quibus scripturae sanctae plenae sunt. Haec forsitan inuunt Iob & plerosque alios sanctos viros, dum in hoc mundo peregrinantur non omnino caruisse crimine, saltem veniali. Nec tamen illa quae Hieronymus adduxit nostrae Assertioni aduersantur, quia in illa disceptatione non meminit maledictionis qua Iob suo diei maledixit. Fauet & huic Hieronymi sententiae Augustinus Sermone 222. vbi dicit, Tuba ductilis erat beatus Iob, quando à diabolo percussus tantis damnis, orbitate etiam filiorum afflictus, in nullo contra dominum murmurauit. Tunc illa tantae tribulationis factus est tuba ductilis. Ergo audiamus si ipsa bene sonuit. Audi, dominus dedit, dominus abstulit, sicut domino placuit ita factum est, sit nomen domini benedictum. videte fratres quomodo & quam diligenter sonuit, quam suauem sonum dedit. Nec hoc solum sufficit, nisi adhuc tundatur. Datus est autem in potestatem satanae, ut caro percuteretur. Percussus est, coepit putrescere, ita ut eum scatentes globi vermium exararent. Ipse tamen beatus Iob, quamlibet esset iustus, non tamen fuit sine peccatis. Neque enim melior erat sancto Ioanne Euangelista, qui ait: Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, per illam enim crudelissimam poenam, minuta peccata purgabantur. ¶ Tertia pars Assertionis est Hieronymi in Epistola ad Paulinum, vbi dicit: Iob exemplar patientiae, quae non mysteria suo sermone complectitur? Prosa incipit, versu labitur, pedestri sermone finitur, omnesque leges dialecticae, propositione, assumptione, confirmatione, conclusione determinat. Singula in eo verba, plena sunt sensibus (Et ut de ceteris vileam) resurrectionem corporum sic propheta, ut nullus de ea vel manifestius vel cautius scripserit. Scio, inquit, quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra resurrecturus sum, & rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo deum. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspiciuntur sunt, & non alius. Reposita est haec spes mea in sinu meo.

Hieronymus

Luca 1.

Eccle. 7.
1. Reg. 8.
Psal. 18.
Psal. 142.

Augustinus

1. Ioan. 1.

Hieronymus

Iob. 19.

Iob de stirpe Hus descendens, librum adidit in canonicam auctoritatem receptum. ¶ Priorè Assertionis partem ex primo capite Iob deducemus. Sic enim in exordio illius operis scriptum est: Vir erat in terra Hus, nomine Iob. Huic astipulatur sententia Hieronymus, in quaestionibus Hebraicis super Genesim, enarrans illum Geneleos locum: Et nunciauerunt Abraham dicentes, Ecce peperit Melcha & ipsa filios Nachor fratri tuo, Hus primogenitum eius, & Hus fratrem eius, & Chamuel patrem Syrorum, & Caserh. Primogenitus Nachor fratris Abraham de Melcha vxore eius filia Ara, natus est Hus, de cuius stirpe Iob descendit, sicut scriptum est in exordio voluminis eius: Vir fuit in terra Hus, nomine Iob. Male igitur quidam existimant Iob de genere esse Esau, siquidem illud quod in fine libri ipsius habetur, eo quod de Syro sermone translatus est, & quartus sit ab Esau, & reliqua quae ibi continentur, in Hebraeis voluminibus non habentur. Haec ille. Quod dixit Hieronymus non haberi in Hebraeis codicibus, Iob erat quartus ab Esau: multorum rationes diluet, qui certo afferunt Iob esse de genere Esau. Subscribit Hieronymo Philippus presbyter, qui paulo post Hieronymum scripsit in hunc prophetam. Chus, inquit, & Buz filij fuere Nachor fratris Abraham iuxta fidem Geneleos libri, nati de Melcha sorore Sarrae. credibile videri potest, ut in terra quae ex parentum nomine dicta est, vir ille sanctus habitauerit, & esse illum potius de genere Nachor, non de Esau origine procreatum, sicut quidam opinione dubia suspicantur. Illi autem tres reges de genere fuerunt Esau, sic ille ita erit Iob & de Nachor, & de Ara per Melcham. Nec discedit Glossa ordinaria à sententia Hieronymi, enarrando eandem Geneleos historia. Omitto & Lyrannum eiusdem rei fautorem acerrimum. ¶ Cōflictabitur aliquis aduersus Hieronymum: fatetur Chrysostomus sermone in Iob & Abraham, ipsum Iob fuisse quintum ab Abraham, & nepotem Esau, qui seruauit legem sacrificando, & Euangelium cum cogitationibus sollicitus erat, quasi Euangelium spectans. Dicebat enim Iob: Ne forte filij mei mala cogitarint in corde suo contra deum. Quis enim legem posuit cordi, nisi qui dicit alicui: Qui videt mulierem ut concupiscat, iam moechatus est eam in corde suo? Et qui dicit, Omnis qui irascitur fratri, reus erit iudicio? Vidit futura qui ita metis curam habuit, vidit Euangelium ante datam legem. Oportebat autem ut is qui proficiebat, & ad perfectionis apicem ascēdebat, & propria recte ageret, & pro pueris sollicitus esset. Amabat autem pueros, quibus ornatus erat, & honeste educabat eos, offerēbatque pro incertis eorum peccatis sacrificia, melius existimans offerre, cum non debeas, quam ingratum esse, cum debeas. Et homilia 2. de patientia Iob edifferens locum illum iam pronuntiatum: Vir erat in terra Hus, dicit: Praedicat eum, & à natura praedicat, & à prouincia, ut quemadmodum miraris hominem audiens, supraque hominem viuentem: & prouinciam, ex qua tantus fructus floruit, verè mireris: qualisq; rosa in spinarum medio germinauerit, diligenter attende. Prouincia namque Hus, Esau prouincia erat, etenim ab Esau Hus nominat, aut prophani, prauisq; Esau sedē, sicut inquit Apostolus, Ne quis fornicator, aut prophanus, ut Esau, quo discas, quibus ex malitiae scholis quintus veritatis fructus erupit. Sed hinc non modo Esau prouincia tulit, sed & radix ipsa praua: pronepos enim abiecti repudiatusque erat. Nam scriptura quintum ab Abraham dicit esse Iob. Quomodo autem quintus sit, audi: Abraham genuit Isaac, Isaac Esau, Esau Raguclē, Raguclē Zarā, Zarā, Iob: successione ergo ab Abraham habuit per Esau. Ostēdit igitur scriptura radicem, quo fructum admireris. Quis enim Esau erat? fornicator & prophanus. quis erat Iob? qui à fornicatore descendit. Hinc vide, mirādu vir, nunc nobis in narratione subiectus, dicit: Si deceptum est cor meum, super mulierē, & si ad ostium amici mei insidiatus sum, scortum sit alterius vxor mea. Esau ad multas mixtionē habuit mulieres, infatiabilis ad luxuriam existēs: Iob verò modum tantummodo vitae habuit, tantumque abstinuit, ut alienis formis non circūlaboraret, atque à fornicatione adulteriōque tan-

Hieronymus
Gene. 22.Glossa Ordinaria.
Lyrannus.
Chrysostomus

Matth. 5.

Hebr. 12.

tum abfuit, vt nec alienis mulieribus iungeretur. Idē sentit homilia 80. ad populum. Et cōcione 2. de Lazaro dicit Iob fuisse nepotem Abrahā. Accedit sententiā Chry-
 sostomi Origenes libro primo, in opus Iob, vbi dicit Iob fuisse quintū ab Abraham:
 & apertius suam in eodem libro aperit sententiam. Homo (inquit) quidam erat in
 regione Ausitide: homo, vtpote natura existēs homo: quidam verō, vtpote ex om-
 nibus singularis: in regione autē Ausitide, vtpote qui illic moraretur & illic natus,
 atque ex ipsis fuerit, & inter eos aduixerit. Et qui sunt isti Ausitidæ? Genus Esau po-
 steritas atque tribus Edom. Nam Ausitide, & Minei, & Euchi, & Themanitæ, & cæ-
 teræ omnes tribus erant ex cognatione atque prosapia Esau filij Isaac, qui & Edom
 cognominatus est: idcirco cohabitatores sibi erant inuicem, atque integri amici, vt-
 pote vnus generis, atque vnus linguæ, & vt breuiter dicam, vnus gentis erant, &
 contigui habitatores. Nam tunc vniuersæ tribus, Idumæi vocitæ sunt, ex nomine
 Esau ita nuncupatæ. Nunc verō omnes vno nomine Arabi appellantur, non solum
 Idumæi qui erant ex Esau, sed & Amanitæ, & Moabitæ, omnes pariter nūc in Ara-
 bum nomine perstringuntur. Hæc itaque diximus vt ostendamus qui fuerint Ausi-
 tidæ ex quorum Iob appellatur regione, quia tribus erat & cognationes Edom qui
 & Esau. Nam sicut tribus Israel, qui & Iacob, ita & tribus Edom qui & Esau iuxta car-
 nales tribus, & non iuxta studia spiritalia. Ausitidæ ergo, & Euchi, & Minei, & The-
 manitæ, omnes pariter Idumæi fuerūt. Ob hoc ergo dicit, homo quidam erat in re-
 gione Ausitide. Ad hæc dicit Augustinus libro decimo octauo de Ciuitate dei, capi-
 te quadragesimo septimo, in quo ostendit plerisque pertinere ad deum præter Isra-
 elitas, Iob duxisse genus ex gente Idumæa, & tertia generatione posteriorem fuisse
 quàm Israel. Etiam qui confecit argumentum in librum Iob, asserit Iob habitasse
 in terra Vstidi in finibus Idumææ & Arabiæ, cui ante nomen erat Iobab, qui fuit fi-
 lius Zare de Bosra, vt ostendit trigésimū sextū caput Geneseos, & cōcludit Iob fuisse
 quintum ab Abrahā. ¶ Paucis respondebo vt respondet Ludouicus Viues edisse-
 rens illud caput Augustini nuper adductū, Origenem & eos qui dicunt Iob ex Esau
 descendisse, sequutos vulgatam æditionem, nullibi tamen locorum sacræ scripturæ
 reperimus secundum Hebraicam veritatem quam imitatur Hieronymus, Iob ab
 Esau ortum duxisse, licet communis opinio id dicat & septuaginta interpretibus fa-
 ueat. ¶ Posterior Assertionis pars est Augustini in eodem capite, vbi dicit Israelitas
 librum Iob pro sui merito in auctoritatem canonicā recepisse. Eiusdem est senten-
 tiæ Hieronymus, in prologo Galeato. Nec quispiam causari potest & calūniari hoc
 opus non esse ipsius Iob, quod in eodem libro dicitur, dixit Iob. Nam vt dicit Gre-
 gorius, in præfatione eiusdem operis: Moris scripturæ sacræ est, vt ipsi qui scribunt
 sic de se in illa, quasi de alijs loquantur. Hinc est enim quod Moyses ait, Erat Moyses
 vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra. Hinc Ioannes dicit:
 Hic est discipulus ille quem diligebat Iesus. Hinc Lucas ait, quod ambularēt duo ex
 discipulis in via, Cleophas & alius. Quem profecto alium dum tam studiose tacuit
 (vt quidam dicunt) quid nisi seipsum fuisse monstrauit? Scriptores igitur sacri elo-
 quij, qui impulsu sancti spiritus agitantur, sic de se in illo testimonium quasi de alijs
 proferunt. Spiritus ergo sanctus per Moysen locutus est de Moysē, spiritus sanctus
 per Ioannem locutus est de Ioanne. Paulus quoque quia non ex seipso loqueretur,
 insinuat dicens: An experimentum queritis eius qui in me loquitur Christus? Hinc
 est quod angelus qui Moyfi apparuisse describitur, modo angelus, modo dominus
 memoratur: angelus videlicet propter hoc, quod exterius loquēdo seruebat: domi-
 nus autem dicitur, quia interius præsidens, loquendi efficaciam ministrat. Cum er-
 go loquens ab interiori regitur, & per obsequium angelus, & per inspirationem do-
 minus nominatur. Hinc Dauid ait, Attendite popule meus legem meam, inclinate
 aurem vestram in verba oris mei. Non enim lex Dauid aut populus Dauid erat, sed
 personam eius ex quo loquebatur assumens, ipsius auctoritate loquitur, cuius inspi-
 ratione replebatur. Hoc quotidie fieri in Ecclesia cernimus, si vigilanter intuemur.

Origenes

Ludouicus
Viues.Gregorius.
Nume. 12.Ioan. 19.
Lucæ 24.

2. Corin. 13.

Psal. 77.

Nam stans in medio populi lector clamat: Ego sum, deus Abrahā, deus Isaac, & deus
 Iacob. Et quod ipse deus sit, vere profecto non dicit, nec tamen per hoc quod dicit,
 veritatis regulam deserit: quia cuius ministerium lectione exhibet, eius dominium
 voce præterdit. Itaq; scriptores sacri eloquij, quia repleti spiritu sancto super se tra-
 huntur, quasi extra semetipfos sunt, & sic de se sententias quasi de alijs proferunt.

CAPVT

XIII.

Iudæi occidendo Christum non potuerunt habere excusationem ignorā-
 tiæ. ¶ Hæc Assertio est Hieronymi, in Matthæum exponentis locum illū:
 Pater mi, si possibile est transeat à me calix iste. Veruntamen non sicut
 ego volo, sed sicut tu, vbi dicit: Postulat autem non timore patiendi, sed
 misericordia prioris populi, ne ab illis bibat calicem propinatum. Vnde & signāter
 non dixit, trāseat à me calix, hoc est populi Iudæorum, qui excusationem ignoran-
 tiæ habere non potest, si me occiderit, habens legem & prophetas qui me quotidie
 vaticinantur. Hæc ille. Quod autem potuerint Iudæi ex sacris literis scire verum
 Messiam, in lege & prophetis promissum esse Christum, ostēdemus. Scriptum est in
 primis, in Genesi, Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec
 veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Hic locus quantum ad id
 quod dicitur, donec veniat qui mittendus est, sano interpretum omnium iudicio in-
 telligendus est de Christo, cuius regnum perpetuo durabit, quemadmodum ex pro-
 pheticis oraculis refert Lucas, dicens: Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur, &
 dabit illi dominus deus sedē David patris eius, & regnabit in domo Iacob in æter-
 num, & regni eius non erit finis. Hunc autem regem omnium excellentissimū gen-
 tes aliquando venturum crediderunt, & expectarunt, sicut dicit Aggæus propheta,
 Ecce veniet desideratus cunctis gentibus. Dicit etiam Esaias, Erit radix Iesse, & qui
 exurget regere gentes, in eo gentes sperabunt. Nec hoc beneficium gentibus colla-
 tum iudicauit Dauid, Propterea (inquit) confitebor tibi in gentibus domine, & no-
 mini tuo cantabo. Et iterum dicit, Latamini gentes cum plebe eius. Atque iterum,
 Laudate omnes gentes dominum, & magnificate eum omnes populi. Asserit etiam
 Paulus in Epistola ad Romanos, Gentes super misericordia honorare deum. Enar-
 rans Origenes homilia super Genesim decima septima, locum illum, non auferetur
 sceptrum de Iuda, vbi legit: Non deficiet princeps ex Iuda, neque dux de femori-
 bus eius, vsquequo veniant ea quæ reposita sunt ei, vel (vt in alijs exemplaribus ha-
 betur) veniat is cui repositū est, & ipse erit expectatio gentium, dicit: Hic locus ma-
 nifeste refertur ad Iudam: constat enim vsque ad natiuitatem Christi, non defecisse
 principes ex genere Iudæ, nec duces de femoribus eius, vsque ad Herodem re-
 gem, qui secundū historiæ fidem (quā Iosephus scribit) alienigena fuisse, & per am-
 bitionem in regnum Iudæorum dicitur irrepisse. Statim ergo vt hoc factum est,
 & vt defecit dux de femoribus Iudæ, aduenit ille, cui erat regnum repositum, in
 quo quomodo gentes sperent, Euangelij fides & Ecclesiarum docet propagatio. re-
 posita autem dicuntur ea quæ opportuno tempore proferenda sunt. Sicut & Chri-
 stus in finem seculorum aduenisse dicitur, cum dicit Apostolus: Ecce nunc tempus
 acceptabile, scilicet ad salutem gentibus inferendam. Si verō quis in omnibus cu-
 piat cursum vtriusque expositionis aptare, potest extorquere fortassis, vt etiam
 de Christo hæc hoc modo videantur intelligi, quia non deficiet princeps ex Iuda,
 id est hic qui post resurrectionem eius Ecclesiarum princeps ordinatur. Et dux de
 femoribus eius, duces quoque Christianorum de femoribus Christi hoc modo ex-
 ponet. Membra Christi esse dicit Apostolus, fidelium populum, sine dubio intel-
 ligendo spiritaliter iudicare eos qui pro firmitate & constantia fortitudinis omne
 corpus Ecclesiæ sustentare videntur & ferre. Vel quia humani seminis iudicium
 solet in femorum appellatione figuraliter dici, apud nos autem qui seminat, ver-
 bum seminat. poterunt ergo qui ministerium verbi Ecclesiæ exhibent de Christi
 femoribus intelligi duces, vsquequo veniant quæ reposita sunt. Et videbitur ita
 L.L. iij.

Hieronymus
Matth. 26.

Gene. 49.

Lucæ 2.
Danie. 7.
M. ch. 4.
Aggæi 2.
Esa. 11.Psal. 17.
Psal. 116.Roma. 15.
Origenes.

2. Corint. 6.

posse intelligi, quousque ad consummationem seculi non deerunt isti duces, donec veniant ea quæ reposita sunt, quæ præparauit deus his qui diligunt eum, & ipse erit expectatio gentium, in die scilicet iudicij, cum omnes gentes & populi Christum iudicem in pauore cordis & tremore conscientia expectabunt. Adde quod Balaam vaticinatus est de Christo, dicens: Orietur stella ex Iacob, & conseruet virga de Irael, & percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth, & erit Idumea possessio eius, fatetur Origenes homilia 15. super Numeros, spiritum dei fuisse super Balaam cum de Christo prophetauit, cum Iudæis & gentibus de aduentu Christi mysteria futura pronuntiaret. Et cum edisserit scripturam illam, Orietur stella ex Iacob, & exurget homo de Irael, dicit hanc prophetiam intelligendam esse de Christo, quæ cõpleta est, in nouissimis diebus, in quibus cognita tẽporis plenitudine misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. Deinde dicit Balaam euidenter de stella quæ Magis in oriente apparuit, prophetasse, qua duce venerunt ad Iudæam, requirerentes eum, qui natus est rex Irael, & repertum oblati muneribus adorauerunt. Sed mouet me, quod de ipsa stella, posteaquam dictum est in Euangelio, quia præcesserit Magos vsque in Bethleem, & veniens stetit supra vbi puer erat, vltra non sit dictum, quia vel discesserit inde, vel euauerit, vel assumpta sit, aut aliquid omnino de hoc narratio Euangelica designauerit, sed hoc tantum dixerit, quia venit, & stetit supra vbi erat puer. Ne forte ergo sicut tempore baptismi, cum baptizatus Iesus ascendit de Iordane, aperti sunt ei celi, & vidit Ioannes spiritum dei descendente quasi columbam, & manentem super eum, & audiuit vocem dicentem de cælo, Hic est filius meus dilectus, in quo bene cõplacui: ita & stella hæc quæ venit supra vbi erat puer, & stetit, in Christo similiter permanit, sicut & spiritus sanctus in specie columbæ venisse dicitur, & mansisse in eo, & sicut venisse spiritum dei supra eum, & mansisse in eo, ita accipimus quod nunquã ab eo recesserit spiritus dei: ita & stella quæ venit, & stetit super eum, accipiendum puto, quod sic steterit super eum, vt nunquam inde mota sit. Et idco deitatis eius indicium illam stellã fuisse opinor. Vnde & ordo prophetiæ hæc eadem cõsequenter ostendit, cum de deitate quidem eius dicit, Orietur stella ex Iacob: de humana verò natura, Et exurget homo ex Irael, vt in vtroque, & secundum deitatem, & secundum humanitatem, Christus prophetatus euidenter appareat. Adde quod Hieronymus huic sententiæ astipulando, dicit in illum Matthæi locum: Vidimus enim stellam eius in oriente, & venimus adorare eum. Ad confusionem Iudæorum, vt natiuitatem Christi à gẽtibus discerent, oritur in oriente stella, quam futuram Balaam, cuius successores erant, vaticinio no uerãt. Lege Numerorum librum. Deferuntur autem Magi, stellæ indicio in Iudæã, vt sacerdotes à Magis interrogati, vbi Christus nasceretur, inexcusabiles fierent de aduentu eius. in super prophetauit Moyses de Christo, dicens: Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, tanquam me ipsum audietis. & hoc refert Lucas in Actis Apostolorum, quod desumptum est ex Deuteronomio, licet non sint eadem verba. Nam Lucas introduxit Moysen loquentem, & in Deuteronomio de hac re loquitur dominus Moysi, sententia tamen non variatur. Sic enim scriptum est, Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos, omnia quæ præcepero illi. Et licet locus ille possit intelligi de Iosue qui proxime successit Moysi, & de alijs sequentibus prophetis, tamen vt dicit Lyranus principaliter intelligitur de domino nostro Iesu Christo, quod nobis Lucas expressit, & præsertim in tertio capite suæ historiæ, vbi hæc scribit, Deus autem quæ pronũtiavit per os omnium prophetarum pati Christum suum, impleuit sic. Pœnitentini igitur & conuertimini vt deleantur peccata vestra, vt cum venerint tempora refrigerij à conspectu domini, & miserit eum qui prædicatus est vobis Iesum Christum, quem oportet quidem cælum suscipere vsque in tempora restitutionis omnium quæ locutus est deus per os sanctorum suorum à seculõ

prophetarum. Moyses quidem dixit, Quoniam prophetam suscitabit vobis dominus deus vester de fratribus vestris, tanquã me ipsum audietis iuxta omnia quæcũq; locutus fuerit vobis. Erit autem omnis anima quæ non audierit prophetam illum, exterminabitur de plebe: & omnes propheta à Samuel, & deinceps qui locuti sunt, etiam annuntiauerunt dies istos. Vos estis filij prophetarum & testamenti quod disposuit deus ad patres nostros, dicens ad Abraham: Et in femine tuo benedicentur omnes familiae terræ. Vobis primum deus suscitans filium suum, misit eum benedicentem vobis, vt conuertat se vnusquisque à nequitia sua. Differens Beda in hoc capite de excellentia huius prophetæ, dicit: Filius dei de populo Irael carnẽ assumpsit, apparẽs in similitudinem Moysi, vt sicut ille carnalem Irael ceremonijs & facris legalibus instructum & purificatum, in terrã promissionis introduxit, ita & Iesus per gratiam Euangelij, spiritalem Irael ad cælum duxit. Et sicut contemptores legis Moysi de terra promissionis ab inimicis sunt eieci, sic qui doctrinam Euangelij despiciunt, per vitores spiritus de coetu sanctorum pellentur. Adde quod Augustinus libro 18. de Ciuitate dei, capite 11. planẽ fatetur Moysen de Christo prophetasse, vbi ita scribit: Rexit autem populum Moyses per annos quadraginta in deserto, & mortuus est, annorum cẽtum & viginti, cum Christum etiam ipse prophetasset, per figuras obseruationum carnalium in tabernaculo, & sacerdotio, & sacrificijs, alijsque mysticis plurimisq; mandatis. Proferã & aliquot testimonia ex Esaia, quibus assentire debuerant Iudæi & adhærere, vt crederẽt verum Messiam in lege & prophetis promissum esse Iesum Christum, dicit Esaia per verbum domini: Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui, Irael autem non cognouit, & populus meus non intellexit. Hunc edisserẽdo locum dicit Hieronymus: Potest hic locus & de deo patre intelligi, sed magis refertur ad filium, quod non cognouit eum, neque susceperit populus Irael. cuius diem Abraham vidit, & lætatus est: & in cuius aduentum omnium prophetarum vota pendebant. qui & in Euangelio ad Hierusalem loquitur, Quoties volui congregare filios tuos sicut gallina pullos sub alas suas & noluiti? Imprecatur & propheta maledictionem Iudæis, quod dereliquerint dominum, & blasphemauerint sanctum Irael: Vx (inquit) genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis, dereliquerunt dominum, blasphemauerunt sanctum Irael, abalienati sunt retrorsum. Blasphemauerunt sanctum Irael, conclamitantes, Non habemus regem nisi Cæsarem. & Nõne hic est filius fabri? & Dæmonium haber. & Samaritanus est. Quia igitur dereliquerunt Christum, & blasphemauerunt sanctum Irael, idcirco abalienati sunt retrorsum, vt qui appellabatur pars & filij dei, postea diceretur: Filij alieni metiti sunt mihi. Etiam hic locus, A planta pedis vsque ad verticem, non est in eo sanitas, intelligitur de Christo, quem perditissimi Iudæi durissimis clauis antequam moreretur, confoderunt, & flagellis cæciderunt. Et in eodem capite scriptum est, Nisi dominus exercituum siue Sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissẽmus, & quasi Gomorra similes effẽmus. vbi dicit Hieronymus hunc locum non solum intelligi de patre, sed & de filio. Non enim dubium est quin illud quod 23. psalmo legitur, Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? dominus Sabaoth, id est dominus virtutũ, ipse est rex gloriæ, ad Christũ referatur: qui post passionis triumphũ ad cælos victor ascendit. Et in alio loco de domino dicitur, q̃ rex gloriæ sit: Si enim cognouissent, nunquam dominum gloriæ crucifixissent. Ergo non solum iuxta Apocalypsim Ioannis & apostolum Paulum, sed in veteri quoq; testamento, dominus Sabaoth, hoc est omnipotens, Christus appellatur. Si enim omnia patris, filij sunt: & ipse loquitur in Euangelio, Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. & Omnia mea tua sunt, & glorificor in eis. Cur non etiam omnipotentis nomen referatur ad Christum, vt sicut Deus dei, & dominus domini, sic omnipotens omnipotentis filius sit? Et aliubi vaticinatur Esaia de Christo, dicens: Et erit in nouissimis diebus præparatus mons

Gene. 12.

Beda.

Augustinus

Esa. 1.

Hieronymus

Ioan. 8.

Math. 23.

Esa. 1.

Ioan. 19.

Marc. 6.

Ioan. 8.

Psal. 17.

Esa. 1.

Psa. 23.

1. Corint. 2.

Math. 28.

Ioan. 17.

Esa. 2.

domus domini in vertice montium. Et eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite ascendamus ad montem domini, & ad domum dei iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius. quia de Sion exibit lex, & verbum domini de Hierusalem, & iudicabit gentes, & arguet populos multos, & conlabunt gladios suos in vomeres, & lauceas suas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladium, neque exercebuntur ultra ad praelium. Quod autem dicit propheta, Fluens ad eum omnes gentes, cohaeret his quae dicit Dauid, Omnes enim gentes seruient ei. Hoc autem manifeste intelligitur de Christo, cui dictum est: Postula a me & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terrae. Et in 71. psalmo legimus: In conspectu eius procident Aethiopes. In nomine enim Iesu omne genua flectetur, caelestium, terrestrium, & infernorum. Et qui prius animo dissidebant, & armis gladiisque in inuicem confligebant, adueniente saluatore domino nostro Iesu Christo, inierunt foedus & amici facti sunt, & hoc praedixit propheta, dicens: Non leuabit gens contra gentem gladium. Et hanc Hieronymus explicans prophetiam, dicit: Veteres reuoluamus historias & inueniemus usque ad vicesimum octauum annum Caesaris Augusti, cuius quadragesimo primo anno Christus natus est in Iudaea, in toto orbe terrarum fuisse discordiam, & singulas nationes contra vicinas gentes arsisse studio praeliandi, ita ut caderent & caderentur. Orto autem domino saluatore, quando sub praeside Syriae Cyrino prima est in orbe terrarum facta descriptio, & euangelicae doctrinae pax Romani imperij praeparata, tunc omnia bella cessauerunt, & nequaquam per oppida & vicus exercebatur ad praelia, sed ad agrorum cultus, militibus tantum legionibusque Romanis contra barbaras nationes bellandi studio delegato, quando impletus est angelorum ille concentus, Gloria in excelsis deo, & in terra pax hominibus bonae voluntatis. Et in diebus eius orta est iustitia & multitudo pacis. Et rursus dicit propheta, Quiescite ergo ab homine, cuius spiritus in naribus eius, quia excelsus reputatus est ipse. vbi dicit Hieronymus: Intelligentes ergo Iudaei prophetiam esse de Christo, verbum ambiguum in deteriorem partem interpretati sunt, ut videretur non laudare Christum, sed nihilipendere. Quae est enim verborum consequentia, & qui ordo rationis ac sensus, ut dicamus: Cum haec ita se habeant, & dies vetera sit domini, in qua vniuersus Iudaeae status subuertendus est, & omnia conterenda, moneo vos atque praecipio, ut quiescatis ab homine, qui ira spirat ac viuunt, ut nos homines, quia in nihilo computandus est. quisquam ne hominum ita quempiam laudet, ut dicat: Cauete ne offendant eum qui omnino nihil est? Ergo e contrario sic intelligendum: Cum haec vniuersa ventura sint vobis, & prophetae spiritu praedicantur, moneo atque praecipio ut quiescatis ab eo qui secundum carnem quidam homo est, & habet animam, & ita spirat, & naribus halitum trahit, ut nos homines spiramus & viuimus, sed secundum diuinam maiestatem excelsus & est, & reputatur & creditur. Tacita mecum mente pertractans, non possum inuenire rationem quare septuaginta tam perspicuam de Christo prophetiam in Graecum noluerint vertere. Ceteri enim qui verterunt quidem, sed sermonem ambiguum ad impietatis traxere sensum, non mirum cur male interpretati sint, nec voluerint de Christo gloriosum quid dicere, in quem non credebant, videlicet ut Iudaei, aut semiudaei, id est Hebionitae. Quod autem Christus excelsus sit vel altissimus, in 86. psalmo legimus: Nunquid Sion dicet homo, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus? Et in Euangelio: Et tu puer propheta altissimi vocaberis. Et rursus dicit Esaias: Ecce enim dominator dominus exercituum auferet ab Hierusalem & ab Iuda validum & fortem, omne robur panis, & omne robur aquae. Et licet haec possint ad Babylonios aut Romanos referri, tamē rectius & melius ad dominicam passionem referenda sunt. Nam post interfectionem Christi omnes gratiae & donationes sublatae sunt ad Iudaeis. Et haec cohaerent praecedentibus, vultque dominus dicere aduersus Iudaeos: Quia nolueritis cessare ab homine, cuius spiritus in naribus eius, qui excelsus reputatus est

Psal. 21

Philipp. 2.

Luca 2.

Ibidem.

Psal. 86.

Luca 1.
Esaia 3.

sed e contrario fuditis sanguine iusti, & cogitastis consilium pessimum, dicentes: Alligemus iustum, quia inutilis est nobis, ideo fructum adiuuentionum vestrarum comedetis. Nihil apud Iudaeos post passionem Christi forte, nihil validum est, sed omnia infirma & languida. Apertius multo vaticinatus est Esaias de Christo, & de eius natiuitate, dicens: Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Bu tyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum & eligere bonum. Praedicebat ille, his verbis Christum de virgine Maria nasciturum, quod plane docent Euangelistae. Siquidem ex Euangelio Matthaei cognoscimus angelum dixisse Ioseph postquam virgo Maria virtute spiritus sancti conceperat Christum, ne tantae rei sacramentum & magnitudine mysterij perturbaretur: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est: pariet autem filium: & vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum a peccatis eorum. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a domino per prophetam dicentem: Ecce virgo in utero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum deus. Dicit quoque Lucas de huiusce natiuitatis excellentia, referens verba angeli, Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud deum, Ecce concipies in utero & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Et rursus vaticinatur propheta de eadem ineffabili & inenarrabili generatione. Primo tempore alleuiata est terra Zabulon & terra Neptalim, & nouissimo aggrauata est via maris trans Iordanem Galilaeae Gentium. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis. Multiplicasti gentem, non magnificasti letitiam: laetabuntur coram te, sicut laetantur in messe, sicut exultant victores capta praeda, quando diuidunt spolia. Iugum enim operis eius, & virgam humeri illius, & sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian. Quia omnis violenta praedatio cum tumultu, & vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem & cibum ignis. Paruulus enim natus est nobis, filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. Super solium David & super regnum eius sedebit, ut confirmet illud & corroboret in iudicio & iustitia a modo & usque in sempiternum. Matthaeus ostendit hanc prophetiam in Christo adimpletam fuisse, dicens: Cum autem audisset Iesus quod Ioannes traditus esset, secessit in Galilaeam, & relicta ciuitate Nazareth, venit & habitauit in ciuitate Capharnaum maritima in finibus Zabulon & Neptalim, ut adimpleretur quod dictum est per Esaiam prophetam: Terra Zabulon & terra Neptalim, via maris trans Iordanem Galilaeae gentium. Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam, & sedentibus in regione umbrae mortis, lux orta est eis. Hunc prophetae locum enarrans Hieronymus, dicit terram Zabulon & terram Neptalim prima Christi vidisse miracula, ut prima biberet fidei potionem, quae prima viderat dominum signa facientem. Et iuxta Hebraicum, primo tempore releuata esse dicitur onere peccatorum, quia in regionibus duarum tribuum saluator Euangelium praedicauit. Vnde & in sexagesimo septimo psalmo dicitur, Benedicite dominum de fontibus Israel, Ibi Benjamin adolescentior. Paulus apostolus in mentis excessu, qui & alibi loquebatur, siue mente excedimus, deo. principes Zabulon, principes Neptalim duces eorum, quia in his tribubus fuerunt viculi de quibus duces nostri apostoli crediderunt, quibus dixit Christus: Venite & faciam vos piscatores hominum, qui relictis parentibus & nauiculis sequuti sunt dominum qui puer natus, summum obtinuit principatum super humerum ipsius, quo brachij fortitudo exprimitur, eodem Esaiam dicente: Reuelauit dominus deus brachium sanctum suum omnibus gentibus. Vocat & propheta hunc paruulum sex nominibus, quae seorsim sumi debent & non iunctim, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis. Iterum dicit propheta: Reliquiae conuertentur. Reliquiae inquam Iacob ad dominum

Sap. 2.

Esaia 7.

Matth. 1.

Luca 1.

Esa. 9.

Math. 4.

Psal. 67.

Acto. 9.

2. Corint. 5.

Matth. 4.

Esa. 52.

Esa. 10.

fortem. Si enim fuerit populus tuus Israel quasi arena maris, reliquiae conuertetur ex eo. Consummatio abbreviata inundabit in iustitiam. Consummationem enim & abbreviationem dominus deus exercituum faciet in medio omnis terrae. Hoc va-
 Rom. 9. ticinio ostendebat Esaias plenam saluationem futuram sub Christo. Quod & apostolus Paulus intelligens, scribit ad Romanos: Esaias autem clamat pro Israel, Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquiae saluae fient. Verbum enim consummans & abbrevians in aequitate, quia verbum breuiatum faciet dominus super terram. Et sicut dixit Esaias, Nisi dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, & Gomorrae similes fuissetis. Vbi ergo tanti viri praecedit autoritas, cesserit alia omnis interpretatio. Et reuera si legamus Iosephum libro
 Iosephus. 10. Antiquitatum Iudaicarum, cap. 2. & quanta hominum in Hierusalem, & in Iudaea fuerit multitudo, quando passus est dominus, intelligimus vix paucos in apostolis & in apostolicis viris ex Iudaeis esse saluatos. Abbreviatus autem atque perfectus sermo euangelicus est, qui pro cunctis lacinosae legis ceremonijs, dedit praecceptum breuissimum dilectionis & fidei, vt quod nobis heri noluerimus, ne fecerimus alteri. Vnde & dominus in Euangelio: In his (inquit) duobus mandatis pendet omnis lex & prophetarum. Item dicit propheta: Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus domini, spiritus sapientiae & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiae & pietatis, & replebit eum spiritus timoris domini. Hic autem locus intelligitur de Christo & virgine Maria, vt dicit Hieronymus. Virgam siquidem de radice Iesse, sanctam Mariam virginem intelligimus, quae nullum habuit sibi fructem coherentem, de qua & supra legimus, Ecce virgo concipiet & pariet filium. Et florem dominum saluatorem, qui dicit in Cantico canticorum, Ego flos campi, & lilium conuallium. Hu-
 Cantic. 2. iusce generationis a Dauid descendens meminit Lucas in Actis apostolorum, vbi dicit: Suscitauit illis Dauid regem, cui testimonium perhibens, dixit: Inueni Dauid filium Iesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. Hu-
 Acto. 13. ius ex femine Deus secundum promissionem eduxit Israel saluatorem Iesum, praedicante Ioanne ante faciem aduentus eius, Baptismum poenitentiae omni populo Israel. Super igitur hunc florem, qui de trunco & radice Iesse per Mariam virginem repente cofurget, requiescet spiritus domini, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem diuinitatis habitare corporaliter, nequaquam per partes, vt in caeteris sanctis, sed iuxta Euangelium eorum quod Hebraeo sermone conscriptum legunt Nazaraei: Descendet super eum omnis fons spiritus sancti. Dominus autem spiritus est, & vbi spiritus domini, ibi libertas. Et in Matthaei volumine legimus, quod in
 2. Corint. 3. consequentibus scribitur: Ecce puer meus quem elegi, electus meus in quo complacuit anima mea, ponam spiritum meum super illum, iudicium gentibus proferet. Hoc autem ad saluatoris intelligentiam refertur, in quo requieuit spiritus domini, id est aeterna habitatione permansit, non vt auolaret, & rursus ad eum descenderet, sed iuxta Ioannis Baptistae testimonium iugiter permaneret, qui ait: Vidi spiritum
 Ioan. 1. descendentem quasi columbam de caelo & manentem in eo, & ego nesciebam illum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris spiritum descendentem & manentem in eo, ipse est qui baptizat in spiritu sancto. Porro in Euangelio, cuius supra fecimus mentionem haec scripta reperimus. Factum est autem cum audisset dominus de aqua descendit fons omnis spiritus sancti, & requieuit super eum, & dixit illi: Fili mi in omnibus prophetis expectabam te vt venires, & requiescerem in te. Tu es enim requies mea, tu es filius meus primogenitus qui regnas in sempiternum, qui spiritus domini appellatur & spiritus sapientiae. Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est. Et in psalmis canitur,
 Ibidem. Quam magnificata sunt opera tua domine, omnia in sapientia fecisti. Et Apostolus scribit, Christus dei virtus & dei sapientia. Et in prouerbij legitur, Deus in sapientia sua fundauit terram, & parauit caelos in prudentia. Et quomodo idem sermo dei

vocatur lux & vita & resurrectio: sic spiritus sapientiae & intellectus, consilij & fortitudinis, & scientiae, & pietatis, & timoris domini nuncupatur, non quod diuersus sit iuxta differentias nominum, sed vnus atque idem cunctarum virtutum fons sit atque principium. Absque Christo igitur nec sapiens quis esse potest, nec intelligens, nec consiliarius, nec fortis, nec eruditus, nec pius, nec plenus timoris dei. Et hoc notandum quod spiritus domini, sapientiae & intellectus, consilij, & fortitudinis, & scientiae & pietatis, & timoris domini: id est, septenarius numerus, qui septem oculi in vno lapide dicuntur in Zacharia, requiescat super virgam & florem qui de Iesse ac per
 zacha. 3. hoc Dauid stirpe surrexit. Specialiter autem spiritus timoris domini impleuerit eum, propter eos qui timore domini indigent, quia paruuli sunt, quem foras mittit perfecta dilectio. Qui enim timet, poenam habet, & non est perfectus. Vnde & Apostolus loquitur ad credentes: Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis in quo clamamus Abba pater. Et in Malachia legimus,
 Roma. 8. Si pater ego sum, vbi est gloria mea? & si dominus ego sum, vbi est timor meus? de Malach. 1. quo timore cantatur in psalmo, Venite filij audite me, timorem domini docebo vos. Hanc etiam prophetia: Emitte agnum dominatorem terrae, de petra deserti ad montem
 Psa. 33. filiae Sion: intelligenda est de Christo. Hic enim est agnus immaculatus, qui toti terrarum orbi dominatur. Et aliubi simile de eodem protulit Esaias, dicens: In die illa erit altare domini in medio terrae Aegypti, & titulus domini iuxta terminum eius, & erit in signum & in testimonium domino exercituum in terra Aegypti. Clamabunt enim ad dominum a facie tribulantis, & mittet eis saluatorem & propugnato-
 Efa. 19. rem qui liberet eos. Variat⁹ est & propheta de extremo iudicio, in quo dominus Iesus Christus reddet vnicuique quod suum est: Ecce (inquit) dominus dissipabit terram, & nudabit eam, & affliget faciem eius, & disperget habitatores eius. Iterum de
 Efa. 28. Christo qui factus est lapis angularis, dicit: Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum. Qui crediderit, non festinet. De eodem sacro lapide loquitur Dauid, dicens: Lapidem quem reprobauerunt aedificantes, hic factus est in caput anguli. A domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Et in Euangelio Matthaei voluit Christus suadere Iudaeis prophetiam illam de seipso intelligi, quando illis dixit: Nunquam legistis in scripturis, Lapidem quem reprobauerunt aedificantes, hic factus est in caput anguli? &c. Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis regnum dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem vero ceciderit, coteret eum. Et dilucide Petrus ostendit in Actis apostolorum hunc
 Acto. 4. lapidem esse Christum, quem Iudaei crucifixerunt: Hic est (inquit) lapis qui reprobatus est a vobis aedificantibus, qui factus est in caput anguli, & non est in alio aliquo salus. Dicit etiam Paulus ad Romanos de Iudaeis qui in legem iustitiae non peruenerunt: Offenderunt in lapidem offensionis, sicut scriptum est: Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali, & omnis qui credit in eum non confundetur. Et in prima epistola Petri canonica dicitur: Vobis igitur honor creditibus, non creditibus autem, lapis quem reprobauerunt aedificantes, hic factus est in caput anguli, & lapis offensionis & petra scandali, his qui offendunt verbo, nec credunt in quo & positi sunt. Insuper dicit Esaias, Populus iste ore suo appropinquat, & labijs suis
 Efa. 29. glorificat me, cor autem eius longe est a me, & timuerunt me mandato hominum & doctrinis. Et hoc vsus est Christus testimonio, cum acerbe reprehendit Scribas & Phariseos quod transgrederebantur mandatum dei propter suas traditiunculas, & solum labijs honorarent deum: Hypocritae (inquit) bene prophetauit de vobis Esaias dicens: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est a me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. Item dicit Esaias de aduentu Christi & apostolorum eius, Ecce cum iustitia regnabit rex, & principes in iudicio praerunt. Hic enim rex (vt vult propheta innuere) regnabit iuste, non accipiens personam in iudicio: & principes illius cum veritate praerunt, causas non ho-

Esa. 35. mines considerantes. Et iterum, Dicitur pusillanimis, confortamini, nolite timere, ecce deus vester ultionem adducet retributionis: deus ipse veniet, & saluabit vos. Tunc aperientur oculi caecorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus, claudus: & aperta erit lingua mutorum. Hæc autem prophetia in Christo completa est, vt patet in Matthæo, dicens: Et cum transisset inde Iesus, venit secus mare Galilææ, & ascendens in montem, sedebat ibi. Et accesserunt ad eum turbae multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos, & proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos: ita vt turbæ mirarentur videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes, & magnificabant deum Israel. & disserens propheta de consolatione. quam populus Israeliticus in aduentu Christi obtinuit, dicit: Consolamini consolamini popule meus, dicit deus vester. Loquimini ad cor Hierusalem & aduocate eam, quoniam completa est malitia eius, dimissa est iniquitas illius. Vox clamantis in deserto, parate viam domini, rectas facite in solitudine semitas dei nostri. Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt praua in directa, & aspera in vias planas: & reuelabitur gloria domini, & videbit omnis caro pariter quod os domini locutum est. Hoc propheticum oraculo prædicebat Esaias Ioanem Baptistam futurum Christi præconem, qui debebat ludæos baptizare in futuram peccatorum remissionem, quam baptisimus Christi & attulit & effecit, & huiusce vaticinij meminerunt Euangelistæ, prophetiarum interpretes, scribit enim Matthæus: In diebus autem illis venit Ioannes Baptista prædicans in deserto Iudææ, & dicens: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum caelorum. Hic est enim de quo dictum est per Esaiam prophetam dicentem, Vox clamantis in deserto, parate viam domini, rectas facite semitas eius. & quod iam diximus aperit Marcus, dicens: Fuit Ioannes in deserto baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, sed intellige futuram, & quod addidit propheta, Omnis vallis implebitur, & erunt praua in directa, commemorauit Lucas adijciendo quod alij euangelistæ suppresserant. Declarat & Ioannes euangelista quomodo Ioannes Baptista baptizabat, & hunc introducendo loquentem, dicit: Ego baptizo in aqua, medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis, ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est, cuius ego non sum dignus vt soluam eius corrigiam calceamenti. Iterum propheta Esaias de Christo, dicens: Rorate cæli desuper, & nubes pluât iustum, aperiat terra, & germinet saluatorem, & iustitia oriatur simul, de qua dicit Dauid: Veritas de terra orta est, & iustitia de caelo prospexit. Et rursus vaticinatur de Christo qui illustraturus erat gentium tenebras: Dedit te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ, & hoc vsi sunt testimonio Paulus & Barnabas reprehendentes ingratiudinem Iudæorum erga Christum, Vobis oportebat primum loqui verbum dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes: sic enim præcepit nobis dominus, Posui te in lucem gentium, vt sis in salutem vsque ad extremum terræ. Dicit & aliubi propheta, lugiter tota die nomen meum blasphematur. Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse qui loquebar ecce adsum. Quam pulchri sunt pedes annuntiantis & prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion: Regnabit deus tuus. Prædixit & idem propheta cruciatus, quos Iesus perpassurus erat in sua passione, & quam ex hac passione beneficia nobis euenerit: Verè (inquit) languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit: & nos reputauimus eum quasi leprosum & percussum à deo & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus, omnes nos quasi oves errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit, & posuit dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum. Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondeute se obmutescet, & non aperiet os suum. Rursus propheta Esaias, Surge illu-

minare Hierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria domini super te orta est, quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: super te autem orietur dominus, & gloria eius in te videbitur, & ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. Iterum, Spiritus domini super me, eo quod vnxit dominus me. ad annuntiandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem: vt prædicarem annum placabilem domino. Quod autem hæc prophetia intelligatur de Christo, manifestissime ostendit Lucas in suo Euangelio, dicens: Et egressus est Iesus in virtute spiritus in Galilæam, & fama exiit per vniuersam regionem de illo, & ipse docebat in synagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus. Et venit Nazareth vbi erat nutritus, & intrauit secundum consuetudinem suam die sabbati in synagogam, & surrexit legere, & traditus est illi liber Esaiæ propheta. Et vt reuoluit librum, inuenit locum vbi scriptum erat, Spiritus domini super me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captiuis remissionem, & cæcis visum, dimittere contractos in remissionem, prædicare annum domini acceptum, & diem retributionis. Et cum plicuisset librum, reddidit ministro, & sedit. Et omnium oculi in synagoga erant intendentes in eum. Cœpit autem dicere ad illos: Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris. Amplius dicit propheta, Dicitur filia Syon, ecce saluator tuus venit, ecce merces eius cum eo, & opus eius coram illo, & vocabunt eos populus sanctus redempti à domino. Tu autem vocaberis quæ sita ciuitas, & non derelicta. Hoc adimpletum est vaticinium cum Christus in urbem Hierosolymitanam suam fecit cum discipulis ingressum. Quod expressit Matthæus, dicens: Et cum appropinquassent Hierosolymis, & venissent Bethphage ad montem Oliueti, tunc Iesus misit duos discipulos, dicens eis: Ite in castellum quod contra vos est, & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea, soluite & adducite mihi: & si quis vobis aliquid dixerit, dicitur quia dominus his opus habet, & cõfestim dimittet eos. Hoc autem factum est, vt adimpleretur quod dictum est per prophetam dicentem: Dicitur filia Syon, ecce rex tuus venit tibi mansuetus, & quod est in Zacharia, profert: Sedens super asinam & pullum filium subiugalis, siue filium asinæ. Adde quod hic Hieremias locus proprie intelligitur de Christo: Ecce dies veniunt, dicit dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, siue orientem iustum, & regnabit rex, & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra. In diebus illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter. Rex iste est rex omnium regum, & princeps principum, & dominus dominantium, & proprie est germen iustum siue oriens iustus, de quo legimus, Orietur in diebus eius iustitia. Et in alio loco: Ecce vir oriens nomen eius, & subter eum orietur, & ædificabit templum domino. Et aliubi dicit Hieremias de primo Christi & de nouo testamento, id est Euangelio, quod veteri testamento successit, Ecce dies veniunt dicit dominus, & feriam domui Israel, & domui Iuda fœdus nouum, non secundum pactum quod pepigi cum patribus vestris in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Aegypti, pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum, dicit dominus. Sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in deum, & ipsi erunt mihi in populum. Et aperte docet Paulus ad Hebræos hanc prophetiam esse intelligendam de nouo nostri mediatoris testamento: Nunc (inquit) melius sortitus est ministerium, quanto & melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est. Nam si prius illud culpa vacasset, non utique secundi locus inquireretur. Vituperans enim eos, dicit: Ecce dies venient, dicit dominus, & consummabo super domum Israel, & super domum Iuda, testamentum nouum, non secundum testamentum quod feci patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem illos de terra Aegypti, quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, & ego neglexi eos, dicit dominus. quia hoc est testamentum quod disponam domui

Esa. 61.

Lucæ 4.

Esa. 62.

Zacha. 9.

Matth. 21.

Zacha. 9.

Hierem. 23.

Hierem. 31.

Hebr. 8.

- Israel post dies illos, dicit dominus: Dabo leges meas in mentem eorum, & in corde eorum super scribam eas: & ero eis in deum, & ipsi erunt mihi in populum, & non docebit vnusquisque proximum suum, & vnusquisq; fratrem suum, dicēs: Cognosce dominum, quia omnes scient me à minore vsque ad maiorem eorum, quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum iam non memorabor. Dicendo autem nouum, veterauit prius. Quod autem antiquatur & fenescit, prope interitum est. Prophetauit etiam Daniel de tempore natiuitatis & passionis Christi, cui dixit angelus: Tu ergo animaduerte sermonem, & intellige visionem, Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & vngatur sanctus sanctorum. Scito ergo & animaduerte ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Hicrusalem vsq; ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt, & rursum ædificabitur platea & muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas, occidetur Christus, & non erit eius populus qui eum negaturus est, & ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada vna, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis, & vsq; ad consummationem & finem perseuerabit desolatio. Et cum Christus suis discipulis loqueretur de extremo iudicio, hanc protulit prophetiam, quantum ad desolationem futuram tempore illius diei: Cum videritis (inquit) abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta, statim in loco sancto (qui legit intelligat) tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes, & qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua: & qui in agro, non reuertatur tollere tunicam suam. Omitto quod Dauid in plerisque locis prophetauit de Christo quem vocat dominum, quo nullus est maior & excellentior, dicens: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis: Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Et hoc argumento confutauit Christus Iudæos, quod cum sciscitaretur ab eis, Quid vobis videtur de Christo, cuius filius est? Responderunt: Dauid. Quibus dixit hanc euertendo responsionem. Quomodo ergo Dauid in spiritu vocat eum dominum? dicens: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, &c. Quod si Dauid eum vocet dominum, quomodo filius eius est? Et nemo poterat ei respondere verbum, neque ausus fuit quisquam ex illa die eum interrogare. Augustinus in oratione contra Iudæos, Paganos, & Arrianos, ostendit abunde ex scripturis veteris testamenti Messiam in lege & prophetis promissum, esse Christum dei filium, quod plus satis iam suasimus. ¶ At dicet quispiam, Scribit Paulus in prima ad Corinthios epistola: Sapientiam dei in mysterio loquimur, quæ abscondita est, quam prædestinavit deus ante secula in gloriam nostram, quam nemo principum huius seculi cognouit, si enim cognouissent, nunquam dominum gloriæ crucifixissent. Igitur Iudæi interficiendo Christum, potuerunt habere excusationem ignorantie. Sed qui huic authoritati satisfacere debet, in te retorqueret quod dicit Christus in Euangelio Ioannis: Et me scitis, & ynde sim scitis. Cui igitur Paulus dicat principes huius mundi non cognouisse sapientiam in mysterio absconditam, & Euangelium Ioannis videatur contrarium dicere, inquirendum est sinam hæc pugnent, & quinam sunt illi principes de quibus loquitur Paulus. Et notum est in primis illas duas authoritates non repugnare, non enim sacræ scripturæ adinuicem pugnant. Beatus Ambrosius edisserens illum Pauli locum, dicit principes huius seculi non solum intelligendos esse Iudæos ac Romanos, sed etiam dæmones, cum quibus nobis est colluctatio, & quorum consilio ac voluntate crucifixus est Christus. Nec tamen à morte Christi excusat Iudæos, quia licet per ignorantiam malum illud perpetraverint, vt ad populum Iudaicum dicebat Petrus, tamen non licebit illis ignorare. Et quamuis dominum esse nescirent, tamen quia rem impiam faciebant, non erant nescij.

Augustinus
 Astipulatur Augustinus sententiæ Ambrosij 2. part. quæst. ex nouo testamēto, quæst. 48. vbi vocat principes huius mundi dæmones, qui licet sciuerint Christum illum esse qui promissus erat in lege per signa prophetiæ, non tamen sciuerunt mysterium eius, quo filius dei erat ex æterno, neq; sacramentum incarnationis. Existimo Augustinum in ea fuisse sententia, vt putauerit, neq; dæmones, neq; principes Iudæorum cognouisse mysterium quo Christus ex virgine cōceptus est, & ex deo patre, cui æqualis est, processerit. Licet forsitan doctores legis, & qui in veteris instrumenti cognitione diu versabantur, potuerint cognoscere Messiam in lege & prophetis promissum esse Christum. Imò cognouerunt, sed calumniabantur Christo in terris regnantem, quæ aduersus illos ex antiquis scripturis proferebat saluator noster, poterant etiam ex miraculis à Christo editis, & ex sana eius doctrina cognoscere filium dei. Nam ad illos confutandos proferebantur ab eodem sacræ veteris testamēti literæ. Adde quod in Euangelio Ioannis ostendebat Christus se à patre processisse, & missum in hunc mundum, vt sui patris voluntatem adimpleret. Quod autem dicit Ioannes in suo Euangelio per verbum Christi, Vnde sim scitis, solum innuit (authore Augustino, in enarratione eiusdem loci) Iudæos (excepto virginis partu) totum nouisse in se suum quod ad hominem pertinebat. Nam facies eius erat nota, patria ipsius nota erat, genus ipsius notum erat, vbi natus est, sciebatur. Astipulatur Chrysostomus enarrans Pauli locum, ijs quæ paulo antè diximus: Israelitæ (inquit) siue Iudæi perfectam Christi dispensationem & mysterium ignorauerunt. Non enim quod tam clara futura esset crux, quod mundi salus & deo ad homines reconciliatio fieret, & ciuitatem eorum captum iri, & vltimas passuros calamitates cognouerunt. Sapientiam autem & Christum appellat, & crucem, & prædicationem. Quidam dicunt propter authoritatem Ioannis iam pronuntiatam, Iudæos exiguam habuisse Christi cognitionem etiam quantum ad naturam humanam. Nam licet agnouerint Christum esse hominem, tamen ignorabant sacramentum maternæ virginitatis, putantes Christum esse filium Ioseph ex nuptiali societate, omnino tamen ignorauerunt Christum secundum æternam generationem. Et huius est sententiæ Clichoueus in additionibus cōmentariorum Cyrilli ad Euangelium Ioannis. Alij dicunt maiores Iudæos qui alijs præerant, cognouisse Christum in lege promissum, non tamen mysterium deitatis. Vulgares tamen & minores Iudæi, qui non versabantur in sacris scripturis, non cognouerunt Christum etiam in lege promissum: & licet aliquando dubitauerint visis excellentissimis miraculis an esset Christus, tamē postea decepti à scribis & principibus, mutarunt sententiam, nec crediderunt eum esse Christum, nec filium dei. Illi autem etiam ex ordine populari cognouerunt quibus seipsum Christus manifestauit.

CAPVT XIII.

Matth. 11.
 Malach. 3.
 Matth. 3.
 Chrysostomus
 MM. j.

Ioannes Baptista licet fuerit plus quàm propheta, non tamen cæteris prophetis & patriarchis, cunctisq; hominibus præfertur. Priorē assertionis partem ex euagelica Matthæi philosophia affirmabimus, in qua Christus hæc turbis de Ioanne dicit: Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatum? Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt. Sed quid existis videre, prophetam? Etiam dico vobis, & plus quàm prophetam. Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista. Ioannes ideo plus erat quàm propheta, quia præsentem ostendit Christum, de quo omnes alij prophetae tantum locuti fuerat. Attamen qui dicit eum prophetam, non male dicit. Nam Christi baptisma prædixit ante quàm baptizaret: Qui autem (inquit) post me venturus est, fortior me est. Et subdit, Ipse vos baptizabit spiritu sancto & igni. Chrysostomus huc edisserens locum, Et plus quàm prophetam, dicit interrogationis formula: Cur igitur maior prophetis Ioannes? quoniam propinquior erat Christo venturo, Mittam enim (inquit) angelum meum ante faciem tuam: qui autem ante faciem est, is proximus est. Nam quemadmodum maiore dignitate hi sunt,

qui proxime regibus deambulātibz ordinantur, sic & Ioānes in ipso aduentu cōstitutus, maiore gratia fulsit. Nec tamē testimoniū prophetæ ad ostendendā excellentiam ipsius sufficit, sed sententiā quoq; suā attulit. Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierū maior Ioāne Baptista, id est, non peperit mulier Ioanne maiorem. Quæ sententiā quāuis per seipsam sufficiat, tamen si velis à rebus ipsis veritatem inspiciere, veniat in mentē tibi mensa illius, educatiōq; & mētis altitudo, ita enim in terris quasi in cælo versabatur. Naturæ nanq; omni necessitate superata, mirabile quoddā peregit iter, semper in hymnis, semper in orationibus fuit. Nulli hominum antequā ad baptizandū accederet, deo autē soli sua semper offerebat colloquia: neminē vidit vnquā cōseruorum, nec ab aliquo horū visus fuit, non lacte nutritus, non lecto susceptus, nō tecto, non foro, non alia re humana vsus erat, tamen mitis simul & acer: quorum alterū ex cōuersatione sua cum discipulis, alterū ex responsione ad Iudæos atq; ad regē libera, facile perdisces: ita dicebat, Nō surrexit inter natos mulierū maior Ioanne Baptista. Ad hæc, Theophylactus explicās in Matthæū illud vaticinium, Ecce ego mitto angelū meum, &c. dicit Ioannē vocatū angelum, & propter angelicā vitam, ac fermē materiæ expertem, & propter hoc quod nuntiavit, prædicauitq; Christū, præparauit autem viam Christi, quasi testificās de eo, & quasi baptizans in pœnitentiā. Nam post pœnitentiā remissio peccatorū, quam remissionem Christus dat. Hæc autē dixit Christus postquam à se abierat discipuli Ioannis, ne, videatur eis adulari. Et cum enarrat excellentiā Ioannis, quod eo inter natos mulierum non surrexit maior, inquit: Hoc Christus cum affirmatione asserit. Dicens autem mulierum, seipsum excepit: Christus enim à virgine natus est non muliere, quæ virum sit passa. Pulchrè explicat hæc Christi verba, Imo plus quàm prophetam, Hylarius canone II. in Matthæum, vbi dicit: Gloriam omnem Ioannis dominus ostendit, dicens esse eum vltra prophetam, quia soli ipsi licuerit & prophettare Christum, & videre. & quomodo Christum ignorare creditur, qui missus in angeli potestate, viam vêturo parauerit, & quo ex natis mulierum, nullus maior propheta surrexit? Nisi quod qui minor eo est, id est qui interrogatur, cui non creditur, cui testimonium nec opera sua præstant, hic in regno cælorum maior est. Fauet & nostræ assertioni Hieronymus, explicans in Matthæum eadem Christi verba, In eo (inquit) Ioannes prophetis maior est, quod quem illi prædicauerūt esse venturum, hic venisse digito demonstrauit, dicens: Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et quia ad priuilegium prophetale etiam baptistæ accessit præmiū, vt dominum suum baptizaret, vnde infert meritum *δουλοῦ*, faciēs de Malachia testimonium, in quo etiam angelus prædicatur. Angelū autē hic dici Ioannem, non putemus naturæ societate, sed officij dignitate, id est nuntium, quod venturum dominum nuntiari. Eadem penè sunt, quæ scribit quæstione I. ad Algasiā, vbi ea quæ in Euangelio Matthæi de Ioannis Baptistæ laudibus dicuntur, refert: Christus (inquit) dixit eum non solum prophetā, qui soleat ventura prædicere, sed plus esse quàm prophetam: quia quem illi venturū esse dixerant, hic venisse monstrat, dicens: Ecce agnus dei, qui tollit peccata mundi, præsertim cui ad fastigium prophetale, baptistæ accesserit priuilegiū, vt qui dixerat, Ego à te debeo baptizari, ipse eum baptizauerit, non præsumptione maioris, sed obediētia discipuli, ac timore serui. Cūmq; inter natos mulierū, nullum asserat Ioāne surrexisse maiorē, se, qui de virgine procreatus est, maiorem esse cōmemorat, siue omnem angelū in cælis qui minus est, in terris cunctos homines anteire. Nos enim in angelos proficimus, & non angeli in nos, sicut quidā stertētes sopore grauissimo somniant. Nec sufficit hoc in Ioannis laudibus, nisi ipse prædicans baptisimū pœnitentiæ, prius dixisse referatur, Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum. Ad hæc, dicit Augustinus libro 2. cōtra literas Petilianī Donatistæ, cap. 37. Ioannes itaq; omnium præcedentiū proximus Christi annuntiator fuit. Et quia omnes superiorū temporū iusti & prophetæ cupiebāt videre completū, quod reuelāte spiritu futurū esse cernebant. Vnde & ipse dominus dicit:

Theophyl.

Hylarius.

Hieronymus

Ioan. I.

Matth. 3.

Augustinus

Quoniam multi iusti & prophetæ cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. Propterea Ioannes amplius quàm propheta dictus est, & in natis mulierum non habuisse maiorem, quia prioribus iustis prænuntiare tantum Christum concessum est, huic autem prænuntiare absentem, & videre præsentē, vt huic inueniatur patuisse quod illi cupierunt. Et ideo sacramentum baptisimi eius adhuc ad prænuntiationem Christi pertinet, sed planè nouissimam: quoniam vsque ad illum fuerunt prænuntiationes primi aduentus domini, cuius aduentus modo annuntiationes sunt, iam non prænuntiationes. Sed dominus humilitatis viam docens, sacramenta quæ hic inuenit, prænuntiationis suæ suscipere dignatus est, non ad suæ purgationis adiutorium, sed ad nostræ pietatis exempla, vt scilicet ostenderet nobis quāta deuotione suscipere debemus ea quæ illum iam venisse testantur, quando ipse suscipere non dedignatus est, quæ illum venturum figurabant. Et Ioannes ergo quamuis proximus, & infra vnum annum, coætaneus tamen cum baptizaret, venienti præibat Christo, propter hoc de illo dictum est: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam. Et expressius ostendit libro decimosextimo de Ciuitate dei, capite vigesimo quarto, cur Ioannes Baptista dictus sit plus quàm propheta, vbi dicit Ioannem, iuuenem Christum non quidem futurum prædixisse, sed incognitum prophætica cognitione monstrasse. Propter quod ipse dominus ait, Lex & prophetæ vsque ad Ioannem. Non tamen putes Augustinum voluisse innuere Ioannem non prædixisse Christum venturum, sed quod non tam prædixerit Christum venturum, quàm quod eum incognitum prophætica cognitione monstrauerit. Videtur & Tertullianus libro quarto aduersus Marcionem huic subscribere sententiæ, dicens Ioannem esse limitem quendam constitutum inter vetera & noua, ad quem desijt Iudaismus, & à quo incepit Christianismus. Insuper Cyprianus dicit ad lubaianum, de hæreticis baptizandis: Ille est Ioannes maior inter prophetas habitus, ille diuina gratia adhuc in vtero matris impletus, ille Helix spiritu & virtute subnixus, qui non aduersarius domini, sed præcurfor prædicando fuit, qui dominum non tantum verbis prænuntiauit, sed & oculis ostendit, qui ipsum Christum, per quem baptizantur ceteri, baptizauit. Præterea Cyrillus explicans illum Ioānis locum: Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi, dicit: Breui admodum tempore propheta simul & apostolus, Baptista effectus est: quem enim venturum prædicabat, hunc iam monstrat præsentem. Propterea Prophetarum mensuram excessit, vt saluator de ipso ad Iudæos dicebat: Quid exiistis in desertum videre? Prophetam? Etiam dico vobis plus quàm prophetam. Nam prophetæ venturū Christum prædixerunt, hic vero venturum prædicans, præsentem quoque monstrauit. Altera enim die (inquit) vidit Iesum venientem ad se, & ait: Ecce agnus dei, qui tollit peccata mundi. Non ait, Iam præparate viam eius, vt prius: sed cum præsens oculis cerneretur is, propter quem præparatio faciunda erat, non illo modo prædicandum, sed apertius explanandum erat, quis iste præsens esset, & quamobrem à cælo ad nos descenderit. Ecce igitur (inquit) agnus dei, ille scilicet de quo Esaias dicebat: Tanquam ouis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se obmutuit. Quem vnuerſa Moyſi lex figuris significabat, qui temporibus legis non ita, neque ad omnes misericordiam suam diffudit, figuris enim & vmbriſ lex inuoluta est. At nunc qui ænigmaticè prædicabatur, integerrimus agnus, immaculata hostia, vt peccata omnium pellat, vt hostem orbis euertat, vt mortuus mortem destruat, vt maledictionem hominibus datam dissoluat, ne illud, terra es, & in terram reuerteris, humanum semper subigat genus, sponte ad occisionem ducitur. ¶ Dicit aliquis, Si ex eo Ioānes Baptista plus quàm propheta vocaretur, quia quem alij prophetæ futurum prædixerunt, præsentem monstrauit dicens, Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi. Subinde dicendum esset Ioannem cognouisse Christū, alioqui non dixisset certo, Ecce agnus dei. etiā dixerat, Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me: quod

Matth. II.

Tertullianus

Cyprianus,

Cyrillus

Esaiæ 53.

Gen. 3.

Matth. 3.

MM. ij.

Ioan. 1.

non dixisset, nisi cognouisset Christum à quo volebat baptizari. Videtur tamen Euangelium Ioannis ostendere Ioannem non agnouisse Christum, etiam quando dixit: Ecce agnus dei. Sic enim legimus Ioannem dixisse: Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic est de quo dixi, Post me venit vir qui ante me factus est, quia prior me erat, & ego nesciebam eum: sed ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans. Et testimonium perhibuit Ioannes, dicens: Quia vidi spiritum descendantem quasi columbam de caelo, & mansit super eum, & ego nesciebam eum, sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris spiritum descendantem & manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto. Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est filius dei.

Augustinus

Matth. 3.

¶ Beatus Augustinus plurimum laborauit ut plane intelligeret quod dicebat Ioannes de Christo, & ego nesciebam eum, cuius doctrinæ si velis adherere, in primis dices Ioannem Baptistam (qui prius nouerat Christum quam verba illa proferret, eo quod dixerat: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Et rursum, Ego vos baptizo in aqua in poenitentiam. Qui autem post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calcamenta portare, ipse vos baptizabit in spiritu sancto & igni) plenius quidem nouisse Christum quam antea nouerat, cum vidit spiritum sanctum descendantem quasi columbam de caelo super Christum, qui propria virtute & auctoritate baptizat in spiritu sancto. Cum igitur dicit, Et ego nesciebam, innuit se minus exacte minusque perfecte & plene Christum prius agnouisse, quem plene & abunde cognouit cum spiritus super eum descendit in specie columbæ. Aliter, Ioannes secundum aliquid nouerat Christum, & secundum aliquid, nondum nouerat. certum est eum nouisse Christum esse saluatorem, & natum de virgine Maria, sed non nouerat dominum tantam potestatem baptismatis habiturum, & sibi retenturum, siue presentem in terra, siue absentem corpore in caelo, & presentem maiestate sibi retenturum baptismatis potestatem, ne Paulus diceret baptismata meum, ne Petrus diceret baptismata meum. Ideo videte & intendite voces apostolorum. Nemo apostolorum dixit baptismata meum, quamuis vnum omnium esset Euangelium, tamen inuenies dixisse Euangelium meum, non inuenies dixisse baptismata meum. Hoc ergo didicit Ioannes, fratres mei. Quod didicit Ioannes per columbam, discamus & nos: non enim columba Ioannem docuit, & Ecclesiam non docuit, cui Ecclesiæ dictum est, Vna est columba mea. Columba doceat columbā, nouerit columba quid Ioannes didicerit per columbam. Spiritus sanctus in specie columbæ descendit. Hoc autem quod discerat Ioannes per columbam, quare in columba didicit? Oportebat enim ut disceret, nec hoc fortè oportebat, nisi ut per columbam disceret. Quid dicam de columba fratres mei? Aut quando mihi sufficit facultas vel cordis vel linguæ dicere quomodo volo, & fortè non digne volo, quomodo dicendum est, nec sic tamen possum quomodo volo, quanto minus quomodo dicendum est. Ego hoc à meliore audire vellem, non vobis dicere. Discit Ioannes eum quem nouerat, sed in eo discit in quo eum non nouerat, in quo nouerat, non discit. Et quid nouerat? dominum. quid non nouerat? potestatem domini baptismi in nullum hominem à domino transituram, sed ministerium plane transiturum: potestatem à domino in neminem ministrorum, ministerium & in bonos & in malos. Non exhorreat columbā ministerium malorum, respiciat domini potestatem. Quid tibi facit malus minister, vbi bonus est dominus? Quid te impedit malitiosus præco, vbi beneuolus est iudex? Ioannes didicit per columbam hoc. Quid est quod didicit? Ipse repetat: Ipse mihi dixit (inquit) super quem videris spiritum descendantem sicut colubam, & manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto. Non ergo te decipiant, o columba seductores qui dicunt, Nos baptizamus. Columbam agnosce, quid docuit columba? Hic est qui baptizat in spiritu sancto. Et libro secundo de Consensu Euangelistarum, capite 15. dicit Ioannem non nouisse Christum baptizaturum in spiritu sancto propria quadam & diuina virtute in columbæ specie,

Cantic. 6.

antequam eum baptizaret. Chrysostronus aliter interpretatur homilia decima sexta in Ioannem, hunc locum, Et ego nesciebam. Aufert (inquit) omnem testimonio suspicionem, cum non humanæ familiaritatis gratia sed diuina reuelatione id perhibere ostendat. Nesciebam eum, inquit. Quomodo ergo dignus est fide testis? Quomodo alios docet, qui nescit? Non (inquit) nescio, sed nesciebam, ut hoc verbo maxime sibi crederetur. Quo enim pacto tantum ignoto tribueret? Sed ut manifestetur Israel, propterea ego veni in aqua baptizans, non igitur ipse baptismatis indigebat. Neque alia ratione illud lauacrum institutum est, quam ut viam reliquis ad Christi fidem præberet. Non enim (inquit) ut baptisate ablutos mundem, neque ut peccatis liberem, ad baptisatum veni, sed ut manifestetur in Israel. Et cum exponit subsequenti illius Euangelij, Sed qui misit me baptizare, ille mihi dixit, Super quem videris spiritum descendantem, & permanentem in ipso, hic est qui baptizat in spiritu sancto, &c. dicit: Vides ad hoc venisse spiritum, ut Christum ostenderet. Non erat Ioannis suspectum testimonium, nihilominus ut id probabilius faceret, ad deum & spiritum sanctum, relegauit. Cum enim rem tam magnam & admirabilem, dignamque quæ omnes in admirationem conuerteret, testificaretur: videlicet quod vniuersi orbis terrarum solus peccata auferret, & ad tantam multitudinem abluendam diuini muneris magnitudo sufficeret, huiusmodi sententiam iam confirmat. Confirmatio autem est quod filius dei sit, neque baptismate indigeat: & quod idcirco spiritus descendit, ut eum duntaxat manifestaret. Et paulo post aperius multo declarat hæc Ioannis verba, Et ego nesciebam eum. Et merito sanè, qui in deserto extra paternam domum à pueris versatus erat. quid mirum si Christum nesciebat, antequam spiritus descenderet? Quod si ante baptismata eum cognouit, prohibebat eum dicens: Ego à te debeo baptizari. Hoc enim signum erat certissimæ cognitionis, non tamen multo ante tempore eius notitiam habuit. Nec ab re, miracula enim quæ à pueris Christus fecerat, ut de Magis, & alia huiusmodi diu ante, Ioanne adhuc infante cõtingerant. Interea multo intercedente tempore, minime mirum si ignorabatur. Nam si antea notus fuisset, non vtiq; dixisset, ut manifestetur in Israel, propterea veni baptizans. Ad hæc Theophylactus à Chrysostroni sententia minime discedens, dicit edisserendo præfatum locum, patrè caelestè reuelasse Ioanni Baptistæ in baptismata Christum. Et cursum mouet scrupum quomodo Ioannes ignorauit Christum, cum Matthæus dicat quod eum prohibuerit, dicens: Ego debeo à te baptizari, quem tamen dirimit. Dicendum est (inquit) quod sic intelligi debeat, nesciueram ipsum ante multum temporis, & ante baptismata nesciueram illum. Nam in baptismata tempore, noui illum. Vel etiam aliter dicendum, quod nouerit quidem illum, quod esset Christus, quod autem ille esset qui baptizaret in spiritu sancto, tunc didicerit, quando vidit spiritum descendantem. Dico igitur quod nesciuerat illum, hoc sibi velit, quod nesciuerit illū esse qui baptizat in spiritu sancto, sciebat tamen eum esse super multos, & ideo secundum Matthæum, eum omnino maiorem cognoscebat. Postquā autem spiritus sanctus descendit, manifestius agnouit, & alijs eum prædicauit. Spiritus autem omnibus apparuit qui aderant, & non soli Ioanni. Cur ergo (dicit quispiam) non crediderūt? eo quod obrebratum erat insipiens cor eorum. Putat Cyrillus eandem explicans difficultatem Ioannem dixisse: Et ego nesciebam eum, quod à seipso non nouerit Christum. Sic enim in Ioannis Euangelium scribit: Qui dominum in utero virginis cognoscens exultabat, qui ante partum prophetauit, qui à matris ventre discipulus fuit, nescire saluatorem fatetur, nec illo modo mentitur. Omnia enim à seipso absque alicuius doctrina deus solummodo scit, creatura vero omnis non à se, sed ab alterius discit doctrina, & spiritus in sanctis hominibus habitans, replet quod natura non potest, & bonum suum humanæ naturæ largitur, & ita illuminata, futura & occulta cognoscit mysteria. Quum igitur nesciuisse dominum dicat, secundum humani generis & creaturæ mensuram verissime dicit; valde autem vtiliter, quamuis nesci-

Theophyl.

Cyrillus.

re saluatorem asseruerit. Idcirco tamen venisse fatetur, vt Iudaico populo manifestet, ne scilicet sponte ad testimonium praecurrere videatur, qui non voluntatis suae, sed diuinæ dispensationis ac voluntatis minister fuit. Non est sanè poenitentium neque reiiciendum quod dicit Lyranus enarrando eundem locum, Ioannes (inquit) dupliciter cognouit Christum in baptismo. Primo, per reuelationem diuinam, quando venit ad baptismum Ioannis, & tunc dixit illi Ioannes illud Matthaei tertio, Ego à te debeo baptizari. Secundo, cognouit eum quando spiritus sanctus descendit super eum in signo visibili à deo prius sibi dato: & ideo cum dicitur hic, Et ego nesciebam eum. refertur ad tempus praecedens baptismum, quo Ioannes non cognoscebat Iesum quantum ad personam determinatam. ¶ Secunda assertio- nis pars est Hieronymi, illa Christi verba enarratis: Amen dico vobis, nō surrexit inter natos mulierū maior Ioanne Baptista. His ergo (inquit) praefertur hominibus, qui de mulieribus nati sunt, & de concubitu viri, & non ei qui est natus ex virgine & spiritu sancto: quanquam in eo quod dixit, Non surrexit maior inter natos mulierum Ioanne Baptista. non ceteris prophetis & patriarchis, cunctisque hominibus, Ioanem praetulit, sed Ioannem ceteris exaequauit. Non enim statim sequitur, vt si alij maiores eo nō sunt, ille maior alijs sit, verum vt aequalitatem cum ceteris sanctis habeat. Dicit Ambrosius super septimum caput Lucae, Ioannē fuisse maiorem ijs quibus aequalis esse poterat forte nascendi.

CAPVT XV.

Ioannes Baptista cum misit suos discipulos ad Christum, non dubitabat an esset Christus, nec ex eo quaesuit, Tu es qui venturus es? vt cum ad inferos deuenisset, ibi quoque Christum praedicaret.] Prior huiusce Assertionis enuntiatio est Chrysostomi enarratis in Matthaeum interrogationem Ioanis, qui cum in vinculis audisset opera Christi, mittens duos de discipulis suis interrogabat eum, dicens: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Quomodo (inquit) qui vel antea quam signa Iesus fecisset, ipsum cognouit, qui à spiritu hæc didicerat, qui à patre ipso audierat, qui in omnibus ipsum esse agnum dei praedicauerat: quomodo inquam, interrogatum nūc mittit, vtrum ipse, an alius venturus sit? Nam si dubitas, an ipse sit Christus, cur ei tantam fidem praebes, vt de reconditis rebus credere paratissimus sis? Summæ nanque fidei, dignitate oportet eum habere qui testimonij sui pondere tantā rem sit approbaturus. An non es tu quid dicebas: Non sum sufficiens corrigiā calceamēti eius soluere? Qui dicebas: Quoniam nō noueram ipsum, sed ille qui misit me baptizare in aqua, ille dixit: Super quem videris descendentem spiritum, & permanentem in ipso, hic est qui baptizat in spiritu sancto. An non vidisti spiritum in specie columbae? Non audisti vocem? Nonne tu prohibebas ipsum, dicēs: Mihi est opus à te baptizari? Nonne discipulis quoque tuis dicebas, illum extolli ad maius in dies oportere, te vero ad minus deprimi? Nonne vniuersæ praedicabas plebi ipsum esse qui baptizabat in spiritu sancto & igne: & quod ipse est filius dei qui tollit peccata mundi? Hæc certe tu omnia, antequam ille signorum miraculis coruscaret, magna voce praedicasti. Quomodo ergo nunc, quando iam omnibus sua virtus manifestior est, quando per totam Palaestinam celeberrima eius fama praefulget, quādo mortui ab eo excitati sunt, daemones depulsi, multaque alia perlucet miracula, tunc mittis, ac interrogas ipsum? Quidnam hoc est? An per fraudem illa priora quasi longas fabulas confinxisti? Et quis mentis compos talia fecisset? Non dico de Ioanne qui exultauit in vtero, qui priusquam nasceretur, Christum praedicauit: qui eremum habitauit, qui angelicam viuendi perfectionem in corpore adhibuit, sed de quouis homine non infano. Nam si etiam abiectissimum quēdam dicas, certe tamen post tot tantaque tam sua quā aliorum testimonia, nullo modo dubitasset. Ex his omnibus apertissime patet, non ambigentē, nec vlla ignorantia ductū misisse qui quaerent. Sed nec illud dicere quisquā poterit, sciuisse quidem ipsum, terrore autē carceris ac vin-

culorum tumidiorem fuisse. Num liberationem sibi hæc interrogatio affert, si nec etiam hanc sperasset, quicquam aduersus veritatem simulasset vir ille, qui pietatis gratia, vel mille mortes obiisset. Nam nisi excelsa robore animi, atque inuicta fuisset, nunquam profecto ad vniuersum Iudaicum populum iam diu exercitatum effusione prophetici sanguinis tam fortis extitisset. Nunquam ferocissimum illum tyrannum tanta fiducia sui sic redarguisset, vt in media vrbe ac foro cunctis audientibus, tanquam infantem aut adolescentulum increpasset. Quod si timidiorem quispiam suspicatur factum fuisse, quomodo discipulos suos nō fuerit veritus, quibus audientibus tot tantaque de Iesu attestatus fuit, sed eos interrogatū misit, cum alios mittere potuisset, quamuis non ignoraret inuidia quadam illos in Christum commoueri, & ansas reprehendendi semper quaesisse. Quomodo autē plebis etiam eum Iudaica non puduit, cui multa de Christo ac magna praedicauerit? Quid autem ipsi ad effugienda vincula & carceres hoc profuisset, qui nec Christi causa victus fuerit, nec quia diuinam virtutem Christi praedicauerit, verum quia iniquitatis Herodis coniugia accusauit. Patet igitur non dubitasse Ioannem ea de re, de qua nec infans quidē, aut mente captus dubitasset. Quare oportet responsum adinuenire, cuiusnam rei gratia interrogatum Ioannes misit. Alieniores erant à Christo discipuli eius, & inuidia cuiusdam stimulis semper agitabatur, magistrum suum pleris esse cupientes, quæ res maxime verbis ipsorum comprobatur. Dicebant ad Ioannem, Qui tecum erat trans Iordanem, cui & testimonium perhibuisti, ecce is baptizat, & omnes ad eum veniunt. ac rursus de mundatione est quaestio inter Ioannis discipulos & Iudæos. praeterea Iesum aggredientes, dicebant: Cur nos & Pharisæi ieiunamus, discipuli autem tui non ieiunant? Nam cum nihil adhuc altius ac super hominem de Christo cogitarent, Ioannem autem plusquam hominem arbitrarerunt, non poterant æquo animo ferre, crescere in dies Iesum videntes, Ioannem vero quotidie minoris aestimari, quæ tamē turbatio faciebat, vt meliori Iesum mente audirent: ad quod Ioannes donec cum ipsis erat tam precibus quàm rationibus hortabatur. Verum cum non persuaserit, mortem licet propinquam fore videret, timens ne perniciosæ materiam opinionis relinqueret, si maiorem se Christo putantes, discipuli nullo pacto illi coniungerentur, hoc modo Christo ipsos offerre curauit. Nam si aperte ipsis consulisset, vt Christo tanquam meliori adhererent, nullo pacto ei credidissent, sed praecipua Ioannis modestia id dictum putantes, magis ipsum colerent, silentio autem tantam rem pertransire non potuit. Quid igitur facit? vt ab illis ipsis quanta miraculorum splendet gloria Christus, posset audire, non omnes, sed duos, quos forsitan faciliores ad credendū ceteris putabat, & qui simpliciter absque suspitione interrogare possent, ac rebus ipsis discere, quātum interest inter Ioannem & Iesum, mittere studuit. Ite igitur (inquit) atque ab eo quaerite, Tu es Christus, an alium expectamus? Iesus autem qui mentem Ioannis non ignorabat, non dicit: Respondete Ioanni, quia ego sum, sed quamuis ad interrogationem consequens erat, tamen quoniā poterat turbare auditores, vt ab ipsis rebus possent quod quaerebant perdiscere, sedulo facit. Scribitur enim multos ipsum tunc curasse cum aduenissent, & certe non erat consequens, cū interrogatus esset: Tu ne Christus es, ad quaesitum quidem nihil respondiisse, sed cōfestim multos ægrotantes curasse, nisi hoc facere voluisset quod diximus, cum nemo ignoret testimonium quod à rebus trahitur certius esse quàm verborū, & absque vlla suspitione. Quia ergo sicut deus qua mente misit Ioanēs, non erat nescius, cæcos, claudos, alijsc; morbis plurimis laborantes illico curauit: non vt Ioanēs hæc disceret, non indigebat enim his ille qui credebatur, sed vt discipulos eius ambigētes attraheret. Astipulatur & Theophylactus Chrysostomo eandem explicans difficultatem: Non (inquit) Ioannes sicut ignorās rogat, sed sicut volēs copiosis testimonijs discipulos suos docere de Christo ob miraculorū operationem. Adde quod Hylarius non infirmis argumentis probat Canone vndecimo in Matthaeum, Ioannem non ignorasse Christum quando conie-

MM.iiij.

ctus in carceres ad eum suos discipulos misit: Ioannes (inquit) detentus carcere, dominum ignorat? & propheta tantus dominum suum nescit? Atqui venturum vt prætor nuntiauit, consistentē vt propheta agnouit, aduentem vt cōfessor veneratus est. Vnde tam variā, & tam abundanti eius scientiæ error obrepit? Sed consequens de eo domini testimonium sentiri hoc ita non finit. Neque sanè credi potest spiritus sancti gloriam in carcere posito defuisse, cum apostolis virtutis suæ lumen esset in carcere positis ministraturus. Sed præbetur in his quæ in Ioāne gesta sunt, intelligentia amplior & cum facti efficientia, gratia in eo expressa sentitur, vt propheta ipse, ipso quoque conditionis suæ genere prophetaret, quia in eo forma legis elata est. Christum etiam lex annuntiauit, & remissionem peccatorum prædicauit, & regnum cælorum spondit, & Ioannes totum hoc opus legis expleuit. Igitur cefante iam lege quæ peccatis plebis inclusa, & populi vincita vitijs, ne Christus posset intelligi vinculis & carcere continebatur. Ergo ad Euangelia cōtuenda lex mittit, vt infidelitas fidem dictorum contempletur in factis. Et quod intra eum peccatorum fraude fit vincitum, per intelligentiam libertatis euangelicæ absoluatur. Tali igitur Ioannes exemplo, non suæ sed discipulorum ignorantia consulit. Ipse enim venturum in remissionem peccatorum prædicauit, sed vt scirent non alium à se prædicatum, ad opera eius intuenta discipulos suos misit, vt. auctoritatem dictis suis illius opera conferrent, neque Christus alius expectaretur, quàm cui testimonium opera præstitissent. Edisserens eundem locum Lyranus, refert primo opinionem beati Gregorij, quam tamen impugnat, deinde ostendit quonam pateto talis interrogatio sit intelligenda: Beatus (inquit) Gregorius dixit Ioannem non dubitasse Christum esse huius mundi saluatorem, sed dubitauit vtrum sicut natus erat in humanitate nostra, ita etiam moreretur pro salute nostra. Hanc interpretationem euertit, quia Ioānes non fuit minus illuminatus quàm propheta veteris testamenti: nam dicitur plus quàm propheta. Propheta autem cognouerunt Christum non tantum nasciturum in carne propter nos, sed etiam moriturum, vt habetur Esaia 53. Tanquā ouis ad occisionem ducetur, & in plerisque alijs prophetarum scripturis: ergo fortiori argumento Ioannes qui fuit plus quàm propheta, cognouit. Item Ioannes de Christo prædixerat, Ecce agnus dei, quod non dixisset vt videtur, nisi vidisset eum immolandum pro salute mundi. Et ideo aliter dicendum est, quod Ioannes non dubitauit de prædictis, sed certitudinaliter cognouit. Discipuli autem eius qui non erant sic illuminati, dubitauerunt, & ideo Ioannes per discipulos suos quæstionem proposuit, non propter sui dubitationem, sed discipulorum hæsitantium. ¶ Secundam assertionis partem ex Chrysostomo suffulciemus, cum enim illa Ioānis verba explicat, reprehendit illos qui assuerunt ideo à Ioanne quæsitum fuisse, Tu es qui venturus es, vt cum ad inferos deuenisset, ibi quoque prædicaret, aduersus quos (inquit) non erit absque re ita dicere: Nolite fratres ad infantium mentem descendere, sed vitio ac malitia infantes sitis, præsens enim hæc vita tam recte quàm contrariam tibi viuendi potestatem dat. postquam vero diem tuum obieris, iudicium & pœna consequitur. In inferno enim (Psalmista dicit) quis confitebitur tibi? Quomodo igitur aeneæ portæ contractæ sunt, & vectes contriti? Per corpus eius, tunc enim primo immortale corpus hominis apparuit, quod etiam mortis ipsius tyrannicā dissoluit potestatem, omnibusq; ostendit vires mortis iā esse destructas, nō eorū qui ante ipsum mortui fuerāt, peccata dissoluta. Quod si ita nō est, sed omnes ab initio defunctos à gehēna liberauit, quomodo ipse inquit, tolerabilis erit Sodomis & Gomorrhæ? Quod certe significat puniendos quidem illos omnino, quamuis remissius. Nam si hac quoque in vita pœnās dederūt, non tamen idcirco punitionem in vita illa effugerunt. Quod si illi qui tam grauiter hic puniti sunt, ibi quoque puniuntur, quanto magis qui nullum hic perpessi sunt supplicium? Theophylactus valida ratione probat Ioannem non ignorasse Christum ad inferos descensurum. Nonnulli (inquit) dicunt, quod cum dixerit venturum interroga-

Lyranus.

Gregorius

Esa. 53.

Chrysosto.

Psal. 6.

Matth. 11.

Theophyl.

uerit de descensu ad inferos, quasi ignoret Ioannes, & dicat: Es tu & ille, qui ad infernum venturus est, an alium expectamus? Hoc autem friuolum fuerit dicere. Quum enim prophetis alijs excellentior fuerit Ioannes, quomodo crucifixionem Christi, & eius ad inferos descensum ignorasset? præsertim quum Christum agnum nominarit, eo quod pro nobis immolandum erat. Sciebat igitur Ioannes quod & ad infernum venturus esset dominus cum anima, vt & illic saluaret, sicut dicit Gregorius Theologus, omnes qui credituri erant, q; pro nobis incarnatus esset. Hieronymus tamē in Matthæum diuersa est sententia, cui tamen non adhærebis nisi voles. Hieronymus cum enim explicat hunc locum, tu es qui venturus es? dicit, non ait Tu es qui venisti, sed tu es qui venturus es. Et est sensus, manda mihi, ad infernū descensurus sum, vtrum te & inferis debeam nunciare, qui nunciaui superis? An non conueniat filio dei vt gustet mortem, & alium ad hæc sacramenta missurus es? Et quæstione prima ad Algasiam licet priori nostræ Assertionis parti faueat, nō tamen secundæ, tamesi non neget Ioannem sciuisse se ad inferos descensurum. Sic enim scribit: Cur Ioannes discipulos suos mittit ad dominum, vt interrogent eum, Tu es qui venturus es, an alium expectamus? cum prius ipse de eodem dixerit, Ecce agnus dei. Ecce qui tollit peccata mundi. Ioannes mittebat discipulos suos in vinculis constitutus, vt sibi quærens, illis disceret, & capite truncandus, illum doceret esse sectandum, quem interrogatione sua magistrum omnium fatebatur. Neque enim poterat ignorare, quæ ignorantibus ante monstrauerat, & de quo dixerat, Qui habet sponsam sponsus est. Et cuius non sum dignus calciamenta portare. Et illum oportet crescere, me autem minui. Deumque patrem intonantem audierat, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Quod autem dicit, Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Hunc quoq; sensum habere potest: Scio quod ipse sis, qui tollere venisti peccata mundi, sed quia ad inferos descensurus sum, etiam hoc interrogo vtrum & illuc ipse descēdas, an impium sit, hoc de filio dei credere, aliumque missurus sis. Hoc autē scire desidero, vt qui te in terris hominibus nunciaui, etiam inferis nunciem, si forte venturus es. Tu enim es qui venisti dimittere captiuitatem, & soluere eos, qui in vinculis tenebantur. Hæc ille. Nec tamen omnino adhærendum esse Hieronymo existimo. Qui enim fieri potest vt Ioannes baptista cæteris prophetis excellentior, saltem illis æqualis, hæsitauerit Christum ad inferos descensurum, vt animabus in tenebris degentibus lumen infunderet, & alij propheta id sciuerint? Etiam qui atra inferorum caligine detinebantur, sciebant & expectabant Christum ad inferos descensurum, sed satis sit hæc attigisse.

CAPVT XVI.

Ioannes Baptista nullum miraculum fecit.] Hanc ex Euangelio Ioannis Assertionem decerpimus, in quo scriptum est, Et abiit iterū trans Iordanem in eum locum, vbi erat Ioannes baptizans primum, & mansit illic. Et multi venerunt ad eum, & dicebāt: Quia Ioannes quidem signum fecit nullū. Et hunc locum enarrās Augustinus dicit, Nullum inquit, miraculū ostendit Ioannes, non dæmonia fugauit, non expulit febrem, non cæcos illuminauit, nō mortuos suscitauit, non tot milia hominū de quinque vel septem panibus paut, nō supra mare ambulauit non ventis & fluctibus imperauit, nihil horū fecit Ioannes, & totum quicquid dicebat, huic testimonium perhibebat. Per lucernam veniamus ad diem, Ioannes nullū signum fecit. Ad hæc Cyrillus, in hunc locum, aut Clitho-ueus qui vicariam Cyrilli operam in edisserēdo illo capite obiit, fatetur Ioannē nullum signum fecisse, id est nullum miraculum ostendisse, non enim cæcos illuminauit, nec languidos curauit. Splendor enim signorum domino nostro seruabatur, vt illius claritate & luce, gloria diuinitatis eius mundo innotesceret. Neque tamē id in aliquo derogat sanctitati eius, quo inter natos mulierum non surrexit (teste saluatore) maior. Nempe miracula operari, nihil sanctitatis adijcit homini, quum malis & reprobis id competat, dicente domino apud Matthæū: Multi dicēt mihi in illa die,

Hieronymus

Ioan. 3.

Ioan. 1.

Ioan. 3.

Matth. 3.

Ioan. 10.

Augustinus

Cyrillus.

Matth. 7.

Domine nōne in nomine tuo dæmonia eiecimus, & prophetauimus, & signa multa fecimus? Et tunc confitebor illis, nescio vos. Discedit à me omnes operarij inquitatis. Adde quòd Chrysoftomus huic astipulatur sententiæ, eandem Ioannis auctoritatem exponedo. Si (inquit) illi qui nullum fecerat signum crediderunt, longe magis huic erat credendum. Eiusdem est opinionis Theophylactus, dicens ex eorum sententiâ qui contendebant ad Christum: Si illi credidimus, qui nullum vnquam fecit signum: multo magis ei, qui tot tâtaque operatus est signa. Præterea nobis fauet Lyranus dicens, Signa reseruabantur Christo sicut principaliori & digniori, tamen propter sanctitatem vitæ credebant Ioanni. ¶ At dicit quispiam Lucæ primo scribitur: Et ipse præcedet ante illum, in spiritu & virtute Helias: videtur igitur quòd Ioannes quoddam miraculorum virtutes fecerit. Huic respondet obiectioni Augustinus tractatu 4. in Ioannem, dicens: Non ergo Helias, sed in spiritu & virtute Helias. Quid est in spiritu & virtute Helias? in eodē spiritu sancto vice Helias. Quare vice Helias? Quia quod Helias secundo, hoc Ioannes in primo aduentu fuit. Recte ergo modo Ioannes proprie respondit: nam dominus figurate, Helias ipse est Ioannes: ite autē vt dixi proprie, non sum ego Helias. Si figuram præcursoris aduertas, Ioannes ipse est Helias. Quod enim ille ad primum aduentum, hoc ille ad secundum erit, si proprietatem personæ interrogas, Ioannes, Ioannes: Helias, Helias est. dominus ergo recte ad præfigurationem, ipse est Helias: Ioannes autem recte ad proprietatem, non sum Helias. nec Ioannes falsum, nec præco falsum, nec iudex falsum.

CAPVT XVII.

In vramentum in lege Euangelica non est prohibitū. ¶ Hanc suadeo Assertionem, Apostolicæ scripturæ non aduersantur Euangelio, sed in illis nō est prohibitum iuramentū, igitur nec in lege Euangelica, alioqui aliquid vetuisset Christus, quod Apostoli noluisent esse vetitū, & ea in re à suo præceptore dissensissent, quod non est dicendum. Minorem suadeo, Dicit Paulus ad Hebræos: Homines per maiorem se iurant, & omnis controuersia eorum finis ad confirmationem est iuramentum, hoc in loco docet Paulus ad quem debeat hominum iuramentum inflecti, scilicet ad deum, qui longe maior est & sublimior omni creatura: & quia non habet maiorem se, ideo per semetipsum iurauit. Cum etiam iuramus, inuocamus deum in testem illius rei, pro qua fit iusiurandum, nec possumus tutius fidem facere non credenti nobis, aut dubitanti, quàm attestari deū, ad quem nobis est confugium, vt controuersia omnis dirimatur. Et cum iuramentū sit actus patriæ, non video quare in Euāgelio prohiberetur. Deinde Paulus ostendit, cuius rei gratia fit iusiurandum, vt omnis controuersia rebus iuramento confirmatis sopiatur & cesset. Adde quòd Augustinus nostras tuetur partes Sermonem 28. de verbis Apostoli, abunde edifferens illos duos sacræ scripturæ locos, qui nobis videtur aduersari: Ante omnia nolite iurare, dico vobis, Nolite iurare, neque per cælum, quia sedes dei est: neque per terram, quia scabellum est pedum eius: neque per caput tuum iurabis, quia non est tibi potestas facere vnum capillum album aut nigrum. Sit autem sermo vester, est, est: non, nō: si quid amplius, à malo est: vbi dicit non esse peccatum iurare, sed peierare. iurauit enim dominus, iurauerūt & sancti. Nec dicit Apostolus, nolite iurare, nisi ad deuitandum periurium. Nam ita scribit idem doctor: Quia ergo graue peccatum est peierare, compendium tibi dedit scriptura, Noli iurare, quid tibi dicturus sum homo, verū iura. Ecce verum iura non peccas, si verum iuras, non peccas. Sed homo inter tentationes positus, carne inuolutus, calcans terram sub terra, dum corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem, inter ista multa tua cogitata incerta, volatica, coniecturas humanas, fallacias humanas, quando non subreptit tibi quod falsum est, posito in regione falsitatis? Vis ergo longe esse à periurio? iurare noli. Qui enim iurat, aliquando verum iurare potest: qui autem non iurat, mendacium iurare nunquam potest. iuret ergo Deus qui iurat securus, quem nihil fallit,

Chrysosto.

Theophyl.

Lyranus.

Lucæ 1.

Hebr. 6.


Augustinus

Iaco. 5.

Matth. 5.

Sapient. 9.

quem nihil latet, qui omnino fallere ignorat, quia nec falli potest. Et paulopost dicit Augustinus: Audi consilium dei, noli iurare. Si peccatum esset iuratio, nec in veteri lege diceretur: Non periurabis, reddes autem domino iusiurandum tuum: non enim peccatum præciperetur nobis. Sed ait tibi deus tuus: Si iuraueris non damnabo, si verum iuraueris, non damnabo. Sed nunquid si non iuraueris damnabo? Duo sunt, inquit, quæ nō damnabo vnquam, veram iurationem, & nullam iurationem: damno autem falsam iurationem. falsa iuratio exitiosa est, vera iuratio periculosa est, nulla iuratio segura est. Et rationibus suam confirmat sententiam: Vt noueritis, inquit, verum iurare non esse peccatum, inuenimus & Apostolum Paulum iurasse: Quotidie morior per vestram gloriam fratres, quam habeo in Christo Iesu domino nostro. Per vestram gloriam iuratio est: non enim sic ait, Per vestram gloriam morior, quasi vestra gloria me fecit mori, quomodo si diceret, per venenum mortuus est, per gladium mortuus est, per bestiam mortuus est, per inimicum mortuus est, id faciente inimico, faciente gladio, faciente veneno & similia, non sic dixit per vestram gloriam. Et alio loco Paulus certam expressit iurationem, dicens: Testem deum inuoco super animam meam, quia parcens vobis nondum veni Corinthum. Et alio loco ad Galatas: Quæ autē scribo vobis, ecce coram deo quia nō mentior. Intendite quæso & aduertite, etsi non tam plausibilis sermo vobis sit propter angustias quæstionis, utilis tamē est, si ad viscera vestra perueniat. Ecce iurauit Apostolus. Non vos fallant qui nescio quomodo volentes ipsas iurationes discernere vel potius non intelligere, dicant non esse iurationem, quādo dicit homo: Scit deus, testis est deus, inuoco deum super deum, animā meam verum me dicere. Inuocauit, inquit, deum, testem fecit deum: Nunquid iurauit? Qui hæc dicunt, nihil aliud volunt, nisi inuocato deo teste mentiri. Ita ne verò quisquis es prauus cordis, si dicas: Per deum, iuras: si dicas, testis est deus, non iuras? Quid est enim per deum, nisi testis est deus? Aut quid est, testis est deus, nisi per deum? Quid est autem iurare, nisi ius reddere deo? quando per deum iuras, ius salutis tuæ reddere, quando per salutem tuā iuras, ius filijs tuis reddere, quādo per filios tuos iuras? Quod autem ius debemus salutis nostræ, filijs nostris, deo nostro, nisi charitatis, veritatis & nō falsitatis? Maxime autem per deum cum fit, ipsa est vera iuratio, quia & cum dicit quisque, per meam salutem, salutem suam deo obligat, quando dicit per filios meos, obpignerat deo filios suos, vt hoc veniat in caput eorum quod exit de ore ipsius: si verum, verum: si falsum, falsum. Cum ergo filios suos vel caput suum, vel salutem suam quisque in iuratione nominans quicquid nominat obligat deo: quanto magis, quando peierat per ipsum deum? Timet enim falsum iurare per filium suum, & non timet falsum iurare per deum suum: fortassis hoc dicens in animo suo: Timeo per filium meum falso iurare ne moriatur, deo autem qui nō moritur, & si falsum per eum iuret, quid mali contingit? Bene quidem dicis, nihil mali contingit deo, quando falsum iuras per deum, sed contingit mali multum tibi, qui fallis proximum, cui testem adhibes deum. Deinde paucis perstringit quid sibi velit illa Iacobi scriptura, Ante omnia nolite iurare. Quare ante omnia inquit? Si magnum est facinus peierare, nulla culpa est verū iurare, & eleganti vtitur argumento à contrarijs, & præcedētia repetēdo dicit: Quare ante omnia nolite iurare. Debit enim dicere, ante omnia nolite peierare, ante omnia inquit, nolite iurare. Iurare enim peius est quā furari? Iurare peius est quā adulterare? Non dico falsum iurare, iurare dico, iurare peius est quàm hominem occidere? Absit, hominē occidere, adulterari, furari peccatū est, iurare nō est peccatū, sed falsum iurare peccatum est. Quare ergo ante omnia? Isto verbo quod ait, Ante omnia, cautos nos fecit, aduersus linguā nostram. Ante omnia ait, vt attendatis, præ cæteris, vt vigiletis ne surrepat vobis cōsuetudo iurandi. Subinde explicat illud Christi verbum, Quod autem amplius est à malo est, scilicet eius qui exigit & nos cogit iurare: nec dixit Christus, quod autē amplius est, malū est, nec qui amplius facit, malus est, sed dūtaxat, quod autē amplius est, à malo est scilicet exigentis iura-



Gala. 1.
1. Corint. 11.
Roma. 1.

1. Corint. 15.

mentū ab eo quem nouit hoc fecisse, & vidit eum fecisse. Ex sana Augustini doctrina possum colligere, neque Christum, neque beatum Iacobum simpliciter prohibuisse iuramentum, alioqui iurare semper esset peccatum, quod tamen fuit improbarum: sed prohibuit Christus secundum quid iuramentum, ad vitandum scilicet periurium & consuetudinem iurandi. Expressius multo declarat Augustinus libro primo de Sermone domini in monte, præceptum Christi de vitanda iusiurandi consuetudine, ubi dicit proferendo illud Matthæi, Iterum audistis quia dictum est antiquis, Non periurabis, reddes autem domino iuramentum tuum. iustitia Phariseorum est non periurare. Hanc confirmat qui vetat iurare, quod pertinet ad iustitiam regni cælorum. Sicut enim falsum loqui non potest qui non loquitur, sic periurare non potest, qui non iurat. Sed tamen quoniam iurat qui adhibet testem deum, diligenter considerandum est hoc capitulum, ne contra præceptum domini Apostolus fecisse videatur, qui sæpe hoc modo iurauit, cum dicit: Quæ autem scribo vobis, ecce coram deo, quia non mentior. Et iterum, Deus & pater domini nostri Iesu Christi qui est benedictus in sæcula, scit quia non mentior. Tale est etiā illud, Testis enim mihi est deus, cui seruis in spiritu meo, in Euangelio filij eius, quomodo sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis. Nisi forte quis dicat tunc cauendam esse iurationem cum per aliquid dicitur quod iuratur, vt non iurauerit, quia non dixit per deum, sed dixit: Testis est mihi deus, ridiculum est hoc putare. Tamen propter contentiosos aut multum tardos, ne aliquid interesse quis putet, sciat etiam hoc modo iurasse Apostolum dicentem: Quotidie morior per vestram gloriam, ita ergo intelligitur præcepisse dominum ne iuretur, ne quisquam si cut bonum appetat iusiurandum, & assiduitate iurandi ad periurium per consuetudinem delabatur. Quapropter qui intelligit non in bonis, sed in necessarijs iurationem habendam, refrenet se quantum potest vt non ea vitatur nisi necessitate, cum videt pigros esse homines ad credendum quod eis vtile est credere, nisi iuratione firmetur. Ad hoc itaque pertinet quod sic dicitur: Sit autē sermo vester est, est, non, non: hoc bonum est, & appetendum: quod autem amplius est, à malo est, id est si iurare cogaris, scias de necessitate venire infirmitatis eorum quibus aliquid suades. Quæ infirmitas vtique malum est, vnde nos quotidie liberari deprecamur, cum dicimus, Libera nos à malo. itaque non dixit, quod autem amplius est, malum est. Tu autem non malū facis, qui bene vteris iuratione, quæ etsi non bona, tamen necessaria est, vt alteri persuadeas quod vtiliter persuades, sed à malo est illius cuius infirmitate iurare cogaris. Sed nemo nouit nisi qui expertus est, quàm sit difficile & consuetudinem iurandi extinguere, & nunquam temere facere quod nonnunquam facere necessitas cogit. Quæri autem potest cum diceretur, Ego autem dico vobis non iurare omnino, cur additum sit, neque per cælum, quia thronus dei est, & cætera vlt que ad id quod dictum est, neque per caput tuum. Credo propterea, quia non putabant Iudæi se teneri iureiurando si per ista iurassent, & quoniam audierant, Reddes autem domino iusiurandum tuum, non se putabant domino debere iusiurandum, si per cælum aut terrā, aut per Hierosolimam, aut per caput suum iurarent, quod non vitio præcipientis, sed illis male intelligentibus factum est. itaque dominus docet nihil esse tam vile in creaturis dei, vt per hoc quisque periurandum arbitretur, quando à summis vsque ad infima diuina prouidentia creata regerentur, incipiens à throno dei vsque ad capillum album aut nigrum. Neque per cælum, inquit, quia thronus dei est: neque per terram, quia scabellum pedum eius est, id est cum iuras per cælum, aut terram, non te arbitreris non debere domino iusiurandum tuum, quia per eum iurare conuinceris, cuius cælum thronus est, & cuius scabellum terra est, neque per Hierosolimam, quia ciuitas est magni regis, melius quæ si diceret mea, cum tamen hoc dixisset intelligatur. Et quia ipse vtique dominus est, domino iusiurandum debet qui per Hierosolimam iurat. Neque per caput tuum iuraueris. Quid enim poterat quisque magis ad se pertinere arbitrari, quàm caput suū? Sed quomo-

do nostrum est, vbi potestatem faciendi vnus capilli albi, aut nigri non habemus? Ergo deo debet iusiurandum ineffabiliter tenenti omnia, & vbi que præfenti quisque etiam per caput suum iurare voluerit, & hinc etiam cætera intelliguntur quæ omnia vtique dici non poterant, sicut illud quod commemorauimus dictum ab apostolo, quotidie morior per vestram gloriam. Quam iurationem vt domino se debere ostenderet, addidit, quam habeo in Christo Iesu. Veruntamen propter carnales dico, non oportet opinari quòd dictum est cælum thronus dei est, & terra scabellum pedum eius, quòd sic habeat deus collocata membra in cælo & in terra, vt nos cum sedemus, sed illa sedes dei, iudicium dei significat. Et quoniam in hoc vniuerso mundi corpore maximam speciem cælum habeat, & terra minimam, tanquam præfentior sit excellēti pulchritudini vis diuina, minimam verò ordinet in extremis atque infimis, sedere in cælo dicitur, terramque calcare. ¶ At dicit quispiam, Hieronymus enarrans in 5. caput Matthæi, illa Christi verba: Dico vobis non iurare omnino, asserit Euangelicam veritatem non recipere iuramentum, cum omnis sermo fidelis pro iureiurando sit. Et in 4. caput Hieremiæ, dicit Euāgelium nos prohibere iurare. Etia in 8. caput Zachariæ asseuerat Dominum præcepisse in Euangelio ne iuremus, & loco illius aduerbij omnino, ponit penitus. Nec digreditur Chrysofomus à Hieronymi sententia, eundem explicans Euangelij locum, vbi dicit nunc iurare, plurimum mali habere, post tanta virtutum augmenta, licet prius scilicet in antiqua lege non fuerit malum iurare. Nec mireris diuersis temporibus idem esse bonum & non bonum. Nam hoc in nostra natura pendere poteris. Portari enim in humeris hominum in prima ætate bonum est, postea miserrimum: præmansis vti cibus inter principia vitæ bonum est, postea verò abominationis horroreque plenissimum: lacte nutrirī atque ad mamillarum alimenta confugere in initio quidem vtile ac salutare est, postea verò perniciosum prorsus ac noxium. Astipulatur & Chrysofomo Theophylactus eandem discutendo difficultatem, In lege (inquit) Mosaica non erat malum iurare, post Christum autem malum est, sicut & circūcidi, & in summa, quicquid est Iudaicum. Adde quòd Hylarius Canone 4. in Matthæum, dicit in fidei simplicitate viuētib; iurandi religione opus non esse, cū quibus semper quod est, est: quod non, non: & per hæc eorum & opus & sermo omnis in vero est. Insuper Origenes libro 2. Peri archon siue de principijs dicit Christum optima de iuramentis instituta definisse, quòd scilicet non oportet iurare, neque per cælum, quia sedes est dei: neque per terram, quia scabellum est pedum eius &c. ¶ Istitis seorsim rationibus verius autoritatibus satisfacere conabimur. Quod obiectum est in primis Hieronymum dixisse Euangelicam veritatem non recipere iuramentum, possum dicere Hieronymum id duntaxat scripsisse, vt ostenderet quantum esset discriminis inter legem & Euāgelium: illa, suadebat ad iurandum per idola propēsis, vt iusiurandum vni deo præstarent: hoc verò, vnum deum colentibus consulit, vt à iuramento abstineant, vel quòd illis verbis tibi consuluerit si velis esse in Euangelica professione perfectus, ne iures. Aut ex eo, id dixit hæc admittendo ratiocinationē, Si sermo fidelis sit habendus pro iureiurando, Euangelica veritas non recipit iuramentum. Nec etiam dicit Hieronymus Christum omnino prohibere iuramentum. Nam edifferēdo locum illum, Ego autem dico vobis non iurare omnino neque per cælum &c. dicit: Hanc per elementa iurandi pessimam consuetudinem semper habuere Iudæi, sicut prophetas eos frequēter arguit sermo. Qui iurat, aut veneratur aut diligit eum, per quem iurat: in lege præceptum est, vt non iuremus, nisi per deum nostrum, Iudæi per angelos & urbem Hierusalem, & templum & elementa iurantes, creaturas resque carnales venerabantur honore & obsequio dei. Denique considera quòd hic saluator non per deum iurare prohibuerit, sed per cælum & terram, & Hierosolimam, & per caput tuum. Et hoc quasi paruulis fuerat lege cōcessum, vt quomodo victimas immolabant deo, ne eas idolis immolarent: sic & iurare permitterentur in deū, non quòd recte hoc facerent, sed quòd melius esset

1. Corint. 15.

Hieronymus

Chrysofomus

Theophyl.

Hylarius

Origenes

Deut. 6 & 7

deo id exhibere quàm dæmonibus. Deinde cum dicit Chrysoſtomum aſſeruiffe iuramentum nunc plurimum mali habere, dico Chryſoſtomum id dixiſſe propter facilitate iurandi, ex qua homo decedit in conſuetudinem iurandi, & ex conſuetudine, in periurium. quòd ſi vellet Chryſoſtomus innuere iuramentum eſſe malum, & quòd nullo modo licet iurare, non eſſet recipiendus. Nec id de tanto viro exiſtimare poſſum. Nam homilia 4. ad populum, dicit nulla neceſſitate eſſe eligendum iuramentum: ſed aliud eſt eligere iuramentum, & coactione iurare. Ad id quod ex Theophylacto adductum eſt, non accedo: falſum eſt & abſurdum dicere, malum eſſe poſt Chriſtum iurare, nec cõferendum eſt iuramentum Iudaicis ceremonijs. Quod autem dicit Hylarius, non aduerſatur nobis: non enim dicit vetitum eſſe iuramentum, ſed in fidei ſimplicitate iuventibus, iurandi religione opus non eſſe, vbi poſſimum citra iuſurandum nobis crederetur: alioqui pro cauſa rationabili & dum vrgeret negotium, liceret iurare. Diluemus quod dicit Origenes, Chriſtũ optima de iuramentis inſtituta deſiniſſe, quòd ſcilicet non oportet iurare, verum eſt quòd non oportet temere, leuiter & imprudenter iurare, ſed cum ex tres virtutes, Veritas, iuſtitia & iudicium, adnectuntur iuramento, licet iurare: iuſtitia, quis firmat quod eſt licitum, & cum adest iudicium quis non leuiter neque indifcrete iurat. Veritate opus eſt in iuramento, ne falſum ſit quod quis iurat. Sanctus Thomas 2. 2. quæſtione 89. Arti. 2. dicit iuramentum eſſe ex ſe bonum, & quidem bifariam: ex origine & fine. Ex origine quidem, quia eſt introductum ex fide, qua homines credunt deũ habere infallibilem veritatem & vniuerſalem omnium cognitionem. Ex fine, quia inducitur ad iuſtificandũ homines, & ad finiendas controuerſias. Et nihil prohibet id quod ex ſe bonum eſt, cedere in malum eius qui non eo vitur conuenienter: quemadmodũ ſumere Euchariftiam ex ſe bonum eſt, malum tamen abutenti & indigne ſumentis: ita iurare ex ſe bonum eſt, cedit tamen in malum eius qui leuiter & ſine neceſſitate iurat. Quòd ſi iurare ex ſe bonum ſit, & iuramenti ſacramẽto dei nomen oportune teſtemur, & lites dirimantur, quid igitur mouit Eraſmum, vt diceret in annotationibus ad 7. caput primæ Epistolæ ad Corinthios, ſeuertus in Euangelio prohibitum eſſe iuramentum quàm diuortium. Quia diuortium poteſt fieri propter fornicationem, omnino autem non eſt iurandum, nec eſt aliquid quod excuſet iuramentum in eo populo quem Chriſtus optat, licet concedatur infirmis iurare, quibus Eccleſia abundat, & facile eſt hunc errorem cõuellere & oppugnare. Si enim iuramentum ſeuertus eſſet prohibitum in Euangelio quàm diuortium, nullo modo liceret iurare, & iuramentum ſimplicitate eſſet malum & peccatum, quod tamen prius reprobauimus ex doctrina Pauli & Auguſtini. Adde quòd licet appetere iuramentum, vt dicit Auguſtinus libro vno expoſitionis Epistolæ ad Galatas, non quidem cupiditate aut delectatione iurandi, ſed propter infirmitatem eorum qui non aliter mouentur ad fidem. Clichoueus in Antiluthero libro 3. de votis monaſticis capite 10. dicit Chriſtum non inhiuiſſe in Euangelio iuramentum, ſed dediſſe conſilium de vitando iuramento, ne quis ex conſuetudine prolaberetur in periurium. Nec ſubterbo quod dicit Gratianus 22. quæſtione prima, capite Quod iuramentum, Aliud eſt ſponte accedere ad iuramentum, aliud vel ad aſſerendam innocentiam ſuam, vel ad fœdera pacis conſeruanda, vel ad perſuadendum auditoribus quòd pigri ſunt credere quod eis vtile eſt. Iuramentum offerre, primum prohibetur, ſecundum cõceditur. Adferam & aliam rationem ad ſuadendum iuramentum non eſſe omnino prohibitum in Euangelio. Si iuramentum eſſet omnimode prohibitum, quomodo propheta diceret cum habitaturum in tabernaculo domini, & requieturum in monte ſancto eius, qui iurat proximo ſuo, & non decipit: Et aliubi laudat iurantes, dicens, Rex verò letabitur in deo, laudabuntur omnes qui iurant in eo. Denique quo pacto præcipit dominus populo Iſrael, Reddes autem domino iuramenta tua, ſi iuramentum omnino habeatur illicitum? Cur etiam eidem populo dixit, Dominum deũ tuum timebis, & per nomen illius iurabis, ſi quoduis iuramentum ſine villo discrimine ſit

Eraſmus.

Clichoueus

Gratianus.

Pſal. 14.

Pſal. 64.

Nume. 30.

Deuterono.

6. & 10.

veritum? Nec potes dicere iuramentum ad veteris teſtamenti inſtituta pertinere. Nã materia iuramenti non ſpectat ad ritus, & ceremonias legis, aut iudicia populi Iſraelitici, ſed ad mores, & dei honorificentiam, aut inhonorationem, & reſpicit præcipue ſecundũ Decalogi præceptum: atqui eadem ſunt præcepta domini ſacra Decade comprehenſa, in veteri & noua lege etiam approbata in Euangelio. Quo igitur modo licitum erat iuramentum tempore veteris inſtituti, eodem itidem modo cenſendum eſt eſſe licitum in noua lege, quauis in hac ſuperadditum ſit conſilium de vitando iuramento, ne quis ex eius aſſuefactione prolaberetur in periurium. ¶ At obijciat aliquis, Si Chriſtiano non ſit prohibitum iuſurandũ, ſed permiſſum, in quo igitur præcellerit iuſtitia Chriſtiani iuſtitiam Scribæ & Pharifæi? dixit tamen Chriſtus, Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm Scribarum & Pharifæorum, non intrabitis in regnũ cælorum. Verum vt Chriſtus nos ad perfectionem & ad tuendam perfectionem legem accerſeret, dixit: Auditiſtis quia dictum eſt antiquis, non periurabis, reddes autem domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis, non iurare omnino. Certe, hæc ratio multum habet momenti, quam tamen diluere conabimur. Licet permiſſum ſit Chriſtiano iurare, & reddere poſſit ſua iuramenta deo, vt conſueuerant Iudæi quibus permiſſum erat iurare per deum, ne idolorum & creaturarum iuramentis aſſueſcerent, etiam abſque vrgenti negotio, quod non licet Chriſtiano, imò præceptum erat Iudæis iurare per deum, ſi iuraſſent. Quia ſcriptum eſt, Reddes domino iuramenta tua, licet ſimplicitate non fuerit illis præceptum iurare, tamen hac in re iuſtitia Chriſtiani præcellerit iuſtitiam Iudæorum: quia niſi ſit maximum reipublicæ commodum, & niſi cogatur, non iurabit, ſed ſemper erit paratus non iurare, ſicut paratus eſt non vlciſci iniuriã, & vbi inter veros Chriſtianos ſermo fidelis plurimũ habet authoritatis, non eſt opus iuramento: dicit enim Chryſoſtomus, & habetur 22. quæſtione 5. capite Iuramenti, Inter iuramentum & locutionem fidelium, nulla debet eſſe differentia. Quia ſicut in iuramento nullam conuenit eſſe perſidiam, ita quoque in verbis noſtris nullum debet eſſe mēdacium. in vulgaribus tamen hominum contractibus rudes & auari mercatores, in quibus parum eſt Chriſtiani animi, vix poſſunt ijs credere cum quibus faciunt commutationes, niſi interceſſerit iuſurandum. ¶ Quia in diſputationem iuramenti incidimus, nec agnouimus veritum eſſe iuramentum in lege euāgelica, idcirco ſciſcitabimur huic negotio ſinem imponentes, Si nam iuramentum per idolum factum, ſit reiſciendũ. Hanc diſcutit quæſtionem Auguſtinus ad Publicolam, vbi dicit: Licet non ſit licitum gentilem inducere ad iurandum per idolum, ſi tamen gentilis habeat aliqua pacta cum Chriſtianiſ, & offerat ſe ad confirmandum illa, iurando per idolum, licitum eſt Chriſtianiſ tale iuramentum recipere. At dices, ſcribit Paulus ad Corinthios, Nolite iugum docere cum infidelibus. Quæ enim participatio iuſtitie cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Chriſto ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Quis autem cõſenſus templo dei cum idolis? Hæc indicant nullum commercium habendum eſſe cū infidelibus, vbi noſtram eludendo fidem conarentur nos ad infidelitatem pertrahere, nec poſſemus viuere cum illis, abſque contumelia creatoris. Nec etiam exigendũ eſſet iuramentum ab idololatra, vbi te cogeret inire pactum cum dæmone, aut cum ſuo idolo, quod ſtultiſſime colit: ſed vbi paratus eſt iurare per ſuum idolum ad confirmandum pactum, nec eum induxiſti ad præſtandum huiusmodi iuramentum, tibi licet illius iuramentum acceptare.

CAPVT X V I I I.

Neiunium nõ ſolum ad caſtigandam carnem inſtitutum, nonnihil habet momẽti etiam ſine eleemoſyna.] Priorem huiusce Aſſertionis partem quæ ſupponit ieiunium maximopere conducere, vt carnis laſciuia dometur, probabimus ex illo pſalmographi verſiculo, Et humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in ſinum meum conuertetur. Cũ enim Dauid à ſuis inimicis aſſigeretur, & multas ſufferret moleſtias, inducitur cili-

Matth. 5.

Auguſtinus

2. Corin. 6.

Pſal. 34.

Augustinus cium, & in ieiunio humiliabat animam suam, etiam victa carne, & domitis noxijs affectibus, ne in prosperis insoleceret, aut in aduersis animo deijceretur. Et ex illo propheta loco probat Augustinus Epistola Casulano presbytero de ieiunijs prisco- rum, ieiunia significare humilitatem. Et licet aliquis vehemens carnis insultus per- domuisset, & aculeos infrenis lasciuia perfrigeret, adhuc ad obseruationem iei- unij astringeretur. Quamobrem toto celo aberrauit Lutherus, quod asseruerit iei- nia, disciplinas, labores, & caetera opera corporis afflictiuia, eo dumtaxat proposito fieri debere, vt per ea corpus castigetur, & refrenetur concupiscentia, non autem vt per eadem quis iustificetur, quamuis enim castigatio corporis vna sit causa legiti- ma ob quam suscipienda sunt ieiunia, & quae corpus affligunt: non tamen ipsa, to- ta est ac sola causa. Alioqui assequutus indefessis vigilijs, & assiduo virtutis studio traquillam, & plenam corporis ad spiritum subiectionem, non amplius ad Ecclesia- stica ieiunia obstringeretur, quod tamen est falsum. praeter enim carnis & vitiorum castigationes, sunt rationabiles causae, quae nos accendunt ad integram ieiunij ob- seruationem: vt scilicet ieiunij puriorem & liberio rem mentis in deum eleuatio- nem nanciscamur, promptiusque ei pareamus, & caeteras virtutes ieiuniorum com- ites, nobis comparemus, quo tandem ad deum hinc foelices demigremus. Adde quod cum Daniel tribus hebdomadis ieiunauit, non ex eo ieiunauit vt suam carnem co- erceret (iam enim carnis procellas sedauerat) sed ex eo ieiunare voluit, vt liberius sublimia dei arcana contempleretur. Ideo post ieiunium trium hebdomadarum re- uelationem a deo accepit. Etiam damus operam ieiunij, vt pro nostris delictis sa- tisfaciamus, quod expressit dominus per loelem prophetam dicens: Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu. Et hoc est quod Augu- stinus dicit in quodam Sermone de oratione & ieiunio, Ieiunium purgat animam, men- tem eleuat, propriam carnem spiritui subijcit, cor facit contritum & humiliatum, concupiscentiae nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis vero lu- men accendit. Et in quaestionibus ex vtroque testamento comixtis, quaestione 120. dicit ieiunij quae imminente die festo paschae celebrantur, incitari deuotionem: non igitur solum instituta sunt, vt caro refrenetur, licet plurimum conducant euincen- dis ipsius carnis insultibus, quod praclare declarat Augustinus in eadem quaestio- ne, dicens: Igitur necessaria sunt nobis ieiunia, sicut vulneribus medicina. Medelam enim conferunt vitae perpetuae, ita tamen vt duarum rerum testimonio commen- dentur: id est, oratione & misericordia. Ieiunia ergo intemperantiam corporis miti- gant, motus aduersos reprimunt, pressuram animae auferunt, sicut ait dominus: No- lite dediti esse in esca & crapula, ne grauentur corda vestra. Cum enim anima ab esu & potu nimio fuerit liberata, tunc se melius recognoscit. Sicut enim in specu- lo sordido non se talem homo aspicit qualis est, ita & si esca & crapula fuerit graua- tus, alterum se sentit quam est. Tunc excitatur libido, accenditur ira, inflammatur superbia, generatur luxuria. Vnde Apostolus, Nolite (ait) inebriari vino, in quo est luxuria. Quod si temperatum fuerit corpus interposito ieiunio, cognitione sui rece- pta, anima intelligit qua deuotione obsequi debeat redemptori. Magna ergo ex par- te ieiunia sunt necessaria. Sub Hester etenim Regina, cum Iudaicus populus in pe- riculo positus esset, ieiunij suffragantibus liberatus est. Et Niniuitae cum euersionis suae praescriptum diem a propheta audissent, ieiunio indicto euadere meruerunt. Et iusti ac prophetae nostri quando a deo aliquid impetrare volebant, ieiunio se humi- liabant, dicente Dauid: In ieiunio humiliabam animam meam. Nam & saluator cui opus non erat, vt nobis exemplum daret, ieiunauit: itaque nulli dubium est prodesse ieiunia. Sic etenim ostendit se homo velle impetrare quod postulat, cum se affligit ieiunio. Vnde dictum est, Bona est oratio cum ieiunio, vt accepta ergo possit esse oratio, confortium vult secum habere ieiunij. Et tractatu 17. in euangelium Ioan- nis, dicit ieiunium magnam & generale esse, abstinere ab iniquitatibus & illicitis vo- luptatibus seculi, quod est perfectum ieiunium, vt abnegantes impietatem & seculum

lares cupiditates, tēperanter & iuste & pie viuamus in hoc seculo. Huic ieiunio quā mercedem addit Apostolus? Sequitur & dicit, Expectantes illā beatam spem, & ma- nifestationem gloriae beati dei & saluatoris nostri Iesu Christi. In hoc ergo seculo quasi quadagesimam abstinentiae celebramus, cum bene viuimus, cum ab iniqui- tatibus, & ab illicitis voluptatibus abstinemus. Sed quia haec abstinentia sine merce- de non erit, expectamus beatam illam spem, & reuelationem gloriae magni dei, & saluatoris Iesu Christi. Intellige ieiunium, praesentissimum esse aduersus crapulam & ebrietatem antidotum. Illa siquidem nostras post terga ligans manus, vitiorum tyran- nidi, veluti cuidam prauae dominae, seruos nos, captiuosque reddit: ieiunium vero ser- uos existentes nos atque ligatos inueniens, vincula remittit, & tyrannide liberat, pri- stinamque in libertatem reducit. Vis discere quātus hominibus ornatus sit ieiunium, quae ueilitas ac custodia? Considera beatum atque admirabile monachorum ge- nus: ij namque qui in eremo sunt, tumultus fugientes, atque ad ipsa motium cacumi- na currentes, tenui tugurio contenti, vitam tranquillam agunt, & cum deo ac angelicis spiritibus magna cum fiducia colloquuntur, & nihil praeter synceram dei religionem animo versant. Insuper Hieronymus libro secundo aduersus Iouinianum nobis assi- pulatur, dicens: Quandiu Adā ieiunauit, in paradiso fuit, comedit, & eiectus est: eie- ctus statim duxit uxorem. Qui ieiunus in paradiso virgo fuerat, satur in terra, ma- trimonio copulatur. Fuit etiam ex parte ieiunium dedicatum, cum immundorum esus ablati sunt, quod docebat abstinentiam omnium, in quorundam recisione. Et quan- ta sit utilitas ieiunij paulopost ostendit, dicens nos posse per ieiunium redire in pa- radisum, vnde per saturitatem fueramus eiecti. In Exodo aduersus Amalech oratio- ne Moyse, & torius populi vsque ad vesperam ieiunio dimicatum est. Iesus filius Na- ue stationem imperauit Soli & Lunae, & inedia plus quam vnus diei victoris exer- citus protelauit. Saul, sicut in Regnorum primo libro scribitur, Maledictus (inquit) qui ederit panem vsque ad vesperam, donec vlciscar me de inimicis meis. Et non gu- stauit omnis populus eius, & tota terra prandebat. Tantique fuit autoritas statio- nis semel domino destinata, vt Ionatham qui causa victoriae extiterat, deprehende- ret fors, & ignorantiae crimen declinare non posset, patrisque in se concitaret ma- num, & vix populi precibus saluaretur. Elias quadraginta dierum ieiunio praeparatus, deum vidit in monte Oreb, & audit ab eo: Quid tu hic Elia? multo familiarior ista vox quam illa in Genesi, Adam ubi es? Illa enim pastum terrebat & perditum, haec ieiunanti famulo blandiebatur. Congregatum Samuel populum in Masphat, indi- cto ieiunio roborauit, & fecit hostibus fortio rem. Assyriorum impetum & poten- tiam Senacherib, Ezechie regis lachryma, sacculus, & humiliatio victus fregit, pro- strauit & vicit. Et e contrario ciuitas Niniue imminentem iram domini ieiuniorum miseratione detorsit, quae & Sodoma placasset, & Gomorra, si voluissent agere po- nitentiam, & lachrymas poenitentiae patrocinate conciliare ieiunio. Achab rex im- pijsimus, vt sententiam dei subterfugeret, & euersio domus eius differretur in po- steros, ieiunio impetrauit & sacco. Anna vxor Helcanae inanem cibo ventrem fi- lio meruit implere. Periclitantur in Babylone Magi, omnis coniectore & ariolus, & aruspex caditur. Daniel & tres pueri reuelationem merentur ieiunio, & pasti legu- minibus pulchriores sunt & prudentiores his, qui de mensa regis carnibus vescaban- tur. Deinde scriptum est quod Daniel tribus hebdomadibus ieiunauerit, panem sua- uem non comederit, caro & vinum non intrauerit os eius, oleo vnctus non sit, & venerit ad eum angelus dicens, Daniel homo miserabilis es. Qui deo miserabilis apparuerat, post ieiunium leonibus in lacu fuit horribilis. Quam pulchra res quae placat deum, leones mitigat, daemones terret. Dauid periclitante filio post adulterium, εφομολόγησεν in cinere & ieiunio facit, dicens: Quia cinerem tanquam panem man- ducabam, & potum meum cum fletu miscebam. Et infirmata sunt in ieiunio genua mea. Et certe iam audierat a Natha, Dominus abstulit a te hoc peccatum, & hoc aper- tissime docet Dauid tunc temporis non ieiunasse ad sedandam carnis petulantiam.

Sampson & Samuel vinum & siceram non bibunt: erant enim filij repromissionis, & per abstinentiam ieiuniumque concepti. Aaron & ceteri sacerdotes ingressuri templum, omne quod potest inebriare non potant, ne moriantur. Ex quo intelligimus mori eos, qui in Ecclesia non sobrii ministrarint. Quamobrem exprobratur Israeli: Potum dabatis Nazaraeis meis vinum. Ionadab filius Rechab praecipit filijs suis, vt non biberent vinum vsque in aeternum, quibus cum offerret Hieremias vinum vt biberet, & illi bibere noluisent, loquitur dominus per prophetam: Quia obedistis praecipito Ionadab patris vestri, non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus. In foribus Euangelij Anna filia Phanuelis vniura inducitur, semperque ieiunans, & dominum virginem longa castitas, longaque ieiunia susceperat. Praecursor eius vt praeco Ioanes locustis alitur, & sylvestri melle, non carnibus: habitatioque deserti, & incunabula monachorum talibus inchoantur alimentis. Sed & ipse dominus baptisma suum quadraginta dierum ieiunio dedicauit, & acriora daemona docuit non nisi oratione & ieiunijs posse superari. Cornelius Centurio, vt spiritum sanctum acciperet antequam baptisma, eleemosynis meruit, crebrisque ieiunijs. Paulus Apostolus post famem & sitim, & ceteros labores suos, & pericula latronum, naufragia, solitudines, crebra ieiunia enumerat. Et licet Hieronymus maximopere commendauerit ieiunia, tamen enarrando illum Esaiam locum: Quare ieiunauimus, & non aspexisti? Humiliauimus animas nostras & nescisti? ostendit non omne ieiunium deo placere, & ex eo potissimum, quod deus improbis, sibi ieiunij & abstinentiae virtutem vendicantibus, respondit: Ecce in die ieiunij vestri inuenietur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetistis. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impie. Huiusmodi homines iniuste, vt inquit Hieronymus, arguunt dominum, quod bona opera non respiciat, solamque ventris esuriam absque opere virtutum ingerunt deo, non comedentes eos cibos quos creauit deus fidelibus, & his qui cognoscunt veritatem, vt fumant eos cum gratiarum actione. Sed illos de quibus scriptum est in prouerbijs, Hi enim aluntur cibis impietatis, & vino iniquitatis inebriantur. huiusmodi epulis saturatus Phariseus inter cetera verba superbiae, bis in sabbato se ieiunare iactabat, qui non biberat vinum de vinea Sorek, sed de vinea Sodomorum, cuius vinum furor draconum est, & furor aspidum insanabilis, & vna eorum vna fellis, quos deus arguit per prophetam, Peccata populi mei comedunt. Et rursum, Quare tacuistis impietatem eorum, & iniquitatis vindemia distis, & comedistis frumentum mendacij? Quia igitur proposuerant quaestionem deo, scire cupientes, quare ieiunauerint, & humiliauerint animas suas, & deus non respexerit, obliuiscitis veteris historiae, cur non respexerit ad munera Cain, qui recte quidem offerrebat, sed non recte diuidebat cum fratre, dei non videns charitatem, dicente scriptura: Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & proximum sicut te ipsum. Propterea respondit deus quod non ieiunia reprobet, sed opera quae in ieiunijs fiunt, dicens: In diebus ieiuniorum vestrorum inueniuntur voluntates vestrae, vt non dei, sed vestras faciatis voluntates. quas Paulus scribens Ephesijs reprobatur, iuxta principem potestatis aeris, spiritus qui nunc operatur in filiis incredulitatis, in quibus & nos omnes conuersati sumus aliquando, in desiderijs carnis vestrae facientes voluntatem carnis & cogitationum. Et eramus natura filij irae. Insuper Chrysostomus homilia decima, in Genesim, nostrae astipulatur Assertioni dicens: Ieiunium, corpus comprimit, & lasciuas inordinatas refrenat, animam autem clariorem efficit, & sublimem & leuem facit. Et Tomo secundo, homilia quadragesima quinta, exponendo illa Christi verba, Cum ieiunatis nolite fieri sicut hypocritae tristes: dicit nos debere soli domino propter futuram spem ieiunare, a quo expectamus humilitatis huius deuotae mercedem. Homilia etiam prima De poenitentia, ostendit ieiunium fuisse ante insultus & pugnam carnis in rationem, Si inquit, in paradiso ieiunium necessarium fuit, extra paradysum multo magis. Si ante plagam utilis

medicina fuerat, multo magis post plagam. Si necdum bello voluptatum insurgente nobis arma fuerant opportuna, multo magis tantum post voluptatum vitiorumque praesidium a demonijs nobis illatum. igitur necessaria nobis a ieiunio sunt auxilia. Et homilia octaua, eiusdem operis assentitur ijs quae paulo ante ex Hieronymo commemorauimus, quod scilicet plerumque ieiunij laborem toleramus, & ieiunij fructum non consequimur. Cum esca abstinemus, peccato vero non abstinemus: cum carnibus quidem non vescimur, deuoramus tamen pauperum domus: cum vino quidem haud inebriamur, inebriamur vero desiderijs prauis: cum quidem inedia totam transigimus diem, atque eandem impudicis in theatris consumimus. Ecce ieiunij labor, & ieiunij fructus nusquam est, cum iniquitatis theatra conscendimus. Tum etiam dicit Cyprianus libro quarto Epistolarum, Epistola quarta, deum esse ieiunij placandum, sed notum est iram dei non esse placandam solum propter peccatum intemperantiae, & incontinentiae: idcirco ieiunium non solum est institutum propter castigationem carnis. Et Sermon de ieiunio, & tatione, abunde declarat virtutem ieiunij, Ieiunij (inquit) vitiorum sentina siccatur, petulantia marcescit, concupiscentiae languent, fugitiae abeunt voluptates, extinguitur ardentis Ethnae incendium, & flammium fornax Vulcani extincta, intrinsecus montes conterimur non adurit. ieiunium si discretionem regatur omnem carnis rebellionem edomat, & tyrannidem gulae spoliatur, & exarmatur. ieiunium extraordinarios motus in cippo claudit & arat, & appetitus vagos distringit & ligat. ieiunium si humilitate ornetur, seruos dei, mundi efficit contemptores. ieiunium carnes azymas mundat, & solidat, & putredines quae ex adipe prodeunt, consumit, & siccatur. ieiunium scripturarum delicijs pascitur, contemplatione reficitur, gratia stabilitur, caelesti pane nutritur. Danieli interpretatio somniorum reuelatur ieiunio, & tres pueri de Babylonio illa si egrediuntur incendio. Moyses in monte quadraginta diebus cum domino perseuerans, & dei familiare colloquium, & legis ministerium ieiunio promeretur. Helias quoque eodem dierum numero abstinens in Eremo conuersatur. Vtilitas ieiuniorum temporibus Christianis clarius patuit, & a multis frequentata in plurimos se effudit. Quotquot viros virtutum vidimus, sine ieiunio non legimus ascendisse, nec aliquid magnum moliti sunt, nisi prius abstinentia praecessisset. Quoties aliquid a deo obtinere conati sunt, ieiunijs incubuere, & lachrymis, & pernoctantes in orationibus, cilicij carni haerentibus, supplices beneficia postularunt. Breui igitur epilogo pro priori Assertionis parte concludemus ieiunia non solum ordinata esse & instituta ad castigandam carnem, sed ob plerasque alias causas, vt ad obtinendam mentis puritatem, liberiorumque alacritatem, qua ad deum feratur, ad obedientiae meritum, ad consequenda verius diuinae gratiae dona, ampliorumque aeternae vitae mercedem. Et qui pertinaciter aduersas partes tuetur, adharet perniciosissima haeresi Begardorum & Beguinorum damnata in Concilio Viennensi, vt constat ex Clementinis sanctionibus libro quinto, titulo De haereticis, capite Ad nostrum, vbi inter octo ipsorum errores sacrilegos ibidem expressos, hic habetur ordine secundus: Quod ieiunare non oportet hominem, nec orare postquam summum perfectionis gradum (quem contingunt reddetum ipsum impeccabilem) fuerit assequutus. Quoniam posterior Assertionis veritas priori innititur, ab eaque vim sumit, idcirco ad eam confirmandam duntaxat adferemus vnum ex Euangelio testimonium. Cum Christus sanasset lunaticum a daemone obsessum, quem curare non potuerunt Apostoli propter suam incredulitatem, dixit: Hoc autem genus non eijcitur nisi per orationem & ieiunium. cognoscimus igitur nos posse fugare daemones ieiunijs orationi copulatis. Et cum ratio ieiunij non includat largitionem eleemosynarum, potest prodesse ieiunium absque eleemosyna. At dicit aliquis, Chrysostomus homilia 78. in Matthaeum, dicit ieiunium absque eleemosyna nullius esse momenti, cui applaudit Augustinus Sermonem 62. dicens ieiunium sine eleemosyna nullum esse bonum, nisi forte ita sit aliquis pauper, vt non habeat omnino quod tribuat. Illi veni.

Cyprianus.

Danie. 2.

Danie. 3.

Exod. 24.

3. Reg. 19.

Begardorum errores.

Matth. 17.

Chrysostomus.

Augustinus.

NN. ij.

Luca 2.

rò qui non habuerit vnde tribuat, sufficit voluntas bona, secundum illud quod scriptum est Lucae secundo, Gloria in excelsis deo, & in terra pax hominibus bonae voluntatis. Paulò tamen ante dicit, bonum est ieiunare, sed melius est eleemosynam dare. Si aliquis vtrunque potest, duo sunt bona. Si verò non potest, melius est eleemosynam facere. Et in quaestionibus ex vtroque testamento commixtis, quaestione vigesima, dicit nec ieiunium esse firmum sine pietate, nec orationem. Orationem enim & ieiunium Cornelij misericordia commendauit. Istitis respòdeo obiectionibus: Vult innuere Chrysofomus ieiunium nullius esse momenti, in ipsis diuitibus sine eleemosyna, qui cum debent pauperibus sua impartiri bona, non impartuntur, & avaritiae studio dediti, putant se solo ieiunio posse deo satisfacere pro suis sceleribus. Aut vult innuere solum ieiunium nõ efficere simpliciter opus perfectum, perficitur autem orationibus & eleemosynis. Augustinus vt vides, non aduersatur nobis. Nam dicit ieiunium esse opus bonum, licet melius sit dare eleemosynam. Ieiunium autem nihil, aut parum conducit diuitibus, qui ieiunando, pietatis officia erga pauperes, aut contemnunt, aut postponunt.

CAPVT XIX.

Matth. 9.

Ieiunium in literis Euangelicis est praecipuum, quibus autem diebus & temporibus debeant Christiani ieiunare, prudenter instituit Ecclesia. Priorem huiusce Assertionis partem ex Euangelio Matthaei suffulciamus. Cum enim discipuli Ioannis inuidia flagrantem in discipulos Christi, dixissent Christo, excellentissimo illorum praecipitatori: Quare nos & Pharisei ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant? Dixit illis Iesus, Nunquid possunt filij sponsi lugere quandiu cum illis est sponsus? Venient autem dies cum ab eis auferetur sponsus, & tunc ieiunabunt. hoc autem domini verbum opere compleuerunt. Apostoli post abitionem ipsius in caelum per gloriosam & manifestissimam ascensionem. Enimvero in Apostolorum Actis legimus de ipsis Apostolis & ijs qui Ecclesiae curam gerebant: Ministrantibus autem illis domino & ieiunantibus, dixit spiritus sanctus, segregate mihi Barnabam & Paulum in opus ministerij ad quod assumpsi eos. Et aliubi, Cum constituissent illi per singulas Ecclesias presbyteros, & orassent cum ieiunationibus, commendauerunt eos domino. Adde quod nobis hac in re astipulatur Augustinus, in Epistola Casulano presbytero de ieiunijs priscorum, dicens: Ego in Euangelicis, & Apostolicis literis, totoque instrumeto quod appellatur testamentum nouum, animo id reuoluens, video praecipuum esse ieiunium, & ad id suadendum prius protulerat locum Matthaei iam a nobis adductum. Deinde ostendit non esse nobis praescriptum ex Euangelio & Apostolicis scripturis quando debeamus ieiunare. Quibus autem diebus (inquit) non oporteat ieiunare, & quibus oporteat, praecipit domini vel Apostolorum non inuenio definitum. Si autem praesupposito ieiunij in lege Euangelica praecipit, velis scire modum quo sanctissime ieiunabis, te docebit Christus in Euangelio, dicens: Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, sed patri tuo, qui est in abscondito, & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. Nec quisquam nisi Euangelicae philosophiae inimicus inficiari debet Christum hac ieiunij formula nobis praescripta, praesupposuisse maceranda esse carnis vitia ieiunij. Secundam Assertionis partem multis argumetis suadebimus. In lege Euangelica, non minori religione ac deuotione a nobis obseruanda sunt festa solennia quam in veteri testamento, imò certe maiori, & purioribus animi affectibus: sed in veteri testamento Iudaei cum occurrebat festum expiationis affligebant animas suas ieiunijs & emaceratione carnis, etiam sub interminatione interitus & damnationis, vt ostenditur Leuitici decimo sexto, & vigesimo tertio: igitur in noua lege antequam huiusmodi festiuitates celebremus, nobis opus est quadam animi preparatione per poenitentiam, ieiunia, orationes, & eleemosynas: quamobrem Ecclesia recte instituit, quod in vigilijs solennium festorum, vt Natiuitatis dominicae, Pentecostes, Assumptionis sa-

Matth. 6.

cratissimae virginis Mariae, omnium sanctorum, beatorum Apostolorum, & sancti Laurentij ieiunia a Christianis obseruarentur. Insuper illud Iohannis, Conuertimini ad me, in toto corde vestro, in ieiunio & fletu, & planctu. Et iterum, Sanctificate ieiunium, non solum intelligendum est pro legis Moysaeae tempore, sed etiam pro statu legis Euangelicae. Nam oraculum illud ad religionem & dei cultum spectat & cum Christus non praescripserit nobis dies, quibus affligere debemus ieiunijs animas nostras, conueniens fuit, & maxime opportunum ipsam Ecclesiam morum magistram & directricem, nobis praescribere & determinare dies, quibus debemus ieiunij incubere. Amplius in prophetico Zachariae vaticinio, ad Hebraeos extransmigratione, haec diriguntur domini verba: Haec dicit dominus exercituum, ieiunium quarti, & ieiunium quinti, ieiunium septimi, & ieiunium decimi erit domui Iudae in gaudium & letitiam, & in solennitates praeclaras. Ex quibus verbis comperitur est Iudaeos fuisse iure diuino astrictos ad praedicta ieiunia. At verò ad exemplum illorum ieiuniorum, quae praedictis mensibus determinabantur, Ecclesia sancta instituit in noua lege ieiunium quatuor temporum singulis annis obseruandum auctore Calixto huius nominis primo summo pontifice, cuius super ea re Decretum explicatur 76. distinctione libri Decretorum, capite Ieiunium, vbi ita scribit ad Benedictum Episcopum, Ieiunium quod ter in anno apud nos celebrari didicisti, conuenientius nunc per quatuor tempora fieri decreuimus. Vt sicut annus per quatuor voluit tempora, sic & nos quaternarium solenne agamus ieiunium per anni quatuor tempora. Proferemus & sanctissima Concilia quibus sancitum est Ecclesiastica ieiunia a Christianis ratione vtentibus esse seruanda. Ex Concilio siquidem Lugdunensi, hic canon habetur in libro Decretorum de Consecratione, distinctione tertia, capite Pronuntiandum, Indictum verò ieiunium, quando fuerit denuntiatum, ab omnibus obseruetur. Cui subscribit Decretum Eusebij Papae, quod in eodem libro de Consecratione, distinctione quinta, capite Ieiunia exprimitur in hanc formam, Ieiunia in Ecclesia a sacerdotibus constituta, sine necessitate rationabili non soluantur. Rursum Concilium Gangrense decimonono suorum Canonum capite, idem definit, non licere scilicet Ecclesiastica ieiunia praeter rationem solueri, temereque ea soluentes, anathematis sententia ferit. Et recitatur idem Canon, in volumine Decretorum, distinctione trigesima, capite Si quis eorum, in hunc modum: Si quis eorum qui in proposito sunt continentia, praeter necessitatem corporalem superbiat, & ieiunia communia putauerit contemnenda totius Ecclesiae, perfectam in sua conscientia iudicans rationem, anathema sit. Ad haec, inter omnia Ecclesiae ieiunia maximum & praecipuum est Quadragesimae ieiunium annuatim ante festa paschalia recurrent, quod & in veteri lege praefiguratum est per quadragenarium Moysi ieiunium, bis ab ipso paratum. Primo quidem ante primarum legis tabularum acceptationem, vt vigesimūquartū Exodi caput refert. Secundo antequam secundas diuinæ legis tabulas, primis quidem contractis suscepisset, vt trigesimalūquartū Exodi caput exprimit. Et vtrunque horum ab ipso Moyse narratur populo Israelitico Deuteronomij nono capite. Idem quoque quadragesimae ieiunij per Heliam prophetam adumbratum est. Qui postquam cibum accepit & potum, angelico ministerio sibi delatum, quadragenarium simul cum ambulatione continua vsque ad montem dei, exercuit ieiunij, vt decimum nonū caput tertij Regum commemorat. Denique consecratum est, idem ieiunium exemplo Christi, qui post susceptum a Ioanne baptismum, ductus in desertum a spiritu sancto ieiunauit integros quadraginta dies, & noctes: vt nobis huiusce ieiunij relinqueret exemplum. Hoc autem ieiunium etiam ex traditione Apostolorum constitutum est, vt testantur Ignatius, Hieronymus, & Theophilus, & de hac re agemus decimo quinto libro nostrae Theosophiae. Tum etiam, quod non sint ieiunia Ecclesiasticis sanctionibus instituta, a Christianis sub obligatione obseruanda, error est Eustachij damnati in Concilio Gangrensi, necnon & Aerianorum. Est etiam error Valden-

Matth. 4.

Ioh. 2.

Zacha. 8.

Calixtus Papa.

Decretum Concilij Lugdunensis.

Eusebij Papa.

Concilij Gangrensis Decretum.

Matth. 4.

NN. iij.

sum, Begardorum, & Beguinorum, ac denique pseudoapostolorum. Quem postea sequuti sunt Viclesus, & Hussita, ac demum nostra tempestate Lutherus, qui de ieiunijs certo tempore ab Ecclesia institutis, vt commodum & æternum, & temporaneum assequamur, pessime sentit. Quid enim absurdius quam dicere, ieiunia non debere à nobis obseruari, vt quis sibi nonnihil boni temporalis cõparet? quòd si ita esset, non deberemus celebrare ieiunia ad auertendam dei iram in populum, bella & cætera flagella imminetem. Et eadem ratione dicendũ esset nos non posse fundere preces in deum, alicuius boni temporalis gratia, quod tamẽ est falsum. Nam Anna cum esset sterilis petijt à domino sobolem sibi dari, quod & obtinuit. Et Iacob postulauit à domino vt erueretur de manu fratris sui Esau. Nec solũ obseruanda sunt Ecclesiastica ieiunia ad vitandum scandalum infirmorum & pusillorum, quod tamen putauit Lutherus, sed etiã ad nanciscendum sanctimonix & perfectioris vitæ studium, & vt promptius ac liberius rebus diuinis incumbamus.

CAPVT XX.

1. Reg. 1.
Gene. 32.

Lyranus.
Exo. 23.

Augustinus

Iudex condemnans innocentem ab ipso scitum innocentem, per falsos tamen testes conuictum, peccat.] Hæc Assertio est Lyrani illud Exodi exponētis, Infontem & iustum non occides, id est innocentem. Si enim dominus deus prohibeat innocentem interfici, cuius integritas vitæ & innocentia est iudici notissima, non video cur Iudex ferens sententiam in innocentem perditissimis testibus cõuictum, debeat esse à peccato immunis. Et quod dicit Augustinus libro primo de Libero arbitrio, capite 5. plurimum habet roboris & momenti ad tuendam hanc Assertionem. Quomodo, inquit, apud diuinã prouidentiam à peccato liberi sunt, qui pro his rebus quas conteni oportet, humana cæde polluti sunt? Iudex autem in tribunali sedens, tenetur tueri quãtum potest innocentia viri falso & dolose accusati, idcirco ne effuso innocentis sanguine contaminetur, debet & opes, & suum officium contemnere: quare si non cedat suo magistratui, & res humanas magno animo despiciat, adiudicando innocentem morti, incurret homicidæ pœnam. Ad hæc, Augustinus in eodem capite nullam inuenit rationem qua possit defendere illos, qui insidiatores & sicarios ac inuafores interficiunt, nisi sint ministri legis, aut certent in iusto bello, vel publica autoritate fungantur. Et ex eo est, quòd illi pro his rebus quas conteni oportet, humana cæde polluantur, licet non reprehendat legẽ quæ tales permittit interfici. multo igitur minus inuenisset rationem ad excusandum iudices qui innocentem adiudicant morti, licet morte possint punire sceleratos secundum rectam legem, hoc est secundum iustissimæ rationis imperium: vt ostendit idem doctor libro primo de Ciuitate dei, capite 21. in cuius fine dicit quod nobis arridet, His igitur exceptis, quos vel lex iusta generaliter, vel ipse fons iustitiæ deus specialiter occidi iubet, quisquis hominũ vel seipsum, vel quẽlibet occiderit, homicidij crimine innectitur. Et nemo nescit deum non iubere iudici vt condemnet innocentem, quem scit esse talem, nec vlla est lex humana iusta, quæ velit trucidari innocentem ob mendacissima quorũdam nebulonum testimonia. Nec Iudex potest iudicare nisi veris legibus, vt dicit idem Augustinus enarrans illum psalmographi locum: Molas leonum cõfregit dominus. Præterea quæ falso proferuntur coram iudice & allegantur, qui nouit innocentiam accusati, non possunt facere de iniustitia iustitiam, & de iniquitate æquitatem: & cũ non lateat iudicem huiusmodi sententiam in innocentissimum virum latam aduersari iustitiæ, & æquitati, eo quòd accusato maxima fit iniuria, idcirco non debet suum animũ polluere nece innocentis. Audi quid dicat Esaias, Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes iniustitiam, scripserunt, vt opprimeret in iudicio pauperes, & vim faceret causæ humilium. Et aliubi, Væ qui iustificatis impiũ pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo. Dicit etiã dominus per Hieremiam, Facite iudicium & iustitiã, & liberate vi oppressum de manu calumniatoris, & aduenam & pupillũ, & viduam nolite contristare, neq; opprimatis inique, & sanguinem innocetem ne ef-

Psal. 57.

Esa. 10.

Esa. 5.

Hiere. 22.

fundatis in loco isto. ¶ At cõfistabitur aliquis, recte sequitur, Iudex non potest condemnare quem scit innocentem, ergo nec potest dimittere quem scit dignũ morte. Nam ex oppositis: Si peccet cõdemnando innocentẽ, videtur etiam peccare dimittendo quẽ scit dignum morte, etiam intelligendo si homo ille sceleratissimus sit iustus hominum opinione, & iudicio: quãuis secundum diuinam iustitiam, sit dignus morte pro illis flagitijs quæ nefarie, & turpiter admittit, quòd autem Iudex nõ possit animaduertere in illum quem secrete nouit dignum morte, & testes attestantur illum esse innocentissimum & indignum morte, sic suadeo: Nec potest id quatenus persona priuata intentare, vt omnibus est exploratissimum, nec quatenus persona publica: quia vt sic non habet viam ad illum occidendum. Nec argumentũ illud factum, est efficax & validum. Quia nõ est simile de condemnatione innocentis ad mortem, & de dimissione illius qui est morte dignus. Nam Iudex vt persona publica suo potest cedere officio, ne adiudicet innocentem morti: vt verò persona priuata, non feret sententiam mortis in illum quem scit affligendũ & morte plectendum. Nec id muneris verius audaciæ, sibi assumit vt persona publica, quia nemo illum accusat, etiam testantur omnes illum non commeruisse extremum supplicium, nec propterea sequitur, ergo si etiam falso testaretur illum admisisse facinus dignũ morte, deberet condemnare quem scit esse innocentem. Nõ enim semper iudicandum est secundum allegata & probata, nisi illa vera sint & æquitati innitantur. Diuus Thomas 2.2. quæstione 64. Arti. 6. dissidet à Lyrano, cuius opinio licet sit probabilis, probabilior tamen mihi videtur Lyrani sententia. Et ita disserit de hac re: Si Iudex sciat aliquem esse innocentem, falsis tamen testibus conuictũ, debet diligentissime examinare testes, vt inueniat occasionem liberãdi innoxium, sicut Daniel fecit: si autem hoc nõ potest, debet eum superiori relinquere iudicandum, si autem hoc non potest, non peccat, secundum allegata sententiam ferens, quia ipse nõ occidit innocentem, sed illi qui eum asserunt nocentem. Sed miror quòd dicat, si non potest eũ superiori relinquere iudicandum, tenetur ne laqueis? & an vsq; adeo cogitur hominibus seruire, vt nõ possit consulendo suæ salutis, cedere officio, & discedere cum gloria à suo magistratu: nullius siquidem principis supplicio, nulliq; hominum minis terreri debet, vt quod non est iustum, imò quod non licet, agat. conueniunt ne hominum vitijs, & lucrabitur totum mũdum, vt iacturam suæ animæ faciat? Deinde dicit vir ille doctissimus, quòd non occidit innocentem: quomodo is dicitur innocentem non occidere, qui aliqua ex parte morti innocentis consentit, & qui cum potest, imò debet eripere de manibus sceleratissimorum hominum innocentem, non eripit? magis Iudex ille mihi videtur timere homines quàm deum. Sed de hac disputatione plus satis.

CAPVT XXI.

Iudicium extremum in sacris literis probatum, tunc futurum est, quum Euangelium prædicatum fuerit in omnibus gentibus, nec solum vniuersaliter fiet, sed etiam particulariter.] Singulæ huiusce Assertionis partes seorsim probabuntur, Priorem enuntiationis partem primum ex veteri testamento affirmabimus. Dicit Esaias, Ecce dominus dissipabit terram & nudabit eam, & affliget faciem eius, & disperget habitatores eius, & erit sicut populus, sic sacerdos, & sicut seruus, sic dominus eius, sicut ancilla sic domina eius, sicut emens sic ille qui vedit, sicut fornicator, sic is qui mutuum accipit, sicut qui repetit, sic qui debet. Dissipatione dissipabitur terra, & direptione prædabitur, Hieronymus hoc sacram explicans vaticinium, dicit: Nunc quid totus orbis in consummatione passurus sit, propheticus sermo describit, & nequaquam de singulis gentibus, sed de cunctis pariter prophetatur. Et primũ quidem quæ impij tormenta passuri sint, & quomodo iuxta Euangelium & Apostolum, pertranseat cælum & terra, & figura mundi istius, & deducantur peccatores in infernum, de quibus scriptum est, Ingredientur ad extrema terræ, tradentur in manus dei, partes vulpium erunt. Deinde quia

Thomas

Matth. 16.

Esa. 24.

Hieronymus

Matth. 24.

1. Corin. 7.

Psal. 30.

Psal. 62.

NN. iiii.

Ioan. 14. pro qualitate meritorū multæ sunt mansiones apud patrem, dicitur quomodo sancti rapiuntur in nubibus obuiam domino, in aëra, & semper cum eo futuri sint, tūc procedent mortui de sepulchris suis, vt opera eorum proferantur in publicum, & dispergētur habitatores terræ in diuersa loca, præmijs vel supplicijs destinati. Tūc nulla erit diuersitas inter nobilem & ignobilem, sacerdotem & laicū, seruum & dominum, ancillam & dominam, diuitem & pauperem, foeneratorem, & eum qui are alieno premitur, ementē atque vendentem. Omnes enim ex æquo stabūt antē tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malū. Nec erit acceptio personarum apud deum. De quo & Iob eisdem propemodū verbis loquitur, Paruus & magnus ibi sunt, & seruus non timens dominū deum suū. Et saluator in Euangelio, cui omne iudiciū traditum est, id pleno sermone testatur. Atque iterum, viuant mortui tui, interfecti mei resurgant, siue secundum 70. interpretes resurgent mortui, & resurgent de sepulchris, hi sunt quos Apostolus in Christo mortuos vocat 1. Thes. 4. & propter nomē domini interfecti sunt, idcirco resurgēt in gloria. Augustinus lib. 20. de Ciuitate dei, capite 21, dicit hanc prophetiā pertinere ad resurrectionem beatorum. Et aliubi dicit propheta, Accedite gētes & audite, & populi attendite, audiat terra & plenitudo eius, orbis & omne germen eius. Quia indignatio domini super omnes gentes, & furor super vniuersam militiam earum: interfecit eas, & dedit in occisionem. Occisi earum proieciuntur, & de cadaueribus earum ascendet foetor, tabescent montes sanguine earum. Et tabescet omnis militia cælorum, replicabuntur siue cōplicabuntur sicut liber cæli, & omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vinea & de ficu, quoniam inebriatus est in cælo gladius meus. Post euerisionem Hierusalem, & naufragium quondam solidissimæ nauis, prædāmque omnis supellectilis illius. Esaias propheta de interitu omnium nationum, & de consummatione mundi, quæ est in die futuri iudicij, & quod dicit, omnis militia cælorum tabescet, maxime consentit cum Euangelica philosophia, in qua dicit Christus: Stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum mouebuntur, & tunc apparebit signum filij hominis in cælo. Nec diuersum est ab Esaiæ vaticinio quod dicit Ezechiel: Et operiam cum extinctus fueris, cælos, & nigrescere faciam stellas eius, solem nube tegam, & luna nō dabit lumen suum. Omnia luminaria cæli mœrere faciā super te, & dabo tenebras super terram tuam. Et rursum, In die illa erit commotio magna super terram Israel, & commouebuntur à facie mea pifces maris & volucres cæli, & bestia agri, & omne reptile quod mouetur super humum, cunctique homines qui sunt super faciem terræ, & subuertentur montes, & cadent sapes, & omnis murus corruet in terram. Et conuocabo aduersus eū in cunctis montibus meis gladium, ait dominus deus, gladius vnus cuiusque in fratrem suum dirigetur. Et iudicabo eum peste, & sanguine, & imbre vehementi, & lapidibus immensis, ignem & sulphur pluam super eum, & super exercitum eius, & super populos multos qui sunt cum eo. Et magnificabor, & sanctificabor, & notus ero in oculis multarum gentium, & scient quia ego dominus. Adde quod amplissimū habemus de extremo iudicio apud Danielem sub typo quartæ bestia vaticinium, à qua sectando historiam, probationem auspicabimur, nec aliud quàm Antichristum, quarta bestia ante vltimum Christi aduentum, ad subiugandam Christianorum ecclesiam (si fieri possit) venturum, significari credimus. Ecce (inquit Daniel) bestia quarta terribilis atque mirabilis, & fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans, dissimilis autem erat cæteris bestijs quas videram ante eam, & habebat cornua decem. Considerabam cornua, & ecce cornu aliud paruulum ortum est de medio eorum, & tria de cornibus primis euulsa sunt à facie eius, & ecce oculi, quasi oculi hominis erant in cornu isto, & os loquens ingentia. Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, vestimentum eius candidum quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana munda, thronus eius flammæ ignis, rotæ eius ignis accensus, fluuius

igneus rapidusque egrediebatur à facie eius. Millia millium ministrabant, & decies milies centena millia assistebant ei. Iudicium sedit, & libri aperti sunt. Aspiciebam propter vocem sermonum grandium, quos cornu illud loquebatur, & vidi quoniam interfecta esset bestia, & perisset corpus eius, & traditum esset ad comburendum igni, aliarum quoque bestiarum ablata esset potestas, & tēpora vitæ constituta essent eis vsque ad tempus & tempus. Aspiciebam ergo in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerūt eum. Et dedit ei potestatem & honorem, & regnū, & omnes populi, tribus & linguæ ipsi seruiant. Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur. Horrui spiritus meus, ego Daniel territus sum in his, & visiones capitis mei conturbauerunt me. Accessi ad vnum de assistentibus, & veritatem quærebam ab eo de omnibus his. Qui dixit mihi interpretationem sermonum, & docuit me: Hæ quatuor bestia magnæ, quatuor sunt regna quæ consurgent de terra: suscipient autem regnum sancti dei altissimi, & obtinebunt regnum vsque in seculum & seculum seculorum. Post hoc volui libenter discere de bestia quarta, quæ erat dissimilis valde ab omnibus, & terribilis nimis, dentes & vngues eius ferrei, comedebat & comminuebat, & reliqua pedibus suis conculcabat. Et de cornibus decem quæ habebat in capite, & de alio quod ortum fuerat, ante quod ceciderant tria cornua, & de cornu illo quod habebat oculos, & os loquens grandia, & maius erat cæteris. Aspiciebam, & ecce cornu illud faciebat bellum aduersus sanctos, & præualebat eis, donec venit antiquus dierum: & iudicium dedit sanctis excelsum, & tempus aduenit, & regnum obtinuerunt sancti. Et sic ait bestia quarta: Regnum quartū erit in terra, quod maius erit omnibus regnis, & deuorabit vniuersam terrā, & conculcabit & cōminuet eam. Porro cornua decem ipsius regni decem reges erunt, & alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus, & tres reges humiliabit. Et sermones contra excelsum loquetur, & sanctos altissimi cōteret, & putabit quod possit mutare tēpora & leges: & tradentur in manu eius vsq; ad tempus & tempora & dimidium temporis. Et iudicium sedebit vt auferatur potentia, & conteratur & dispereat vsque in finem. Regnum autem potestas & magnitudo regni quæ est subter omne cælum detur populo sanctorum altissimi: cuius regnum, regnum sempiternū est, & omnes reges seruiant ei & obedient. Quis nisi crasso ingenio obnubilatus, non videt hanc sublimem Danielis prophetiam intelligendam esse de Antichristo, futuro nostræ fidei hoste perditissimo & infestissimo, & de Christo post sæuissimam Antichristi tyrannidem proxime venturo: qui aduersarium illum & euangelicæ legis inimicum solo verbo prosternet & debellabit. Luculenter & abunde declarat Daniel dolos, technas, & comminationes Antichristi, & subinde diuinam & admirandam Christi in extremo iudicio venturi maiestatem & potestatem. Differens Hieronymus de hoc Danielis oraculo, dicit in vno Romano imperio propter Antichristum blasphemantem omnia simul regna esse delenda, & nequaquam terrenum imperium erit, sed sanctorum conuersionis & aduentus filij dei triumphantis. Præliabitur autem Antichristus contra sanctos quos nisi dominus præpedierit, superabit, in tantamque erigetur superbiam, vt leges dei & ceremonias mutare conetur, & eleuetur supra omne quod dicitur deus, religionem cunctam suā subiciens potestati, eius tamen regnū à Christo dissipabitur & subuertetur. Eiusdem est sententiæ Augustinus libro 20. de Ciuitate dei, cap. 23. vbi dicit Danielem sic de vltimo iudicio prophetaisse, vt Antichristū prius venturum esse prænūtiat, atque ad æternum regnū sanctorum perducatur narrationem suam. Et aliubi multo expressius prædixit Daniel futurum Christi secundum aduentū, dicens: Et in tēpore illo saluabitur populus tuus, omnis qui inuentus fuerit scriptus in libro. Et multi de his qui dormiūt in terræ puluere euigilabūt, alij in vitā æternam, alij in opprobrium, vt videant semper. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in

Apoc. 5.

Luca 1.

Mich. 4.

Hieronymus

Augustinus

Danielis 12.

Ioh. 2. perpetuas aeternitates. Præterea Iohel prædixit futurū iudiciū: Et dabo (inquit) dominus per prophetā prodigia in caelo & in terra, sanguinē & ignē, & vaporē fumi. Sol cōuertetur in tenebras, & luna in sanguinē, antequā veniat dies domini magnus & horribilis. & erit, omnis qui inuocauerit nomen domini, saluus erit. Et in Amos propheta scriptū est: Væ desiderantibus diem domini, ad quid eā vobis? dies domini ista, tenebræ & non lux. Quomodo si fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrsus, & ingrediatur domū, & innitatur manu sua super parietē, & mordeat eum coluber. Nunquid non tenebræ dies domini & non lux, & caligo, & non splendor in ca? Dicit quoq; Abdias, Quoniā iuxta est dies domini super omnes gētes, sicut fecisti fiet tibi: retributionē tuam cōuertet in caput tuū. Huic coheret quod scribit Sophonias

Sophon. 7. Iuxta est dies domini magnus, iuxta est & velox nimis, vox dei domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ dies illa, dies tribulationis & angustiae, dies calamitatis & miseriae, dies tenebrarū & caliginis, dies nebulæ & turbis, dies tubæ & clangoris, super ciuitates munitas, & super angulos excellos. Ad hæc, aperte vaticinatur Malachias de horredo illo iudicio: Ecce venit, dicit dominus exercituum, & quis poterit cogitare diē aduentus eius? & quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonū. & sedebit conflans & emūdans argentū, & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurū & quasi argentū: & erūt domino offerentes sacrificia in iustitia: & placebit domino sacrificiū Iuda & Hierusalē sicut dies seculi, & sicut anni antiqui. Et accedā ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis & adulteris & peruriis, & qui calūniantur mercedē mercenarij, & humiliāt viduas & pupillos, & opprimunt peregrinū, nec timuerūt me dicit dominus exercituum. Hanc plenē explicat prophetiā Augustinus lib. 20. de Ciuit. dei, cap. 25. dicens cum Hieronymo Malachia iudicium nouissimū prophetasse, ex cuius verbis videtur euidentius apparere in illo iudicio quasdam quorundā purgatorias poenas futuras, vbi enim dicitur: Quis sustinebit diē introitus eius, aut quis ferre poterit vt aspiciat eum? quia ipse ingreditur quasi ignis cōflatorij, & quasi herba lauantiū, & sedebit conflans & emūdans sicut aurum, & sicut argentū, & emūdabit filios Leui, & fundet eos sicut aurum & sicut argentū, quid aliud intelligendū est? Dicit tale aliquid & Esaias: Lauabit dominus fordes filiorū & filiarū Sion, & sanguinē emūdabit de medio eorū spiritu iudicij & spiritu combustionis. Nisi forte sic eos dicendū est emūdari à sordibus & eliquari quodāmodo, cum ab eis mali per poenale iudiciū separantur, vt illorum segregatio atq; damnatio, purgatio sit istorū: quia sine talium de cætero cōmixtione victuri sunt. Et huic secundæ expositioni adhaereo. Nam cum Christus in die illa bonis præmium largietur, malis vero supplicij irrogabit, desinet sedes purgatorij. Sed cum subiungit propheta, Et emūdabit filios Leui, & fundet eos sicut aurum & argentū, & erunt domino offerentes hostias, in iustitia, & placebit domino sacrificium Iuda & Hierusalē, vtiq; ostendit eos ipsos qui emūdabūtur, deinceps in sacrificijs iustitiæ domino esse placituros, ac per hoc ipsi à sua iniustitia mundabūtur, in qua domino hostiæ displicebant. Porro in plena perfectaq; iustitia cum mundati fuerint, ipsi erunt. Quid enim acceptius deo tales offerunt, q̄ seipsos? Filios autē Leui, & Iuda, & Hierusalē ipsam dei Ecclesiā debemus accipere non ex Hebræis tantū, sed ex alijs etiam gētib; congregatā, nec talē qualis nunc est: vbi, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est: sed qualis tūc erit velut area per ventilationē ita per iudicium purgata nouissimum, eis quoq; igne mundatis quibus talis mūdatio necessaria est, ita vt nullus omnino sit qui offerat sacrificium pro peccatis suis. Omnes enim qui sic offerunt, profecto in peccatis sunt: pro quibus dimittēdis offerunt, vt cū obtulerint, acceptūmq; deo fuerit, tunc dimittantur. Insuper multa de iudicio nouissimo dicuntur in psalmis, quæ silētio à nobis præteriri non possunt. In principio tu domine terrā fundasti, & opera manū tuarum sunt cæli. Ipsi peribūt, tu autē permanes: & omnes sicut vestimentū veterascēt. Et sicut oportorū mutabis eos & mutabūtur, tu autē idem ipse es, & anni tui non desin-

cient. Quod autē hoc vaticinium de die extremi iudicij intelligatur, sanè testatur Augustinus lib. 20. de Ciuit. dei, cap. 24. Et aliubi eundem diem futurū prænuntiat David, dicens: Deus manifeste veniet, deus noster & non silebit. Ignis in cōspectu eius ardebit, & in circuitu eius tēpestas valida. Aduocabit cælū sursum, & terrā discernere populū suum. Congregate illi iustos eius, qui disponūt testamentū eius super sacrificia. Hoc (inquit Augustinus ibidem) de domino nostro Iesu Christo intelligimus, quem de cælo speramus esse venturū ad viuos & mortuos iudicandos. Manifestus enim veniet inter iustos & iniustos iudicaturus iuste, qui prius venit occultus ab iniustis iudicandus iniuste. Et rursum manifestus differit de eodem iudicio, dicens: Iudicabit orbem terrarū in æquitate. id est (authore eodē Augustino) meritis digna distribuēt, agnos ad dextrā ponens, hædos ad sinistram: nec iudicabit quæadmodum iudicant homines, qui corda non vident, à quibus plerunq; deteriores potius absoluntur, q̄ condēntur, sed in æquitate & cū iustitia. Discussis veteris instrumēti locis, nunc certissima Euāgeliorū testimonia, in quibus apertissime loquitur Christus de extremo iudicio, excutiemus. Saluator in hunc modū exprobrauit ciuitatibus in quibus factæ sunt plurimæ virtutes eius, q̄ non egerāt poenitentia: Væ tibi Chorozaïm, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere poenitentia egissent. Veruntamen dico vobis, Tyro & Sidoni remissius erit in die iudicij, q̄ vobis. Et tu Capharnaū, nunquid vsq; in cælū exaltaberis? vsq; in infernū descendes. quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, forte mansissent vsq; in hanc diem. Veruntamen dico vobis, quia terræ Sodomorū remissius erit in die iudicij q̄ tibi. Et rursum ægreferēs Christus Scribas & Phariseos curiose & absq; vlla vtilitate querere signū, dixit: Generatio praua & adultera signum querit, & signū non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ: sicut enim fuit Ionas in vētre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Viri Ninivitæ surgent in iudicio cū generatione ista, & condēnabunt eam, quia poenitentia egerunt in prædicatione Ionæ, & ecce plus q̄ Iona hic. Regina Austru furget in iudicio cū generatione ista, & condēnabit eam, quia venit à finib; terræ audire sapientia Salomonis, & ecce plus q̄ Salomon hic. Et cum discipuli Christi cupide rogarent ab eo vt ediffereret parabola zizaniorum agri, respōdens ait: Qui seminat bonū semen, est filius hominis, ager autē est mundus: bonum vero semē, hi sunt filij regni, zizania autem filij sunt nequæ: inimicus autem qui seminat ea, est diabolus: messis vero cōsummatio seculi est, messores autē angeli sunt. Sicut ergo colligūtur zizania & igni comburūtur, sic erit in cōsummatione seculi. Mittet filius hominis angelos suos, & colligēt de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatē, & mittet eos in caminum ignis, ibi erit fletus & stridor dētium. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorū. Et aliubi, Filius hominis vēturus est in gloria patris sui cum angelis suis, & tunc reddet vnicuiq; secundū opera eius. Et de Helia secundū aduentus præcursoris, dicit: Helias quidē venturus est, & restituet omnia. Cū etiam Petrus fidenter dixisset Christo: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Dixit Iesus: Amen dico vobis, q̄ vos qui secuti estis me in regeneratione, cum federit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel. Item, Sicut fulgur exit ab oriente & parit vsq; in occidentē, ita erit & aduentus filij hominis, vbi cūq; fuerit corpus, illuc cōgregabuntur & aquila. Statim autem post tribulationē dierum illorū sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suū, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælōrum commouebūtur, & tunc parebit signum filij hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt filiū hominis venientē in nubibus cæli cū virtute multa & maiestate. Et mittet angelos suos cum tuba & voce magna: & congregabunt electos eius à quatuor ventis à summis cælōrum vsq; ad terminos eorū. Et aliubi, Cum venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedē maie-

Psal. 49.

Psal. 9.

Matth. 25.

Matth. 11.

Matth. 12.

Ionæ 2.

Ionæ 3.

3. Reg. 10.

2. Paral. 9.

Matth. 13.

Apoc. 14.

Matth. 16.

Matt. 17. &

Malach. 4.

Matth. 19.

Matth. 24.

Matth. 25.


flatis suæ, & cōgregabuntur ante eum omnes gētes, & separabit eos ab inuicē sicut pastor segregat oues ab hœdis, & statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris. Tunc dicit rex his qui à dextris eius erūt: Venite benedicti patris mei possidete paratum vobis regnum à cōstitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & operuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me. His autem qui à sinistris erunt, dicit: Discedite à me maledicti in ignem æternū, qui paratus est diabolo & angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi mādacare: sitiui, & non dedistis mihi potum: hospes erā, & non collegistis me: nudus, & non operuistis me: infirmus & in carcere, & non visitastis me. Et in Euangelio Ioannis dicit Christus Iudæis: Amen amē dico vobis, quia venit hora & nunc est quādo mortui audient vocem filij dei, & qui audierint, viuēt. Sicut enim pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitā in semetipso, & potestātē dedit ei iudiciū facere, quia filius hominis est. Nolite mirari hoc: quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocē filij dei, & procedēt qui bona fecerunt in resurrectionē vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionē iudicij. Et iterū, Hæc est enim volūtas eius qui misit me patris, vt omne quod dedit mihi, non perdā ex eo, sed resuscitē illud in nouissimo die. Atq; iterū, cū Christus dixisset Marthæ, Resurget frater tuus, dixit illa: Scio quia resurget in resurrectione in nouissimo die: licet mentē Christi non caperet, non enim loquebatur Christus de vltima resurrectione, sed de repentina excitatione Lazari à morte. arbitratur tamen Christū de vltima resurrectione locutum. Integra tamen fide credebat illa futurā omnium mortuorū resurrectionem: & ex illo capite duplicē agnoscimus resurrectionem: alterā in nouissimo die futuram, & eam qua subito Christus mortuū ad vitam reuocat, etiam antequā dies extremi iudicij venerit. Siquidē Marthæ dixit Christus: Ego sum resurrectio & vita, qui credit in me, etiā si mortuus fuerit viuēt: & omnis qui viuūt & credit in me, non morietur in æternū. Paulus explicatim docet præter testimonium quod protulimus ex epistolis ad Romanos, & Corinth. ad Thessalon. diem extremi iudicij. Nolumus (inquit) vos ignorare fratres de dormiētibus, vt nō cōtristemini, sicut & ceteri qui spem non habēt. Si enim credimus q̄ Iesum mortuus est, & resurrexit: ita & deus eos qui dormierūt per Iesum, adducet cū eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo domini, quia nos qui viuimus, qui residui sumus in aduētum domini, non præueniemus eos qui dormierūt. Quoniā ipse dominus in iussu & in voce archāgeli, & in tuba dei descēdet de cælo, & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cū illis in nubib⁹ obuiā domino in aera, & sic semper cū domino erimus. Itaq; cōsolamini inuicē in verbis istis. Et subnectit, De tēporibus autē & momētis fratres non indigetis vt scribamus vobis, ipsi enim diligēter scitis, quia dies domini sicut fur in nocte ita veniet. Cū enim dixerint, Pax & securitas, tunc repētinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vtero habentis, & non effugiēt. Vos autē fratres nō estis in tenebris, vt vos dies illa tanq̄ fur cōprehendat. Et aliubi loquēs de Antichristo qui ante aduentū domini multos seducet, dicit: Rogamus autē vos fratres per aduentū domini nostri Iesū Christi, & nostræ cōgregationis in ipsum, vt non cito moueamini à vestro sensu, neq; terreamini, neq; per spiritū, neq; per sermonē, neq; per epistolā tanquā per nos missā, quasi instet dies domini. Ne quis vos seducat vllō modo, quoniā nisi venerit discessio primū, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur deus, aut quod colitur, ita vt in tēplo dei sedeat, ostendēs se tanquam sit deus. Num retinetis quōd cum adhuc essem apud vos, hæc dicebā vobis? & nūc quid detineat scitis, vt reueletur in suo tēpore. Nā mysteriū iam operatur iniquitatis, tantū vt qui tenet, nūc teneat, donec de medio fiat. Et tunc reuelabitur ille iniquus, quē dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui eum, cuius est aduētus secundū operationē fatanæ in omni virtute, & signis

& prodigijs mēdacibus, & in omni seductione iniquitatis, ijs qui pereunt, eo q̄ charitatem veritatis non receperūt vt salui fierēt. Ideo mittet illis deus operationē erroris vt credāt mendacio, vt iudicētur omnes qui non crediderūt veritati: sed cōferunt iniquitati. Dicit etiā Petrus eos qui ambulauerūt in luxurijs, desiderijs, vinolētijs, comestationibus, potationibus, ebrietatibus, & illicitis idolorū cultibus, reddituros rationē ei qui paratus est iudicare viuos & mortuos. Propter hoc enim & mortuis euāgelizatū est vt iudicētur quidem secundū homines in carne, viuant autē secundū deū in spiritu. Et iterū, Nouit dominus pios de tētatione eripere, iniquos vero in diē iudicij reseruare cruciādos. Atq; iterū: Cæli autē qui nūc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt, igni reseruati in diē iudicij & perditionis impiorū hominum. Dicit quoq; Ioannes in Apocalypsi: Ecce venit cū nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerūt: & plangent se super eum omnes tribus terræ. Alia de extremo iudicio profert, sed quoniā cohærēt ijs, quæ paulo antē ex Paulo protulimus, & penē eadē sunt, idcirco illa supprimemus. Adde q̄ in Actis apostolorū Petrus in memoriā reducit diem extremi iudicij, dicens: Et præcepit nobis prædicare populo, & testificari, quia est qui cōstitutus est à deo iudex viuorū & mortuorū. Et aliubi dicit Paulus Atheniensibus: Et tēpora quidem huius ignorantia despiciens deus, nunc annūtiat hominibus, vt omnes vbiq; pœnitentiā agant, eo q̄ statuit diem in quo iudicaturus est orbē in æquitate, in viro in quo statuit, fidē præbens omnibus, suscitās eum à mortuis. Et iterum, Viri fratres, ego Phariseus sum, filius Pharisei, de spe & resurrectione mortuorū ego iudico. ¶ Secunda assertionis pars deducitur ex illo Matthæi loco, Et prædicabitur hoc Euangeliū regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gētibus, & tunc veniet cōsummatio. Et huic sententiæ applaudit Augustinus lib. 2. de Serm. domini in mōte, vbi dicit exponēdo illam precatōnē, Adueniat regnū tuū. Sicut ipse dominus in Euāgelio docet tunc futurū esse iudicij diem, cum Euangeliū prædicatū fuerit in omnibus gētibus, quæ res pertinet ad sanctificationē nominis dei. Nec ab Augustino dissidet Lyranus enarrās in Matthæū eandem veritatē: Quōd (inquit) omnes gentes recipient fidē Christi, erit in cōsummatione seculi. Theophylactus tamen putat Christū minime locutū de cōsummatione totius mundi, sed Hierusalē, quia ante euerionē Hierusalē prædicatū fuit Euangeliū. Nec tamē huius opinioni adhæreo, & inualidū est eius argumētum: licet enim ante captā Hierusalē prædicatū fuerit Euangelium, non tamen toti orbi nec omnibus gētibus. Nec etiā subito post deletā Hierusalē ab imperatoribus Romanis diuulgatum fuit omnibus Euangeliū, imō sunt adhuc quædā insulæ barbarorū & incognitorū hominū quibus nihil adhuc Euangelij innotuit. ¶ Tertiā assertionis particulā tuetur Augustinus lib. 20. de Ciuit. dei cap. 1. dicēs: Iudicat (inquit) Christus non solum vniuersaliter de genere dæmonū atq; hominū, vt miserī sint propter primorū meritū peccatorū, sed etiā de singulorū operibus proprijs quæ gerūt arbitrio voluntatis. ¶ Hoc caput plurimū habet momēti aduersus quosdā hæreticos, qui temere hoc seculo (quod deplorandū video) dicūt & asserūt animā hominis esse mortālē & cū corpore periturā, illi Sardanapalicā agētes vitā nihil putāt sibi esse suauius & melius q̄ comedere, & bibere, & affluere delicijs, quorū deus venter est, & dux primarius diabolus. Si enim futura sit corporū resurrectio, anima hominis reuertetur ad domicilium humani corporis, quod in morte hominis deseruerat, & fruatur æterna gloria vnā cum corpore, aut perpetuis supplicijs discruciatum. Et aduersus perniciosissimū illū errorē proferā quod dixit Christus pœnitētī latroni: Hodie mecū eris in paradiso, non quidē corpus tuū quod cruci affixū est, sed anima tua, quæ diuinæ visionis claritate fruatur. Signum est igitur animā illius non fuisse extinctam cum corpore. Et qui excitarūt illam hæresim omnino negant Christum.

Theosophiæ Ioannis Arborei

LAVDVNENSIS LIBER X.

CAPVT I.



Gene. 4.

Ibidem.

Gen. 2.

Matth. 19.

Gen. 2.

1. Corin. 6.

Eph. 5.

Lyranus.

Glos. interl.

Hieronym⁹

Lamech, primus introduxit bigamiam contra naturæ institutionem, qui occidendo Cain, septem vindictas exoluit.] Priorem Assertionis partē ex Geneleos historia probabimus, in qua scriptum est, Mathusael genuit Lamech, qui accepit duas vxores, nomen vni Ada, & nomen alteri Sella: genuitque Ada Iabel qui fuit pater habitantium in tētorijs atque pastorum, & nomen fratris eius Thubal. Ipse fuit pater canētium cythara & organo. Sella quoq; genuit Tubalchayn, qui fuit malleator & faber in cuncta opera æris & ferri. Soror vero Tubalchayn Noëma. Ex hac sacra scriptura nobis cōpertum est Lamech simul habuisse duas vxores, nec meminit eadē historia alicuius viri qui ante Lamech duas simul, habuerit vxores, siquidē dicitur: Adam cognouit Euam vxorem suam, quæ cōcepit & peperit Cain. Cain autem cognouit vxorem suam, quæ concepit & peperit Enoch. Porro Enoch genuit Irad, & Irad genuit Mauiael, & Mauiael genuit Mathusael, & Mathusael genuit Lamech qui accepit vxores duas: & sic constat Lamech primum bigamum fuisse ab Adam septimum. Quod autem bigamia fuerit contra naturæ institutionem, & primum matrimonij institutum, sic suadeo: In secundo Geneleos capite scriptum est: Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna: nec dictum est, & adhærebit vxoribus suis, sed vxori suæ. Et hanc arctissimam cōiugij legem Christus protulit aduersus Phariseos, qui imprudenter & temere sciscitabantur, Si nam licebat homini quacunq; ex causa vxorem suam dimittere. vt autem saluator illos confutaret, & ex sacris literis vanam illorū quæstionem eluderet, dixit: Non legistis quia qui fecit ab initio masculū & fœminam fecit eos: & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna: itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo deus coniunxit, homo non separet. Dicit etiam Paulus de eodē indissolubili viri & vxoris vinculo, & sublimi sacramento: Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur? Erunt enim (inquit) duo in carne vna. Qui autem adhæret domino, vnus spiritus est, fugite fornicationem. Et aliubi, Viri debent diligere vxores suas vt corpora sua. Qui suam vxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam, sicut & Christus Ecclesiam, quia membra sumus corporis eius, de carne eius & de ossibus eius, propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Sacramētum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Astipulatur & huic assertioni Lyranus, enarrans in Genesim locum prolatum, Et accepit Lamech duas vxores, vbi dicit: Hic primus introduxit bigamiam contra naturæ institutionē, quæ fuit vnus cum vna. Dicit & Glosa interlinearis, Lamech primus contra naturam & morem, adulterium commisit. Nec Hieronymus ab hac dissidet sententia, in epistola ad Geron-tiam de Monogamia, exponendo illa domini verba, Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ: certe nō vxoribus, quod Paulus, inquit, testimonium edifferens, ad Christū refert & ad Ecclesiam, vt primus Adam in car-

ne, secundus in spiritu monogamus sit. Sit vna Eua, mater cunctorum viuentium, & vna Ecclesia parens omnium Christianorum. Sicut illam maledictus Lamech in duas diuisit vxores, sic hanc hæretici in plures Ecclesias lacerant, quæ iuxta Apocalypsim Ioannis, synagogæ magis diaboli appellandæ sunt, quàm Christi conciliabula. Legimus in Carminum libro, Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubina, & adolescentulæ, quarum non est numerus. Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ, electa genitrici suæ. Ad quam scribit idem Ioannes epistolā, Senior electæ dominæ & filijs eius. Hæc ille. Non quod velit dicere Hieronymus quod illa ad quam scribit Ioānes sit Ecclesia, sed quod sit sancta, pudica, & casta, & columba simplicior. Omnino sentit cū Hieronymo Tertullianus, libro de Exhortatione castitatis, dicens: Cum Apostolus in Ecclesiam & Christum interpretatur, erunt duo in carne vna, secundum spiritalia nuptias Ecclesiæ & Christi, vnus Christus & vna eius Ecclesia, agnoscere debemus duplicatam & exaggeratā esse nobis vnus matrimonij tam secundum generis fundamentum quàm secundum Christi firmamentum. Vno matrimonio censetur vtrobique & carnaliter in Adam, & spiritaliter in Christo duarum natiuitatum vnum est monogamiæ præscriptum. vtraq; degenerat qui de monogamia exorbitat. Numer⁹ matrimonij à maledicto viro cœpit. Primus Lamech duabus maritatus, tres in vnā carnē effecit. Sed & benedicti (inquis) Patriarchæ non modo pluribus vxoribus, verū etiam concubinis coniugia miscuerunt. Ergo propterea nobis quoque licebit in numerum nubere. Sanè licebit si qui adhuc typi alicuius futuri sacramenti supersunt, quos nuptiæ tuæ figurent. Quod si etiam nunc locus est vocis illius, Crescite & multiplicamini, id est si nondum alia vox superuenit, Tempus iam in collecto esse, restare vt & qui vxores habent, tanquam non habentes agant. Vtique enim continentia indicens, & compescens concubitū seminarium generis, abolefcit Crescite illud & multiplicamini. Vt opinor autē vnus & eiusdem dei vtraque prænnuntiatio & dispositio est, qui tunc quidem in primordio sementem generis emisit indultis coniugiorum habenis, donec mundus repleretur, donec nouæ disciplina materia proficeret. Nunc vero in extremitatibus temporum compressit quod emiserat, & reuocauit quod indulserat, non sine ratione propagationis in primordio, & repastinationis in vltimo. Semper initia laxantur, fines contrahuntur. Propterea syluam quis instituit, & crescere sinit, vt tempore suo cadat syluam. Vera sunt & sublimi eruditione plena quæ dicit Tertullianus, & illis consentanea, qui dicunt licuisse sanctis Patriarchis habere simul plures vxores ex dispensatione diuina, in quarum coniunctione latebant sacramenta & typi futuri sacramenti, hoc autem non contigit Lamech.] Posteriorem assertionis partem deducā ex Hieronymo & Augustino, & quod Lamech occiderit Cain, quamuis non asserat Geneleos historia. refert Hieronymus in quæstione prima ad Damasum papam, vbi dicit: Maiorum nostrorum ista sententia est, quod putent in septima generatione à Lamech interfectū Cain. Adam quippe genuit Cain, Cain genuit Enoch, Enoch genuit Irad, Irad genuit Mahinael, Mahinael genuit Mathusalem, Mathusale genuit Lamech, qui septimus ab Adā non sponte (vt in quodā Hebræo volumine scribitur) interfecit Cain, vt ipse postea constetur, quia virum occidi in vulnere meo, & iuuenem in liuore meo, quoniam septies vindicabitur de Cain, de Lamech autem septuagies septies. hoc quidem de Cain, quod in septima generatione à Lamech interfectus sit, & iuxta aliam additionem, pœnam sui scelestis dederit, quod tot generationibus gemens & tremens viueret super terrā. Et cum exponit Hieronymus in eadem quæstione quod scriptum est in Genesi, Septuplum vltio dabitur de Cain, dicit, Nō quod ipse qui occiderit Cain septē vltionibus subiiciendus sit, sed quod septem vindictas quæ in Cain tanto tempore concurrerunt, soluat interfecto occidēs eum, qui vitæ fuerat derelictus ad pœnam. Scribit etiam Augustinus in quæstionibus ex veteri testamento, quæst. 5. sequendo hanc versionem, Omnis qui occiderit Cain, septem vindictas exoluet: Hæc sententia ostendit

Cantic. 6.

2. Ioan. 1.

Tertullian⁹

Eph. 5.

1. Corin. 7.

Hieronym⁹

Gene. 4.

Augustinus

iure dānandum Cain. Quando enim vidit legem datam sub tali comminatione ne quis imitaretur factum eius, plus cōepit timere, sciens quid mali admiserat. Septem ergo vindictas promittit si quis ad hoc facinus aspirasset, vt videns ex hoc opere Cain reū factum, & cum adhuc legis manifestatio non erat, sciret se septēplici pōna multari, si hoc non vitaret, vt legis notitia sex plagas adderet supra quā meruerat Cain, vt cum plaga Cain septem numerarentur vindictae. Hoc etiam numero remunerandi sunt, qui relictis omnibus dominum sequuntur, & in futuro vitam aeternam habebunt. Hoc est signū quod posuit dominus in Cain, ne occideret eum omnis qui inuenisset eum. In parricida enim posita est lex, vt si quis homicidium fecisset, quia omne parricidium homicidium est, septies reus esset quā fuerat Cain, vt hac seueritate perterriti ceteri, ab hoc se facinore inhiherent. In sequēti tamen capite ambigue de hac re loquitur, an locus ille, Occidi virum in liuore meo: sic intelligendus sit, Ego quidem Lamech occidi Cain in liuore meo, an aliū à Cain, perplexa sanē videtur sententia. Et de hoc scrupo sic differit, Vtrū Lamech occiderit Cain, sicut putatur. Frustra hoc putant qui arbitrantur quōd Lamech hoc dixerit de Cain, Occidi virū in liuore meo, & iuuenem in vulnere meo. Iam enim in quinta generatione natus erat Lamech à Cain, id est de Mathusalem abnepote Cain. Hoc autem idcirco commemorat Lamech, vt ostenderet acrius astringēdum eum qui sub manifesta lege peccauerit. Ac per hoc si post Cain in imitatore eius septies vindicatum est, quanto amplius in eum vindicandum est, quem nec factum Cain & correptio, nec post in eum lata sententia terret, vt à tam impio & crudelissimo facinore voluntatem auerteret. Post Cain ergo Lamech hoc homicidium perpetravit, qui sine dubio iuxta ea quae supradicta sunt, septē vindictas exoluit. Hae ille. Ex cuius scripturis facile possum ratiocinari, Lamech occidisse Cain. Nam fatetur Lamech septem vindictas exoluisse: sed sectando historiam Geneseos non exoluisset septem vindictas, nisi occidisset Cain, ergo non absurdum erit concludere Lamech occidisse Cain: licet cōtextus non indicet aperte. Deinde dicit idem Augustinus, & quid post Lamech ei qui hoc secutus fuisset, esset futurum ostendit, dicens: De Lamech autem septuagies septies: vt quia malum opus poenitentia non subsequitur, septuagies septem plagarum ictibus feriat. Vnde & saluator etiam septuagies septies peccanti, conuerso tamen remitti praecipit. Sed ne puter alius ante Lamech homicidium post Cain fecisse, quia dixit de Cain vindicatum est, quasi iam factum Lamech dicat de se: quomodo autem diceret, quia vindicatum in eum erat, cum adhuc recens esset homicidium, quod cōfessus fuerat se fecisse, cum constet omne factum sententiam secum habere? Quando enim alia spes non est praeterquam quod expleto opere dignum scitur, futurum pro facto habetur. Denique dictum Adā & Euae est, Qua die manducaueritis, morte moriemini. & utiq; non statim mortui sunt, sed post longum temporis interuallum. sed quia iam spem immortalitatis amiserant, futura mors praesens dicta est, quia haec cōepit in spe haberi. Igitur cum Lamech iuuenem se occidisse fatetur, & Cain sicut claruit, vsque ad hoc tempus peruenire non potuit, aut si peruenit, quod impossibile videtur, senior fuit; eum non occidit. Nec Chrysostronus exponens in Genesim quae paulo ante protulimus, quod scilicet dicebat Lamech, Virum occidi in vulnere meo, &c. fatetur Lamech occidisse ipsum Cain, licet fateatur illum duplex homicidium perpetrasse. Laudat & promptam ipsius Lamech confessionem: Considera (inquit) obsecro, quantum illi profuerit poena Cain irrogata: non solum enim non expectat, vt ab alio arguatur, quod in idem & grauius peccatum lapsus sit, sed nullo vel accusante vel increpante ipse semetipsum manifestum facit, & confitetur quae facta sint, mulieribusque narrat delicti magnitudinem, quasi illud quod à Propheta dictum est implens: Iustus sui ipsius accusator est in principio sermonis. Plurimum enim ad emendanda peccata valet confessio. Testantur Hebraei, vt refert Rabbi Salomon, Lamech diu viuendo caliginem oculorum incurrisse, & adolescentem du-

Matth. 18.

Gen. 31.

Chrysostr.

Prouer. 18.

Glos. ordin.

cem & rectorem itineris habuisse. Exercēs ergo venationem, sagittam direxit quo adolescens indicauit, castique Cain inter fruteta latētem interfecit. Et hoc est quod dicit, Occidi virū, in vulnus meum, id est vulnere quod infixi, non bestiam sed hominem occidi, vnde & furore accensus, occidi adolescentē. Sentit & Lyranus cum Hebraeis ad locum illum, Occidi virum, dicens: Lamech enim quia bigamiam introduxerat in vxoribus fuit punitus, quia per quae quis peccat, per haec & torquetur, & ideo iam senex factus à suis vxoribus male tractabatur, & volens eas reprimere malis quae sibi faciebant, dixit eis: Quoniam occidi virum in vulnus meum. Ad cuius intelligentiam sciendum est quod Lamech iam caecutiens cum puero ductore exiuerat in campum ad venandum, non pro carnibus, quia illis non vesceretur homines, sed pro pellibus quibus induebatur: & Cain inter fruteta latebat, quia semper in timore erat: quem videns ille iuuenis qui erat acutioris visus quā Lamech, suspicatus est esse bestiam aliquam, & ideo dixit ipsi Lamech, quod illuc dirigeret iaculum vel sagittam, quo facto cum percepisset se occidisse Cain (cuius interfectionem dominus sub graui poena prohibuerat) tantum verberauit puerum, & interfecit eum, & hoc est quod dicitur: Occidi virum, id est Cain: in vulnus meum, id est per vulnus à me illatum. Et adolescentem me scilicet dirigentem. Et haec communis est (inquit Lyranus) opinio. Aliter tamen explicatur sententia illa, Occidi virum in vulnus meum, per abnegationem. Ac si diceret Lamech, Occidi virū & adolescentulum in liuorem: id est ex inuidia, sicut fecit Cain qui interfecit Abel, quasi dicat non. Nec mulieres Lamech retrahebantur à copula carnali propter timorem diluuij, sed refugiebant concubitum Lamech propter horrorem facti sui: sciebant enim eum interfecisse Cain, cuius occisionem dominus prohibuerat sub graui poena. Interfecisse etiam proprium filium Thubalcain quem dicit aliqui Hebraei fuisse directorem ipsius Lamech in occisione Cain. & ideo propter ista, timebant probabiliter ne proles ab eo genita postea esset à deo grauius punienda. Idcirco volens Lamech suarum vxorum indignationem & iram sedare, dicebat: Quoniam occidi virum in vulnus meum. ac si diceret: Licet occiderim Cain, hoc tamen fuit praeter intentionem, credens interficere bestiam.

CAPVT II.



Loth non peccauit, cum Sodomitis suas filias prostituit.] Hanc probabo Assertionem, modo prius protulero initia huiusce historiae. Scriptum est in Genesi: Venerunt duo angeli Sodomam vespere, sedente Loth in foribus ciuitatis. Qui cum vidisset eos, surrexit, & iuit obuiam eis, adorauitque pronus in terram, & dixit: Obsecro domini, declinate in domum pueri vestri, & manete ibi: lauate pedes vestros, & mane proficiscemini in viam vestram. Qui dixerunt, Minime, sed in platea manebimus. Compulit illos oppido vt diuerterent ad eum. Ingressisque domum, fecit conuiuium, coxit azyma, & comederunt. Prius autem quā irent cubitum, viri ciuitatis vallauerunt domum illius à puero vsque ad senem omnis populus simul. Vocaueruntque Loth, & dixerunt ei: Vbi sunt viri qui introierunt ad te nocte? Educ illos huc, vt cognoscamus eos. Egressus ad eos Loth, post tergum accludens ostium, ait: Nolite quaeso fratres mei, nolite malum hoc facere. Habeo duas filias quae nondum cognouerunt virum. educam eas ad vos, & abutimini eis, sicut vobis placuerit, dummodo viris istis nihil mali faciatis, quia ingressi sunt sub vmbra culminis mei. Exponens Chrysostronus homilia 43. in Genesim locum hunc in quo vis est & pondus nostrae assertionis, Nolite quaeso fratres mei, nolite malum hoc facere. Habeo duas filias, quae nondum cognouerunt virum, &c. dicit: O iusti longanimitatem, o excellentem modestiam, haec vera virtus est, ita mansuete alloqui illos. Nullus enim agrum volens curare & insanientem castigare, cum furore & austeritate hoc facit. Et animaduerte quod eos qui tam absurda patrare volebant, fratres vocat, & eorum conscientias tangere & à nephario flagitio volens abducere: Minime (inquit) fratres, nolite ini-

Lyranus.

Gene. 19.

Chrysostr.

OO.j.

que agere, nihil tale cogitatis, ne ponatis tam graue scelus in mentem vestram, ne naturam ipsam traducatis, ne illicitos cogitatis coitus, sed si volueritis infaniam vestrae furorem demulceri, ego quid præbebo quo flagitium vestrum leuius fiat. Sunt mihi duæ filia quæ viros non cognouerunt. Adhuc (inquit) inexpertæ sunt nuptialis congressus, intactæ sunt, luculentæ sunt, & adhuc in flore ætatis, eas omnibus expostas do, & vtimini eis sicut vobis placet, vt accipiat eas (inquit) & expleatis vestram in eis libidinem, & impleantur vestrae malæ concupiscentiæ. Tantum in viros illos ne feceritis iniustitiam, cuius gratia intrauerunt sub tecta tignorū meorum. Quoniam (inquit) coegi eos, & induxi sub tectum meum, vt ne mihi adscribatur iniquitas, quæ eis contigerit, & ego eis author sim contumeliæ, idcirco pro eis duas meas filias do, vt illi à manibus vestris liberentur. Quanta iusti virtus, omnem virtutem hospitalitatis superauit. Quid enim quis iusti huius benignitate fat dignum attulerit, qui neque filiabus parcere voluit, vt seruaret hospitibus honorē, & liberaret eos à perueritate Sodomitarum? Et ille quidem filias suas prostituit, vt hospites viatores (iterum eadem dico) omnino ignotos eriperet ab impiorum contumeliā, nos autem videntes sæpe fratres nostros in ipsum impietatis profundum, & quasi dicerem in fauces diaboli cadere, neque sermone eos dignamur neque consulere, neque verbis admonere & eripere à malitia & ad virtutem manu ducere. Qualem igitur habebimus defensionem, cum iustus neque filiabus parcat, vt hospitum seruet curam, nos autem ita immisericorditer erga fratres nostros afficimur, & sæpe tam frigida & absurditatis plena verba proferimus? Quid enim (inquit) mihi cum eo commune? mihi non est curæ, nihil mihi negotij cum eo. Quid dicis homo? Nihil tibi commune cum eo? Frater tuus est, eiusdem tecum naturæ, sub eodem estis domino, sæpe etiam eiusdem participes mensæ, spiritualis illius inquam & terribilis, & dicis, Nihil commune habeo cum eo, & immisericorditer præteris, & non porrigis iacenti manum. Et Iudæis quidem lex imperabat ne inimicorum lapsa iumenta negligenter, tu autem fratrem tuum à diabolo sæpe faucium & iacentem non super terram, sed super peccati barathrum vidēs, tua exhortatione non reuellis, non admonitionem tuam adhibes, non alios in auxilium vocas vt à fauce bestiae membrum tuum eruere valeas, & ad suam reducere nobilitatem, vt & ipse si quando cecideris (quod absit) in laqueos mali dæmonis illius, possis habere aliquos qui te iuuent, & liberent à manibus diaboli. Applaudit & nostræ assertioni Augustinus libro vno de Mendacio ad Consensum, capite septimo, egregie differens de hac re à minori ad maius affirmatiue: Si autem Loth (inquit) cum ita iustus esset vt angelos etiam hospites suscipere mereretur, stuprandas filias Sodomitis obtulit, vt foeminarum potius ab eis corpora quàm virorum corrumpere rentur, quanto diligentius atque constātius animi castitas in veritate seruanda est, cum verius ipse corpori suo, quàm corpus virile foemineo corpori præferatur. Et libro vno contra Mendacium ad Consensum, capite nono, dicit: Quis enim dubitet esse grande peccatum, si pater filias suas prostituat fornicationibus impiorum? Et tamen extitit causa qua hoc vir iustus debere se facere existimaret, quando Sodomitæ nephario libidinis impetu hospitibus eius irruerant. Ait enim, Sunt mihi duæ filia quæ non cognouerunt virum, producam illas ad vos, & abutimini eis quomodo placuerit vobis, tantum in viros istos ne faciatis iniquum, propterea quia intrauerunt sub tectum tignorū meorum. Sed in subsequētibz acerrime disputat ad probandum Loth in tali facto deliquisse. Quid hic dicemus (inquit) nōne ita scelus quod Sodomitæ hospitibus illius viri iusti facere conabantur, horremus vt quicquid fieret ne hoc fieret, arbitremur fuisse faciendum? Maxime etiam maxime persona facientis quæ merito iustitiæ liberabatur à Sodomis, vt quoniam minus malum est foeminas, quàm viros perpeti stuprum, etiam hoc ad iustitiam iusti illius pertinuisse dicatur, quod in filiabus hoc maluit fieri quàm in hospitibus suis: non tantum id volens animo, verum & offerens verbo, & si illi assensu fuissent,

Augustinus

impleturus & facto. Sed si hanc peccatis aperimus viam vt committamus minora ne alij maiora committant, lato limite, imò nullo limite, sed conuulsis & remotis omnibus terminis, infinito spatio, cuncta intrabunt atque regnabunt. Quando enim fuerit definitum, peccandum esse homini minus, ne alius peccet amplius: profecto & furtis nostris supra cauebuntur aliena, & incesta stupris, & si qua impietas visa fuerit etiam peior incestis, incesta quoque facienda dicentur à nobis, si eo modo agi potuerint, vt illa impietas non committatur ab alijs, & in singulis quibusque generibus peccatorum, & furta pro furtis, & supra pro stupris, & incesta pro incestis, & sacrilegia pro sacrilegijs facienda putabuntur. Nostra pro alienis, non solum minora pro maioribus, verum etiam si & ad ipsa summa & pessima veniatur, pauciora pro pluribus, si se ita rerum verset incurfus, vt aliter alij non se abstineant à peccatis, nisi minus aliquanto, sed tamen peccantibus nobis, ita vt omnino vbi dixerit inimicus qui habuerit huiusmodi potestatem, nisi tu sceleratus fueris, ego scelerator ero: aut nisi tu hoc scelus feceris, ego talia plura faciam, scelus nobis videamur admittere, si velimus ab scelere temperare. Hoc sapere quid est aliud nisi desipere vel potius insanire? A mea quippe iniquitate, non ab aliena, siue in me, siue in alijs perpetrata, mihi est cauenda damnatio. Anima enim quæ peccauerit, ipsa morietur. Si ergo peccare, ne grauius vel in nos, vel in quoslibet alij peccent, proculdubio non debemus, considerandum est in eo quod fecit Loth, vtrum exemplū sit quod imitari, an potius quod vitare debeamus. Magis enim videtur intuentium & notandum, cum tam horrendum malum ex impietate flagitiosissima Sodomitarum suis impenderet hospitibus, quod cuperet depellere nec valeret: sic etiam iusti animum potuisse turbari, vt vellet facere quod non humani timoris nebulosa tempestas, sed diuini iuris tranquilla serenitas si consulatur, à nobis faciendum non esse clamabit: & iubebit potius, vt sic nostra peccata caueamus, ne vllorum profus alienorum peccatorum timore peccemus. Aliena quippe ille vir iustus timendo peccata quæ nisi consentientes inquinare non possunt, perturbatus non attendit iuum, quo voluit subdere filias libidinibus impiorum. Hæc quando in scripturis sanctis legimus, non ideo quia facta credimus, etiam facienda credamus, ne violemus præcepta, dum passim sectamur exempla. Deinde dicit alloquendo Loth, Noli facere magnum scelus tuum, dum magis horrescis alienum. Quantumlibet enim distet inter tuum & alienum, hoc erit tuum, illud alienum. Hæc vt tantillum mei ingenij iudicium explicem probarent Loth in tali facto peccasse, si consensisset illi sceleri, & consulisset minus malum fieri ad vitandum maius: notum est ipsum fuisse vehementer compulsus, vt atrocissimum & nephandissimum scelus à Sodomitis intentatum prostituendo illis suas filias impediret fieri. Nec eo incitiae fumo cæcutiebat, vt non agnosceret se dei maiestatem offensurum, si temere & dedita opera suas filias prostituisset. Et cum dixit, Abutimini, non præcipiebat neque volebat absolute vt salacissimi illi viri foedarent & corrumpere eius filias, sed solum illud forma permissionis protulit, ac si diceret, Permitto, & quidem inuitus, vt abutimini meis filiabus, ne in horrendū scelus & quod natura abhorret, incidatis. Præbuit (vt fertur) materiā qua potuerunt bene & male vti. Adfert tamen Augustinus probabilem rationem quæ eadem factum Loth excusat, dicens: Nisi forte pro defensione huius viri in eas se quispiam coarctet angustias, vt dicat quoniam accipere quàm facere præstat iniuriam: hospites autem illi non erant vtique facturi iniuriam, sed passuri: maluit vir iustus filias suas iniuriam pati, quàm hospites suos eo iure quo filiarum dominus erat, & nouerat non eas peccare si id fieret, quia peccantes potius quibus non consentirent, sine peccato proprio sustinerent. Denique non se ipsa stuprandas, quamuis pro masculis foeminas pro illis hospitibus obtulerunt, ne reas eas faceret, non perpeffio libidinis alienæ, sed suæ cōsensio voluntatis. Nec pater earum hoc in se fieri permittebat, cum hoc facere conaretur quibus hospites non prodebat, quamuis minus mali esset, quod in vno, quàm si fieret in duo.

Ezech. 18.

bus: sed quantum poterat resistebat, ne ipsum quoque vllus proprius macularet as-
 fensus, quem libidinosus furor, etiam si praeualuisset corporis viribus, tamen non
 consentientem non maculasset alienus. In filiabus autem non peccantibus, nec ip-
 se peccabat, quia non eas peccare si opprimerentur inuita, sed peccantes ferre fa-
 ciebat, tanquam si ab improbis vt sui serui caderentur offerret, ne hospites eius
 paterentur cadis iniuriam. De qua re non disputabo, quia longum est, vttrum vel
 dominus iure suae potestatis recte sic vtatur in seruo, vt seruum suum cadi faciat
 innocentem, ne amicus eius etiam ipse innocens in domo eius a violentis impro-
 bis vapulet. In quaestionibus super Genesim, quaestione quadragesima secunda, nec
 improbat factum Loth, nec etiam approbat: vnum tamen monet, compensationem
 flagitiorum, vt nos non nihil mali perpetremus, ne alius grauius malum faciat, peri-
 culosissime admitti. Nec imitandum est factum Loth, si id perturbatione fecerit,
 & tanto malo permotus. Adde quod Ambrosius libro primo de Abraham patriarcha,
 capite sexto, loquens de propensissimo sancti Loth animo erga hospites in sua
 domo benigne susceptos, dicit: Offerebat sanctus Loth filiarum pudorem. Nam &
 si illa quoque flagitiosa impuritas erat, tamen minus erat, secundum naturam coi-
 re, quam aduersum naturam delinquere. Praeferebat domus suae verecundiae hos-
 pitaliam gratiam etiam apud barbaras gentes inuolabilem. Denique illic quoque
 inoffensa hospitalitas est, vbi nec germanitas satis tuta est. Percusserunt autem il-
 los angelicae cecitate, vt ostium domus quod aperire cupiebant, non reperirent. Hic
 quidem mirabilis angelorum declaratur potestas, vt offusa impuris cecitate, non re-
 perirentur domus ostia. Sed etiam illud ostenditur, quia caeca est omnis libido & an-
 te se non videt. Simul quod hospitum manibus reuocatus est sanctus Loth in do-
 mum, demonstratur immemor periculi, memor fidei, non eripuisse se periculo sed
 obtulisse. Munitur pietatis locus, quod manifestata sibi per angelos totius regionis
 euerfione, & generos habere Loth sanctus inducitur, & monere eos vt fugerent, si-
 mul ne deferendo eos, nec admonendo, minus pius videretur circa filiarum mari-
 tos, vel erroris earum causa ipsi assignaretur, quae destituta virili consortio, concu-
 bitum inebriati expetissent patris. Non ergo indefensum sinit scriptura virum san-
 ctum relinqui, cum in ea & tradidisset maritis filias, & monuisset generos inducitur. Ly-
 ranus postquam in vtramque partem de facto ipsius Loth disputauit, tandem asserit
 ipsum peccasse offerendo suas filias petulantissimis Sodomitis. Et putat Augusti-
 num sibi fauere, qui tamen (vt visum est) potius nobis fauet. Et hac ratione mouetur,
 non potuisse offerre suas filias, quin consentiret rei quae ex genere erat peccatum
 non solum veniale, sed mortale. Sed iam ostendimus Loth non consentisse impu-
 dicitiae, & vt suae filiae deflorarentur. Acerrime defendit Caietanus vir sane doctis-
 simus, in 2. 2. Diui Thomae, quaestione decimo octaua, articulo quarto, Loth non de-
 liquisse offerendo suas filias abusu impiorum, Licet (inquit) Loth obtulerit mate-
 riam minoris mali, non tamen induxit Sodomitas ad minus malum vt vitaretur
 maius. Nec est idem offerre materiam minoris mali, & inducere ad minus malum,
 vt maius vitetur. Non enim sunt facienda minora mala, vt maiora vitentur. Et
 quamuis sciret Sodomitas sumptuosam occasionem abutendi illis virginibus, & pec-
 carent faciendo rem iniustam, quam filiae paterentur, tamen non inducebat illos
 in stuprum, neque ipsi Loth licuisset consulere filiabus suis, vt consentirent in stu-
 prum, sed quod magno animo & inuicta patientia sustinerent ad victoriam stuprum
 sibi a Sodomitis vi illatum. Nec dixit abutimini filiabus meis, nisi permissiue: vo-
 lebat enim vt iniquitate illorum ad bonum, scilicet ad tantae offensae vitiationem.
 Quod si factum Loth improbaretur, non dixisset beatus Petrus deum eripuisse Loth
 iustum a nephandorum iniuria, ac luxuriosa conuersatione.

Ambrosius.

Lyranus.

Caietanus.

1. Petr. 2.

CAPVT III.

Loth peccauit cum filiabus suis, qui magis arguendus est ebrietatis quam
 incestus. Proferemus primum historiam ostendentem Loth vinolen-
 tia captum, concubuisse cum suis filiabus, deinde innitemur probationi hu-
 iusce assertionis. Post subuersionem Sodomae & Gomorrae, ascendit Loth
 de Segor, & mansit in monte, duae quoque filiae eius cum eo, timuerat enim ma-
 nere in Segor. Et mansit in spelunca ipse & duae filiae eius cum eo. Dixitque maior
 ad minorem: Pater noster senex est, & nullus virorum remansit in terra, qui pos-
 sit ingredi ad nos iuxta morem vniuersae terrae. Veni, inebriemus eum vino, dor-
 miamusque cum eo, vt seruare possimus ex patre nostro semen. Dederunt itaque
 patri suo bibere vinum nocte illa. Et ingressa est maior, dormiuitque cum patre. At
 ille non sensit, nec quando accubuit filia, nec quando surrexit. Altera quoque die
 dixit maior ad minorem: Ecce dormiui heri cum patre meo, demus ei bibere vi-
 num etiam hac nocte, & dormies cum eo, vt saluemus semen de patre nostro. De-
 deruntque etiam & illa nocte patri suo bibere vinum. Ingressaque minor filia, dor-
 miuit cum eo, & nec quidem tunc sensit quando concubuerit, vel quando illa sur-
 rexit. Conceperunt ergo duae filiae Loth de patre suo, peperitque maior filium, &
 vocauit nomen eius Moab. Ipse est pater Moabitarum, vsque in praesentem diem.
 Minor quoque peperit filium, & vocauit nomen eius Ammon, id est filius populi
 mei. Ipse est pater Ammonitarum vsque hodie. Haec tenus historia. Nunc ex Orige-
 ne assertionem susculciemus, dicente homilia quinta in Genesim: Refertur illa famo-
 sissima fabula, in qua scribitur filias Loth arte furatas concubitum patris, in quo
 nescio si quis potest ita excusare Loth, vt eum immunem faciat a peccato. Neque rur-
 sum ita eum accusandum puto, vt ita grauis incesti fieri debeat reus. Non enim
 inuenio eum insidiatum esse, aut violenter eripuisse pudicitiam filiarum, sed mag-
 is insidias passum, & arte circumscriptum. Sed neque rursus circumuentus fuisset
 a puellis, nisi inebriari potuisset: vnde videtur mihi in parte culpabilis, in parte ex-
 cusabilis inueniri. Excusari nanque potest, quod a concupiscentiae & voluntatis cri-
 mine liber est, & quia neque ipse voluisse arguitur, neque volentibus consensisse.
 Subiacet vero culpa quod decipi potuit, quod vino nimis indulgit, & hoc non se-
 mel, sed iterum fecit. Nam & ipsa scriptura mihi videtur pro eo quodammodo sa-
 tisfacere, cum dicit, Nesciebat enim cum dormiret cum eis, & cum surgeret. De fi-
 liabus hoc non dicitur, quae studio & arte decipiunt patrem. Ille tamen intantum so-
 pitus est vino, vt nesciret dormisse se cum filia priore, neque cum iuniore. Audite
 ebrietas quid dicat, audite quantum facinoris conciliet temulentia. Audite & ca-
 uete vos o quibus istud malum non in crimine, sed in vsu est. Ebrietas decipit,
 quem Sodoma non decipit. Vritur ille flammis mulierum, quem sulphurea flama
 non vsit. Erat ergo Loth arte, non voluntate deceptus. Ideo medius quidam est inter
 peccatores & iustos. Quippe qui ex Abraham quidem cognatione descenderit, in Sodo-
 mis tamen habitauerit. Nam & hoc quod euadit ex Sodomis (sicut scriptura indicat)
 magis ad honorem Abraham quam ad meritum pertinet Loth. sic enim ait: Et factum
 est (inquit) cum exterminaret deus ciuitates Sodomorum, recordatus est dominus Abra-
 hae, & eiecit Loth de terra illa. docte probauit Origenes Loth grauius deliquisse per
 ebrietatem quam per incestum. Quanto enim liberius potest homo vitare vnum pecca-
 tum quam aliud: si non vitet illud, grauius peccat, & magis est obiurgandus: sed Loth
 liberius multo incidit in ebrietatem, quam in incestum; poterat enim ratio praenire te-
 mulentiam & infrenes intemperantiae affectus domare: sed cum Loth fuit omnino im-
 mersus vino & temulentia ingurgitatus, tunc ratio inauditum incestus flagitium praen-
 uenire non potuit, sed incestus ex ebrietate emerfit, quod plane indicat contextus,
 quando enim concubuerunt filiae non sensit Loth nec quando a lecto foede cotami-
 nato surrexerunt. Illud sane indicat rationem in eo fuisse vulneratam & laesam, qua ex-
 cranda illa ebrietas cotaminauerat. Deinde Origenes diligenter inquirat, & inquirent
 OO. iij.

Gene. 19.

Origenes

do subtiliter disputat. Si nam filia Loth fuerint crimine moestus inquinata. Sed & filiarum (inquit) propositum tuto diligentius considerandum, ne forte etiam ipse non tantum quantum putantur accipere criminis mereantur. Refert enim scriptura, quia dixerunt inuicem sibi: Pater (inquiunt) noster senex est, & nemo est super terram qui intret ad nos, sicut conuenit omni terrae: veni, & potemus patrem nostrum vino, & dormiamus cum eo, & suscitemus de patre nostro semen. Quantum ad ea quae de his dicit scriptura, videtur etiam pro ipsis quodammodo satisfactura. Apparet namque filias Loth didicisse quaedam de consummatione mundi quae immineret per ignem, sed tanquam puellae non integre perfectaeque didicerant, nescierunt quod Sodomiticis regionibus igne vastatis, multum adhuc spatij integrum resideret in mundo. Audierunt in fine seculi terram & omnia elementa ignis ardore decoquenda, videbant ignem, videbant sulphureas flammam, videbant cuncta vastari, matrem quoque suam videbant non esse saluatam, suspicatae sunt tale aliquid factum, quale in temporibus audierat Noe, & ob reparandam mortalium posteritatem solas se esse cum parente seruatas. Recuperandi igitur humani generis desiderium fumunt, atque instaurandi seculi ex se dandum opinantur exordium. Et quamuis grande eis crimen videretur furari concubitus patris, grauior tamen eis videbatur impietas, si humanae (vt putabant) posteritatis spem seruata castitate delerent. propter hoc ergo consilium ineunt minore (vt ego arbitror) culpa, spe tamen argumentoque maiore, patris moestitiam vel rigorem vino molliunt & soluant. Singulis ingressae noctibus singulae suscipiunt ab ignorante conceptum, vltra non repetunt, non requirunt. Vbi hic libidinis culpa? vbi incesti crimen arguitur? Quomodo dabitur vitio quod non iteratur in facto? Vereor proloqui quod sentio, vereor inquam, ne castior fuerit harum incestus, quam pudicitia multarum. Discutiant se & requirant foeminae in coniugij positae, si ob hoc solum adeant viros, vt suscipiant liberos, si post conceptum desistunt. Ista enim quae argui videntur incesti, vt adepta sunt conceptum, vltra non accedunt ad concubitus viri. Epilogo tandem colligit & concludit quod fufius disputando dixerat, Prosecuti sumus vt potuimus, vel de culpis Loth ac filiarum eius, vel rursus de excusationibus eorum. ita quod partim accusat incestus Loth & filias eius, & partim excusat. Ita quod considerando concubitus illum patris cum filiabus, erat incestus, sed non nihil merebatur excusationis, quod non libidinis gratia sed excitatione prolis fieret. Excusat Ambrosius libro primo de Abraham patriarcha, capite sexto, incestum filiarum Loth, dicens: Excusantur autem filiae sancti Loth, quia putauerunt non vicinae regionis, sed totius orbis fuisse illud excidium, se solas cum patre superstitas omnibus populis remansisse. Et ideo ne genus deficeret humanum, paternum petisse concubitus, vt semen generationis humanae de patre suo resuscitarent. Non ergo libidinis vitium fuit, sed generationis remedium, quod non puto criminis duci loco. Nam & Eva a viro sancto sumpta supra cuius costam, aedificata est mulier, os de ossibus eius, & caro de carne eius: tamen propter seriem successionis humanae vitio mixta est. Subducitur tamen huic admisso conscientia viri iusti. Inebriatus enim vino, quid generet nesciebat. Vnde non mirum si puellas deceptis opinio, quae putaret totius orbis populos perisse. Non eadem esset Loth sancti excusatio, qui audierat ab angelis locum illum, non totum mundum esse periturum. Sanè discimus vitadum ebrietatem, per quam crimina cauere non possumus. Nam quae sobrii cauemus, per ebrietatem ignorantes committimus. Parum est quod ea inflammat libidinem, accendit cupiditates corporis, ipsam quoque mentem subruit & animum capit, sensum extorquet. Nesciunt quid loquantur qui nimio vino indulgent, iacent sepulti. Ideoque si qua per vinum deliquerint, apud sapientes iudices venia quidem facta donantur, sed leuitatis notantur authores. Quanta ipsa deformitas, vt soluatur vires, incestus vacillet? Multi se fortes putant, num fortiores quam Loth? num contentiores quam Noe? non utique vitia patriarcharum scriptura exposuit, quos victos vino

Ambrosius.

Gen. 2.

legimus, sed vt tu disceres quid caueres. Ille nudus iacuit, iste filiarum errori patuit. Et Noe iustus deceptus est, quia vini vis adhuc ignorabatur, sed in illo instructus es, ne tu ignorares. Loth filius se credidit, & per senectutem madidam vino solutus, commisit incestum ignorans, tu sic bibe, ne capiaris. Instruant Patriarchae non solum docentes, sed etiam errantes. Ideo iteratum est exemplum ebrietatis, vt confirmetur magisterium cautionis. Ad haec, Chrysostomus homilia 44. in Genesim, non solum excusat filias Loth a culpa incestus, verum etiam & Loth: Considera (inquit) quomodo scriptura omnia manifeste narrat, & nobis scopum ac finem ostenderit filiarum iusti, & nunc quidem pro illis, nunc vero pro iusto dignam satisfactionem afferens, vt nullus ad factum respiciens, vel iustum condemnet, vel iusti filias, quasi congressus ille propter incontinentiam fuerit. Putauerunt siquidem filiae generale in totius orbis factum interitum, nullumque amplius superstitum. Deinde & patris viderunt senectutem, ne igitur aboleretur genus humanum, & periret nomen Loth, concubuerunt cum patre, quem inebriauerunt, vt quod optabat consequerentur. Deinde dicit superna dispensatione Loth fuisse aggrauatum vino, vt omnino ignoraret, ne scilicet fieret criminum reus. Et tandem concludit: Nullus igitur audeat aut iustum, aut iusti filias condemnare. Huic tamen sententiae non adhaereo. Augustinus non excusat omnino concubitus filiarum Loth cum suo patre, enarrans illum Psalmographi locum, Moab olla spei meae. Moab (inquit) intelligitur in Gentibus. Nata est enim ista gens de peccato, nata est ista gens de filiabus Loth, quae cum patre inebriato concubuerunt, male vtentes patre, melius erat vt steriles remanerent, quam sic matres fierent. Erat autem illa figura quaedam eorum qui male vtuntur lege. Adde quod Hieronymus in epistola ad Eustochium, de Custodia virginis, suffragatur nostrae assertioni, dicens: Loth amicus dei in monte saluatus, & de tot milibus populi solus iustus inuentus, inebriatur a filiabus suis, & licet illa putarent genus hominum defecisse, & hoc facerent liberorum magis desiderio quam libidinis, tamen sciebant virum iustum hoc nisi ebrium non esse facturum. Denique quid fecerit, ignorauit: & quanquam voluntas non sit in crimine, error in culpa est. Coniugio Hieronymus velle innuere Loth non tam crimine incestus deliquisse, quia nullo modo sciebat quid ageret, quam culpa ebrietatis, quam sana ratione vitare poterat. Et in quaestionibus Hebraicis enarrans locum illum Genesios, Et ascendit Loth de Segor, & sedit in mote, & duae filiae eius cum eo. Timuit enim sedere in Segor, dicit: Queritur, quare cum primum fugae montis Segor praetulerit, & eam in habitaculum suum voluerit liberari, nunc de Segor rursus ad montem migret? Respondebimus veram esse illam Hebraeorum coniecturam de Segor, quod frequenter terramotu subrupta, Bale primum, & postea Salissa appellata sit, timueritque Loth, dicens: Si cum caeterae adhuc vrbes starent, ipsa saepe subuersa est, quanto magis nunc in communi ruina non poterit liberari? Et hanc occasionem infidelitatis, etiam in filias coitus dedisse principium. Qui enim caeteras viderat subruui ciuitates, & hanc stare, seque dei auxilio erutum, utique de eo quod sibi concessum audierat, ambigere non debuit. Illud igitur quod pro excusatione dicitur filiarum, eo quod putauerint defecisse humanum genus, & ideo cum patre concubuerint, non excusat patrem. Gratianus 15. quaestione 1. capite Inebriauerunt, dicit ex sententia Augustini, Inebriauerunt Loth filiae eius, & se nescienti miscuerunt. Quapropter culpandus est quidem, non tamen quantum ille incestus, sed quantum ebrietas illa meretur.

Chrysostomus.

Augustinus
Psal. 59.

Gratianus.

Gene. 2.

Augustinus

CAPVT IIII.



Vx non fuit prima creatura.] Hanc suadeo Assertionem, antequam deus dixisset in primo die creationis rerum, Fiat lux, iam creata erat creatura spiritalis. In principio siquidem creauit deus caelum & terram, angelum caelo exprimimus. Et huic astipulatur sententiae Augustinus libro primo in Genesim, capite 2. vbi ita scribit: Et quomodo dixit deus, Fiat

OO. iij.

lux, vtrum temporaliter, an in verbi aeternitate? Et si temporaliter, vtiq; mutabiliter. quomodo ergo possit intelligi hoc dicere deus, nisi per creaturam? ipse quippe est incōmutabilis. Et si per creaturam dixit deus, Fiat lux, quomodo est prima creatura lux? si erat iam creatura, per quā deus diceret, Fiat lux? An non est prima creatura lux, quia iam dictum erat: In principio fecit deus cælum & terram, & poterat per cælestem creaturam vox fieri temporaliter atq; mutabiliter, qua diceretur, Fiat lux? Quod si ita est, corporalis lux facta est ista, quam corporeis oculis cernimus, dicente deo per creaturam spiritalem, quam deus iam fecerat, cum in principio fecit cælum & terram, Fiat lux, eo modo quo per talis creaturæ interiorē & occultum motum diuinitus dici potuit, Fiat lux. An etiam corporaliter sonuit vox dicentis dei, Fiat lux, sicut corporaliter sonuit vox dicentis dei, Tu es filius meus dilectus, & hoc per creaturam corporalem quam fecerat deus, cum in principio fecit cælum & terram, antequam fieret lux quæ in hac sonante voce facta est? Et si ita est, qua lingua sonuit ista vox, dicente deo, Fiat lux? quia nondum erat linguarum diuersitas, quæ postea facta est in ædificatione turris post diluuium. Quanam lingua erat vna & sola qua deus locutus est, Fiat lux? & quis erat quem oportebat audire atque intelligere ad quem vox huiusmodi proferretur? An hæc absurda carnalique cogitatio, atque suspicio est? Quid ergo dicimus? An id quod in sono vocis intelligitur cum dicitur, Fiat lux, non autem ipse corporeus sonus, hic bene accipitur esse vox dei? Et vtrum hoc ipsum ad naturam pertineat verbi eius de quo dicitur, In principio erat verbum, & verbum erat apud deum, & deus erat verbū? Cum enim de illo dicitur, Omnia per ipsum facta sunt, satis ostenditur & lux per ipsum facta, cum dixit deus: Fiat lux. Quod si ita est, æternum est quod dixit deus, Fiat lux, quia verbum dei, deus apud deum, filius vnicus dei, patri coæternus est, quamuis deo hoc in æterno verbo dicente, creatura temporalis facta sit. Cum enim verba sunt temporis, cum dicimus, quando & aliquando, æternum tamen est in verbo dei, quando fieri debeat aliquid, & tunc fit quando fieri debuisset in illo verbo est, in quo non est quando & aliquando, quoniam illud totum verbum æternum est. Et capite tertio disquirat quæ sit illa lux quæ facta est. Et quid est (inquit) lux ipsa quæ facta est? vtrum spiritale quid an corporale? si enim spiritale, potest ipsa esse prima creatura iam hoc dicto perfecta, quæ primo cælum appellata est, cum dictū est, In principio fecit deus cælum & terram, vt quod dixit deus, Fiat lux, & facta est lux, eam reuocante ad se creatore, conuersio eius facta atque illuminata intelligatur. Et cur ita dictum est, In principio fecit deus cælum & terram, & non dictum est, In principio dixit deus, Fiat cælum & terra, & facta sunt cælum & terra, sicut de luce narratur, Dixit deus, Fiat lux, & facta est lux? Vtrum prius vniuersaliter nomine cæli & terræ comprehendendum erat, & cōmendandum quod fecit deus, & deinde per partes exequendum, quomodo fecit: cum per singula dicitur, Dixit deus, id est, quia per verbū suum fecit quicquid fecit? An cum primum fiebat informitas materiæ siue spiritalis siue corporalis, non erat dicendum, Dixit deus fiat, quia erat forma verbi semper patri cohærentis, quo sempiternè dicit deus omnia. Egregie vt prospicis & subtiliter disseruit Augustinus de illa quæstione, An lux fuerit prima creatura, an non, & subtilius suo more disputauit, q̄ disputando rem fecerit apertissimā. Vocat aliquando lucem creaturam spiritalem, aliquando verbum æternū, & nonnunquam creaturam corporalem: & magis adhæret huic significationi quàm alijs, & potius arbitrabatur deum primo die creasse lucem corporalem quàm spiritalem. Rursum inquit libro II. de Ciuitate dei, cap. 7. Quanam sit illa lux quam à tenebris diuisam deus vocauit diem. Sed qualis (inquit) illa sit lux, & quo alternante motu, qualēmq; vesperā & mane fecerit, remorum est à sensibus nostris, nec ita vt est, intelligi à nobis potest, quod tamē sine vlla hæsitacione credendū est. Aut enim aliqua lux corporea est, siue in superioribus mūdi partibus longe à cōspectibus nostris, siue vnde sol postmodum accensus est. Aut lucis nomine significata est sancta ciuitas in san-

Math. 3.

Ioan. 1.

Gen. 1.

ctis angelis & spiritibus beatis, de qua dicit Apostolus, Quæ sursum est Hierusalē mater nostra æterna in cælis. Ait quippe & alio loco, Omnes enim vos filij lucis estis, & filij diei, non sumus noctis neque tenebrarum. Fit tamen & vespera diei huius, & mane aliquatenus, quoniam sciētia creaturæ, in comparacione sciētiæ creatoris quodammodo vesperascit. Itēque lucefcit, & mane fit, cum & ipsa referatur ad laudem dilectionēque creatoris. Nec in noctem vergitur, vbi non creator creaturæ dilectione relinquitur. Adde quod Ambrosius libro primo Hexaemero, capite 9. exponit locum illum, Fiat lux, de luce corporea. Vnde (inquit) vox dei in scriptura diuina debuit inchoare nisi à lumine? Vnde mundi ornatus, nisi à luce exordium sumere? Frustra enim esset, si non videretur. Erat quidem deus ipse in lumine, quia lucem habitat inaccessibilem. Et erat lumen verum quod illuminat omnē hominem venientem in hunc mundum. Sed etiam lucem fieri voluit quæ oculis corporalibus comprehendere. Qui ædificium aliquod dignum habitaculo patrifamilias struere desiderat, antequam fundamenta ponat, vnde lucem ei infundat explorat, & ea prima est gratia, quæ si desit, tota domus deformi horret incultu, lux est quæ reliquos domus cōmendat ornatus. Fiat (inquit) lux, plena vox luminis nō dispositionis apparatus significat, sed operationis resplendet effectu. Naturæ optifex lucem loquutus est, & creauit. Sermo dei volūtas est, opus dei natura est, lucem creauit, tenebras illuminauit. Et dixit deus, fiat lux, & facta est lux, nō ideo dixit, vt sequeretur operatio, sed dicto absoluit negotium. Vnde pulchre Dauidicum illud, Dixit, & facta sunt, quia dictum impleuit effectu. Author ergo lucis deus, locus autem & causa tenebrarum mundus est. Sed bonus author ita lucem dilexit, vt mundum ipsum infuso aperiret lumine, atque eius speciem venustaret. Resplenduit igitur subito aer, & expauerunt tenebræ non luminis claritatem repressit eas, & quasi in abyssos demersit repente per vniuersa mundi fulgor lucis infusus. Pulchre itaq; & proprie dixit, facta est lux. Sicut enim cito lux cælum, terras, maria, illuminat, & momento temporis sine vlla comprehensione reiectis surgentis diei splendore regionibus, nostro se circumfundit aspectui, ita ortus eius cito debuit explicari. Quid miramur, si deus locutus est lucem, & caliganti mundo lumen emicuit, quando si quis inter aquas merfus, oleum ore emiserit, clariora faciat ea quæ profundi tegebantur occultis? Dixit deus, non vt per vocis organa quidam sonus sermonis exiret, nec vt linguæ motus cæleste formaret alloquium, atque aerem istum quidam verborum strepitus verberaret, sed vt voluntatis suæ cognitionem proderet operationis effectu. Vocat Lyranus, in Genesim hanc lucem, lucē solis, quæ est qualitas accidentalis, à qua luce alia cæli luminaria illustrantur. Sed aduertendum est hanc solis lucem primo die factam fuisse informem, quātum ad aliqua vsque ad quartum diem, vt dicit Dionysius capite quarto, de Diuinis nominibus, Quarto autem die fecit deus duo luminaria magna, quantum ad suas formas substantiales specificas.

CAPVT V.

EX Natura, dei digito humanis inscripta cordibus, lege scripta instauratur & augetur. Primam huiusce Assertionis partē suadebimus ex Paulo dicente ad Romanos, Cum enim gentes quæ legem nō habent, naturaliter quæ legis sunt faciūt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostēdunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimoniū reddente illis consciētia ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die cum iudicabit deus occulta hominum secundum Euangelium meū per Iesum Christum. Plane docet Paulus deum nostris cordibus insculpsisse & inscripsisse quandam legem, etiam absque vlla Mofaycæ, aut Euangelicæ legis cognitione, qua supremum bonum amaremus, à quo quicquid in nobis boni est, pendet, & vitia deuitaremus, & hoc natiuæ legis lumē, est super nos signatum, quo agnoscimus non esse furtum committendum, nec adulterium, nec alia scelera à nobis perpetranda. Origenes hunc Pauli locum edifferens, dicit: Certum est quod gētes quæ

Gala. 4.
1. Thessa. 5.

Ambrosius.

1. Timot. 6.
Ioan. 1.

Psal. 32.

Lyranus.

Dionysius

Roma. 2.

Psal. 4.

Origenes.

legem non habent, naturaliter quæ legis sunt facere non pro sabbatis vel neome-
niji dicantur, vel sacrificijs quæ in lege scripta sunt. Non enim hæc lex in cordibus
gentium dicitur scripta, sed hoc est quod sentire naturaliter possunt verbi gratia,
ne homicidium, ne adulterium faciant, ne furentur, ne falsum testimonium dicant,
vt honorent patrem & matrem, & horum similia, fortassis & quod deus vnus crea-
tor sit omnium, scriptum est in cordibus gentium. Magis tamen mihi videtur hæc
quæ in corde scripta dicuntur, cum Euangelicis legibus conuenire, vbi cuncta ad
naturalem referuntur æquitatem. Quid enim ita naturalibus sensibus proximum
quàm vt quæ nolunt sibi fieri homines, hæc ne faciant alijs? Legi verò Moy-
sæ in monte, aut cum lino simul ne lana texatur, vel ne quis in die nouorum fermentatum
aliquid edat? Quæ cum aliquoties obiecissemus Iudæis, & ingereremus vt si quid
in his vtilitatis esse ostenderent, scimus eos hoc solum respondere solitos, quod ita
visum sit legislatori. Nos verò qui hæc omnia spiritaliter intelligenda sentimus, id-
circo & non auditores, sed factores legis iustificandos credimus, non legis secundum
literam, quæ vtiq; pro sui impossibilitate non potest habere factorem, sed secun-
dum spiritum, per quem solum lex impleri poterit. Hoc est ergo opus legis quod
etiam gentes Apostolus dicit implere naturaliter posse. Cum enim agunt quæ leg-
is sunt, scripta videtur lex in cordibus eorum à deo, non atramento, sed spiritu dei
vivi. Quod autem dicit in cordibus, non est putandum quod in membro corporis,
quod cor appellatur, lex scripta dicatur. Vnde enim caro, aut tantos prudentiæ sen-
sus possit emittre, aut tanta memoria receptacula continere? Sed sciendum est
rationalem animæ virtutem, cor solere nominari. Testimonio sanè cōscientiæ vti
Apostolus dicit eos qui descripta continent in cordibus legem. Ad hæc dicit Theo-
phyl. phylactus eandem sententiam explicans, Cum Paulus aliquid est de rebus Iudaicis
asserens, prudentius loquitur, ne in legem dicere videatur, quam vt extollat &
magnificat, inquit: Cum enim gentes quæ legem non habent, mox illud quæ legis
sunt, faciunt: id est, naturali quodam intuitu admirationi sunt. Quia cum lege ca-
rerent, legem sunt executi, eorumque cordibus non literas, sed opera insculpere, &
in testimonium bonitatis duce natura pro lege sunt vsi. Proinde tres legum species
explicat, quæ scripto scilicet, natura, & operibus constant. Gentes itaq; lege carent
quæ scripta est, natura quæ legis sunt, faciunt. Cuius nã legis? eius scilicet quæ ope-
ribus constat, legem verò non habent. Quam legem? scriptam videlicet. Sed ipsi
sibi loco sunt legis: natura enim pro lege vtuntur, qui & legis opera præ se ferunt.
Cuius? Eius nimirum quæ re & operibus adimpletur. Vide quàm modeste hæc dix-
erit, ne Iudæos videretur incessere. Quo enim pacto non incessiisset, si omnia effu-
disset apertius: eò enim, ni reticuiisset, recidebat oratio: Qui verò sine lege sunt, na-
tura præuia, quæ legis sunt faciunt, eòq; & præferri his debent qui sunt à lege instru-
cti. Abstinet tamen id dicere, & latius quiddã subiunxit, videlicet qui sibi pro lege
essent. Vnde id planè argumento est superioribus seculis, & antequam lata lex es-
set, fuisse naturam humanam omni prouidentia fretam. Obscruit præterea & illis
ora, qui forte huiusmodi obiecisissent: Cur enim ab initio deus non se huc ad nos con-
rulit, homines ad bonum instructurus? Inquit igitur bonorū malorūque illum à
principio dedisse mortalibus cognitionem. Verum cum nihil se vel hoc pacto pro-
ficere præuidisset, ipse demum aduenit. Adde quod Augustinus libro 2. de Sermo-
ne domini in monte, explicans illam precationem, Et ne nos inducas in tentatio-
nem, dicit: Quis enim scribit in cordibus hominū naturalem legem, nisi deus? De
qua lege Apostolus ait, Cum enim gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ
legis sunt faciunt, hi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex &c. Quapropter si homi-
nis anima rationalis etiã cupiditate cæcata, tamē cum cogitat & ratiocinatur, quic-
quid in ea ratiocinatione verum est, non ei tribuendum est, sed ipsi lumini verita-

Matth. 7.

Gene. 17.

Deut. 22.

Exo. 23.

Roma. 2.

Theophyl.

Augustinus

tis à quo vel tenuiter pro sui capacitate illustratur, vt verum aliquid in ratiocinan-
do sentiat, quid mirum si diaboli anima praua cupiditate peruersa, quicquid tamen
verum de iusto viro cogitavit cum eum tentare veller, ipsius dei voce, id est ipsius
veritatis voce audisse perhibetur? Quicquid autē falsum, illi cupiditati tribuitur,
qua diaboli nomen accepit. Quamuis etiam per creaturam corporalem atque visi-
bilem deus plerunq; locutus est, seu bonis, seu malis, tanquam omnium dominus
& rector, & pro cuiusque rei meritis ordinator, sicut per angelos qui hominū quo-
que aspectibus apparuerūt, & per prophetas dicentes, Hæc dicit dominus. Quid er-
go mirum si, quāquam non ipsa cogitatione, per aliquam certe creaturam tali operi
accommodatam deus locutus esse cū diabolo dicitur? Nec dignitatis esse arbitren-
tur & quasi iustitiæ meritum quod cum illo deus locutus est: quoniam locutus est
cum anima angelica quanquam stulta & cupida, tanquam si loqueretur cum anima
humana stulta & cupida. Aut ipsi dicant quomodo locutus est deus cum illo diuite,
cuius cupiditatem stultissimam arguere voluit dicens: Stulte, hæc nocte anima tua
expostulatur à te, hæc quæ præparasti, cuius erunt? Certe hoc ipse dominus in Euā-
gelio dicit, cui hæretici isti velint nolint colla submittūt. Et libro vno de Spiritu &
litera, capite 26. diligenter & abunde excutit sententiam & vim illius authoritatis,
Cum gentes legem non habent &c. vbi disquirat, Si nam gentes, in quarum cordi-
bus naturæ lex scripta est, pertineant ad gratiam mediatoris, & an lex illa ad Euan-
gelium spectet: Videndum est, inquit, quomodo dicat Apostolus. Cum enim gētes
quæ legem non habent naturaliter quæ legis sunt, faciunt: hi legem non habentes
ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptū in cordibus suis, ne videatur non
esse certa distantia noui testamēti, quod leges suas dominus in cordibus populi sui
se scripturū esse promissit: quandoquidē hoc gentes naturaliter habeant. Petactan-
da igitur hæc quæstio quæ non mediocri exorta est. Dicit enim aliquis, Si deus hinc
discernit à vetere testamento nouum, quod in vetere legem suam scripsit in ta-
bulis, in nouo autem scripsit in cordibus, fideles noui testamenti vnde discernun-
tur à gentibus quæ habent opus legis scriptum in cordibus suis, quō naturaliter quæ
legis sunt, faciunt, quasi iam illo populo vetere potiores qui legem accepit in tabu-
lis, & nouo populo priores cui hoc præstatur per testamentum nouum quod his na-
tura iam præstitit? An forte eas gentes commemorauit Apostolus scriptam in cor-
dibus habere legem quæ ad nouum pertinet testamentum? Ad hoc enim vnde ve-
nerit intuendum est. Primo Euangelium commendans ait, Virtus enim dei est in sa-
lutem omni credenti, Iudæo primum & Græco, iustitia enim dei in eo reuelatur ex
fide in fidem sicut scriptum est, Iustus autem ex fide viuit. Deinde loquitur de illis
impijs quibus propter superbiam nec cognitio dei profuit, quia non sicut deum glo-
rificauerunt, aut gratias egerunt. Inde transit ad eos qui iudicant, & agunt talia qua-
lia condemnant, nimirum propter Iudæos qui de lege dei gloriabantur, quamuis ad
huc eos nominatim non exprimat, & ideo dicit: Ira & indignatio, tribulatio, & angu-
stia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primum, & Græci. Glo-
ria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primum, & Græco, non est
enim personarum acceptio apud deum. Quicūque enim sine lege peccauerunt, si-
ne lege & peribunt: & quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. Non
enim auditores legis iusti sunt apud deum, sed factores legis iustificabuntur. His ver-
bis hoc vnde agitur, subiungit & dicit, Cū gentes enim quæ legem dei non habent,
naturaliter quæ legis sunt, faciunt, & cætera quæ iam supra commemorauimus. Proin-
de non videtur alios hic significasse sub nomine gentium quàm eos quos nomine
Græci supra significabat cum diceret, Iudæo primum & Græco. Porro si Euāgelium
virtus dei est in salutem omni credenti, Iudæo primum & Græco, & ira & indigna-
tio, tribulatio & angustia, in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi pri-
mum & Græci, gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primum
& Græco. Iste autem Græcus nomine gentium significatus est naturaliter quæ legis

Luca 12.

Roma. 1.

Abacuc. 2.

Roma. 2.

sunt facientium, & quæ scriptum habent opus legis in cordibus suis, profecto ad Euangelium pertinent Gentes, quibus lex in cordibus scripta est. Eis quippe credentibus virtus dei est in salutem. Quibus autem gentibus bene operantibus gloriam & honorem pacemque promitteret, extra Euangelij gratiâ constitutus? Quia enim personarum acceptio non est apud deum, & non auditores legis, sed factores iustificatur, ideo siue Iudæus siue Græcus, hoc est quilibet ex gentibus crediderit, salutem in Euangelio pariter habebit. Non enim est distinctio sicut postea dicit, Omnes enim peccauerunt & egent gloria dei, iustificati gratis per gratiam ipsius. Vnde autem factorem legis Græcum iustificari diceret sine gratia saluatoris? Neque enim contra seipsum diceret, quod aut factores legis iustificabuntur tãquam per opera non per gratiam iustificentur, cum dicat gratis iustificari hominem per fidem sine operibus legis, nihilque aliud velit intelligi in eo quod dicit gratis, nisi quia iustificationem opera nõ præcedunt. Aperte quippe alibi dicit, Si gratia, iam non ex operibus, alioqui gratia iam non est gratia, sed sic intelligendum est, factores legis iustificabuntur, vt sciamus aliter eos non esse factores legis nisi iustificentur, vt non iustificatio factoribus accedat, sed factores legis iustificatio præcedat. Quid est enim aliud iustificati quàm iusti facti ab illo scilicet, qui iustificat impium, vt ex impio fiat iustus? Si enim ita loqueremur, vt diceremus homines liberabuntur, hoc vtique intelligeretur eis qui iam homines essent, accedere liberationem. Si autem diceremus homines creabuntur, non vtique intelligeretur eos creari, qui iam homines erant, sed ipsa creatione homines fieri. Ita si dictum esset factores legis honorabuntur, non recte acciperemus nisi honorem illis qui iam essent factores legis, accedere. Cum verò dictum est factores legis iustificabuntur, quid aliud dictum est quàm iusti iustificabuntur? factores enim, legis vtique iusti sunt. Ac per hoc tantundem est ac si diceretur factores legis creabuntur, non quia erant, sed vt sint, vt sic intelligerent etiam Iudæi legis auditores, indigere se gratia iusti iustificatoris, vt possint esse factores. Aut certe ita dictum est iustificabuntur, ac si diceretur iusti habebuntur, iusti deputabuntur. Sicut dictum est de quodam, Ille autem volens se iustificare, id est vt iustus haberetur & deputaretur. vnde aliter dicimus deus sanctificat sanctos suos, aliter autem, Sanctificetur nomen tuum. Nam illud ideo, quia ipse illos facit esse sanctos qui non erant sancti. Hoc autem ideo, vt quod semper apud se sanctum est, sanctum etiam ab hominibus habeatur, id est sancte timeatur. Sic ergo gētes commemorans naturaliter quæ legis sunt facientes, & scriptum habentes opus legis in cordibus, illos intelligi voluit qui credunt in Christum, quia nõ sicut Iudæi præmissa sibi lege veniunt ad fidem, non est cur eos conemur discernere ab ijs quibus per prophetam dominus promittens testamentum nouum, dixit leges suas se scripturum in cordibus eorum, quia & ipsi per insertionem quam oleastro præstitam dicit ad eandem oleam, hoc est ad eundem dei populam pertinent, potiusque cõcordat prophetico etiam hoc Apostolicum testimonium, vt hoc sit pertinere ad testamentum nouum, legem dei habere nõ in tabulis, sed in cordibus scriptam, hoc est, in intimo affectu iustitiam legis amplecti vbi fides per dilectionem operatur, quia ex fide iustificat gentes deus. Quod scriptura præuidens pronuntiauit Abraham dicens, In semine tuo benedicetur omnes gentes: vt per hanc promissionis gratiã oliuæ miseretur oleaster, & fierent fideles gētes filij Abraham in semine Abraham quod est Christus, sectantes eius fidem qui non accepta in tabulis lege, nondumque habens ipsam circumcisionem credidit deo & deputatum est illi ad iustitiam. Ac sic tale erit hoc quod de eiusmodi gētibus dixit Apostolus, quod opus legis scriptum habeant in cordibus suis, quale est illud ad Corinthios, Non in tabulis lapideis, sed in circuncisionem deputatur, eo quod iustitiam legis non præcisione carnis ostendunt, sed cordis charitate custodiunt, quoniã si præputium iustitias legis custodiat, nõnne præputium eius (inquit) in circuncisionem deputabitur? Et propterea in do-

Roma. 3.

Roma. 11.

Luca 10.
Matth. 6.

Hier. 31.

Gene. 22.

2. Corin. 3.

mo veri Israel in quo dolus non est, participes sunt testamenti noui, quia dat deus leges in mentem ipsorum, & in cordibus eorum scribit eas digito suo, spiritu sancto quo ibi diffunditur charitas quæ legis est plenitudo. Et capite 27. inceptum peragen do negotiũ dicit Augustinus, Nec moueat quod naturaliter eos dixit, quæ legis sunt facere, non spiritu dei, non fide, non gratia. Hoc enim agit spiritus gratiæ, vt imaginem dei in qua naturaliter facti sumus, instauret in nobis. Vitium quippe contra naturam est, quod vtique sanat gratia. Propter quam deo dicitur, Miserere mei, sana animam meam, quoniam peccavi tibi. Proinde naturaliter homines quæ legis sunt, faciunt. Qui enim hoc non faciunt, vitiose faciunt. Quo vitio lex dei est deleta de cordibus. Ac per hoc vitio sanato cũ illic scribitur, sunt quæ legis sunt naturaliter, non quod per naturam negata sit gratia, sed potius per gratiam reparata natura. Per vnum quippe hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiuit, in quo omnes peccauerunt. Et ideo quia non est distinctio, egent gloria dei, iustificati gratis, per gratiã ipsius. Quia gratia in interiore homine renouato iustitia scribitur, quam culpa deleuerat, & hæc misericordia super genus humanum per Christum Iesum dominum nostrum. Vnus enim deus, vnus & mediator dei & hominum homo Christus Iesus. Si autem hi qui naturaliter quæ legis sunt, faciunt, nondum sunt habendi in numero eorum quos Christi iustificat gratia, sed & in eorum potius quorum etiam impiorum, nec deũ verum veraciter iustæque coelentium, quædam tamẽ facta vel legimus, vel nouimus, vel audimus quæ secundum iustitiæ regulam nõ solum vituperare non possumus, verum etiam merito recteque laudamus, quanquã si discutiatur quo fine fiant, vix inueniuntur quæ iustitiæ debitam laudem defensionemve mereantur. Et capite 21. explicat quid sit leges dei scribi in cordibus nostris, etiam dei digito, quod facit ad affirmandum secundam nostram Assertionis partem, Quid sunt (inquit) leges dei ab ipso deo scriptæ in cordibus, nisi ipsa præsentia spiritus sancti, qui est digitus dei, quo præsentem diffunditur charitas in cordibus nostris quæ plenitudo legis est, & præcepti finis? Nam quia veteris testamenti promissa terrena sunt, licet exceptis sacramentis, quæ vmbra erant futurorum, sicut est Circuncisio, & Sabbatum, & aliarum obseruationes, & quarundam escharum ceremoniarum, & multiplex sacrificiorum, sacrorumque ritus, quæ vetustati carnalis legis iugoque seruilis congruebant talia contineant præcepta iustitiæ, qualia nunc quoque obseruare præcipimur, quæ maxime duabus illis tabulis siue figura abumbrata significationis expressa sunt, sicut est, non adulterabis, non homicidium facies, non concupisces, & si quod aliud est mandatum quod in hoc sermone recapitulatur, Diliges proximum tuum sicut teipsum, tamẽ quia in eo sicut dixi promissa terrena, & temporalia recitantur, quæ bona sunt huius corruptibilis carnis, quãuis eis sempiterna atque cælestia ad nouum scilicet testamentum pertinentia figurarentur, nunc ipsius bonum cordis promittitur, mentis bonum, spiritus bonum, hoc est intelligibile bonum cum dicitur, Dabo leges meas in mente eorum, & in cordibus eorum scribam eas. Vnde significauit eos non forinsecus terrentem legem formidaturos, sed intrinsecus habitantem ipsam legis iustitiam dilecturos. Testatur & Sermone 47. de verbis domini, legem dei esse scriptam digito dei, sed propter duos scripta est in tabulis lapideis. Sermonem etiã sexto de verbis Apostoli, dicit legem dei esse scriptam digito dei, id est in spiritu dei. Referam libenter quæ scripsit Hieronymus, in Epistola ad Demetriam de virginitate (si tamẽ illa sit Hieronymi quod existimo) de vtilitate legis naturalis, & quantum antiquis patribus profuerit, qui eam tãquam ducem sequuti sunt. Est (inquit) in animis nostris naturalis quædam sanctitas, quæ velut in arce animi prædens, exercet boni malique iudiciũ. Et vt honestis rectisque actibus fauet, ita sinistra opera condemnat, atque ad conscientiæ testimonium diuersas partes domestica quadam lege diiudicat. Nec vllò prorsus ingenio, aut fucato aliquo argumentorum colore decipit, ipsis nos cogitationibus fidelissimis & integerrimis sanè testibus, aut ar-

Psal. 40.

Roma. 5.

1. Timot. 2.

Roma. 13.

Hieronymus



guit, aut defendit. Huius legis scribens ad Romanos meminit Apostolus, quam omnibus hominibus insitam, velut in quibusdā tabulis cordis scriptam esse testatur. Cum enim, inquit, gētes quæ legem non habent naturaliter quæ legis sunt, faciūt, huiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex. Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente eis conscientia eorum, & inter se inuicem accusantibus cogitationibus, aut etiam defendētibus. Hac lege vñ sunt omnes quos inter Adam atque Moysen sancte vixisse atque placuisse deo scriptura commemorat. Quorum tibi exempli causa aliqui proponendi sunt, vt facile intelligas quantum sit naturæ bonum, cum eam legis vice docuisse iustitiam probaueris. Abel primus hanc magistrā sequutus, ita dominum promeruit, vt dum ei offerret hostiam, tam grate sacrificium eius acceptum deo fuerit, vt fratrem in inuidiam concitaret. Quem iustum in Euangelio dominus ipse commemorans, breuiter perfectionem eius exposuit. Omnis enim virtutum species vno iustitiæ nomine continetur. Beatum Enoch ita placuisse deo legimus, vt cum è medio mortaliū raperet, & in mundo consummatum de mundi habitatione transferret. Noe iustus in generatione sua & perfectus asseritur, cuius sanctitas eo magis est admirabilis quod toto prorsus à iustitia declinante mundo, solus iustus inuentus est, nec ab alio sanctitatis quæsiuit exemplū, sed ipse præbuit. Et ideo torius orbis imminente naufragio, solus ex omnibus meruit audire, Intra tu & domus tua in arcam, quia te vidi iustum in generatione ista coram me. Ante deum autem ille iustus probatur, qui corpore sanctus est, & corde. Melchisedec sacerdos dei legitur, cuius meritum facile ex hoc intelligi potest, quod multo post futurum domini Sacramētum antè signauit, ac sacrificio panis & vini, mysterium corporis, & sanguinis expressit, ac sacerdotij sui typo Christi sacerdotium figurauit, cui à patre dicitur, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. Nam & quod benedicit Abrahā principem patriarcharum, qui per circūcisionem, pater Iudæorum: per fidem, gentium: illius signatissime ostendit figuram, qui per fidem suam, & Iudæis donauit benedictionem & gentibus. Loth quoque sancti Noe virtutem secutus, inter tot peccantium exempla iustitiam non reliquit. Et vt illum totius mundi exemplum non viciat, ita hic tota illa in qua habitabat regione peccante contra multitudinis vitia, tenuit sanctitatem. Qui, vt beatus Petrus ait, visu & auditu iustus erat, & inter pessimos positus, mala eorum & oculis auersabatur & auribus, atque ideo simili exemplo, vt ille diluuius, ita hic est ereptus incendio. Quid Abraham amicū dei, quid Isaac & Iacob memorem? Quam perfecte impleuerint domini voluntatem, vel hinc possumus æstimare, quod familiari quadam & præcipua dignitate eorum se deum voluit nominari. Ego sum (inquit) deus Abraham, deus Isaac, & deus Iacob. Hoc nomē meum sempiternum & memoriale in generationes generationum. Ioseph fidelis domini famulus à puero, tribulationibus magis iustus & perfectus ostenditur, qui primum à fratribus, Hismaelitis in seruum addictus est, ab eisque venditus, à quibus se viderat adorandum. Deinde Aegypto domino traditus, semper tamen ingenuam animæ tenuit dignitatem, docuitque exemplo suo, & seruos & liberos in peccando, non conditionem cuiquam obesse, sed mentem. Hic quæso remorare paulisper, & castum animum sollicite virgo considera. Concupiscitur à domina Ioseph adolescens, nec ad concupiscentiam prouocatur: rogatur, & fugit. Vna hac in re, & blanditur, & supplicat, quæ in cæteris imperabat. Amor dei, mulieris amore non vincitur. Castum animum, nec ætas adolescentiæ permouet, nec diligentis autoritas. Contempta frequenter domina, propiores adolescenti insidias tendit, in secreto ac sine testibus manu impudens apprehendit, ac procacioribus verbis hortatur ad crimen. Ne hic quidem vincitur, sed vt verba verbis, ita res rebus refert. Nam qui frequenter rogatus negauerat, nunc comprehensus au fugit, & antequam illud Euangelicū diceretur, Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo, ille non aspectu solum, sed ipso penè comple-

xu prouocatus à fœmina fœminā non concupiuit. Castitatis virtutem hucusque mirata es, nūc respice benignitatem. Priusquam propheta diceret, vnusquisque malitiā proximi sui non reminiscatur in corde suo, ille pro odio reddidit charitatem: & cū videret fratres suos, imò inimicos ex fratribus, cumque ab eis cognosci vellet, dilectionis affectum pro dolore testatus est. Deosculabatur singulos & irriguis fletibus, paucientium colla perfundens, odium fratrum charitatis lachrymis abluibat, quos tam viuo patre quàm mortuo, germano semper dilexit amore. Nec recordatus est illum, in quo ob necem fuit deiectus in lacum. Non cogitauit addictam germanitatem pretio, sed pro malis bonum retribuens, apostolicum præceptum sub naturæ adhuc lege compleuit. Quid de beato Iob dicam famosissimo illo athleta dei, qui post direptas opes, & funditus deleta patrimonia, post filiorum ac filiarum vnum subito interitum, ad vltimum proprio contra diabolū corpore dimicauit? Auferebantur omnia quæ extrinsecus possidebat, & extranea bona repente decidebant, vt magis propria clarescant. Omnibus prorsus velut indumentis exuitur, vt expeditus ac fortius nudus triumphet, & hostem quem ferendo damna antè superauerat, rursus tolerado supplicia deuincat. De quo tale ipsius domini testimonium est, Nunquid considerasti puerum meum Iob? Non est enim similis ei quisquam in terris, homo sine querela, verus dei cultor, abstinens se ab omni malo. Nec immerito, semper enim, vt ipse ait, tanquam tumētes super se fluctus, timebat dominum, & præsentia eius pondus ferre non poterat, nec audebat aliquādo contemnere, quem semper adesse credebatur, dicebatque, securus sum, non enim reprehendit me cor meū in omni vita mea. Qui antequam dominus inimicos præciperet esse diligendos, dicere poterat: Si in malis inimici mei gauisus sum, si dixi in corde meo benefactū est. Necdum Euangelicum illud sonuerat, Omni petenti te tribue, & iam ille dicebat, Si exire passus sum inopem ianuam meam sinu vacuo. Nondum legerat illud Apostoli, Domini quod iustum est & æquum, seruis præstare, & cōfidens clamabat ad dominum, Si seruo nocui, si ancillam læsi, omnia tu scis domine. Priusquam idē Apostolus præciperet diuitibus non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sic habuit ille diuitias, vt se alibi diuitem esse monstraret. In diuitijs, inquit, non confidebam, nec in lapide pretioso. Et hoc non verbis tantum, sed ipsis quoque rebus probauit, qui cum omnia perderet, non dolebat, dicebatque per singula, Dominus dedit, dominus abstulit, sicut domino placuit, ita factū est, sit nomen domini benedictum in secula. Nudus exiui de utero matris meæ, nudus redeam illuc. Quo enim affectu possideamus aliquid, docemus cum id amittimus, & cupiditatē fruedi, carendi dolor prodit: quem qui in carendo non habuit, in possidendo quonā modo habuit? Præterea Chryostomus homilia 12. ad populum, ostendit deum indidisse primis parentibus legem naturalem vbi primum fuerunt creati, & explicat quid nam sit lex naturalis: Ab initio (inquit) deus hominem formans, legem ipsi naturalem indidit. Et quid tandem est lex naturalis? Conscientiam nobis expressit, & per se discibilem constituit bonorum & contrariorum scientiam. Non enim opus habemus discere quod malum est fornicatio, & bonum continentia, sed ab initio hoc scimus. Et vt discas quod ab initio hoc scimus, legislator leges postea ferens, & dicens, Non occides, non intulit, malū enim cædes, sed simpliciter non occides, inquit: prohibuit enim peccatum duntaxat, non docuit. Quare igitur qui dixit, non occides, non addidit quod malum cædes? quoniam præueniens conscientia nos hoc docuit, & tanquam scientibus & intelligentibus, ita loquitur. Cum igitur de alio loquitur mandato non nobis noto per conscientiam factū, nō tantum prohibet, sed & causam apponit. De sabbato itaque legem ferens & dicens, Septima die non facies opus, subiunxit causam quoque cessationis, qualem verò? quod in die septima requieuit deus ab omnibus operibus suis quæ cœperat facere. Et rursus, quoniam seruus fuisti in terra Aegypti. Quare igitur dic mihi in sabbato quidē causam adiecit, in cæde verò nihil tale fecit? Quoniam hoc quidem mandatum non de prin-

Gene. 45.

Iob 1.

Iob 31.

Matth. 5.

Lucæ 6.

Iob 31.

Collof. 4.

1. Timot. 6.

Iob 31.

Iob 1.

Chryostom.

Gene. 2.

Exo. 20.

Gene. 3.

Ibidem

Gene. 4.

cipalibus erat, nec per conscientiam nobis exquisitis, sed particulare quoddam & temporaneum, propterea post hæc solutum est: necessaria verò & vitam nostram continentia illa sunt, Non occides, non furaberis, non mœchaberis. Et ideo nullatenus hic causam ponit, nec rationem adducit, sed sola opus est prohibitione. Nec inde tantum, sed & aliunde vobis demonstrare conabor, quomodo per se docilis erat homo ad virtutis cognitionem. Primum Adam patrauit peccatum, & post peccatum statim se occultauit. Neque enim erant literæ, non lex, non Moses. vnde igitur nouit peccatum, vt se absconderet? nec tantum se celat, sed & accusatus, in aliū conatur transferre causam, dicens: Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno & comedi. Et illa rursus in alium crimen trāffert, serpentem scilicet. Cum enim Adam dixisset, vocem tuam domine audiui in paradiso, & timui eo quòd nudus essem, & abscondi me, deus non statim factū redarguit, neque dixit, quare enim de ligno comedisti? Sed quomodo? Quis enim indicauit tibi quòd nudus esses, nisi quòd ex ligno de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti? neque tacuit, neque aperte ipsum redarguit. non enim tacuit, vt ipsum ad peccati confessionem euocaret: nec verò manifeste redarguit, ne totum dei esset, & ille priuatus remaneret venia, quæ nobis ex confessione nascitur. Propterea non dixit manifeste causam, vnde nuditas facta esset, sed sub interrogationis forma sermonem profert, illā permittens ad confessionem venire. Rursum in Cain & Abel, idem videre licet. Primum quidem primitias deo ferebāt laborum suorum. Non enim à peccato tantū, sed etiam à virtute demonstramus, quòd amborum est capax discendorum homo. Quòd igitur homo peccatum esse malum, iam sciret, demonstrauit Adam: quòd autem virtutem esse bonum etiam sciret, rursus Abel manifestauit. Non enim ab vilo discens, neque legem de primitijs, hæc differentem audiens, sed à conscientia doctus, sacrificium illud obtulit. Propterea non descendendo ad posteros sermone, sed circa priores homines versor, quando nondum literæ, neque lex, neque prophetæ & iudices, sed solus Adam cum filijs erat, vt discas quòd in natura bonorum & cōtrariorum scientia prius erat reposita. Vnde enim didicit Abel quòd bonū esset offerre, quòd bonum, deum venerari, & in omnibus gratias agere? Quid igitur? Cain non obtulit? obtulit quidem & ipse, sed non similiter. Et hinc verò rursus cōscientiæ cognitio apparet, quoniam enim honorato inuidens de cæde deliberabat, dolosam celabat sententiā, & quid inquit? Age, egrediamur foras. Alia figura, charitatis enim simulatio: sententiā alia, fratricidij enim deliberatio. Et nisi malum con filium putabat, quare ipsum obumbrabat? & post commissam necem rursus à deo interrogatus, Vbi est Abel frater tuus? inquit, nescio, nūquid custos fratris mei sum ego? Quare enim negat? non patet quòd condemnabat seipsum vehemēter? Sicut enim ipse pater se absconderat, ita & hic negat, & post redargutionem iterum inquit: Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Gentilis autem hæc non tolerat. Eia igitur, & ad illum loquamur, & quod in creatione fecimus, non scripturis tantum, sed etiā rationibus certamina contra illos mouentes, hoc & circa conscientiam nunc faciamus. Etenim hoc Paulus mouit argumentū aduersus illos pugnās, Quid tandem est quod dicunt? Non est nobis per se aperta lex in conscientia posita, nec eam naturæ deus inseruit. Vnde igitur, vnde inquā de nuptijs, de cædibus, de testamentis, de depositis, de proximis non opprimendis, de infinitis alijs leges apud eos scripserunt legislatores? Hi quippe præfentes fortè à primis didicerunt, & illi à prioribus, & rursus à superioribus isti. Qui verò ab initio, & primi apud eos leges tulerunt, à quò didicerunt? non patet quòd à conscientia? neque enim dicere possent quòd cum Mose fuerint, quòd prophetas audierint. quomodo enim, qui gēriles erant? Sed patet quòd à lege, quam hominem fingēs deus, ab initio ipsi posuit, ab hac & leges posuerunt, & artes inuenerunt, & alia omnia. etenim & artes sic constitutæ sunt, postquā ad ipsas sponte deuentum est ab initio. Sic & iudicia, sic & pœnæ definitæ sunt, quod nempe & Paulus dicit, Quoniam enim & gentilium multi

contradicturi erant & dicturi, quomodo deus homines qui fuerunt ante Mosen iudicabat? non misit legislatorem, non legem tulit, non prophetam parauit, non Apostolum, non Euangelistā. quomodo ab ipsis pœnas exigit? Volens Paulus demonstrare quòd per se disci facile habebant legem, & agenda manifeste sciebant, audi quid inquit: Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, quomodo sine literis? testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die qua iudicabit deus occulta hominum secundum Euangelium meum per Iesum Christum. Et iterum, quicumque sine lege peccauerunt, sine lege peribunt: & quicumque in lege peccauerunt, per legē iudicabuntur. Quid est sine lege peribunt? non lege accusante, sed conscientia & cogitationibus. Si verò legem non habuissent conscientiæ, nec ipsos perire peccantes oportebat. Quomodo enim si sine lege peccauerunt? Sed cum sine lege dicit, non hoc dicit quòd non habebant legem, sed quòd non habebant legem scriptam, naturæ verò legem habebant. Et rursus, Gloria autem & honor, & pax omni operanti bonum. Iudæo primū, & Græco. Hæc autem dicebat, de superioribus loquens temporibus, quæ ante Christi præfentiam fuerunt. Et Græcum, hic vocat non idololatram, sed deum quidem solum adorantem, Iudaicarum verò obseruationum necessitati nō deditum, sabbatismis dico & circuncisioni, & varijs purificationibus: sed sapientiam, & pietatem omnem exhibentem. Et rursus de eodem differens, inquit: Et ira & indignatio, & tribulatio, & angustia, super omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primum, & Græci. rursus hic Græcum vocat obseruatione Iudaica liberatum. Si itaque, neque legem audiuit, neque cum Iudæis conuersatus est, quomodo erit ipsi ira & indignatio, & tribulatio malum operanti? Quoniam intus conscientiam habebat increpantem, & docentem, & erudientem, in omnibus. Vnde hoc manifestum? Ex his in quibus alios castigauit peccantes, leges tulit, iudicia constituit. Hoc igitur manifestans Paulus de viuentibus in vitio, dicebat, qui cum iustitiam dei cognouissent, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt. Et vnde scierunt, quòd voluntas dei est, in improbitate viuentes puniri? Vnde? ex his in quibus alios iudicabant peccantes. Si enim malum esse non putes cædem, cum homicidam cæperis, sententia tua non punies: nisi malum esse putes adulterare, cum incidit adulter, liberes ipsum à pœna. Si verò & in aliorum peccatis leges scribis, & pœnas definis, & feuerus es iudex, quam habere possis excusationem in quibus ipse peccas, dicens te agenda ignorare? Mœchati estis, & tu & ille. Quare illum quidem punis, te verò venia dignum censēs? Si enim malum nescias esse adulterium, neutrum puniri oportet. Si verò alterum quidem punias, te verò pœnam effugere existimes, quomodo rationem habere posses, eorundem criminum reos non eisdem pendere pœnas? Hoc igitur ipsum accusans Paulus dicebat: Existimas autem hoc o homo, qui iudicas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium dei? Non est ita, non est. ex iudicio enim quod in aliū protulisti, ex hoc te nunc deus iudicabit. Non enim profecto tu quidem iustus, deus autem iniustus. Si enim non despicias alium iniustum, quomodo deus despiciet? Si tu corrigis aliorum peccata, quomodo te deus non corriget? Si verò non tibi statim pœnam infert, ne ob hoc confidas, sed time magis. Sic & Paulus iussit, dicens: An diuitias bonitatis eius & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignorans quoniam benignitas dei ad pœnitentiam te adducit? Propterea enim tolerat, non vt peior fias, sed vt pœnitentiam agas: si vero non vis, maioris materia vltionis tibi fit dei longanimitas sine pœnitentia permanenti. Idem Chrysostomus eundem sermonem de ea re continuans, immediate subiungit in eadem Homilia duodecima, ad populum Antiochenum. Ex hoc quippe manifestans dicebat, Secundum autem duritiam tuam, & impoe-

Roma. 21

Roma. 21

PP. j.

nitens cor, thesaurizas tibi iram, in die iræ, & revelationis iusti iudicij dei, qui reddit unicuique secundum opera eius. Quoniam igitur cuique secundum opera reddit, & legem propterea naturalem nobis, & scriptam postmodum tradidit, propterea dedit ut pœnas exigat peccatorum, recte agentes coronet. multo itaque studio tanquam ad tremendum conuenturi iudicium actiones nostras ædificemus, scientes quòd nullam assequemur veniam, si post naturalem, & scriptam legem, & doctrinam tantam, & admonitionem continuam, salutem nostram negligamus. Et homilia decimatertia eiusdem operis, amplissime docet legem naturalem his Christi verbis contineri, Omnia quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, ita & vos facite illis. Hæc enim lex & propheta: Christus (inquit) nihil externum, aut quod nostram transcendit naturam sancit, sed quod olim praueniens conscientia indiderat nostræ. & post multas illas beatitudines, ita dicebat: Quæ vultis vt faciant vobis homines, hæc & vos facite ipsis. Non opus est multis sermonibus (inquit) neque prolixis legibus, nec varia doctrina, voluntas tua sit lex: vis beneficia capere? confer beneficium alteri: vis misericordiam consequi? miserere proximi: vis laudari? lauda alium: vis amari? ama: vis partibus primis potiri? cede illis prius alteri. Tu sis iudex, tu sis vitæ tuæ legislator. Et rursum, quod odisti, alij ne facias. Per hoc quidem à malo fugam inducit, per illud autem virtutis operationem. Odisti contumeliam pati? ne alium afficias contumelia. Odisti inuidiam pati? neque tu alteri inuideas. odio habes falli? neque tu fallas alium. Et in omnibus verò generaliter, si hæc duo verba retineamus, alterius disciplinæ non indigebimus. Virtutis enim cognitionem indidit animæ nostræ, actionem verò & bonam operationem voluntati nostræ concessit. fortassis obscurum est quod dicitur, igitur ipsum manifestius reddere conabor. Rursum vt sciamus quòd bonum est modeste agere, non opus habebimus verbis, neque doctrina: nam in natura cognitionem ipsorum habemus, nec opus est cum laboribus, aut fatigationibus circumire & quærere, si bonum est modestia & vtile, sed communi sententia omnes hoc confitentur, & nemo dubitat de virtute. Sic & adulterium malum esse putamus, & neque hic laboribus, & disciplina nobis est opus, vt peccati huius malitia noscatur, sed omnes in huiusmodi sententijs sumus per nos ipsos docti. Et virtutem, licet ipsam non obeamus, commendamus: sicut vicissim vitium, licet operemur, odimus. Et hoc fuit maximum dei beneficium, vt conscientiam quidem nostram, & voluntatem interim, & ante actionem virtuti applicaret, impugnari autem sineret improbitate. Sicut igitur dixi horum quidem amborum cognitio omnium hominum conscientia in sita est, nec vllius indigemus præceptoris ad hæc discenda. Recta verò operatio iam laboribus, voluntati & studio data est. Quare verò tandem? Quoniam si totum naturæ tribuisset, sine coronis & præmijs fuisset. Et sicut bruta virtutum quas habent mercedem aut laudem capere non debent, sic & nos, si horum aliquid à natura habuisset. Naturæ enim munera non habentium, sed datoris sunt laus & commendatio, igitur non totum naturæ permisit, propterea rursum voluntatem totum pondus suscipere non concessit, & cognitionis, & emendationis, ne à virtutis laboribus abhorreret: sed dicitur quidem ipsi conscientia quæ sunt agenda, ad operationem verò ipsa de suo labore adfert. Et quòd bonum quidem est moderate viuere sine labore nouimus, naturalis enim est cognitio, modestiam verò non possumus exercere nisi laborantes, & cupiditatem refrenantes, & multum subeuntes laborem. Non enim hoc quoque nobis adest à natura sicut cognitio, sed opus habet sedulitate & studio. Nec solum ita nobis pondus releuauit, sed & alio modo, rursum & ipsorum meritorum quædam naturalia nobis inesse sinens. etenim vnà cū his qui contumeliam patiuntur indignari, naturale omnes habemus, statim quippe instantibus efficimur inimici, licet ipsi nihil simus passi: & gratulari defensione & auxilio potientibus, & in alienis calamitatibus affligi, & charitate multa delectari. Et si enim rerum circumstantiæ pusillanimitatē quandam indu-

Matth. 7.

cere videntur, habemus tamen communem inter nos amorem. Et hoc quidam sapiens innuens dicebat: Omne animal amat suum simile, & homo proximum suum. Multos autem & alios præter conscientiam, præceptores nobis deus præposuit. etenim patres filijs, & dominos seruis, & viros vxoribus, & doctores discipulis, & legislatores, & iudices subditis, & amicos amicis. Astipulatur & Chrysofomo Tertullianus, libro aduersus Iudæos, in hoc quòd dicit Chrysofomus legem naturalem ab initio fuisse inditam primis parentibus. Sic enim loquitur, Deus ipsi Adæ & Eux legem dedit, ne de fructu arboris plantatæ in medio paradisi ederent. quòd si contra fecissent, morte morerentur. Quæ lex eis sufficeret si esset custodita, in hac enim lege Adæ data, omnia præcepta condita recognoscimus, quæ postea pullulauerunt data per Moysen, id est, Diliges dominum deum tuum, de toto corde tuo, & ex tota anima tua, & diliges proximum tibi tanquam te. Et non occides, non mœchaberis, non fraudaueris, falsum testimonium nõ dices. Honora patrem tuum, & matrem, & alienum non concupisces. Primordialis lex est enim data Adæ & Eux in paradiso, quasi matrix omnium præceptorum dei. Denique si dominum deum suum dilexissent, contra præceptum eius non fecissent. Si proximum diligeret, id est semetipsum, peruersi serpens non credidissent, atque ita in semetipsum homicidium non commisissent excidendo de immortalitate, faciendo contra dei præceptum. A furto quoque abstinent, & de fructu arboris clam non degustassent, nec à conspectu domini dei nostri sub arbore delitescere gethissent. Nec falsum asseueranti diabolo participes efficerentur, credendo ei quòd similes deo essent futuri. Atque ita nec deum offendissent vt patrem, qui eos de limo terræ quasi ex vtero matris figurauerat. Si alienum non concupiscent, de fructu illicito nõ gustassent. Igitur hac generali, & primordiali dei lege, quæ in arboris fructu obseruari deus sanxerat, omnia præcepta legis posterioris specialiter indita fuisse cognoscimus, quæ suis temporibus adita germinauerunt. Eiusdem est enim postea docere legem, qui ante præmiserat præceptum. quoniam & ipse est erudire postea, qui antè iustos formare instituerat. Quid enim mirum si is auget disciplinam qui instituit, si is perficit qui cepit? Denique ante legem Moyfi scriptam in tabulis lapideis, legem fuisse contendo non scriptam, quæ naturaliter intelligebatur, & à patribus custodiebatur. Nam vnde Noe iustus inuētus, si non illum naturalis legis iustitia præcedebat? Vnde Abraham amicus dei deputatus, si non de æquitate & iustitia legis naturalis? Vnde Melchisedec sacerdos dei summi nuncupatus, si non antè Leuiticæ legis sacerdotium Leuitæ fuerunt, qui sacrificia deo offerebant? sic enim post superscriptos patriarchas data lex est Moyfi, eo tempore posteaquam ab Aegypto excesserunt post interualum multorum temporum & spatia. Denique post quadringentos, & triginta annos Abrahamæ data est lex. Vnde intelligimus dei legem etiam ante Moysen, nec in Ore tantum, aut in Sina, & in Eremito primum, sed antiquiorem primum in paradiso, post patriarchas atque ita & Iudæis, certis temporibus reformatam, vt non iam ad Moyfi legem ita attendamus, quasi ad principalem legem, sed ad subsequentem, quam certo tempore deus & gentibus exhibuit, & repromissam per prophetas, in melius reformauit, & præmonuit futuram: vt sicut certo tempore data est lex per Moysen, ita temporaliter obseruata, & custodita credatur. Nec adimamus hanc dei potestatem, pro temporum conditione legis præcepta reformantē, in hominis salute. Eiusdem est sententiæ Cyrillus lib. 3. contra Iulianum, dicens legem primis parentibus à deo datam esse, non quidē in damnum (quod tamen pessime sentiebat Iulianus) sed ad summam vtilitatem, & ad eximia bona illis concilianda. Et si (inquit) alicui nõ videor dicere verum, ex re ipsa causam videat. Plurima enim in paradiso ligna erant, præcepit autem vt omnia quidē essent ad edendum licita, vt tandem autē vnum hoc quod in medio erat. Quauis dixerit fortasse quis, quòd illud fuerit de multo pretiosioribus, quàm fuerint ea, quæ in extremis paradisi, & quasi in locis incognitis, concessum esse lignum illis in cibum, vt quum omnino non

Tertullianus

Gene. 2.

Matth. 22.

Gene. 3.

Gala. 3.

Cyrillus.

appareret, demulceret desiderium videntium ad illud acquirendum. Et quid ad hoc dicemus? Dispensatio quaedam erat prudentissima & solertissima dei facientis ne oblivisci sui possent. Oportebat enim illud videntes per istuc ipsum ad recordationem legis semper vocari, & videre praecipitum excellentiam, & non ignorare ipsum legisfactorem ac dominum. Erat autem, & alia quaedam utilitas. Ita enim in parvis assuebant ad obedientiam, & exercebantur ad sobrietatem. Praeterea & illud opinor, poterit dici: Licebat sane idque merito semper videre eos arborem, & in illa legem non ignorare, sed recordari ad quas promissiones dei vocari essent, & sic ad divinam contemplationem resiliire, abductaque a terrenis mente, cogitare, quis & quantus, qui praeciperat. Et in eodem libro differens de lege naturali & iudaeis & gentibus communissima, quod tamen negabat Iulianus, dicit ad hunc modum ratiocinando: Si enim est deus super omnes, alius autem praeter illum nullus: omnium utique fuerit dominus, quia & omnium opifex, quippe quod & gentium deus est, & per infinitas leges bene demonstratum fuit, quas omnium cordibus insculpsit opifex. Dicit enim, Ceteris quae natura legem non habent, quae legis sunt, faciunt: hi legem non habentes, sibi ipsi sunt lex, qui declarant opus legis conscriptum in cordibus suis. Iam siquidem solorum Iudaeorum, & non etiam gentium fuit deus & conditor, quomodo legem non habentes sibi ipsi sunt lex, insitis ad hoc instructionibus perveniētes. Natura enim per seipsam discendo factore annuente, recipit omnis boni scientiam. Dignatur itaque deus suae providentiae cura non Iudaeos solos, sed etiam ut dixit, universae terrae homines. Vnus enim universorum dominus. Insuper Ludovicus Viues, exponens quod dicit Augustinus lib. 18. de Civitate dei cap. 47. de illis qui legem naturalem integre observantes placuerunt deo. Nec ipsos Iudaeos existimo audere contendere, neminem pertinuisse ad deum praeter Israelitas, ita scribit: Potuerunt enim qui ex gentibus naturam sequebantur eum, illam non pravis iudicij opinionibusque inquinatam & corruptam tam grati esse deo: quam qui legem Moysayca servauerunt: quod enim hi consequuti sunt per legem, illi consequuti sunt sine lege: & qui tales fuere, sine lege eodem quod Iudaei, pervenerunt. Nec inter eos aliud discrimen fuit, quam est, ceu quis viator mandata gerat chartae, itineris rationem, ac veluti formam, alter memoria fidat, aut iudicio. idem etiam nostro tempore continget ei, qui quum nihil de Christo audierit in remotissimis Oceani terris natus, duo illa maxima servaverit mandata, in quibus veritas ipsa legem totam prophetasque constitutos affirmavit de deo & proximo diligendis, huic sua conscientia est lex. Tunc etiam Lyranus enarrans illam Pauli auctoritatem: Cum enim gentes quae legem non habent &c. dicit Paulum declarasse, gentes habuisse legem naturalem sibi a deo insitam, idcirco facientes contra dictamen illius legis merebatur puniri, & viventes secundum ipsam, premio donari: eam ob causam observatio legis naturalis cum fide & cultu unius dei ad quem inducebat ratio naturalis aliquo modo sufficit ad salutem usque ad publicationem Evangelij, quia non tenebatur legem Moysaycam quam non receperant, observare. Et paulopost dicit, legem scriptam divinam vel humanam, a lege naturali dimanare, quantum ad agibilia: quia prima agibilium principia sunt impressa intellectui practico, ex quibus derivantur leges quasi quaedam conclusiones, sicut intellectui speculativo, impressa sunt prima principia speculabilium, ex quibus derivantur scientiae, tanquam quaedam veritates conclusae. Ultima Assertionis pars, est Augustini exponentis psalmum illum, Prauaricantes deputavi omnes peccatores terrae, ubi ita scribit: Numquid autem lex ista naturalis non erat in populo Israel? Erat plane, quoniam & ipsi homines erant. Sine lege autem naturali essent, si praeter naturam humani generis esse potuissent, multo magis ergo prauaricatores facti sunt lege divina, qua naturalis illa siue instaurata siue aucta siue firmata est. iam vero si in omnibus peccatoribus terrae non incongrue deputatur & parvuli propter originalis vincula peccati, etiam ipsi in similitudine prauaricationis Adae ad illam prauaricationem pertinere monstrantur, quae data lege in paradiso prima commissa est. Ac per hoc recte nullo prorsus excepto prauaricatores aestimantur omnes peccatores

Ludovicus Viues.

Lyranus.

Psalm. 118. Augustinus

terrae. Omnes autem peccaverunt, & egent gloria dei. Omnes igitur praevaticantes gratia saluatoris inuenit, alios magis, alios minus. Quanto enim legis maior in quocunque cognitio, tanto minor peccati excusatio: quanto minor peccati excusatio, tanto manifestior praevaticatio. restabat ergo ut omnibus non sua, sed dei, id est a deo donata iustitia subveniret.

CAPVT VI.

H Ex Moysi data per angelos, neminem iustificabat, quam nullus ex se adimplere potuit.] Primam Assertionis partem, ex doctrina Pauli ad Galatas, probabimus, ubi inquit: Lex ordinata est per angelos, in manu mediatoris. Nec aliud praetedit Paulus quam quod doceat, dominum dedisse legem Moysi: idoneo siquidem veterum sanctorum legislatori, angelorum tamen ministerio. & cum dominus in veteri instrumento, in quo Hebraeorum instituta expenduntur, Moysi loquitur, id angeli officio & legatione intelligendum putemus. Angelum siquidem habuit suae vocis suarumque legum praekonem, qui Moysi ostenderet quamnam debebat filius Israel praecipere, aut prohibere, uti in Exodo scriptum est: Dixit dominus ad Moysen, Ascende ad me in montem, & esto ibi, daboque tibi tabulas lapideas, & legem ac mandata, quae scripsi ut doceas filios Israel. Et in 7. Actorum capite dicit Lucas, Hic est qui fuit in Ecclesia, in solitudine cum angelo, qui loquebatur ei in monte Sina. Astipulator & huic sententiae Hieronymus enarrans illum Pauli locum, ubi dicit: Hoc vult intelligi, quod in omni veteri testamento, ubi angelus primum visus refertur, & postea quasi deus loquens inducitur, angelus quidem vere ex ministris pluribus quicumque sit visus, sed in illo mediator loquatur qui dicat: Ego sum deus Abraham, deus Isaac, & deus Iacob. Nec mirum si deus loquatur in angelis, cum etiam per angelos qui in hominibus sunt, loquatur deus in prophetis, dicente Aggeo. Et ait angelus qui loquebatur in me, ac deinceps inferente, Haec dicit dominus omnipotens. Neque enim angelus qui esse dictus fuerat in propheta, ex sua persona audebat loqui: Haec dicit dominus omnipotens. Manu mediatoris, potentiam & virtutem eius debemus accipere. Qui cum secundum deum unum sit ipse cum patre, secundum mediatoris officium alius ab eo intelligitur. Et quia lectionis ordo confusus est, & hyperbaro perturbatur, hunc Paulinae sententiae sensum reddit: Lex posita est per angelos, in manu mediatoris, propter transgressiones ordinata per angelos, donec veniret semet, cui repromissum erat. Semen autem haud dubium, quin Christum significet, qui ex Matthaei quoque principio comprobatur esse filius Abraham, scriptura referente, Liber Generationis Iesu Christi, filij David, filij Abraham. Dicit quoque Chrysostomus eandem Pauli auctoritatem attingendo, Aut sacerdotes vocat angelos, aut sentit ipsos etiam angelos subministrasse ferendam legem. Mediator autem hic appellat Christum, declarans quod is ante legem fuerit, ipseque legem dedit. Idem sentit Theophylactus. Quod autem lex data sit per Moysen, non solum velim ex loco Exodi citato probatum iri, verum etiam ex Evangelio Ioannis, in hunc modum dicitis: Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. ubi dicit Augustinus: Per seruum lex data est, reos fecit: per imperatorem indulgentia data est, reos liberavit. lex per Moysen data est, non sibi aliquid amplius servus assignet, quam quod per illum factum est, electus ad magnum ministerium tanquam fidelis in domo, sed tamen servus agere secundum legem potest, solvere a reatu legis non potest. lex ergo per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Et forte aliquis dicat, Et gratia & veritas non est facta per Moysen qui vidit deum: statim subiecit, Deum nemo vidit unquam. dicit etiam 2. parte quaestionum ex Novo Testamento, quaestione 30. eundem Ioannis locum petraendo: Videndum est quid sit, lex per Moysen data est. Per Moysen autem lex data, manifesta habet praeccepta, Non occides, non fornicaberis, talia & caetera sunt. Sed scripsit & historiam in qua usque ad adventum saluatoris quae esset veritas manifestata non erat. Cum ergo per Christum manifestatur, cuius persona dicat, faciamus & quae sit quae faciat, & PP. iij.

Roma. 3.

Gala. 3.

Exo. 24.

Hieronymus

Exo. 3.

Zacha. 2.

Matth. 1.

Chrysostomus

Theophyl.

Ioan. 1.

Augustinus

Exo 3. quis fuerit qui in rubo, aut patriarchis visus sit, & qui in petram cum aquam ipse
 1. Corin. 10. produxit, operatus sit, quia petra (inquit) erat Christus. sit ergo veritas per Christum,
 dum ea quae in dubium veniebant, quid significet intelliguntur. Itaque lex per Moy-
 sen data reos constituit peccatores. Gratia autem promissa in lege adueniens donatis
 peccatis peccatores morte priuauit. Ordo ergo primus fuit legem dare, postea vero
 misericordiam: quae tunc sit gratia, dum donat peccata. Antequam enim promissio erat,
 quae postea sit gratia. Veniet (inquit) ex Sion qui eripiat, & auertat impietatem ab
 Iacob. Haec promissio per Christum facta est gratia, dum donat gratis peccata. Quo-
 modo autem donaret peccata, si non prius legem daret per quam reus factis ven-
 dia largiretur? Nam non daret, nisi quod sibi debebatur: debere autem non poterat,
 nisi lex praecederet. Tum etiam libro decimo, de Ciuitate dei, capite decimotertio,
 dicit: Cum igitur oporteret dei legem in edictis angelorum terribiliter dari non
 vni homini, paucisve sapientibus, sed vniuersae genti, & populo ingenti: coram eo-
 dem populo magna facta sunt in monte, vbi lex per vnum dabatur, conspiciente
 multitudine metuenda, ac tremenda quae fiebant. Non enim populus Israel sic Moy-
 si credidit, quemadmodum suo Lycurgo Lacaedemonij, quod à Ioue siue Apolline
 leges quas condidit accepisset. Cum enim lex dabatur populo, qua coli vnus iu-
 bebatur Deus, in conspectu ipsius populi quantum sufficere diuina prouidentia iu-
 dicabat, mirabilibus rerum signis & motibus apparebat, ad eandem legem dandam
 creatori seruire creaturam. ¶ Secundam Assertionis partem ex Paulo deducam,
 qui in primis in Epistola ad Romanos ostendit neminem iustificatum fuisse ex ope-
 ribus legis Mosaycae, sed ex sincera Christi fide. Sic enim scribit, Scimus autem quo-
 niam quaecumque lex loquitur, his qui in lege sunt loquitur. Vt omne os obstruatur,
 & subditus fiat omnis mundus deo, quia ex operibus legis non iustificabitur omnis
 caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati. Nunc autem sine lege iustitia dei
 manifestata est, testificata à lege & prophetis: iustitia autem dei per fidem Iesu Chri-
 sti in omnes, & super omnes qui credunt in eum. Non enim est distinctio. Omnes
 enim peccauerunt, & egēt gloria dei, iustificati gratis per gratiam ipsius, per redem-
 ptionem quae est in Christo Iesu, quem proposuit deus propitiatorem per fidem in
 sanguine ipsius ad ostensionem iustitiae suae propter remissionem praecedentium
 delictorum in sustentatione dei, ad ostensionem iustitiae eius in hoc tempore, vt sit
 ipse iustus & iustificans eum qui ex fide est Iesu Christi. Vbi est ergo gloriatio tua?
 exclusa est. Per quam legem? factorum? Non, sed per legem fidei. Arbitramur enim
 iustificari hominem per fidem sine operibus legis. Et ad Galatas cocutiendo super-
 cilium & arrogantiam Iudaeorum, qui putabant se tantum ex operibus iustificari, di-
 cit: Nos natura Iudaei & non ex gentibus peccatores. Scientes autem quod non iu-
 stificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi: & nos in Christo Iesu
 credidimus, vt iustificemur in fide Christi, & non ex operibus legis. & infert, Pro-
 pter quod ex operibus legis, non iustificabitur omnis caro. Haec edisserens Hiero-
 nymus dicit, Aiunt quidam si verum hoc sit quod Paulus affirmat, ex operibus le-
 gis neminem iustificari, sed ex fide Iesu Christi, patriarchas & prophetas & sanctos,
 qui ante Christi aduentum fuerunt, imperfectos fuisse. Quos admonere debemus,
 eos hic dici iustitiam non consequutos, qui tantum ex operibus iustificari posse se
 credunt: sanctos autem qui antiquitus fuerint, ex fide Christi iustificatos. Siquidem
 Ioa. 8. Abrahā vidit diem Christi, & laetatus est. Et Moyses maiores diuitias aestimauit the-
 Hebr. 11. fauro Aegyptiorum improprium Christi. aspiciebat enim in remunerationem.
 Esa. 6. Et Esaias vidit gloriam Christi, vt Ioannes Euangelista commemorat, & Iudas de
 Iudic. 1. omnibus generaliter: Comonere (inquit) vos volo scientes semel omnia, quoniam
 Iesus populum de terra Aegypti saluans, secundo eos qui non crediderunt, perdi-
 dit. Vnde non tam legis opera damnantur, quam hi qui tantum ex operibus iustifi-
 cari se posse confidunt. Saluatore quoque ad discipulos loquente: Nisi superabunda-
 uerit iustitia vestra plus quam Scribarum & Pharisaorum, non intrabitis in regnum

caelorum. Congregandum in hoc loco quanta in lege praeccepta sint, quae exple-
 re nullus queat. Et e contrario dicendum quaedam legis etiam ab his fieri qui igno-
 rent eam. Sed ideo non iustificari operatores eius, quia absque lege Christi fiant,
 verbi gratia, non dormire cum viro dormitione mulieris, non adulterari, non rapere,
 sed magis honorare patrem & matrem, & caetera quae imperata sunt facere.
 Quod si de sanctis viris nobis exempla protulerint, quod in lege versati, ea quae
 legis fuerant, perpetrarint, dicemus, Quia iusto lex non est posita, sed iniquis & non
 subditis, impijs & peccatoribus, contaminatis & immundis. Qui autem à deo do-
 ctus sit, non habere eum necesse, vt vel de charitate doceatur, Paulo dicente, De
 1. Timot. 1. charitate autem non necesse habeo scribere vobis, ipsi enim vos à deo docti estis,
 vt diligatis inuicem. Et aliubi dicit Paulus de eadem re differens, Quoniam autem
 1. Thessa. 4. in lege nemo iustificatur apud deum manifestum est. Quia iustus ex fide viuunt, lex
 Abac. 2. autem non est ex fide, sed qui fecerit ea viuet in illis. Et rursus efficacissimo argu-
 Gal. 3. mento probat legem veterem, nunquam viuificasse spiritualiter, dicens, Si enim da-
 ta esset lex quae posset viuificare, vere ex lege esset iustitia, sed prius sua sit legem
 non iustificare, neque igitur lex viuificat, & exploratissimum est Paulum loqui de
 lege Mosayca. Chrysostronus hunc edisserens locum dicit, Si in lege vita spiritum
 Chrysostr. habuissimus, & haec potestatem habuisset nostrae salutis, fortassis ista recte diceres.
 Contra si per fidem seruaris, etiam si lex reddat execrabiles, nihil detrimenti capie-
 bas, posteaquam venit fides omnia dissolvens. Nam si per legem fuisset repromissio,
 iure metueres ne exclusus à lege, simul & à iustitia excluderis. At si ideo data est
 lex vt omnes concluderet, hoc est coargueret, ostenderetque eis ipsorum pecca-
 ta, non solum non obstat, quominus consequaris repromissiones, verum etiam con-
 fert ad eas adipiscendas. Hoc itaque significans dicebat, Sed conclusit scriptura om-
 nia sub peccato, vt promissio per fidem Iesu Christi daretur credentibus. Confir-
 mabimus eandem veritatem ex Actis Apostolorum, in quibus scriptum est, No-
 rum igitur sit vobis, viri fratres, quod per hunc vobis remissio peccatorum annun-
 tiatur ab omnibus quibus non potuistis in lege Moyse iustificari, in hoc omnis qui
 credit iustificatur. Tum etiam huic applaudit Assertioni Augustinus libro tertio,
 contra duas Epistolas Pelagianorum ad Bonificium capite quarto, dicens: Per Moy-
 sen quippe reuelatum est testamentum vetus, per quem data est lex sancta & iu-
 sta & bona, per quam fieret non abolitio, sed cognitio peccati, qua conuincerentur
 superbi suam iustitiam volentes constituere, quasi diuino adiutorio non egentes,
 & rei facti literae cofugerent ad gratiae spiritum, non sua iustitia iustificandi, sed dei,
 hoc est, quae illis esset ex deo. Nam sicut idem Apostolus loquitur, Per legem cog-
 nitio peccati. Nunc autem sine lege iustitia dei manifestata est, testificata per legem
 & prophetas. Lex quippe eo ipso quo in ea nemo iustificatur, testimonium perhi-
 bet iustitiae dei. Quod in lege nemo iustificatur apud deum, manifestum est. Quia
 iustus ex fide viuunt. Sic ergo cum lex non iustificat impium de prauaricatione con-
 uictum, mittat ad iustificantem deum, atque ita iustitiae dei perhibet testimonium:
 prophetae vero testimonium perhibent iustitiae dei, prenuntiando Christum, qui fa-
 ctus est nobis sapientia à deo & iustitia & sanctificatio & redemptio, vt quemad-
 modum scriptum est, Qui gloriatur, in domino gloriatur, & enarrando illum psal-
 mographi locum, Propter legem tuam sustinui te domine, dicit: Quam legem? Quae
 Psal. 119. reos facit. Data est enim lex facta, iusta, bona Iudaeis, sed reos eos potuit facere. Non
 data est lex quae posset viuificare, sed quae ostenderet peccata peccatori. Peccator
 enim oblitus erat se, nec videbat se: data est illi lex, vt videret se: fecit reum lex,
 liberavit lator legis. Lator enim legis, imperator est, lex data est quae terreat & con-
 stringat in reatum, & non soluit lex à peccatis, sed ostendit peccata. Et forte sub ip-
 sa lege positus, animaduertit iste in profundo quanta fecerit contra legem, & sic
 exclamauit dicens: Si iniquitates obseruaueris domine, domine quis sustinebit? Est
 Psal. 119. ergo lex misericordiae dei, lex propiciationis dei. Illa timoris fuit, est alia lex cha-
 PP. iiii.

ritatis. Lex charitatis dat veniā peccatis, delet präterita, admonet de futuris, in via nõ deserit comitem, comes fit ei quem ducit in via. Et Sermone decimotertio, de verbis Apostoli, colligedo ex illa Pauli ratiocinatione: Si enim data esset lex quæ posset viuificare, omnino esset ex lege iustitia, dicit: Si ergo nõ est data lex, quæ posset viuificare, quare data est? Sequitur & ostendit quare fit data, quia etiā sic in adiutoriū data est, ne te sanum putares. Siquidem conclusit scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Quando audis promissorem, expecta factorem. Idonea fuit humana natura per liberum arbitrium vulnerare se, sed iam vulnerata & fauciata, non est idonea per liberum arbitrium sanare se. ¶ Verum obijciat aliquis, Dicit Paulus, Non enim audiores legis iusti sunt apud deum, sed factores legis iustificabuntur. quod si factores legis iustificentur, videretur igitur lex antiqua iustificare. Non vrget hæc ratio. Licet enim factores legis iustificentur apud deum, illorum tamen iustificatio non pendet potissimum à lege sed à gratia saluatoris, vt ostendit Augustinus libro vno de Spiritu & litera, capite 26. Nam dicit idem Paulus, Arbitramur iustificari hominem per fidē sine operibus legis. cuius sentētia planē cognoscimus opera non præcedere iustificationē. Aperte quippe aliubi dicit: Si gratia, iam nõ ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia. Nec etiam Paulus loquitur solū de lege Mosayca, cum dicit, Factores legis iustificabuntur, cū id possit & appositē legi Euāgelicæ accommodari. Rursum opponet, Dicit Paulus 10. capite ad Romanos, Moyses enim scripsit, Quoniam iustitiam quæ ex lege est, qui fecerit homo, viuet in ea: videtur igitur quod lex illa iustificabat, & vitam spiritalem præstabat. Respondeo locum illum esse intelligendū de vita corporea, & temporanea, & non spiritali, ita quod obseruantes opera legis Mosaycæ, non incurrebāt mortem corpoream, quam in multis casibus incurrisissent, si legem transgressi fuissent. Huius est sentētiæ Glossa interlinearis, pariter & Lyranus in eūdem locum. ¶ Tertiam Assertionis partem ex doctoribus Ecclesiasticis tutabimur, loquens Hieronymus de Iudæorum ceremonijs, libro 1. aduersus Iouinianum dicit, Quod autem nobis obijcit, in secunda dei benedictione, comedēdarum carnium licentiam datā, quæ in prima concessa non fuerat, sciat quomodo repudium iuxta eloquium saluatoris ab initio non dabatur, sed propter duritiam cordis nostri per Moysen humano generi concessum est, sic & esum carniū vsque ad diluuiū ignotum fuisse. Post diluuium verò quasi in eremo murmuranti populo coturnices, ita dentibus nostris neruos & virulentias carnis ingestas. Docet Apostolus scribens ad Ephesios, deum proposuisse in adimplatione temporum recapitulare omnia, & ad principium trahere in Christum Iesum, quæ sunt super cælos & super terram. Vnde & ipse saluator in Apocalypsi Ioannis: Ego sum, inquit, α & ω. Initium & finis. Ab exordio cōditionis humanæ, nec carnibus vescēbamur, nec dabamus repudiū, nec præputia nobis eripiebātur in signum. Hoc cursu vsque ad diluuium peruenimus. Post diluuium autem cum datione legis quā implere nullus potuit, carnes ingestæ sunt ad vescēdum, & repudia concessa duritiæ, & cultellus circumcisionis appositus, quasi dei manus plus in nobis creauerit, quàm necesse est. Postq̄ autem Christus venit in fine temporū & ω reuoluit ad α, & extremitatem retraxit ad principiū, nec repudium nobis dare permittitur, nec circūcidimur, nec comedimus carnes, dicente Apostolo, Bonū est vinum non bibere, & carnes non comedere. Et vinū enim cū carnibus post diluuium dedicatū est. Hæc ille. Liberius q̄ nos loquitur Hierony. de antiqua lege quā, inquit, nullus adimplere potuit: nos autē adiecimus, ne cuipiā præberemus offēdiculum, ex se. Siquidē lex si nullo modo à nobis obseruari possit, nõ est dicenda lex, nec nobis impossibilia præcipiuntur. vult igitur innuere Hiero. neminem ex se & absq; diuino subsidio potuisse legē illam austeram & rigidam consideratis iudiciorū, & ceremoniarum præceptis adimplere. & hoc approbare possumus ex his quæ dicit Petrus, in Actis Apostolorum: Nūc ergo quid tentatis deum, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque nos neque patres nostri

portare potuimus? Hunc locum doctē explicat Lyranus, & in quo sensu nostra assertio debeat intelligi: Hoc (inquit) dicitur de iudicialibus præceptis & ceremonialibus propter iudicialium feueritatem, & ceremonialium multitudinem. Moralia vero præcepta quæ innituntur dictamini legis naturalis, obseruari possunt, & remanēt in lege noua. Vnde dicit Hieronymus in expositione fidei catholicæ: Anathema sit qui dicit deum aliquid impossibile præcepisse, sed dicuntur inobseruabilia, quia de difficili obseruabilia, sicut dicitur aliquid intrāsibile quod est de difficili trāsibile, 5. Metaphysices. Adde quod Augustinus in enarratione psalmi 143. differens de quinque lapidibus quos tulit Dauid de Iordane, vt profigaret Goliath, ostendit neminem absque dei gratia potuisse legem adimplere. Meministis (inquit) quanta in veteri lege legamus & non obseruamus, sed tamen ad aliquam significationem præmissa & posita esse intelligamus, non vt abijciamus legem dei, sed vt sacramenta promittentia, impleta promissione non celebremus. Quod enim promittebāt, venit. Gratia enim noui testamenti in lege velabatur, in Euangelio reuelatur, velum remouimus, quod velabatur agnouimus. Agnouimus autem in gratia gratiam domini nostri Iesu Christi capitis & saluatoris nostri, qui pro nobis crucifixus est, quo crucifixo etiam velum templi conscissum est. Denique arma viæ ille posuit, tanquam onera sacramentorum veteris legis, & ipsam legem accepit. Quinque enim lapides quinque libros Moyfi significant. Tulit ergo illos quinque lapides de flumine. Nostis quid sit fluuius? Labitur enim mortale seculum, & præterfluit quicquid venit in mundum. Erant ergo in flumine, tanquam in populo illo primo lapides, illic erant inutilis, vacabant, nihil proderant, transibāt sicut fluuius. Quid fecit Dauid vt lex ipsa utilis esset? Accepit gratiam. Lex enim sine gratia impleri non potest. Plenitudo enim legis est charitas. Et vnde est ista charitas? Vide si nõ ex gratia, charitas (inquit) dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis. Quia ergo gratia fecit impleri legem, significatur autem gratia lacte. Hoc enim est in carne gratuitum, vbi mater non quærit accipere, sed satagit dare. Hoc mater gratia dat & contristatur si desit, qui accipiat. Quomodo ergo ostendit Dauid legem sine gratia operari non posse, nisi cū illos lapides quinque quibus significabatur lex in libris quinque coniungere volens gratiæ posuit in vase pastoralis, in quo lac mulgere consueuerat? His armatus, gratia vtique armatus, & ideo præsumēs non de se, sed de domino suo processit aduersus Goliath superbum, se iactantem, de se præsumentem. Tulit vnum lapidem, iecit, inimicum in fronte percussit, cecidit ex eo loco corporis, vbi signum Christi non habuit. Hoc quoque licet attendas: Quinque lapides posuit, vnum misit: libri quinque lecti sunt, sed vnitas vicit. Plenitudo enim legis est charitas. Ostendit etiam libro primo ad Simplicianum quæstione prima, legem sine gratia adimpleri non posse.

CAPVT VII.

I Ex Mosayca Iudæis posita non fuisset, si non deliquissent, quæ obseruatis benedictiones carnales & bona tēporanea promittebat. ¶ Priorem Assertionis partem ex Pauli doctrina colligemus, qui postquam in epistola ad Galatas ostendit legem post quadringentos & triginta annos factam esse, à qua hæreditas non pendebat, sed à promissione, tandē concludit legem propter transgressionem positam esse, donec veniret semen cui promissum erat: quem locum enarrans Hieronymus, dicit: Quia manente repromissione quæ facta fuerat ad Abraham, lex postea data per Moysen frustra videbatur illata, cur data sit explicat. Propter transgressiones (inquit). Post offensam enim in eremo populi, post adoratum vitulum & murmur in dominum, lex transgressiones prohibitorum successit. Iusto quippe lex non est posita, iniquis autem & non subiectis, impijs & peccatoribus, & vt alius reperam, post idololatriam cui in Aegypto fuerant mancipati, ita vt deum patrum suorum obliuiscerētur, & deinceps dicerent, Isti sunt dii tui Israel qui eduxerunt te de terra Aegypti, ritus colendi deum, & delinquentium

Lyranus.

Augustinus
1. Reg. 17.

Matth. 27.

Roma. 13.
Roma. 5.

Gala. 3.

Hieronymus

Exo. 16
& 32.

1. Timo. 1.

poena sancita est in manu mediatoris Christi Iesu, quia omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: non solum caelum, terra, mare, & vniuersa quae cernimus, sed etiam illa quae per Moysen duro populo, quasi iugum legis imposita sunt.

Chryso. Dicit etiam Chrysothomus ad eundem locum, Quoniam Paulus extulerat fidem, declarans eam fuisse antiquiorem lege, ne quis existimaret legem esse superuacaneam, hanc quoque partem corrigit, demonstrans eam non frustra, sed admodum vtiliter fuisse datam: Ob transgressiones (inquit) addita fuit: hoc est, ne liceret Iudaeis secure viuere, atque in extremam prolabi malitiam, sed lex illis freni vice foret imposita, erudiens, componens, prohibensque transgredi si minus omnia, certe aliquot praecipua. Itaque non mediocris erat ex lege fructus. Eiusdem est sententia Theophylactus: adde quod Glossa ordinaria eandem Pauli sententiam edifferens, varias assignat rationes propter quas lex est instituta: Posita est (inquit) in medio inter promissionem & semen cui facta est promissio, id est, inter Abraham & Christum, ut populum erudiret sub timore dei, ut dignus fieret excipere promissionem quae est Christus: vel propter transgressiones, id est, ut homo superbe suis viribus confidens, acciperet praecipua in quibus deficiens & factus prauaricator liberatorem saluatorumque requireret. Data est ergo lex ad domadam hominis superbiam, eiusque prodeandam infirmitatem. Data est etiam duris in flagellum: data est etiam in signum futurorum, ut futura figuris attestaretur. Ecce quatuor causas datae legis breuiter distinctas. Existimat Lyranus Paulum tacita quaestioni respondere: quia dixerat Apostolus ex lege non esse iustitiam nec benedictionem, nec haereditatis consecutionem: sed per fidem quae etiam fuit in patribus ante legem. Ideo posset aliquis quaerere ad quid lex Moysaica fuit data, quia hoc videtur fuisse frustra: & sane illud est quod dicit Paulus: Quid igitur lex? id est, ad quid est utilis? Et quaestioni quae suboriri poterat, respondet dicens: Propter transgressionem, ut peccata punirentur, siquidem in lege determinantur certae & graues poenae pro determinatis peccatis, quarum terrore cohibebantur homines a peccatis vsque ad tempus legis euangelicae, quae est lex amoris. Et hoc est quod dicitur propter transgressionem scilicet puniendam & reprimendam lex est posita. Applaudit & huic veritati Ambrosius libro nono Epistolarum, epistola 71. dicens: Si naturalem legem, quam deus creator infudit singulorum pectoribus, homines seruare potuissent, non fuerat opus ea lege quae in tabulis scripta lapideis implicauit atque innodauit magis humanam generis infirmitatem, quam elaqueauit atque absoluit. Adde quod Augustinus libro vno expositionis epistolae ad Galatas, differens non vulgariter de lege quam transgressio aduexit, sic loquitur: Sequitur quaestio satis necessaria, si enim fides iustificat, & priores sancti qui apud deum iustificati sunt, per ipsam iustificati sunt, quid opus erat legem dari? Quam quaestionem tractandam sic intulit Paulus, interrogans & dicens: Quid ergo? Hucusque enim interrogatio est, deinde infertur responsio: Lex transgressionis gratia proposita est, donec veniret (inquit) semen cui promissum est, dispositum per angelos in manu mediatoris. Mediator autem vnus non est, deus vero vnus est. Mediatorem Iesum Christum secundum hominem dici, ex illa eiusdem Apostoli sententia fit planius, cum ait: Vnus enim deus, vnus & mediator dei & hominum homo Christus Iesus. Et paulo post dicit fusius hanc pertractando quaestionem: Superbienti ergo populo lex posita est, ut quando gratiam charitatis nisi humiliatus accipere non posset, & sine hac gratia nullo modo praecipua legis impleteret, transgressione humiliaretur, ut quaereret gratiam, nec se suis meritis saluum fieri quod superbum est, opinaretur, ut esset non in sua potestate & viribus iustus, sed in manu mediatoris iustificantis impium. Per angelos autem ministrata est omnis dispensatio veteris testamenti agente in eis spiritu sancto & ipso verbo veritatis nondum incarnato, sed nunquam ab aliqua veridica administratione recedente, quia per angelos disposita est ipsa dispensatio legis cum aliquando suam, aliquando dei personam, sicut prophetarum etiam Moyses agerent, perque illam legem morbos ostendentem, non

auferentem etiam prauaricationis crimine contrita est superbia. Dispositum est per angelos sed in manu mediatoris, ut ipse liberaret a peccatis iam per transgressionem legis coactos confiteri opus sibi esse gratiam & misericordiam domini, ut sibi peccata dimitteretur, & in noua vita per eum qui pro se sanguinem fudisset, reconciliarentur deo. In istis enim erat per transgressionem legis infringenda superbia, qui gloriantes de patre Abraham, quasi naturalem se iactabant habere iustitiam, & merita sua in circuncisione ceteris gentibus tanto perniciosius, quanto arrogantius praeferebant. Gentes autem facillime etiam sine huiusmodi legis transgressionem humiliarentur. Homines enim nullam ex parentibus originem iustitiae se trahere prauidentes, simulachrorum etiam seruos inuenit euangelica gratia. Non enim sicut istis dici poterat, non fuisse illam iustitiam parentum eorum in colendis idolis, quam esse arbitrabantur, ita etiam Iudaeis dici poterat falsam fuisse iustitiam patris Abraham. Itaque illis dicit: Facite ergo fructum dignum poenitentiae, & ne dixeritis vobis patrem habemus Abraham: potens est enim deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham. Istis autem dicitur: Propter quod memores estote, quia vos aliquando Gentes eratis in carne, qui dicebamini praeputium, ab ea quae dicitur circuncisio in carne manufacta, quod eratis illo tempore sine Christo, alienati a societate Israel, & peregrini testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine deo in hoc mundo. Denique illic infideles de oliua sua fracti, hic autem fideles de oliua in oliuam illorum inserti esse monstratur. Illorum ergo erat de legis transgressionem conterenda superbia. Sicut ad Romanos cum scripturarum verbis peccata eorum exaggerasset: Scitis autem (inquit) quoniam quaecumque lex dicit, his qui in lege sunt loquitur, ut omne os obstruatur, & reus fiat omnis mundus deo. Iudaei scilicet de transgressionem legis, & Gentes de impietate sine lege. Vnde & iterum ait: Conclufit enim deus omnia in incredulitatem, ut omnibus miferetur. Hoc & nunc dicit refricans ipsam quaestionem: Lex ergo aduersus promissa dei? Absit. Si enim data esset lex quae posset viuificare, omnino ex lege esset iustitia: sed conclusit scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Non ergo data est lex ut peccatum auferret, sed ut sub peccato omnia concluderet. Lex enim ostendebat peccatum esse, quod illi per consuetudinem carni possent putare iustitiam, ut hoc modo humiliati cognoscerent non in sua manu esse salutem suam, sed in manu mediatoris. Maxime quippe humilitas reuocat, vnde nos dececit superbia. Et ipsa humilitas est accommodata percipiendae gratiae Christi, qui singulare humilitatis exemplum est, ne quisquam hic tam imperite dixerit, Cur ergo non profuit Iudaeis quod per angelos legem ministrantes in manu mediatoris dispositi sunt? Profuit enim quantum dici non potest. Quae enim gentium Ecclesiae venditarum rerum suarum pretia ad pedes apostolorum posuerunt, quod tot millia hominum tam repente fecerunt? Nec turbae infidelium consideranda sunt, omnis enim area multis partibus amplioem habet paleam quam triticum. Vnde etiam illa eiusdem Apostoli verba ad Romanos, nisi de sanctificatione Iudaeorum? Quid ergo? Nunquid repulit deus plebem suam? Absit. Nam & ego Israelita sum ex semine Abraham, de tribu Benjamin: non repulit deus plebem suam, quam praesciuit. Cum autem laudaret praeter ceteris Ecclesijs Gentium, Ecclesiam Thessalonicensium, similes eos factos Ecclesijs Iudaeae, quia multa a contribulibus suis pro fide passi erant, quomodo & illi a Iudaeis. Hinc est & illud quod paulo ante commemorauimus, quod ait ad Romanos: Si enim spiritualibus eorum communicauerunt Gentes, debent & in carnalibus ministrare eis. De ipsis ergo Iudaeis etiam consequenter dicit: Prius autem quam veniret fides, sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidem quae postea reuelata est. Ut enim tam prope inuenirentur, etiam de proximo ad deum venditis suis rebus accederent, quod dominus eis praecipit, qui vellent esse perfecti. lege ipsa factum est, sub qua custodiebantur conclusi in eam fidem, id est, in aduentum eius fidei quae postea reuelata est: conclusio enim eorum erat tum, timor vnus dei. Et

Matth. 3.

Roma. 3.

Roman. 11.

Gala. 3.

Roma. 11.

Roman. 15.
Galar. 3.

quod praevicariatores ipsius legis inveniunt, non ad perniciem, sed ad utilitatem valuit eis qui crediderunt: cognitio enim maioris aegritudinis, & desiderari medicum vehementius fecit, & diligere ardentius. Cui enim plurimum dimittitur, plurimum diligit. Et libro primo quaestionum ad Simplicianum, quæst. 1. explicans illum Pauli locum: Peccatum non cognovi nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces: dicit legem ad hoc datam esse, non vt peccatum infereretur, neque vt stirparetur, sed tantum vt demonstraretur, quo animam humanam quasi de innocentia securam, ipsa peccati demonstratione ream faceret. Vt quia peccatum sine gratia dei vinci non posset, ipsa reatus sollicitudine ad percipiendam gratiam converteretur. Ad hæc, in libello de Pœnitentiæ medicina (si tamen sit Augustini) cap. 1. dicit ad hoc legem datam esse, vt superbo infirmitatem suam notam faceret, infirmo pœnitentiã suaderet. Ad hoc etiam lex data est, vt vulnera ostenderet peccatorum, quæ gratiæ benedictione sanaret. Ad hoc etiam lex data est, vt diceremus in conuallibus plorationis, Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuam me in lege peccati, quæ est in membris meis. Et cum ipso ploratu clamarem, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et succurrerit nobis exaudiente deo qui erigit elisos, & soluit compeditos, illuminat cæcos gratia dei per Iesum Christum dominum nostrum.

Pfal. 144.
Pfal. 145.
Hieronymus
Gala. 5.
¶ Secundam Assertionis partem ex Hieronymo decerpimus, enarrante quod scribit Paulus ad Galatas de circuncisione & præputio, In Christo Iesu neque circuncisio aliquid valet, neque præputium: sed fides quæ per charitatem operatur: vbi dicit, Ex eo tempore quo Euangelium in toto orbe radiavit, superflua est circuncisionis iniuria. Quæ tunc vt cætera quoque legis valuit, quando & benedictiones carnales legem seruantibus spondebantur. quod scilicet, si impleissent eam, benedicti essent in ciuitate, benedicti in agro, plena haberent horrea, & multa alia quæ in repromissionibus continentur. Nos autem in Christo Iesu valere volumus & confortari, id est in vera circuncisione, & non in circuncisione Iudaica. Neque enim qui in aperto Iudæus est, neque manifesta in carne circuncisio: sed in abscondito Iudæus, & circuncisio cordis in spiritu, non litera. Nihil itaque prodest in Christo carnis circuncisio, sed cordis & aurium, quæ aufert illud opprobrium Iudæorum. Possimus & hanc tueri assertionem ex veteris instrumenti scripturis, in quibus dicit dominus: Custodite leges meas atque iudicia, quæ faciens homo, viuet in eis. Et notissimum est hæc (vt prius docuimus) esse intelligenda de vita temporanea & benedictionibus carnalibus, quibus tamen spirituales adumbrabantur. Et rursum, Possidete terram eorum quam dabo vobis in hæreditatem, terram fluentem lacte & melle. Iterum, Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluuias temporibus suis, & terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur. Apprehendet messium tritura vindemiã, & vindemia occupabit sementem, & comedetis panem vestrum in saturitate, & absque pauore habitabitis in terra vestra. Dabo pacem in sinibus vestris, dormietis, & non erit qui exterreat. Auferam malas bestias, & gladius non transibit terminos vestros. Persequimini inimicos vestros, & corruent coram vobis. Persequentur quinque de vestris centum alienos, & centum de vobis decem milia. Cadent inimici vestri gladio in conspectu vestro. Respiciã vos, & crescere faciam, multiplicabimini, & firmabo pactum meum vobiscum. Comedetis vetustissima veterum, & vetera nouis superuenientibus proieciẽtis. Ponã tabernaculum meum in medio vestri, & non abijciẽt vos anima mea. Ambulabo inter vos & ero deus vester, vobisq; eritis populus meus.

Leuiti. 18.
Leuit. 20.
Leuiti. 26.
Deut. 4.
Deut. 7.

custodieris ea & feceris, custodiet & dominus deus tuus pactum tibi, & misericordiam quam iurauit patribus tuis, & diliget te, ac multiplicabit, benedicetq; fructui ventris tui, & fructui terræ tuæ, frumento tuo atq; vindemiã, oleo & armentis, gregibus ouium tuarum super terram pro qua iurauit patribus tuis, vt daret eam tibi, benedictus eris inter omnes populos. Ad hæc dicit dominus: Si ergo obedieritis mandatis meis quæ ego hodie præcipio vobis, vt diligatis dominum deum vestrum, & seruiatis ei in toto corde vestro, & in tota anima vestra, dabit pluuiam terræ vestræ temporaneam & ferotinam, vt colligatis frumentum, & vinũ, & oleum, foenumq; ex agris ad pascenda iumenta, & vt ipsi comedatis ac saturemini. Insuper Augustinus nostræ fauet assertioni in quaestionibus ex vtroq; testamẽto commixtis, quæst. 5. dicens: Lex data per Moysen, iustitiam habebat quidem, sed terrenam: vt seruantes legem, iusti essent ad præsens, vt non rei fierent: iustus est enim ex lege, qui nulli nocet. Vnde Apostolus: Lex (inquit) non est ex fide, sed qui fecerit ea, viuet in eis. Hoc est, faciens legem non morietur, sed viuit ad præsens. Iustitia autem quæ ex fide est, iustificat homines apud deum, vt remunerentur in futuro seculo. Addiderunt enim temporali iustitiæ iustitiam fidei. Iustum est enim nosse ex quo, & per quem sumus: vt patris & filij vera confessio ad caelestia regna nos perducatur. Nam & veteres qui nõ solum legis præcepta seruauerunt, sed & deum dilexerunt spem habentes in promissione iustificati sunt apud deum. Et libro 10. de Ciuitate dei, cap. 15. dicit legem cum distributione temporum datam esse, quæ prius haberet promissa terrena, quibus tamen significarentur æterna, quæ visibilibus sacramentis celebrarent multi, intelligerent pauci.

CAPVT VIII.

Ex euangelica legi veteri non aduersatur.] Hanc ex euangelicis & Apostolicis literis Assertionem desumpsimus. Siquidem dicit Christus in Euangelio Matthæi: Nolite putare quoniam veni soluere legem aut prophetas, non veni soluere sed adimplere. Et hunc Matthæi locum enarrans Hieronymus, dicit Christum quæ de se per alios erant prophetata, & ea quæ ante propter infirmitatem audientium rudia & imperfecta fuerant, compleuisse: iram tollens, & vicem talionis excludens, & occultam in mente concupiscentiam. Diuus etiam Chrysostomus eandem Euangelij scripturam edisserens, nostræ assertioni astipulatur, quam præter Christi doctrinam, ex Paulo confirmat, dicente ad Romanos: Legem ergo destruimus per fidem? Absit. Sed legem statuimus, sic ille loquitur: Hoc enim non solum Iudæorum impudentissima illa, sed etiam hæreticorum valet ora frenare, qui veterem legem ex diabolo esse confingunt. Si enim ad dissoluendam tyrannidem illius, Christus aduenit, cur legem eius adeo non soluit vt & impleat? Neq; enim contentus dixisse non soluo, quod vel solum certe sufficeret: addit, impleo. Hoc autẽ dicere non modo non est aduersarij legis, verũ etiam conseruatoris eius atque fautoris. Et qui eam non dissoluit, inquis? Quomodo etiam impleisse vel legem dicitur vel prophetas. Prophetas quidẽ, quia ea quæ de seipso dixerant operibus cuncta firmavit. Propter quod per singula Euangelista dicebat: Vt impleretur quod dictum est per prophetam, & quando natus est dominus, & quando in eum paruuli admirabilem illum hymnum canebant, & cum super asinam sedit, & in alijs omnino multis ea quæ de illo prophetæ aliquando prædixerant, euidenter impleuit: quæ omnia, nisi venisset ipse, impleta proculdubio non fuissent. Legem vero non vno tantum, sed altero & tertio impleuit modo. Vno quidem, quia nihil ex legitimis ipse transgressus est. Nam de omni à se lege completã, audi quid dixerit, Sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Iudæis quoq; dicebat: Quis ex vobis arguet me de peccato? Rursum vero discipulis: Venit (inquit) princeps mundi huius, & in me inuenit nihil. Olim autem etiam prædixerat propheta, quia peccatum non fecit. Vno igitur isto legem impleuit modo. Alio vero, quia per nos quoque idipsum facit. Hoc est quippe mirabile, quia non solum legem im-

Deute. 11.

Augustinus

Gal. 3.

Matth. 5.

Hieronymus

Chrysostoi

Roma. 3.

Matth. 21.

Matth. 3.

Ioan. 3.

Ioan. 14.

Esa. 53.

pleuit ipse, sed idem istud nobis quoque facere donauit, quod Paulus significando dicebat, Quoniam finis legis Christus ad iustitiam omni credenti. Et peccatum illum damnasse dixit in carne, ut iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus. Et rursus, Legem ergo destruimus? Absit. Sed legem statuimus, quia enim studebat lex hominem facere iustum, atque ad hoc inueniebatur infirma, veniens Christus, & per fidem certissimum modum iustificationis inducens, voluntatem legis impleuit. Quod enim illa non potuit, hoc per fidem ipse confecit, propterea quoque dixit: Non veni soluere legem, sed adimplere. Si vero aliquis diligenter examinet, alium quoque tertium modum impleri ab eo legis inueniet. Quae vero istum? Ipsa utique praecepta quae erant daturus. Non enim interitus priorum sed augmentum potius & complementum erant ea quae dicebantur à Christo. Illius quippe sententiae qua dicitur, Non occides, non interemptio sed impletio magis atque munitio est dicere, non irascaris, omniumque similiter ceterorum. Propter quod cum iam semina quaedam citra suspicionem praemississet: nunc cum palam ex veterum nouorumque praeceptorum collatione, orationisque habitu aduersario suspectus futurus videretur, occupatione utitur necessario velut per aenigma, illa inter se comparando. Siquidem dicere, Beati patris spiritu tale est, quale etiam dicere, Nolite irasci. Et Beati mundo corde, simile huic est quod ait, ad concupiscendum mulierem non uidebam. Et Nolite thesaurizare thesauros super terram, & hoc concinit quod ait, Beati misericordes. Et lugere, & persecutiones pati, & opprobria sustinere profecto tale est, quale etiam per angustam viam perseveranter incedere. Et esurire ac sitire iustitiam, nihil aliud est quam quod etiam post in consequentibus loquitur, Quaecumque uultis ut faciant uobis homines, haec etiam uos facite illis. Et cum pacificum appellaret beatum, illud penes dicebat, ut relinqueret ante altare munus, & ad reconciliationem laesi à se fratris accederet, atque aduersario celeriter consentiret. Sed ibi quidem praemia his qui uirtute perficerent, ordinauit. Hic uero non facientibus supplicia comminatur. Propter quod ibi quidem dixit, quia mansueti haereditabunt terram, hic uero quod qui fratrem fratuum uocet, reus efficitur gehennae. Et ibi quidem, Quoniam mundo corde uidebunt deum, hic uero, quod uerus adulter sit qui foeminam aspiciat intemperate. Et ibi, Pacificos filios appellauit dei, hic uero discordes aliunde deterret, ne forte tradat te (inquit) aduersarius iudici. Sic & lugentes, persecutionem ferentes, superius uocat beatos. In consequentibus uero his qui non ea ingrediuntur uiam, perditionem minatur, in qua utique illi sunt qui latam uiam spatiosamque frequentant. Sed & quod dicitur, Non potestis seruire deo & mammonae, huic uidetur aequale quod ait, Beati misericordes, & qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Verum quod paulo ante memorauimus, quia haec ipsa lucidius erat profecto dicturus: nec lucidius modo, uerum etiam cum mulatius, plurima scilicet alia illis quam dixerat, additurus. Non iam enim uisitatam misericordem requirit, sed etiam tunica te exui iubet ad regendam alterius nuditatem. Neque simpliciter mitem, sed illum qui alteram quoque maxillam praebat ferre cupienti, per quam omnem obiectionem quam nasci uidebatur, extinguit. Neque hoc semel, sed iterum iterumque cogeminauit. cum enim dixisset, Nolite putare quoniam ueni soluere legem aut prophetas, intulit: Non ueni soluere legem, sed implere. **¶** Decertabit quispiam aduersus nostram assertionem, Euangelica praecepta aduersantur antiquae legis praeceptis: igitur lex euangelica Moysae legi aduersatur. antecedens uidetur notissimum. Nam praeceptum erat in ueteri lege, ut quis redderet oculum pro oculo, & dentem pro dente. Hoc autem in Euangelio inhibendum est: igitur. Minorem suadeo: Dicit Christus in Euangelio Matthaei, Audistis quia dictum est, Oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico uobis non resistere malo, sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, praebat illi & alteram: & ei qui uult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium: & quicumque te angariauerit mille passus, uade cum eo & alia duo. **¶** Huic respondet obiectioni Augustinus 2. parte quaestionum ex nouo testamento, quae sit.

Roman. 10.

Roman. 8.

Roma. 3.

Matth. 5.

Matth. 6.

Matth. 7.

Matth. 5.

Matth. 7.

Psal. 36.

Matth. 5.

Matth. 7.

Matth. 6.

Exo. 21.

Leuiti. 24.

Deut. 19.

Matth. 5.

Augustinus

13. ubi ostendit ueteris legis instituta ac praecepta nouae legi minime aduersari, & in hunc modum scribit: Non uoluit aliud Christus quam quod lex in sensu habet, sed uoluntatem eius perficit: non destruxit illam, sed potiora addidit: non ut peccare uideretur qui uindictam, sed ut melior sit, qui non retribuit. Et ut lex hominem iustitiam doceret, & per hanc saluum faceret, mandauit ut si quis oculum tolleretur alicui, oculum amitteret. Et ut hoc timore territi homines non facerent quod sibi ferri nolebant, & per hoc salutem haberent. Immutatis uero saluator uerbis, docuit quod saluti prodesset, ut sensum legis adimpleret: ut quia timore legis salui esse nequie runt, per patientiam uicti emendarentur, sese corrigentes. Hoc praeceptum datum est, ut non insolentes uiuerent patientia bonorum, dum non illis retribuunt condigna: ut si uoluerint corrigi boni, ex hoc profectum habeant, illi uero genuinam poenam. Et libro uno contra Adimantum Manichaei discipulum, capite 8. dicit idem discutendo argumentum, inueniuntur uindictam recte carnalibus constitutam, & omnimoda iniuriae remissionem non tantum in nouo testamento esse praeceptam, sed longe ante in ueteri praenuntiatam. Nam psalmo septimo scribitur, Domine deus meus si feci istud, si est iniquitas in manibus meis: si reddidi retribuendis mihi mala. Et Threnorum 3. inquit Hieremias, Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobrijs. Etiam gratia Euangelij ad summam pacem populum deducens suadet ut ab omnibus iniurijs uisceribus temperemus nobis. Pulchre connectit Chrysofostomus homilia 18. in Matthaeum, illos duos sacrae scripturae locos, qui uidentur inuicem pugnare: Si ueterem (inquit) legem aliquis accusat, quod talem uidelicet exigi praeceperit uisionem, ualde mihi uidetur huiusmodi ab illius consideratione sapientiae quae latorem legis decet, deficere, & vim temporum & utilitatem ignoscendi ignorare. Si enim satis diligenter inspexeris quoniam illi legis fuerint auditores, & in qua conuersatione degentes, & quando haec praecepta susceperint, facile intelliges, maximaeque miraberis legislatoris sapientiam, certissime perspicies quod unus atque idem sit, qui & illa tunc, & postea ista praeceperit, & utranque utilissime scripserit, atque ad diuersum tempus aptissime. Etenim si inter ipsa principia doctrinae, subtilissima haec atque eminentia praecepta posuisset, neque ista neque illa etiam forsitan recepissent: nunc uero opportuno in tempore duo haec diuersa disponens, totum profertur orbem ex utroque correxerat. Aliter uero praecepit istud, non ut mutuo nobis oculos eruamus, sed ut potius innocentes manus contineamus. Siquidem comminatione tali impetum frenauit iniuriae, sicque paulatim maximam philosophiam seminauit, dum interim iubet laesum aequali supplicio iudicari, cum certe maiori poena ille dignus sit, a quo haec iniquitas cepit exordium. Hoc enim ratio aequalitatis efflagitat. Sed quia miserationem quoque uoluit admiscere iustitiae, eum qui magis profecto deliquit, minori punit supplicio quam meretur: docens uidelicet ut patientiae uirtutem etiam per membrorum damna seruemus. Cum igitur de priorum lege dixisset, omniaque ferere eius praecepta numerasset, rursus ostendit nequam illum esse fratrem qui ea operatus est, sed malignum, & idcirco intulit, Ego autem dico uobis, non resistere malo. **¶** Iterum consistaberis, Dicit Matthaeus, Lex & propheta usque ad Ioannem. Videtur igitur lex cessasse cum Ioannes Baptista Euangelij praeco uenit: & non nisi quia aduersabatur Euangelio. Igitur locus ille solum praetendit quaedam legis Moysae instituta, uidelicet ceremonias, & praecepta iudicialia cessasse cum Euangelium cepit inclarescere, quod non docet circuncisionem, neque ceremoniarum sancita debere obseruari. Praecepta tamen moralia suam uim in Euangelicis scripturis retinent. Et huius sententiae est Augustinus secunda parte quaestionum ex nouo testamento, quae sit. 15. obiectioni propositae respondens, Lex (inquit) licet unum nomen sit, habet tamen tripartitam intelligentiam. Prima pars legis de deo est. Sic enim lex à lectione dicta est, ut de multis quid eligas, scias: inter errores ergo positi acceperunt ut eligant uerum, id est reprobato diabolo eligant deum. Secunda legis pars haec est, quae lex praeceptis continetur, quae sic incipit, Ho-

Psal. 7.

Thren. 3.

Chrysosto.

Matth. 21.

Augustinus

- nora patrem & matrem. Tertia vero in neomenijs & in sabbato est, & in efcis discernendis ac eligendis, & in circuncifione & in hostijs pecudū offerendis. Hanc itaq; legem dicit vsque ad Ioannem, non vltra seruandā. ¶ Rursum contendes, In Deuteronomio scriptū est, In nomine eius iurabis: in Euangelio tamē Matthæi dicitur, Ne omnino iuretis: sed hæc pugnant, Igitur. Huic respondet rationi Augustinus in libro quæstionum super Deuteronomium, quæst. 12. dicens: Non ita præceptum accipiendū est quasi iurari iusserit, sed in alterius alicuius dei nomine iurare prohibuit. Melius autem fit secundū Euangelium, Non iuraueris, non quia mala est vera iuratio, sed ne in periurium incidatur facilitate iurandi. De hac re sumus abunde locuti libro nono huius operis, capite 17. ¶ Amplius, Legimus in Exodo, Honora patrem & matrem. Oppositum tamen videtur innuere Christus in Euangelio Matthæi, dicens: Omnis qui reliquerit patrem & matrem propter nomen meum, centum plum accipiet, & vitam æternam possidebit. Et apud Lucam dicit: Si quis venit ad me & non odit patrem suum & matrem, non potest meus esse discipulus. Et aliubi, Sine vt mortui mortuos suos sepeliāt. Augustinus libro vno contra Adimantū Marchæi discipulū, cap. 3. & 6. hæc quæ videntur abinuicē dissidere, connectit, dicens: In nouo testamento præceptum est vt diligemus parentes nostros, & eos honoraremus ex Christi præcepto, dicētis: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. in quibus illud commemorat, Honora patrem & matrem, &c. Sed si parētes nostri in diuini amoris comparatione sint nobis impedimēto, absque vlla dubitatione debent contemni, & absque vlla impietate propter annuntiationem regni dei eos contemnimus. Nec ab huius sapientissimi doctoris sententia dissidet quod dicit Hieronymus in epistola ad Heliodorum: Licet (inquit) pater iaceat in limine, per calcatum perge patrem, ficcis oculis ad vexillum crucis euola. Solū pietatis genus est, in hac re esse crudelem. Et enarrando illam Christi sententiam, Qui amat patrem aut matrem plus quā me, non est me dignus, dicit: Prius præmiserat Christus, veni separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam. Et ne quis pietatem religioni antefereat, subiicit, dicens: Qui amat patrem, &c. In Cantico legimus, Ordinate in me charitatem. Hic ordo in omni affectu necessarius est. Amantem deum patrem, ama matrem, ama filios. si autem necessitas venerit vt amor parentum ac filiorum, dei amorī comparetur, & non possit vtrūque seruari, odium in suos, pietas in deum est. Adde quod Chrysostomus eundem edisserens locum, dicit: In omnibus obtemperandum est parentibus, præterquam in his quæ pietatis veritatem spectant. Ita cum sanctum sit omnem honorē parentibus afferre, cum plus quā oporteat quærent, veritati reluctantes, resiliendum est. Subscribit & Chrysostomo Theophylactus pertractans illa Christi verba: Non veni mittere pacem in terram, sed gladium: Gladius (inquit) est sermo dei, qui nos auellit à consuetudine familiarium & cognatorum ad pietatem impediendum. Non enim dicit vt simpliciter ab his sequestremur, sed dum non conducunt & impediunt à salute. Et ad locū illum iam pronūtiatum, Qui amat patrem, &c. dicit: Vides quod tunc oportet nos odio habere parentes & filios quando, volunt nos à Christo auellere. Hæc ille. Quæ ex eruditissimis illis viris protulimus, monent obtemperandum esse parentibus nisi præscribāt impia. Demus operam vt dei præscripta, hominum præscriptis præponderent. ¶ Iterum dices, Scriptum est in Exodo, Ego sum deus zelans, tribuens filiis tertie & quartæ generationis parentum peccata qui me oderunt. In euangelica tamen Matthæi philosophia dicit saluator noster, Estote benigni sicut pater vester cælestis, qui solem suum oriri facit super bonos & malos. Et aliubi, Non solum fratri septies remittendum est, sed septuagies septies. Hæc autem videntur pugnare, Igitur. Augustinus in eodem libro paulo antè producto, capite 7. illa quæ videntur dissentanea, iungit. Et argumentum dissoluitur hac particula, Qui oderunt. Illi enim puniuntur peccatis parentum, qui in eadem peruersitate parentum perseverare voluerunt. tales enim non seuitia, sed potius iustitia dei, & sua iniquitate puniuntur.

Neque putes deum omnibus parcere, & neminē damnare. Nam in Matthæi Euangelio dicit Christus: Ite in ignem æternū, qui paratus est diabolo & angelis eius. Exiit. Matth. 25. maui aliquando Augustinus nulla alia esse Euangelij præcepta, quā quæ in Moysayca lege continentur. Sic enim scribit in opere contra Adimantum, cap. 3. Certis quibusdam vmbribus & figuris rerum ante domini aduentum: secundum mirabilem atque ordinatissimam distributionem temporum populus ille tenebatur, qui testamentum vetus accepit, tamen in eo tanta prædicatio & prænuñtiatio noui testamenti est, vt nulla in Euangelica atque apostolica disciplina reperiantur, quāuis ardua & diuina præcepta & promissa, quæ illis etiā veteribus libris desunt. Hoc tamen retractauit lib. 1. Retract. cap. 22. vbi dicit, Addendum erat atque dicendum, vt penè nulla in euangelica atque apostolica doctrina reperiantur, quāuis ardua & diuina præcepta & promissa, quæ illis etiā veteribus libris desunt. Non subricebo quod dicit Hieronymus in epistola ad Gerontiam de Monogamia, vt latius nostra assertionis veritas patefiat: Olim gloria erat illum audire versiculum, Filij tui sicut nouellæ oliuarum, in circuitu mensæ tuæ, & videas filios filiorū tuorum. Nunc de continentibus dicitur, Qui adhæret domino, vnus spiritus est. Et adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua. Tūc oculum pro oculo, nunc verberanti maxillā, præbemus & alteram. Illo tempore bellatoribus dicebatur: Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, modo audit Petrus, Conde gladium tuum in vaginā. Qui enim gladio percutit, gladio morietur. Hæc dicimus non separantes legem & Euangelium, vt Marcion calumniatur: sed vnum atque eundem suscipientes deum, qui pro varietate temporū atque causarum, principium & finis, serit vt metat, plantat vt habeat quod succidat, iacit fundamentum vt ædificationi consummato secundo culmen imponat. Insuper nobis applaudit Origenes homilia 6. super Leuiticum, dicens: Vis videre quia Moyses semper cum Iesu est, hoc est lex cum Euangelij? Docet te Euangelium, quia cum transformatus esset in gloriam Iesus, etiam Moyses & Elias simul cum ipso apparuerunt in gloria, vt scias quia lex & propheta & Euangelia in vnum semper cōueniunt, & in vna gloria permanent. Denique & Petrus cum vellet eis tria facere tabernacula, imperitiæ notatur, tanquam qui nesciret quid diceret. Legi enim & prophetis & Euangelio non tria sed vnum est tabernaculum, quæ est Ecclesia dei.

CAPVT IX.



Iberi arbitrij nos condidit deus, nec ad virtutem nec ad vitia necessitate trahimur. ¶ Hanc ex sacris literis Assertionem deducemus. Præcepit deus primis parentibus ne comederent de fructu ligni quod erat in medio paradisi etiam sub comminatione mortis, nec illis vetuisset ab illo fructu abstinere, nisi libere potuissent diuina adiūti gratia, illi præcepto obsequi: non enim deus impossibilia præcipit, & quæ non possumus facere. Poterant igitur primi parentes omnibus virtutibus illustrati, obseruare excellentissimum illud præceptū, & idem transgredi. Augustinus dicit lib. 13. de Ciuit. dei, cap. 21. liberum voluntatis arbitrium ligno scientiæ boni & mali significari. Et cum mandatum illud præuaricati sunt, planè intellexerunt se non solo demonis suaſu, sed etiam sponte deum offendisse, deique iram incurrisse. Et à peccato voluntarie commisso cognouerunt se esse nudos, quod abhorrebant: priusquam tamē deliquissent, non abhorrebant neque verebantur se esse nudos, qui ob tegendam nuditatem, & suam turpitudinem, consuerūt sibi folia ficus, & fecerunt sibi perizomata. Verum vbi primum audierunt scelere perpetrato vocem domini deambulantis in paradiso, se absconderunt rubore & verecundia suffusi. Vocauitque dominus deus Adam, & dixit ei: Vbi es? Ac si diceret, In quonā delicti cæno, & lutulētis inobedienciæ foribus volutaris? eum dereliquisti, & mea iussā spreuisti, vt tuæ vxori complaceres: respondit ille compunctus dolore, Vocem tuam domine audiui in paradiso, & timui, eo quod nudus essem; & abscondi me. Cui dixit dominus: Quis enim indicauit

tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno de quo praeceperam tibi ne comederes comediti? Dixitque Adam sibi volens delicti excusationem praetextere: Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Dixit autem dominus ad mulierem: Quare hoc fecisti? Quae respondit: Serpens decepit me & comedi. Et ait dominus ad serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia & bestias terrae. Super peccatum tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitae tuae. Mulieri quoque dixit: Multiplicabo erumnas tuas & conceptus tuos. In dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Adae vero dixit: Quia audisti vocem uxoris tuae, & comedisti de ligno ex quo praeceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae. Huiusmodi autem poenae non fuissent a deo primis parentibus irrogatae, nisi libere potuissent dei praeceptum transgredi, & violare: vbi enim est necessitas, nulla est damnatio, neque delicti puniatio. Enarrans Chryostomus locum hunc, Serpens me decepit, dicit: Mulier apologiam concinnans, non dixit: Serpens coegit me, & comedi, sed quid? Serpens decepit me. Nusquam necessitas, nusquam violentia, sed voluntas & arbitrio. dedit solum, non coegit, non vim fecit. Inimicus enim nostrae salutis opera huius malae bestiae usus, consilium dedit & decepit: non vim fecit, neque coegit, sed pernicioso consilio fraudes suas opere compleri fecit. In eadem Genesios historia legimus dominum ostendisse Cain aegre ferenti sua munera non fuisse deo grata, liberum arbitrium esse ad bonum & malum flexibile, cui vehementer irato, dixit: Quare iratus es, & cur concidit facies tua? nonne si bene egeris recipies? sin autem male, statim in foribus peccatum tuum aderit, sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. Quid quae? his verbis aperte vnquam dici potuit ad exprimendam liberi arbitrii facultatem? obiurgat deus sed moderate Cain ira perturbationum, quod doluerit sui fratris munera deo placuisse, sua vero reiecta. verum ut commoti animi furor deferuisset, & ut ille agnosceret se non recte & prompto animo sua munera diuississe, dicit dominus: Cur concidit facies tua? nonne si bene egeris, praemium reportabis? Si vero male & improbe, condemnaberis? Et ne in appetitum ad malum procliuem, culpam rejiceret, quod non ea prudentia eaque rationis lege sua munera deo obtulerit qua debuit, dicit dominus, ne accusaret appetitum sensituum: Tibi appetitus subijciatur, eumque recte rationis freno coerceris & moderaberis, nec tibi (nisi velis) imperabit. Haec pertractans Chryostomus, dicit: Expende oro dilecte ineffabilem misericordiam, & in docendo nobis congruam humilitatem, quia postquam vidit illum ab inuidiae affectione oppugnari, vide quomodo pro sua benignitate congrua ipsi remedia apponit, ut statim educatur, & aquis non obtegatur. Quare tristis factus es? quare concidit vultus tuus? quia & in facie mœroris magnitudinem ostendis, quare ira te inuasit? quare non a teipso quod oportebat fieri considerasti? Num homini sacrificium obtulisti, qui falli possit? ignoras quod mihi non est opus ut aliquid offeratur, sed sanam offerentium mentem volo? Quare concidit vultus tuus? nonne si recte obtulisti, non autem recte diuidas: hoc quidem quod in animum accepisti esse offerendum, laude dignum est: quod vero non recte diuidis, oblata repudiatione operatum est. Oportet enim offerentem deo in discernendo magnam adhibere diligentiam. Et quantum differunt qui offert & qui accipit, tanta & in discretionem faciendam diuersitas. At horum nihil tu cogitasti, sed ut fortuito contigit, obtulisti. Atque idcirco non potuerunt esse accepta. Nam sicut intentio tua cum qua oblationem fecisti, nihil distare existimasti, reiectanea fecit quae a te sunt oblata: sic fratris tui animus, qui rectus fuit, & dignum in discernendo studium habuit, accepta illius dona fecit. Veruntamen neque sic poenam delicti repeto, sed ostendo duntaxat delictum, & consilium affero, quod si accipere volueris, & peccatum emendabis, & teipsum grauioribus malis non inuolues. Quomodo? Peccasti, & grauitate peccasti, sed non punio propter delictum. Misericors enim sum, & nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & viuatur. Igitur quia peccasti, quiesce: tranquillitatem facito,

Chryostomus

Gene. 4.

Chryostomus

Ezech. 18.

tuarum cogitationum, & libera mentem a procellis fluctuum inundantium, cohibe tumultus illos tuos, ne addas priori peccato grauius aliud. Ambrosius lib. vno de Incarnationis dominicae sacramento, capite primo, dicit culpam ipsius Cain non fuisse in oblatione muneris, sed in oblationis affectu. Et notissimum est Cain nullam incurrisse culpam, si non potuisset libere delinquere. Ad haec, Cum vidisset deus totam terram hominum malitia oppletam esse, & cogitationes humani cordis omni tempore intentas esse ad malum, eum poenituit quod hominem fecisset in terra, quem proposuit se deleturum vsque ad animantia: quod certe fecit in diluuium. Sed cur tot hominum milia aquis obruisset & immerisset, nisi nephanda voluntarie flagitia admisisset? Iniuustus quippe videretur deus, si damnaret hominem qui nullo modo peccatum vitare potuit. Item, Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. An vsque adeo suis homo affectibus laboret, & vitiosus sit adactus, ut non possit non effundere innocentis sanguinem, & nullo modo sceleris consentiat? Neminem sane existimo tam stupido esse ingenio, & ea insana animi vesania corripi, ut id dicere audeat. Amplius, Creditur Abraham deo, & reputatum est illi ad iustitiam. quod si necessitate impulsus crediderit, non est ei ad iustitiam deputatum. si voluntarie crediderit & sincero affectu, non addubitandum est quin fuerit iustificatus, & deo gratissimus. Praeterea, Dominus pluit super Sodomam & Gomorram sulphur & ignem, & subuertit ciuitates illas propter inaudita & petulantissima ciuium scelera. Dixerunt etiam fratres Ioseph, carceribus Pharaonis inclusi, Merito haec patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum videntes angustias animae illius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus: idcirco venit super nos ista tribulatio. Et quis nescit filios Israel debuisse sanctissima legis praecepta obseruare? quibus dicebat Moyses: Custodite mandata domini dei vestri quae ego praecipio vobis. Nec dominus deus praecipisset Hebraeis per Moysen ut legis praecepta diligenter obseruarent, nisi fuisset situm in eorum facultate obsequi legi. Vult etiam dominus modum plagarum mensuram peccati respondere: quod iniuste fieret, si peccatum non esset voluntarium. Densissimam exemplorum ex Pentateucho sylvam conficerem quibus vim liberi arbitrii assererem, nisi docto lectori tedium adferrem. Praeterea, Dominus praelixerat quod iudicaturus esset domum Heli propter iniquitatem eius, eo quod nouerat indigne agere filios suos, & non corripuit eos. poterat igitur Heli suos filios castigare & non castigare, quorum vitia & infrenem adolescentiam cum non castigasset, deum vehementer offendit. Filij etiam Israel cum obliti essent domini dei sui, & tradidisset eos in manus Philistinorum, clamantes ad dominum dixerunt: Peccauimus, quia dereliquimus dominum, & seruiimus Baalim & Astaroth. Nunc ergo erue nos de manu inimicorum nostrorum & seruiemus tibi. Videtne illos qui deum offenderant suam accusare conscientiam, & agnoscere se spontanea deliquisse? Samuel etiam dixit illis: Si timueritis dominum & serueritis ei, & audieritis vocem eius, & non exasperaueritis os domini, eritis & vos & rex qui imperat vobis sequentes dominum deum vestrum. Nec eos cogit Samuel ut deo obsequantur, sed monet eos ut faciant quod facere possunt. Cum etiam Saul molestissimus Dauidis persecutor, suam agnouisset stultitiam & vesaniam in continua illius patientissimi viri persecutione, dixit Dauid: Dominus retribuatur unicuique secundum iustitiam suam & fidem. Haec indicat verba, destinata esse a domino praemia ijs qui prompto animo & spontanea voluntate iustitiam operantur. Nemo etiam inficiatur Dauid post perpetratum cum Bethsabee adulterium, & homicidium Vriam, dixit se ad Nathan: Peccaui domino: quod minime dixisset, si peccatum non esset voluntarium. Et rursum, Non morientur patres pro filiis, neque filij pro patribus, sed vnusquisque in peccato suo morietur. Fatetur & Ezechias rex optimus & clementissimus, ut mortem declinaret, se ambulasse coram domino in veritate & in corde perfecto, & quod placitum est coram domino fecisse. ut autem veritati & optimis virtutum officijs studeret, cooperabatur liberum eius arbitrium. Ex opere Iob agnoscimus liberum

Ambrosius

Gene. 6.

Gene. 9.

Gene. 15.

Gene. 19.

Gene. 42.

Deut. 4.

Deut. 25.

1. Reg. 3.

1. Reg. 12.

1. Reg. 26.

2. Reg. 22.

4. Reg. 14.

4. Reg. 20.

QQ. ij.

- Iob 34. arbitriū, in quo legimus: Viri cordati audite me, absit à deo impietas, & ab omnipotēte iniquitas. Opus enim hominis reddet ei, & iuxta vias singulorū restituet eis. Vere enim deus non condēnabit frustra, nec omnipotēs subuertet iudiciū. Et rursū, Iob 35. Si peccaueris, quid ei nocebis? Et si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eū? Porro si iuste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet? Sed quid aliud nobis liberi arbitrii virtus exprimit, q̄ quod homo possit virtutis studia amplexari, & à virtute ad vitia decidere? Audi lubēter quidnā dicat Dauid de voluntate hominis ad bonū & malum flexibili: Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorū non stetit, & in cathedra pestilentia non sedit: sed in lege domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Poterat igitur vir etiā beatus impiorum cōsilia sectari, & peccatorū semitam capessere, quod tamen non fecit, ne ex sua impietate dānum reportaret. Et licet beatus hanc agens vitā possit improborum luto immergi, ne tamē deum quem vnice colit & amat, offenderet, Psal. 4. suam in lege domini voluntatem defixit. Et rursū, Irascimini & nolite peccare. possunt igitur homines velle peccare & nolle peccare, quod ad facultatem liberi arbitrii spectat. Iterum, Odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium. Sed dic quæso, quid præter voluntatem opus iniquum & iniustum operatur? quod si non operaretur iniquitatē, nec culpam incurreret & subinde pœnam. Atque iterum, quod rem ipsam explicat, Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in mōte sancto tuo? Huic responso adhibetur, Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam. Qui loquitur veritatē in corde suo, qui nō egit dolum in lingua sua. Nec fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit aduersus proximos suos. Possuntne hæc intelligi absque conatu liberi arbitrii? non sanē, nec potest quis regnū dei ingredi, nisi operetur iustitiam, & suum proximum amet. Item, Et retribuet mihi dominus secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi. Quia custodiuī vias domini, nec impie gessi à deo meo. Et aliubi, Si dereliquerint filij eius legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint. Si iustitias meas prophanauerint, & mandata mea non custodierint, Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Vellem ab aduersario rescire, cur deus nobis supplicia comminatur, si ne glexerimus eius præcepta obseruare, nisi quod situm est in nostra libertate diuinis obtemperare mandatis, licet vt id agamus, dei sit opus gratia, & cum contemnimus deo obsequi, digni sumus pœna. Adhuc vnum ex Psalmographo proferam testimonium, Ab omni via mala prohibui pedes meos, vt custodiam verba tua. Nec absque mei liberi arbitrii ope & industria id effectum est. Adferam ex Prouerbijs quæ nostræ assertioni conducunt, En proferam vobis spiritum meum, & ostendam vobis verba mea. Quia vocaui, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Poterat igitur homo sequi deum vocantem, & poterat non sequi, & renuere. Et cum dominus extendit manum suam vt nos iuuat & à vitiorum sentina extricet, possumus niti, vt hanc manum adiutricem recipiamus, nec extricaberis ab inueterata vitiorum sentina, nisi voles & coneris. Rursus, Honora deum de tua substantia, & de primitijs omnium frugum tuarum da pauperibus. nec dicerentur hæc neque nobis facienda præciperentur, nisi possemus deo de nostris opibus honorem impendere. Ibidem, Noli prohibere benefacere eum qui potest, si vales & ipse benefac. Præcipit etiam dominus, ne declines ad dextram neque ad sinistram, nec tibi præciperet nisi posses non declinare ad dextram & sinistram, etiam declinare. Idem, Sex sunt quæ odit dominus, & septimum detestatur anima eius. Oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, testem fallacem, & eum qui seminat inter fratres discordias. Hæc omnia in nostræ libertatis officina includuntur. Efficacior est ex eodem Salomone autoritas ad suadendum liberi arbitrii vires etiam ad bonum,

Hominis est (inquit) animam præparare, & domini gubernare linguam. Intuere hominem ea facultate præditum esse, vt possit se ad bonum præparare, licet deus bonum hominis opus & præsertim meritorium, perficiat. Dicit & Ecclesiastes, Iustū & impium iudicabit dominus, & tempus omnis rei tunc erit: quod si tolleretur liberū arbitrium, nihil hæc verba momenti & autoritatis haberēt. Insuper, Si quid voluisti deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis & stulta promissio. Nec deus hominem cogit vt votū emittat, sed eius arbitrio relinquit vt voueat vel non voueat, vult tamen vt homo votum emissum soluat & reddat. Ibidem, Ne dederis os tuum vt peccare facias carnem tuam, neq; dicas coram angelo, non est prouidentia, ne forte iratus dominus cōtra sermones tuos dissipet cuncta opera manuum tuarū. Et aliubi, Cunctis sermonibus qui dicuntur ne accommodes cor tuum, ne forte audias seruum tuum maledicentem tibi. Scit enim conscientia tua, quia & tu crebro maledixisti alijs. Sed quis ita te ad maledicendū impulit, vt non posses tibi à maledicendi vitio temperare? Iterū, Quia non profertur cito cōtra malos sententia, absq; timore vllō filij hominum perpetrant mala. Verum vt tuam spē agendo (si diuinis obtēperes iussis) felicitatem agnoscas, dicit: Deum time, & mandata eius obserua. hoc est omnis homo. Cuncta quæ sunt, adducet deus in iudiciū pro omni eira, siue bonum, siue malum sit. Legimus & in libro Sapiētia: Peruersæ cogitationes separant à deo, probata autem virtus corripit insipientes. Nec peruersæ ac noxiæ cogitationes separarēt à deo, nisi essent voluntariæ, & in ipsis voluntans consentiēdo delectaretur. Item, Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum. imitantur autem illum qui sunt ex parte illius, nec mali dæmonem imitantur, nisi sponte adhareant. Sed quidnā polliceatur iustis Sapiētia, audiamus: Fulgebunt iusti, & tanquā scintilla in arundinetis discurrent, iudicabūt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit dominus illorum in perpetuum. Et rursū, Iusti in perpetuum viuēt, & apud dominum est merces eorum, & cogitatio illorum apud altissimum. Iterum, Et reddidit iustis mercedem laborum suorum, & deduxit illos in via mirabili, & fuit illis in velamēto diei, & in luce stellarum per noctem. quod si labores iustorum non essent spontanei, nec mercedem pro suis operibus reciperent. Atq; iterum, Iuste patiebantur secundū suas nequitias, nec improbi iuste sufferunt tormenta secundum suas nequitias, nisi voluntariæ sint ipsorum nequitia. Desumemus & ex Ecclesiastico testimonia, vt firmiter nostram tueamur assertionē: Qui (inquit) diligit deum, exorabit pro peccatis, & continebit se ab illis. Frustra autem diceret, continebit se ab illis, nisi possit peccatum deuitare, tamen si deus cooperetur homini vt se à peccato contineat. Pro iustitia agonizare pro anima tua, & vsq; ad mortē certa pro iustitia, & deus expugnabit pro te inimicos tuos: quod si inuitus certares pro iustitia, nullū tibi deus præmium rependeret. Rursū, Non tardes cōuerti ad dominum, & ne differas de die in diē. Aut igitur potest homo cōuerti ad dominū, aut non potest. Si secundū, frustra & in vanum cōsuleret Ecclesiasticus peccatori vt ad dominum cōuerteretur, & à malo resipisceret: si primū, quod præ tendimus cōsequuti sumus. Dicit & aliubi: Cogitatuū tuū habe in præceptis dei, & in mandatis illius maxime assiduus esto, & ipse dabit tibi cor, & cōcupiscentia sapientiæ dabitur tibi. Rursū, Noli facere mala, & non te apprehendēt. Discede ab iniquo, & deficient mala abs te, vide quā facile ex hoc loco poteris vim liberi arbitrii eruere. Suppetit & nobis vnum etiam efficacissimū ex eodem Ecclesiastico testimonium, quo manifestissime liberum hominis arbitrium asseritur: Deus (inquit) ab initio constituit hominem, & relinquit illū in manu consilij sui. Adiecit mandata & præcepta sua, si volueris mandata cōseruare, cōseruabunt te, & in perpetuū fidem placitam seruare. Apposuit tibi aquam & ignē, ad quod volueris porrige manū tuam. Ante hominē vita & mors, bonum & malum. Proferam & quæ attigit Esaias de libero arbitrio, Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Quiescite agere peruersæ, discite benefacere. Nec diceret dominus per Esaiam, auferte malum cogi-

rationum uestrarum, & quiescite agere peruerse, nisi posset homo à se peruersam cogitationem dimouere, & desinere malū operari. Apertius ibidem flexibilitatem & propensionem liberi arbitrij ad bonum & malum explicat, dicens: Si uolueritis & audieritis me, bona terræ comedetis: quod si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit uos. Hieronymus hunc edisserens locum, dicit: Liberum seruat arbitrium, ut in utranque partem non ex præiudicio dei, sed ex meritis singulorum, uel poena uel præmium sit. Et aliubi dicit Esaias: Dicit iusto quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedit. Væ impio in malum, retributio enim manū eius fiet ei. Iterum, Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis uanitatis, & quasi uinculum plaustrum peccatum. Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum. Væ qui potentes estis ad bibendum uinum, & uiri fortes ad miscendam ebrietatem. qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti auferitis ab eo. Et paulo post, Abiecerunt legem domini exercituum, & eloquium sancti Israel blasphemauerunt, nec absque pernitiosa uoluntate abiecerunt legem dei. Atque iterum, Si queritis querite, conuertimini & uenite. Sed absonum est dicere conuertimini ad dominum, si liberum arbitrium non posset à malo respiscere, aut respiscerentiam abijcere. Audiamus & uocem clamantis in deserto, Parate uiam domini, rectas facite in solitudine semitas dei nostri. Nec expertibus rationis & liberæ uoluntatis hæc dicuntur, sed Iudæis, ut sordes animorum detergerent, quo munde & sancte filium dei reciperent. Ad hæc, Hieronymus enarrans illum Esaiæ locum, Seruus meus es tu Israel, quia in te gloriabor. Et ego dixi, In uacuum laboraui sine causa, & uane fortitudinem meam consumpsi, ita loquitur, Hæc autem uniuersa dicuntur, ut liberum hominis arbitrium monstraretur. Dei enim uocare est, & nostrum credere: nec statim si nos non credimus, impossibilis deus est: sed potentiam suam nostro arbitrio derelinquit, ut iuste uoluntas præmiū consequatur. Quia ergo noluerunt per me in te credere: iudicium meum apud te est, quod omnia fecerim quæ eis facere debui, dicens in Euangelio: Ego te glorificaui super terram, opere completo quod dedisti mihi ut facerem. Nec subterfere possum aliqua Hieremiæ testimonia, quæ nobis adferunt momentum, Hæc dicit dominus, State super uias, & uide-te & interrogate de semitis antiquis, quæ sit uia bona, & ambulare in ea, & inuenietis requiem animabus uestris, & dixerunt: Non ambulabimus. & constitui super uos speculatores, & dixi: Audite uocem tubæ. & dixerunt: Non audiemus. Ideo audite gentes & cognoscite congregatio, quæ ego faciam eis. Audi terra, Ecce ego adducam mala super populū istum, fructum cogitationum eius, quia uerba mea non audierunt, & legem meam proiecerunt. Iterum, Bonas facite uias uestras & studia uestra, & habitabo uobiscum in loco isto. Ibidem, Abierunt in uoluptatibus suis, & in prauitate cordis sui mali, factique sunt retrorsum & non in antea die qua egressi sunt patres eorum de terra Aegypti usque ad diem hanc. Atque iterum, Nullus est qui agat penitentiam super peccato suo, dicens: Quid feci? quod si peccatum non esset uoluntarium, non esset dicendum peccatum. Dicit & dominus, ut ad fontem misericordiæ reuenterentur peccatores: Reuertimini unusquisque à uia sua mala, & à pessimis cogitationibus uestris. Dicit & dominus per Ezechiel, Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij. Iustitia iusti super eum erit, & impietas impij super eum. Si autem impius egerit penitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudiciū & iustitiam, uita uiuet & non morietur. Omnium iniquitatum eius quas operatus est, non recordabor. Ibidem, Conuertimini, & agite penitentiam ab omnibus iniquitatibus uestris, & non erit uobis in ruinam iniquitas. Itē, Vnumquēque iuxta uias suas iudicabo. Dicebat & Daniel Nabuchodonosor, Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperū, forsitan ignoscet deus delictis tuis. Iterū, Reuersimus à te, non audiuimus uocem domini dei nostri ut ambularemus in lege eius, quæ posuit nobis per seruos suos prophetas. Hæc ex prophetis suffi-

Ezech. 33.
Danic. 4.
Danic. 9.

cient testimonia, nunc noui testamenti locos ad suffulciendam nostrā assertionem excutiemus. In Euangelio Matthæi legimus Ioannem Baptistā dixisse Iudæis, Omnis arbor quæ non fecerit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Spiritalem sectando intelligētiam, hæc arbor est homo, & quæuis creatura intellectualis. quod si homo non fecerit fructum bonum, quem tamen potest facere, excidetur & in ignem detrudetur. Christus etiam prædicando dicebat Iudæis, Penitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum. Nec præcepisset illis, ut de admissis uitijis dolerent & eos male actorū peniteret, si non potuissent ducere ratione & rationali uoluntate à suis delictis respiscere. Et cum dixit Petro & Andrea, Venite post me, & faciam uos fieri piscatores hominum. Pariter cum ad apostolatū uocauit filios Zebedæi, non cogebantur sequi Christū, tamen si spiritus sancti instinctus eos ad Christum alliceret, libere igitur illum sequuti sunt, quem poterant non sequi. Et quis nescit in varijs beatitudinum rationibus liberum includi arbitrium, cum dixit Christus: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram, &c. Et in his Christi uerbis innotescit uis liberi arbitrij, Luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona. nec sunt bona hominum opera, nisi sint uoluntaria. Item, Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te. Velle autem & nolle, actus sunt liberi arbitrij. Et aliubi, Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nolite dare sanctum canibus. Relinquit etiam Christus libero hominis arbitrio ut petat quod sibi ad salutem est necessarium, cum dicit, Petite, & dabitur uobis: querite, & inuenietis: pulsate, & aperietur uobis. Hic etiam locus, Omnia quæcumque uultis ut faciant uobis homines, ita & uos facite illis, hæc est enim lex & propheta, exprimit uim liberi arbitrij. Audi quid dicat Christus de his qui credunt libere, non tamen dei præcepta faciunt: Non omnis qui dicit mihi domine domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit uoluntatem patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum. Multi dicent mihi in die illa, Domine domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo demonia eiecimus, & in nomine tuo uirtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, Quia nunquam noui uos. Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Dixit & Christus duobus cæcis eius misericordiam acclamantibus, Creditis quia hoc possum facere uobis? Dicunt ei, Vtique domine. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundum fidem uestram fiat uobis. Nec compellebat eos ut crederent, sed solum sciscitabatur ab eis si nam crederent, & responderunt se tutò credere Christū posse ipsorum oculis mederi, quod tamen poterant non credere. Et iterum, Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui in cælis est. qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo qui in cælis est. Omitto conatum & diligētiam Chananaæ, ut Christus misereretur filiæ eius. Petrus etiam ultro & spontaneè confessus est Christum esse filiū dei uiuū, & hac sincera confessione obtinuit clauas regni cælorum. Et quid est quod tam aperte declarat liberum arbitrium, quàm quod ibidem dicit Christus: Si quis uult post me uenire, abneget semetipsum & tollat crucem suam, & sequatur me? Qui enim uoluerit animam suam saluam facere, perdet eam: qui autem perdidit animam suam propter me, inueniet eam. Item, Filius hominis uenturus est in gloria patris sui cum angelis suis, & tunc reddet unicuique secundum opera eius. Et cum quidam adolescens dixisset Christo, Magister bone, quid boni faciam ut habeam uitam æternam? Respondit Christus, Si uis ad uitam ingredi, serua mandata. Nec eū urget & cogit ut seruet madata, sed relinquit suæ uoluntati ut obseruet mandata, si uelit regnū dei ingredi. Et ibidem, Si uis perfectus esse, uade, uende omnia quæ habes, & da pauperibus. Hæc clare indicat liberi arbitrij facultatem. In Euangelio quoque; Ioannis scriptum est, Omnis qui mala agit, odit lucem: & non uenit ad lucem, ut non arguatur opera eius: qui autem facit ueritatem, uenit ad lucem, ut manifestentur opera eius. Et iterum, Si quis uoluerit uoluntatem eius facere, cognoscet de-

QQ. iiii.

Ioan. 14. doctrina, vtrum ex deo sit, an ego à meipso loquar. Atque iterum, Si diligitis me, mandata mea seruate, quòd si voluntas nullo modo posset diuina obseruare mandata, nec dicenda essent mandata. Rursum, Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcūque volueritis petetis, & fiet vobis. Discutiemus & aliquot Paulinarum epistolarum locos, qui non mediocre nobis præstabant adiuuentum.

Roma. 1. Dicit primum in epistola ad Romanos, Virtus enim dei est in salutem omni credenti, Iudæo primum & Græco. Sed quis diuina ope niti potest ad credendum nisi velit credere? non enim homo mouebitur ad credendum vti brutum, sed diuino instinctui consensum præbebit. Et amplius quod exposulamus declarat dicens, Ignoras quoniam benignitas dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij dei, qui reddet vnique secundum opera eius. His quidem qui secundum patientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem quærentibus vitam æternam. His autem qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira, & indignatio, tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primum & Græci. Offendit & in alio loco nos debere gloriari in aduersitatibus voluntarie à nobis toleratis, Gloriamur (inquit) in tribulationibus, scientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit, quia charitas dei diffusa est in cordibus nostris, per spiritum sanctum qui datus est nobis. Rursum, Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Et cum dicit Paulus, Exhibuistis, planè indicat vos sponte exhibuisse membra vestra seruire immunditiæ, alioquin non esset iusta reprehensio illius turpissimæ seruitutis. Vis & maius testimonium? Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit cõfessio ad salutem. Item, Nolite conformari huic seculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri, vt probetis quæ sit voluntas dei bona, & beneplacens, & perfecta. Et in eodẽ loco, Benedicite, & nolite maledicere. Dicit & in prima ad Corinthios epistola, Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem, quod non potest intelligi absque industria & conatu liberi arbitrij. Rursum, Si volens hoc ago, mercedẽ habeo. Ibidem, Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Ad hæc, differens de tentatione quam vincere possumus, modo nos dei gratia iuuet, dicit: Tentatio vos non apprehendat, nisi humana. Fidelis autem deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere. Et de assiduis ad vincendum carnem & dæmonẽ vigilijs, dicit: Vigilate, stete in fide, viriliter agite, & confortamini: omnia enim vestra in charitate fiant. Et in 2. ad Corint. epist. dicit: Per fidem ambulamus & non per speciem. Audemus autem: & bonam volūtatem habemus magis peregrinari à corpore & præsentem esse ad dominũ, & ideo contendimus siue absentes siue præsentem placere illi. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum siue malũ. Apertius vires liberi arbitrij patefacit 8. cap. eiusdem epistolæ, dicens: Hoc enim vobis vtile est qui non solum facere, sed & velle cœpistis, ab anno priore. Nunc vero & facto perficite, vt quemadmodum promptus est animus volūtatis, ita sit & perficiendi ex eo quod habetis. Si enim voluntas prompta est, secundum id quod habet accepta est, non secundum id quod nõ habet. Et cum deposceret Paulus stimulũ carnis à se auferri, dixit dominus: Sufficit tibi gratia mea, virtus in infirmitate perficitur. Gratia dei nobis auxiliatur, vt carnis & diaboli tẽtationibus oblectemur, attamen liberum hominis arbitrium illi cooperatur. Et firma ac cõstans animi æqualitas, in infirmitate æquo animo tolerata perficitur. Dicit & in Epistola ad Galatas: Qui vos conturbat, portabit iudicium, quicūque est ille. Ibidem, Omnis lex in vno sermone impletur, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Quòd si inuicẽ mordẽ-

tis, & comeditis, videte ne ab inuicem consummamini. Rursum, Quæ seminauerit homo, hæc & metet: quoniã qui seminat in carne sua, de carne & fiet corruptio-nem. Qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitã æternam. Bonum autem facientes non deficiamus; tẽpore enim suo metemus non deficientes. Ergo dũ tempus habemus operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. Afferit & in Epistola ad Ephesios, liberum arbitrium, dicens: Nolite dare locum diabolo. nec id à Paulo diceretur, nisi posset homo in suum animũ intrmittere diabolum, & posset non intrmittere. potest sanè homo impedire imò præuenire ne callidissimus hostis diabolus, in animi domunculam sic noxias cogitationes immitterat, vt illis cõsentiat. Et aliubi, Induite armaturam dei vt possitis stare aduersus insidias diaboli. potest igitur homo dei subsidio adiutus obistere dæmoni. Et ad Colossenses nos omnes hortatur, vt digne ambulemus deo per omnia placentes, & in omni opere bono fructificãtes. Item, Mortificate mēbra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem &c. Et ad Thessalonicenses dicit: Omnia probate, quod bonum est tenete, ab omni specie mala abstinete vos. Aperit & in seipso Paulus, in 2. ad Timotheum Epistola, liberum arbitrium, dicens: Bonum certamen certavi, cursum consummaui, fidem seruauĩ, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die iustus iudex. Et quis ignorat Paulum in Epistola ad Hebræos suadere sanctos per fidem vicisse regna, qui operati sunt iustitiam, & adepti repromissiones, quorũ alij experti sunt ludibria & carceres, alij lapidati, alij secti, alij angustiati & afflicti, quibus dignus non erat mūdus? Dicit etiam Iacobus in sua Epistola Canonica: Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit deus diligentibus se. nec quispiam esset beatus sufferendo tentationem, nisi sponte sufferret, & propter honorẽ dei. laudat & opera bona, quibus fides cõsummatur. Et aliubi dicit: Subditi estote deo, resistite autem diabolo, & fugiet à vobis. Appropinquate deo, & appropinquet vobis. nec diceretur hæc, nisi homo ratione præditus posset obistere diabolo. Nec prætermittere possum quæ dicit Beatus Petrus, in suis Epistolis, de liberi arbitrij facultate: Qui vult (inquit) vitam diligere, & diẽs videre bonos: coerceat linguam suam à malo, & labia eius ne loquantur dolum. Declinet autem à malo, & faciat bonum. Item, Melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ quam post agnitionem retrorsum conuerti ab eo quod illis traditũ est sancto mandato. Conducunt & nobis quæ scribit Diuus Ioannes in suis Epistolis, Si dixerimus (inquit) quoniã peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis nõ est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. nõ possumus igitur nobis prætexere excusationem quòd non peccamus, dicentes: necessario in peccatum corruimus. Nam si necessario, & absque consensu liberi arbitrij in scelus præcipitaremur, peccatũ minime nobis imputaretur. sed debemus ingenue, & libere fateri nos deliquisse, vt facilius deus nostri misereatur. Rursum, Qui facit volūtatem dei, manet in æternũ. ex quo agnoscimus præmiũ merito rependi. Iterum, Filioli mei nõ diligamus verbo neque lingua, sed opere & veritate. Atque iterum, Hæc est charitas dei vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauiã nõ sunt, quòd si dei mandata grauiã nõ sunt, possumus dei præsidio adiuti ea implere. Item, Charissime noli imitari malum, sed quod bonum est. Qui benefacit ex deo est, qui autem malefacit, nõ videt deum. Et in Apocalypsi dicit, Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso dei mei. Et ibidem, Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Hic victoribus & strenue vsque ad mortem pro nomine Christi decertãtibz, præmia constituuntur. Amplius, Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuã, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cũ patre meo in throno eius. Et de sanctis qui omnia pertulerũt pro Christo tormenta dicit: Hi sunt qui venerũt de tri-

Galat. 6.

Ephes. 4.

Ephes. 6.

Colos. 1.

Colossen. 3.

1. Thessal. 5.

2. Timot. 4.

Hebræ. 11.

Iacobi 1.

Iacobi 2.

Iacobi 4.

1. Petr. 3.

2. Petr. 2.

1. Ioan. 1.

1. Ioan. 2.

1. Ioan. 3.

1. Ioan. 5.

3. Ioan. 1.

Apoca. 2.

Ibidem

Apocaly. 3.

Apocaly. 7.

Apoca. 14. bulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni. Item, Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt. Hi sequuntur agnum quocumque ierit. Hi empti sunt ex omnibus primitiis deo & agno, & in ore eorum non est inuentum mendacium. Ibidem, Timere dominum & dare illi honorem, quia venit hora iudicii eius, & adorare eum, qui fecit caelum & terram, mare & fontes aquarum. Rursum, Ecce venio cito, & merces mea mecum est reddere unicuique secundum opera sua. Nunc opportunum video Ecclesiasticorum doctorum, & eorum qui optime de libero arbitrio sentiunt, scripturas discutere. Hieronymus disputans libro secundo aduersus Iovinianum temere asserentem, hominem post baptismum non posse peccare, neque a diabolo tentari, omnino fauet nostrae assertioni etiam in iisdem verbis, Apostolus Iacobus (inquit) sciens baptizatos posse tentari, & propria corruere voluntate, Beatus (ait) vir qui suffert tentationem, quia cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit deus diligentibus se. Gene. 22. Ac ne putaremus secundum illud Genesios ubi scribitur Abrahamam a deo fuisse tentatum, nos quoque tentari a deo, Nemo (inquit) cum tentatur dicat, quoniam a deo tentor. Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat, vnusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus & illectus. De hinc cum concupiscentia conceperit, parit peccatum: peccatum autem cum consummatum fuerit, generat mortem. Liberi arbitrij nos condidit deus: nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur. Alioquin ubi necessitas est, nec donatio, nec corona est. Sicut in bonis operibus perfectior est deus, non est enim volentis, neque currentis, sed miserentis & adiuuantis dei, ut peruenire valeamus ad calcem: sic in malis atque peccatis femina nostra sunt incentiuia, & perfectio diaboli. Cum viderit nos super fundamentum Christi aedificare foenum, ligna, stipulam, tunc supponit incedium. Aedificemus ergo aurum, argentum, lapides preciosos, & tentare non audebit, quanquam & in hoc non sit certa & secunda possessio. Sedit quippe leo in insidijs, & in occultis ut interficiat innocentem. Et vasa figuli probat fornax, homines autem iustos tentatio tribulationis. Et in alio loco scribitur, Fili accedens ad seruitutem dei praeparate ad tentationem. Rursum idem Iacobus loquitur, Estote factores verbi, & non auditores tantum. Si quis auditor est, & non factor, iste similis est viro qui considerat vultum natiuitatis suae in speculo. Considerauit illud & statim recedens oblitus est qualis sit. frustra monuit, ut iungerent opera fidei, si post baptismum peccare non poterant. Qui totam legem (inquit) seruauerit & peccauerit in vno, factus est omnium reus. Quis nostrum absque peccato? Concluit deus omnia sub delicto, ut omnibus misereatur. Petrus quoque nouit (inquit) dominus pios de tentatione eruere. Et de falsis doctoribus, Hi sunt fontes sine aqua, & nebulae turbinibus exagitatae, quibus caligo tenebrarum reseruatur. Superbia enim vanitatis loquentes pellicier in desiderijs carnis luxuriae eos qui paululum effugerant, & ad errorem reuersi sunt. Et licet Hieronymus acerrime defendat liberum arbitrium, id ipsum tamen putat libro primo aduersus Pelagianos, in bonis operibus dei semper adminiculo fulciri. Lapsus est vehementer Pelagius, quod asseruerit hominem nulla alia dei gratia indigere, ad bene operandum, postquam dei munere conditum habet Liberum arbitrium, contra quem dicit Hieronymus, Non sic donata est liberi arbitrij gratia, ut dei per singula tollatur adminiculum, alioqui dormitaret deus in operibus nostris semel data liberi arbitrij potestate, nec orandus esset, ut in singulis operibus nostris nos iuaret. Et paulopost dicit Hieronymus introducens Atticum Critobulo loquentem, & eius argumento respondentem, siquidem dicebat Critobulus: Si in omnibus deus cooperatur, non est meum quod ago, sed eius qui me adiuuat, praesertim cum absque eo nihil possim facere. Oro te (inquit Atticus) non legisti? Non enim volentis, neque currentis, sed miserentis est dei. Ex quibus intelligimus nostrum quidem esse velle & currere, sed ut voluntas nostra compleatur & cursus, ad dei misericordiam peruenire, atque ita fieri, ut & in voluntate nostra & in cursu, liberum seruetur arbitrium.

& in consummatione voluntatis & cursus, dei cuncta potentiae relinquuntur. Adde quod Augustinus, in plerisque suorum operum locis tota ingenij acrimonia molitur liberum hominis arbitrium defendere. Et in primis libro septimo Confessionum, capite tertio, dicit liberum voluntatis arbitrium, esse causam ut malum faciamus. Et libro primo de Libero arbitrio, capite duodecimo, dicit: Existimo in voluntate nostra esse constitutum, ut hoc vel fruamur, vel careamus, tanto & tam vero bono. Quid enim tam in voluntate quam ipsa voluntas sita est? Quam quisque cum habet bonam, id certe habet, quod terrenis omnibus regnis, voluptatibusque omnibus corporis longe anteponendum sit. Quisquis autem non habet, caret profecto illa re quam praestantior omnibus bonis in potestate nostra non constitutis, sola illi voluntas per seipsum daret. Itaque cum se ipse miserimum iudicet, si amiserit gloriosam famam, ingentes opes, & qualibet corporis bona, tu eum non miserimum iudicabis, etiam si talibus abudet omnibus cum ijs inhaeret quae amittere facillime potest, neque dum vult habere, caret autem bona voluntate, quae nec comparanda est istis: & cum sit tam magnum bonum, velle solum opus est, ut habeatur. Capite etiam 13. dicit: Quisquis recte honesteque vult viuere, si id se velle praefugacibus bonis velit, assequatur tantam rem tanta facilitate, ut nihil aliud ei quam ipsum velle sit habere quod voluit. Cap. 14. quod praetedit profectur, dicens: Haec enim aeterna lex illa incommutabili stabilitate firmavit, ut in voluntate meritum sit: in beatitudine autem & miseria, praemium atque supplicium. Itaque cum dicimus voluntate homines esse miseros, non ideo dicimus quod miseri esse velint, sed quod in ea voluntate sunt, quam etiam eis inuitis miseria sequatur necesse est. Et libro secundo, de Libero arbitrio, capite 1. ample declarat vim liberi arbitrij, & ad quid datum est: Si (inquit) homo aliquod bonum est, & non posset nisi cum vellet recte facere, debuit habere liberam voluntatem, sine qua recte facere non posset. Non enim quia per illam etiam peccatur, ad hoc eam deum dedisse credendum est. Satis ergo causa est, cur dari debuerit, quoniam sine illa homo recte non potest viuere. Ad hoc autem datum, vel hinc intelligi potest, quia si quis ea usus fuerit ad peccandum, diuinitus in eum vindicatur. Quod iniuste fieret, si non solum ut recte viueretur, sed etiam ut peccaretur libera esset voluntas data. Quomodo enim iuste vindicaretur in eum, qui ad hanc rem usus esset voluntate, ad quam rem data est? Nunc vero deus cum peccantem punit, quid videtur tibi aliud dicere, nisi cur non ad eam dem rem usus es libera voluntate, ad quam tibi eam dedi, hoc est ad recte faciendum? Deinde illud bonum quo commendatur ipsa iustitia, in damnandis peccatis recteque factis honorandis quomodo esset, si homo careret libero voluntatis arbitrio? Non enim aut peccatum esset, aut recte factum, quod non fieret voluntate. Ac per hoc, & poena iniusta esset, & praemium, si homo voluntatem non haberet liberam. Debuit autem & in supplicio, & in praemio esse iustitia: quoniam hoc, vnum est bonorum quae sunt ex deo. Debuit igitur deus dare homini liberam voluntatem. Idem dicit, libro tertio eiusdem operis, capite 18. & libro primo, de Genesi contra Manicheos, capite tertio. In Epistola ad Valentinum docet, liberum arbitrium non sic esse asserendum, ut nihil tribuamus gratiae, nec gratiam ita praedicandam, ut negemus liberum hominis arbitrium. Et in Epistola ad Hylarium contra Pelagianos & Manicheos acriter disputans, ostendit hominem non posse ex solo libero arbitrio, dei praeccepta adimplere. Illud inquit, quod dicitur sufficere homini liberum arbitrium ad dominica praeccepta implenda, etiam si dei gratia, & spiritus sancti dono ad opera bona non adiuuetur, omnino anathematizandum est, & omnibus execrationibus detestandum. Qui enim hoc asserunt, a gratia dei penitus alieni sunt, qui ignorantis dei iustitiam, sicut de Iudaeis dicit Apostolus, & suam volentes constituere, iustitiae dei non sunt subiecti. Plenitudo quippe legis non est nisi charitas. Et utique charitas dei diffusa est in cordibus nostris, non per nos ipsos, nec viribus propriae voluntatis, sed per spiritum sanctum qui datus est nobis. Valet itaque liberum arbi-

Augustinus

Roma. 10.

Roma. 13.

Roma. 5.

Matth. 6.

1. Corin. 10.

Roma. 5.

Roman. 10.

Philipp. 2.

Sapient. 8.

trium ad opera bona, si diuinitus adiuuetur, quod fit humiliter petendo, & faciēdo. Desertum verò diuino adiutorio qualibet scientia legis excellat, nullo modo habebit iustitiæ soliditatem, sed inflationem impiæ superbiæ, & exitiosum tumorem: Docter hoc eadem ipsa dominica oratio: frustra enim deum rogantes dicimus, Ne nos inferas in tentationem, si hoc in nostra sic positum est potestate, vt nullo illius adiutorio id valeamus adimplere. Dicitur enim, ne nos inferas in tentationem, quod intelligitur ne nos inferri deserendo permittas: Fidelis enim deus, ait Apostolus, qui non vos permittit tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam exitum, vt possitis sustinere. Vt quid hoc dixit deum facere, si hoc sine ipsius adiutorio, in sola nostra est potestate? Nam & ipsa lex in hoc adiutorium data est illis qui ea legitime vtuntur, vt per illam sciant, vel quid iustitiæ iam acceperint vnde gratias agant, vel quid adhuc eis desit quod instanter petant. Qui autem sic audiunt quod ait lex, Non concupisces, vt hoc quia didicerint sufficere sibi arbitrentur, nec adiutorio gratiæ dei ad faciendum quod iustum est dari sibi virtutem credant & petant, ad hoc eis lex subintravit, vt abundaret delictum: quod dicitur est de Iudæis. Parum enim est quia non implent quod præcepit lex, Non concupisces, sed insuper superbiunt, & ignorantes dei iustitiam, id est quam deus dat qui iustificat impium, & suam volentes constituere, tanquam suæ voluntatis viribus factam, iustitiæ dei non sunt subiecti. finis enim legis Christus ad iustitiā omni credenti, qui vtique ideo venit, vt vbi abundauit delictum, superabundet gratia. Ex hac Augustini doctrina, vnā cum ijs quæ ex Hieronymo protulimus, aduersariorum argumenta diluuntur, qui putant aliquor sacre scripturæ locos sibi fauere (qui tamen minime fauent) ad subuertendum in bono opere liberum arbitrium. Et in Epistola, ad Vitalem Carthaginensem dicit Augustinus de eadem re differens, Ita fit vt neque fideles fiant nisi libero arbitrio, & tamen illius gratia fideles fiant, qui eorum à potestate tenebrarum liberauit arbitrium. Sic & dei gratia non negatur, sed sine vllis humanis præcedentibus meritis vera monstratur, & liberum ita defenditur, vt humilitate solidetur, non elatione præcipitetur arbitrium: & qui gloriatur, non in homine, vel quolibet alio, vel seipso, sed in domino gloriatur. Tum etiam in Epistola ad Iulianam contra Pelagianos dicit, Proprium quippe arbitrium nisi dei gratia iuuetur, nec ipsa bona voluntas esse in homine potest. Deus est enim (inquit Apostolus) qui operatur in nobis, & velle & operari, pro bona voluntate. Non sicut isti sentiunt tantummodo scientiam reuelando, vt nouerimus quid facere debeamus, sed etiam inspirando charitatem, vt ea quæ discendo nouimus, etiam diligendo faciamus. Nam vtique nouerat ille quàm magnum bonum esset continentia qui dicebat: Et cum scirem quia nemo potest esse continens, nisi deus det. Non solum ergo sciebat quantum esset hoc bonum & quàm desiderabiliter esset concupiscendum, verum etiam quod nisi dante deo esse non posset. Docuerat enim eum sapientia. Nam hoc dicit. Et hoc ipsum erat sapientiæ scire cuius esset hoc donum. Nec tamē ei scientia suffecit, sed ait: Adij dominum & deprecatus sum illum. Non igitur tantummodo in hoc nos adiuuat deus, vt sciamus quid agendum sit, verum etiam vt amando agamus, quod discendo iam scimus. Nemo itaque potest esse non solum sciens verum etiam continens, nisi deus det. Vnde cum iam ille haberet scientiā, precabatur, vt haberet & continentiam, vt esset in illo quod sciebat, quia non esset ex illo, aut si propter liberum arbitrium proprium aliquantum, & ex illo non tamen nisi ex illo, quia nemo potest esse continens, nisi deus det. Et libro vno Enchiridij, ad Laurentium, capite 30. parum tribuit libero arbitrio ad bene agendum post primi hominis lapsum. Verum (inquit) hæc pars generis humani cui liberationem deus regnumque promisit æternum, nunquid meritis operum suorum reparari potest? Absit. Quid enim boni operari potest perditus, nisi quantum fuerit à perditione liberatus? Nunquid libero voluntatis arbitrio? Et hoc absit. Nam libero arbitrio male vtens homo, & se perdidit, & ipsum. Sicut enim qui se occidit, vtique viuendo se

occidit, sed se occidendo non viuunt, nec seipsum potest resuscitare cū occiderit: ita cū libero peccaretur arbitrio, victore peccato amissum est & liberum arbitrium. à quo enim quis deuictus est, huic & seruus addictus est. Petri certe Apostoli est ista sententia. Quæ cū vera sit, qualis quæso potest serui addicti esse libertas, nisi quādo eum peccare delectat? Liberaliter enim seruit qui sui domini voluntatem libenter facit. Ac per hoc ad peccandū liber est, qui peccati seruus est. Vnde ad iuste faciendum liber non erit, nisi à peccato liberatus esse iustitiæ coeperit seruus. Ipsa est vera libertas propter recti facti lætitiā, simul & pia seruitus propter præcepti obedientiam. Sed ista libertas ad benefaciendum vnde erit homini addicto & vendito? nisi redimat ille, cuius illa vox est, Si vos filius liberauerit, tunc vere liberi eritis. Quod antequam fieri in homine incipiat, quomodo quisquam de libero arbitrio in bono gloriatur opere, qui nondum liber est ad operandum bene, nisi se vana superbia inflatus extollat? quam cohibet Apostolus, dicens: Gratia salui facti estis per fidem. Et libro vno de Spiritu & litera, capite 3. eidem hæret sententiæ, dicens: Nos autem dicimus humanam voluntatem sic diuinitus adiuuari ad faciendam iustitiam, vt præter quod creatus est homo cum libero arbitrio voluntatis, præterque doctrinam qua ei præcipitur, quemadmodum viuere debeat, accipiat spiritum sanctum, quo fiat in animo eius delectatio dilectioque illius summi atque incommutabilis boni quod deus est, etiam nunc cum adhuc per fidem ambulatur nondum per speciem, vt hac sibi velut arra data gratuiti muneris inardescat inhaerere creatori, atque inflammetur accedere ad participationē illius veri luminis, vt ex illo ei bene fit à quo habet vt sit. Nā neque liberum arbitrium quicquam nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via. Et cum id quod agendum & quo nitendum est coeperit non latere, nisi etiam delectet & ametur, non agitur, non suscipitur, non bene viuunt. Vt autem diligatur, charitas dei diffunditur in cordibus nostris, non per arbitrium liberum quod fugit ex nobis, sed per spiritum sanctum qui datus est nobis. Hæc ille. Demirabitur forsitan is qui hæc leget, quod Augustinus liberi arbitrij assertor studiosissimus, dicat hominem libero arbitrio male vtentem, ipsum perdidisse, sed ne lectori hæc præstent offendiculum, interpretabor illa Augustini verba præferentis longe gratiam libero arbitrio. Cum igitur dicit hominem propter peccatum perdidisse liberum arbitrium, nequaquam vult asserere liberum hominis arbitrium post ruinam & lapsum, nullo modo posse conari, vt bene agat: sed quod ob peccatum à primo parente contractum, ita vulneratum est voluntatis arbitrium, vt nisi diuino suffulciatur adminiculo, non poterit studiose & recte agere. peccatum enim causa est vt homo tardius quàm antea, ad bonum properet. Sed quod Augustinus id voluerit, ostendā etiam ex eodem facile, libro vno de Spiritu & litera, capite 30. vbi dicit, Liberum ergo arbitrium euacuamus per gratiam? Absit, sed magis liberum arbitrium statuimus. sicut enim lex per fidem, sic liberum arbitrium per gratiam non euacuatur, sed statuitur. Neque enim lex impletur, nisi libero arbitrio, sed per legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ contra peccatum, per gratiam sanatio animæ à vitio peccati, per animæ sanitatem libertas arbitrij, per liberum arbitrium, iustitiæ dilectio, per iustitiæ dilectionē, legis operatio. Ac per hoc sicut lex non euacuatur, sed statuitur per fidem, quia fides impetrat gratiam qua lex impletur: ita liberum arbitrium non euacuatur per gratiam, sed statuitur: quia gratia sanatur voluntatem, qua iustitiā libere diligatur. Ad hæc, libro vno de Spiritu & anima, capite 48. dicit, Libertati arbitrij sui commissus est homo, postquam verò deceptione serpentis per Euam cecidit, naturæ bonum perdidit, pariter & vigorem arbitrij, non tamē electionem, ne non esset suum quod emendaret peccatum. Manet itaque ad quærendam salutem arbitrij libertas, id est rationis voluntas, sed admonente prius deo, & inspirante ad salutem. Vt ergo acquiescamus salutari inspirationi, nostræ potestatis est: vt adipiscamur quod adipisci desideramus, domini est munere. Vt non labamur adepto salutis munere nostræ sollicitudinis est, & cælestis adiu-

2. Petr. 2.

Ioan. 8.

Ephes. 2.

Roma. 5.

Roma. 3.

Roma. 7.

torij, vt labamur potestatis nostræ est, & ignauia. Et libro primo, ad Simplicianum quæstione secunda, exponens illum Pauli locum, Velle mihi adiacet, perficere autem bonum non inuenio: qui videtur aduersarijs fauere, dicit: His verbis videtur nõ recte intelligentibus velut auferre liberum arbitrium. sed quomodo auferret, cum dicat velle adiacet mihi? Certe enim ipsum velle in potestate est, quoniã adiacet nobis. sed quod perficere bonum, non est in potestate, ad meritum pertinet originalis peccati. Non enim est hæc prima natura hominis, sed delicti pœna, per quam facta est ipsa mortalitas, quasi secunda natura: vnde nos gratia libera conditoris subditos sibi per fidem fecit. Sed istæ nunc voces sunt sub lege hominis constituti, nondum sub gratia. Non enim quod vult, facit bonum, quod nondum est sub gratia: sed quod non vult malum hoc agit, superante concupiscentia, non solum vinculo mortalitatis, sed mala consuetudine roborata. Hæc ille. Cum igitur dicit Paulus: Si quod nolo illud facio, iam non ego operor illud, sed quod in me habitat peccatum: vult innuere hominem considerando primam hominis naturam & illibatam in statu originalis iustitiæ, liberi arbitrij integritatem, nõ operari malum: vulnerato tamen libero arbitrio corrumpit in flagitia, quæ à peccato, id est carnali concupiscentia, pessima liberi arbitrij consuetudine roborata, perpetrantur. Adde quod libro vno expositionis quarundam propositionum ex Epistola ad Romanos, dicit: Liberum arbitrium perfecte fuit in primo homine, in nobis autem ante gratiam nõ est liberum arbitrium, vt non peccemus, sed tantum vt peccare nolimus. His coherent quæ dicit libro 13. de Ciuitate dei, capite 14. Omnes (inquit) fuimus in illo vno, quando omnes ille vnus corruptus, qui per foeminam lapsus est in peccatum, quæ de illo facta est ante peccatum. Nondum erat nobis sigillatim creata & distributa forma in qua singuli viueremus, sed iam natura erat seminalis ex qua propagaremur: qua scilicet propter peccatum vitiata, & vinculo mortis obstructa, iustæque damnata, non alterius conditionis homo ex homine nasceretur, ac per hoc à liberi arbitrij malo vsu series huius calamitatis exorta est, quæ humanũ genus origine deprauata velut radice corrupta vsque ad secundæ mortis exitium quæ non habet finem, solis eis exceptis, qui per gratiam dei liberantur, miseriarum connectione perducit. Insuper à ratione & definitione peccati, defumit facultatẽ liberi arbitrij, libro vno de Duabus animabus contra Manicheos, capite 11. vbi dicit: Peccatum est voluntas retinendi vel cõsequendi quod iustitia vetat, & vnde liberum est abstinere: quãquam si liberum non sit, non est voluntas. Libro etiam secundo contra Faustum Manicheum, capite 5, vbi ostendit temporalem Christi generationem non esse sub astrorum conditione factam, omnino nostræ Assertioni subscribit, dicens, Nos quidem sub fato stellarum nullius hominis Genesim ponimus, vt liberũ arbitrium voluntatis, quo vel bene, vel male viuatur, propter iustum iudicium dei ab omni necessitatis vinculo vindicemus: quãto minus illius temporalem generationem sub astrorũ conditione credimus factam, qui est æternus vniuersorũ creator & dominus? Idem, de Actis cum Felice Manicheo, libro secundo, capite tertio, dicit: & libro vno de Natura & Gratia cõtra Pelagianos, capite 67. si tamen opus illud sit Augustini: Quis enim peccat in eo quod cauere nullo modo potest: peccatur autẽ, cauere igitur potest. Afferit & libro 1. contra duas Epistolas Pelagianorũ, capite tertio, liberum arbitriũ nihil boni posse operari nisi dei gratia iuuetur, & probat ex illa Christi sententia, Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me traxerit eum. Probat & ample ex sacris literis libro vno ad Valentinum de Gratia & libero arbitrio, capite 2. facultatem liberi arbitrij, & ad bonum, & ad malum. Pulchre coherent præcedentibus doctorum scripturis, quæ dicit Chrysostronus de liberi arbitrij potestate, Concione 2. de Lazaro: Animæ (inquit) volentes sponteque ac seipsas iniuria afficientes peccant, non coactæ neque tyrannide oppressæ. Idque declarant omnes qui superauerunt diaboli machinamenta. Veluti beatorum Iob quum innumeris impetisset fraudibus, omniãque miscuisset, non potuit tamen persuadere,

Roma. 7.

Ioan. 6.

Chrysostr.

vt aliquod verbum blasphemum proferret. Vnde perspicuum est quod in nobis fitum est, vt vel obtemperemus, vel non obtemperemus illius insidijs, nec vllã necessitatem, neque tyrannidẽ patimur ab illo. Et enarrans illum Pauli locum: Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis? ostendit liberũ arbitrium plurimũ habere virium ad bene agendum si vt oportet, velit. In vobis (inquit Paulus) optio posita est: & hæc enarrãdo, dicit ille: Etenim nos & huius & illius habemus potestatem, vt scilicet & in iehennam incidamus, & regnũ assequamur, quoniam deus sic voluit. Ecce (inquit) ignis & aqua, ad quod volueris extende manum tuã. & si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Quod si nolueritis, gladius deorabit vos. Sed fortasse dicet quispiam: Volo, & nemo tam stultus qui nolit. Sed non sufficit mihi voluntas, & tamen sufficit, si vt oportet volueris, & quæ volentis sunt, feceris. Nunc autem nõ nimium vis, & hoc in alijs experiamur, si videtur. Dic quæso mihi, qui vult vxorẽ ducere, num satis est ei voluntas? Mini me, sed pronubas inquit, & amicos orat, vt ei inuigilẽt, & pecunias cogit. Rursum mercatori non sufficit vt negotiationi vacare velit, & domi desideat, sed & nauem cõducit, & nautas & remiges inuenit, & argentum mutuatur. Præterea locũ & mercium pretia perscrutatur. Quomodo igitur non absurdum sit, vt in terrenis rebus tantum studium ostendatur, eis autem qui cælum consecuturi sunt, voluntas sola sufficiat, imò neque ipsa quo debemus studio ostendatur? Qui enim vult vt oportet, etiam res attingit, quæ ad id adducant quod vult. Etenim cum fames cogit, vt comedas, non expectas vt sponte sua cibi ad te veniant, sed omnia facis vt victũ tibi compares. Et in siti & algore, & cæteris omnibus itidem facis, & ad corporis curam disponeris. Idem tu circa cæli regnum efficias, & proculdubio id consequeris. Propterea te liberi arbitrij fecit deus, ne posterius deum accuses tanquam necessitati alligatus. Tu autem pro quibus honorem assecutus es, pro ijs indignaris. Etenim multos audiui qui dicerent, Quamobrem in mea non posuit potestate virtutem? Sed qua ratione oportuit iacentem, dormientem, malitiæ cupidum, delicatum, & ventri deditum hominem in cælum assumere, nisi malitiam dimiseris? Nam si in præsentia minis propositis, non tamen à virijs abstines, si cælum tibi præmiũ proponeretur, an vnq̃ à malitia cessares pigrior factus, & longe deterior? neque enim illud dicere poteris, quod dederit quidem bona, non tamen opitulatus sit. Etenim multum tibi promittit auxilium. Et homilia duodecima de muliere Chananea, dicit: Liberi arbitrij nos creauit deus, ut voluntate nostra cũ adiutorio dei quod volumus, faciamus. Si publicanus es, potes fieri Euãgelista: si blasphemus es, potes fieri Apostolus: si latro es, poteris paradisi colonus effici: si magus es, poteris dominũ adorare. Nec est vlla malitia quæ pœnitentia non soluat. Eadem penè scribit homilia 21. ad Theodorum Monachum. homilia etiam 30. de prodicione Iudæ, dicit Deum non traxisse Iudam inuitum. Et quoniã bona atque mala in nostra deus potuit potestate, electionis liberum donauit arbitrium. Et nos inuitos non retinet, sed volentes amplectitur. Nam non spõte bonus, malitiã non amittit. homilia tamen 25. in dominica prima Aduentus domini, ostendit imbecillitatem liberi arbitrij ad bene agendum, post peccatum: & sentit cum Augustino dicente, hominem male vtentem libero arbitrio se & ipsum perdidisse. Et interpretatio quam dedimus dictis Augustini, huic accomodari potest. Sic enim differit, Nostra voluntate & negligentia alligamur, sed per dei misericordiã absoluimur. Sicut enim videmus in istis mundialibus regnis, quomodo in primis quidem nemo potest facere seipsum regem, sed populus creat sibi regem quem eligit: sed cum ille rex fuerit factus & cõfirmatus in regno, iam habet potestatem in hominibus, & non potest populus iugum eius de ceruice sua repellere. Nã primum quidem in potestate populi est face re sibi regem quem vult, factum autem de regno iam repellere non est in potestate eius: & sic voluntas postea in necessitatem conuertitur. Sic & homo priusquam peccet, liberum habet arbitrium, vtrum velit sub regno esse diaboli, an non: cum

1. Corin. 4.

autē peccando se tradiderit sub regno ipsius, iam non potest de potestate eius exire, sed sic prima voluntas eius in necessitatem conuertitur. Et hoc est quod homines seculares & peccatores dicere solent, Nunquid nolumus esse sancti? & quis non vult esse iustus? sed non possumus. Verum quidem est quod dicunt, sed non habent excusationem, quia potuerūt primum non esse sub potestate diaboli, si voluissent: postquam verò posuerunt thronum diaboli in cordibus suis, iam nemo potest eos eripere de potestate diaboli, nisi solus deus. Hæc ille. Necessitas illa, vt aliquando diximus, non est absoluta: nam si omnino & simpliciter voluntas post delictum in necessitatem conuerteretur, homo non posset nõ peccare, nec posset conari, vt suū scelus detestaretur, quod est absolum: sed est necessitas secundum quid, quæ pro magna difficultate à respiciētia sumitur, ita quòd homo in mortale peccatū delapsus, vix potest à cœno illius delicti se explicare, sed dei gratia à laqueis peccati eripitur & absoluetur. Et hoc exprimit homilia prima de Adam & Eva, dicens: Munere dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, vt de tenebroso lucidum, de prauo rectum, de languido sanum, de imprudente sit prouidum. Tanta enim est erga omnes bonitas dei, vt nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona. Exponēs tamen illum Pauli ad Hebræos locum: Quod minus est, à meliore aliquo benedicuntur: offendit deum non antecedere nostras voluntates, ne liberum lædatur arbitriū, quod tamen multis stuporem & admirationem inijcit. sed puto eum id dixisse, vt velimus, non autem vt bene & studiose velimus. Nam deus est qui operatur in nobis & velle & perficere. Non ita (inquit) omnia dei sunt, vt liberū arbitriū lædatur. Si igitur dei sunt (inquit) omnia, quid ergo nos culpamur? Propterea dixi, vt liberū arbitrium nostrū non lædatur: in nostro itaque arbitrio est. Oportet nos quippe eligere primum quæ bona sunt, & tunc ipse, quæ ab ipso sunt, introducit. Non antecedit nostras voluntates, ne lædatur liberum arbitrium: cum autē nos elegerimus, multā tunc introducit auxiliatiōē. Et aduersum se optimū ex Paulo mouet argumentū, Quomodo ergo Paulus inquit? Neque volentis neque currentis, sed miserentis est dei. Primum quidem non sicut propriā sententiā introduxit, sed veluti ex his quæ proposita erāt, hoc collegit, & ex his quæ ante præmiserat. Dicēs enim, scriptū est, Miserebor, cui miserebor, & dicitur igitur, Neque volentis, neque currentis, sed miserētis est dei. Dicis ergo mihi, quid adhuc queritur? Secundū illud autem est dicendum. Quia cuius est amplius, totū esse dixit. Nostrum enim eligere tantū est, & velle: dei autem efficere, & ad perfectionem perducere. quia ergo illius est amplius, eius dixit esse vniuersum, secundum consuetudinem hominum: sic quippe etiam nos facimus. verbi gratia, videmus domum bene ædificatam, & dicimus quia totum artificis est, & tamen non omne opus eius est, sed etiam operariorum, & qui materiam tribuit domui, & aliorum plurimorum: verum tamen quoniam amplius esse contulit, illius vniuersum opus dicimus: sic etiam & hic. iterum, in multitudine, vbi plurimi sunt, omnes esse dicimus: vbi autem pauci, nullum: sic & Paulus dixit, Neque volentis neque currentis, sed miserentis est dei. Adstruit autem hic duo quædam magna: vnum quidem ne in superbiā erigamur, siue festines (inquit) non potest tuum esse effectum. Si enim desuper non adueniat adiumentū, omnia in vano erunt. veruntamē quicquid adeptus fueris eorum ad quæ festinas, manifestum quia currendo & volendo adipisceris. Non ergo hoc dixit quoniam inuanum currimus. Sed quid? Quoniam inuanum currimus, si nostrum esse vniuersum putaerimus, si non plurimam partem deo tribuerimus. Neque enim deus totum suum esse voluit, ne videatur sine causā nos coronare: neque iterum nostrum, ne in superbiā incidamus. Hæc ille. Pace tamen Chrysostrami dixerim, eam puto fuisse Pauli sententiā (nisi in pleno veritatis lumine cæcutiam) quòd scilicet recte collegerit ex his quæ antecedeabant, etiam vt prætendebat, Non esse volentis neque currentis, quantum ad consummandum boni operis cursum, sed dei miserentis. Hæc ex prædestinatione deducta est cōclusio. Si enim deus Iacob dilexerit, & Esau

Hebre. 7.

Philippē. 2.

Roma. 9.

Exo. 33.

reprobauerit, antequam illi quicquam boni, aut mali egissent, vt id etiā ex his quæ dominus Moyſi dixit, cōfirmetur, Miserebor cui misertus sum, nec vlla hominum merita prædestinationem præcesserint, non absurde imò recto consequio colligit Paulus, etiā ex propria sententiā, igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est dei. Sed satis sit differuisse. Sed poterit aliquis defendere Chrysostramum, aut excusare ex vna particula: nam dicit, Non sicut propriā sententiā introduxit, sed ex his quæ proposita fuerāt, proxime scilicet ex Mose: licet Paulus in ea fuerit sententiā, non est volentis &c. Secunda tamen interpretatio prima longe melior est. Et cum pertractat illum Ioannis locum, qui videtur fauere Manichæis, Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me traxerit eum, dicit: Hic insurgunt Manichæi nihil nos ex nobis ipsis posse, huius particula testimonio cōtendentes. Sed plannē nos posse quæ volumus per hoc ostenditur, inquiunt enim: Si quis venit ad eum, quid opus est vt trahatur? Verum hoc nostrum non tollit arbitrium, sed diuino egerē auxilio ostendit, & non inuitum, sed omni conatu contententem venire. Eiusdē est sententiæ Theophylactus eandem Ioannis sententiā pertractans: Hoc dicit Ioannes, non vt libertatem tollat arbitrij, absit, sed vt ostendat quòd multa habeat opus cooperatione à deo is, qui crediturus est. Et aliter, Illos trahit pater qui habent voluntatis aptitudinem, eos autem qui seipſos non faciunt idoneos, non trahit ad fidem. Nam sicut Magnes non omnia, sed solum ferrū attrahit: ita & deus ad omnes quidem appropriat, eos autem qui magis idonei & familiaritatem erga ipsum præ se ferunt, trahit. Nec etiam quod dicit Paulus ad Philipenses, Conhido quòd qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet. vsque in diem Iesu Christi, eludit & oppugnat liberum arbitrium. Nam vt vult Chrysostramus homilia secūda, in epistola ad Philipenses, nec sic loquens Paulus priuauit illos sua laude. Nam si simpliciter in illis operabatur deus, nihil verabat quominus & in gentibus, & in vniuersis hominibus operaretur. Si nos vt ligna, lapidēsq; moueret, neque nostram requireret industriam. Itaque quod dicit, Deus perficiet, & hoc rursus ad illorum laudē pertinet, qui cōciliarint sibi dei gratiam, vt ipsis esset auxilio in his quæ superant humanam naturam. Quāquam ista beneficia sic vestra sunt, vt tamē humana non sint, sed egent fauore diuino. Subscribit huic assertioni Ambrosius libro primo, de Vocatione gētium, capite primo, dicens: Si enim tollitur voluntas, vbi ipsa est verarum origo virtutum? Si tollitur gratia, vbi ipsa est bonorum causā meritōrū? Origenes tuetur libro primo, Peri Archō seu de Principijs, liberi arbitrij facultatem, dicens: Est & illud definitum in Ecclesiastica prædicatione: Omnem animam rationabilē esse liberi arbitrij & voluntatis. Esse quoque ei certamen aduersus diabolum & angelos eius, cōtrariāsque virtutes, ex eo quòd illi peccatis eam onerare contendant, nos verò si recte consultēque viuamus, ab huiusmodi nos exuere conemur. Vnde & consequens est intelligere non necessitati esse subiectos, vt omni modo etiam si nolimus, vel mala, vel bona agere cogamur. Si enim nostri arbitrij sumus, instigare fortasse possunt aliquæ virtutes ad peccatum, & aliæ iuuare ad salutem: non tamen necessitate cogimur, vel agere recte, vel male: quod fieri arbitratur, qui stellarum cursum & motus, causam dicunt humanorum esse gestorum, non eorū esse quæ extra arbitrij accidunt libertatem, sed eorum quæ in nostra sunt posita potestate. Et libro secundo Peri Archon, dicit rationabiles creaturas arbitrij facultate donatas esse. Libertas autem vnūquodque voluntatis suæ, vel ad profectū per imitationē dei prouocauit, vel ad defectum per negligentiam traxit. Et hæc extitit causā diuersitatis inter rationabiles creaturas, non ex creatoris voluntate, vel iudicio originem trahens, sed propriæ libertatis arbitrio. Libro etiam tertio eiusdem operis, idem aperit institutum, & ex Paulo probat facultatem liberi arbitrij: Videamus (inquit) quomodo Paulus Apostolus velut potestatem arbitrij habentibus nobis loquitur, & tanquam in nobis ipsis, vel salutis, vel perditionis habentibus causas, ait: An diuitias bonitatis, ac patientiæ, ac longanimitatis contemnis? Ignoras RR. j.

Roma. 9.

Ioan. 6.

Philippē. 2.

Ambrosius.

Origenes.

Roma. 2.

quod benignitas dei ad poenitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam, & cor impoentes thesaurizas tibi iram in die iudicij, & reuelationis iusti iudicij dei, qui reddet vnique secundum opus eius: his quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quarunt: vitam aeternam. his autem qui ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati: ira, & indignatio. Tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Iudaei primum & Graeci. Gloria autem & honor & pax omni operanti bonum, Iudaeo primum & Graeco. Multa quidem alia & innumera in sanctis scripturis inuenies quae euidenter ostendent nos habere arbitrij liberi potestatem, alioquin frustra nobis darentur praecipua, ex quorum obseruatione saluamur, vel praeruaricatione damnatur, si obseruandi ea in nobis facultas non esset. Et edisserens illum Pauli locum, Non est ergo volentis, neque currentis, sed dei miserantis: optime defendit contra aduersarios, qui putant hoc testimonio euerti liberum arbitrium, facultatem nostrae voluntatis & ad bonum, & ad malum. Quod dixit Paulus, Non volentis & caetera: ita accipitur sicut Dauid dicit in psalmo, Nisi dominus aedificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui aedificant eam. Nisi dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam. In quo ostendit non quod is qui domum aedificat, nihil agat & otiosus sit, & ita eam aedificet dominus: sed ipse quidem quantum est in homine vim sollicitudinis & laboris expendat, sic vt obstaculis omnibus amotis opus perueniat ad perfectum. Cum ergo per hanc doceatur quod homo quidem laborem impedit & sollicitudinem, Deus autem successum operi tribuat & effectum: pium & religiosum est ideo & bonum, quod in se est operis summa, deo magis quam homini putare. Sic & cum Paulus plantabat, & Apollo rigabat, Deus dare dicitur incrementum. Et additur, Itaque neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat deus. Ita ergo etiam in praesenti loco possumus dicere: Itaque neque qui currit, hoc videntur esse vult, sed qui effectum dat deus. Qui enim vult, & qui currit, hoc videntur esse quod est ille qui plantat, & cum qui rigat nihil dicit esse Apostolus: non quod nihil agant, sed quod ad comparationem dei, qui incrementum dat operi vel effectum, illi nihil esse ducantur. Dicit etiam Tertullianus liberi arbitrij propugnator, libro secundo aduersus Marcionem, Liberum & sui arbitrij, & suae potestatis inuenio hominem a deo institutum, nullam magis imaginem & similitudinem dei in illo animaduertens quam eiusmodi status formam. Neque enim facie & corporalibus lineis tam varijs in genere humano ad vniformem deum expressus est, sed in ea substantia quam ab ipso deo traxit, id est animam, ad formam dei spondetis, & arbitrij sui libertate & potestate signatus est. Hunc statum eius confirmavit etiam ipsa lex, tunc a deo posita. Non enim poneretur lex ei, qui non haberet obsequium debitum legi in sua potestate: nec rursus comminatio mortis transgressioni adscriberetur, si non & contemptus legis in arbitrij potestatem homini deputaretur. Sic & in posteris legibus creatoris inuenias, proponentis ante hominem, bonum & malum, vitam & mortem: sed nec aliàs totum ordinem disciplinae per praecipua dispositum, auocante deo & minante, exhortante, nisi & ad obsequium, & ad contemptum libero & voluntario homine. Idem dicit libro de Exhortatione castitatis. Et in libro de Monogamia de eadem re sic scribit: Discessit ille diues qui non ceperat substantiae diuidendae egenis praecipuum, & dimissus est sententiae suae a domino. Nec ideo duritia imputabitur Christo de arbitrij cuiuscunque liberi seruitio. Ecce (inquit) posui ante te bonum & malum. Elige quod bonum est: si non potes, quia non vis (posse enim si velis ostendit) quia tuo arbitrio vtrumque proposuit, discedas oportet ab eo cuius non facis voluntatem. Praeterea Cyrillus recte sentiens de libertate arbitrij, dicit libro tertio contra Iulianum, Humana mens potestatem sortita est quae facienda vel non, & permixta est voluntarijs impetibus ad quodlibet ire. Vnde optimo artificio etiam hoc gloriam affert, voluntaria enim operandi facultas

Roma. 9.

Psal. 12. 6.

1. Corin. 3.

Tertullianus

Eccle. 15.

Matth. 19.

Cyrillus.

te conueniebat rationalem creaturam insigniri, & electionis liberae de clarari fructum, in bonis operibus dexteritatem. Cum autem deus dedit libertatem, ac liberum arbitrium vnique, vt in ipsis sit bonum voluntarij ornatum laude, pluri mi declinant ad absurdam & irrationabilem ignauiam, vt in pecuinam vitam excidant, & fallantur in operibus, quorum veritas vix studiosis & sobrie laborantibus contingit. Et aliter quoque, nam quum anima liberum arbitrium sortita sit ad virtutem, libertatis possessionem vel vitij voluntariam electionem, vt propter illam in vnaquaque probaretur, & quod dignum laudibus & quod vitium, haberentque locum in hominibus reprobationes & laudes, & bonorum distributiones, & vituperia & ignominiae, & vindictae his qui mala opera perpetrant. Dicunt autem sapientes, animas vitam eligere quam vnaquaque voluerit, eo quod potestatem prouidentiae acceperint. Extollit & liberum arbitrium, libro sexto, contra Iulianum, etiam libro octauo, quod ab exordio datum est primis parentibus. Insuper Hylarius, in enarratione secundi psalmi tota vi sui ingenij partes liberi arbitrij tutatur, vbi dicit: Deus vnique nostrum libertatem vix sensumque permisit, non necessitatem alterutrum affigens, vt vnumquemque ex natura bonum malumve esse lex cogeret, sed qui nos per benevolentiam, vtendae beatitudinis suae creasset, profectum nobis ad id meritum vitae innocentis honestaeque constituit. Quid autem honoris ac praemij bonitatis necessitas mereretur, cum malos non esse, vis quaedam nobis conferta non inereret? voluntati ergo permixta bonitas est, vt praemium sibi voluntas bonitatis acquireret, vt esset nobis aeternae huius beatitudinis profectus atque vltimus ex merito, non necessitas indiscreta per legem. Et quanquam nos ad voluntatem bonitatis, id est ad bene honestaeque viuendum, per spem promerendae, & vtendae suae bonitatis illiceret, poenam tamen deuitatae & contemptae bonitatis adiecit. Vt cum libertatem nobis voluntatis ad bonitatem promerendam reliquisset, quia meritum necessitas naturae non haberet, libertatem ipsam quotidie propositus e contrario poenae terror argueret. Atque ita & per rationem aequi atque iusti ad meritum praemij praemixta libertas est, & per bonitatem dei vis libertatis metu constitutionis arctata est, vt bene velle meriti spes moueret, malum nolle propositae vltionis poena suaderet. Et in psalmum centesimum decimum octauum, dicit: Voluntas nostra hoc proprium ex se habere debet, vt velit deus incipienti crementum dare, quia consummationem per se infirmitas nostra non obtinet, meritum tamen adipiscendae consummationis est ex initio voluntatis. Ad haec, explicando illum Psalmographi locum: Confitebor tibi in seculum quia tu fecisti, & expectabo nomen tuum, quoniam bonum ante conspectum sanctorum tuorum, ostendit confessionem peccatorum suam esse in nostra voluntate, & quidem solum in hac vita. Idcirco (inquit) in seculum, & in seculum seculi misericordiae spes est, sed confessio tantum in seculo, non etiam in seculum seculi. Non enim confessio peccatorum nisi in huius seculi tempore est, dum voluntati suae vnusquisque permixtus est, & per vitae licentiam habet confessionis arbitrium. Decedentes namque de vita, simul & de iure decidimus voluntatis. Tunc enim ex merito praeteritae voluntatis lex iam constituta aut quietis, aut poenae excedentium ex corpore suscipit voluntatem. Cuius temporis non iam liberam, sed necessariam voluntatem ostendit propheta, dicens: Non est mihi in diebus illis voluntas. Cessante enim voluntate libertatis, etiam voluntatis (si qua erit) cessabit effectus. Transire namque ad Abraham volens diues, chaos medio non finitur, cum tamen per libertatem voluntatis in Abraham finibus esse potuisset. Interclusa est ergo libertas voluntatis, quia confessio nulla sit mortuis secundum id quod dictum est, In inferno autem quis confitebitur tibi? Haec ille. Non desunt tamen viri doctissimi, qui dicunt hominem cum peccato veniali ab hac vita decedentem, confiteri deo suum leuissimum peccatum. Nam voluntas illius peccato veniali deordinata, redit ad deum siue reordinatur per bonum detestantis motum, nec potest peccato quotidiano infectus, intueri deum donec peccet.

Hylarius.

Psal. 52.

Lucae 16.

Psal. 6.

RR. ij.

Ireneus. catum illud abluerit. Si igitur post hanc vitam nulla sit vitiorum confessio, id de mortali peccato intelligendum est. Tum etiam Ireneus asserit liberum arbitrium, libro quarto aduersus haereses Valentini & similium, capite nono, dicens: Homo rationalis & secundum hoc similis deo, liber in arbitrio factus & suae potestatis, ipse sibi causa est, ut aliquando quidem frumentum, aliquando autem palea fiat. Quapropter & iuste condemnabitur, quoniam rationalis factus, amisit veram rationem, & irrationabiliter viuens aduersatus est iustitiae dei, tradens se omni terreno spiritui, & omnibus seruiens voluptatibus. Quemadmodum propheta ait: Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Et capite septuagesimo primo, ac septuagesimo secundo eiusdem libri, ostendit hominem esse liberum ad hoc ut possit eligere bona vel contraria: idque ex sacris scripturis quarum testimonio iam vsi sumus, probat. Quae ex Biblijs & sacris doctoribus ad tuendam liberi arbitrij facultatem testimonia protulimus, plurimum habent roboris & momenti ad subuertendam, & omnino profligandam Lutheranorum haeresim, qui temere & pertinaci errore asserunt hominis arbitrium non esse liberum, nec quicquam posse conari ut bene agat.

CAPVT X.

Iacet pastori Ecclesiae in persecutione fugere.] Hanc ex Euangelicis literis Assertionem affirmabimus. Cum misisset Christus suos Apostolos in ciuitates Iudaeae ad praedicandum Euangelij libertatem ac gratiam, ne temere & repente periculis se exponerent, cum eis a fidei persecutoribus mortis supplicia intenteretur, dicebat: Cum autem persequerentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam: cuius verba exponens Hieronymus sic loquitur: Hoc ad illud tempus referendum est, cum ad praedicationem Apostoli mittebantur quibus & proprie dicitur, In viam gentium ne abieritis, & in ciuitatem Samaritanorum ne intraueritis, quod persecutionem timere non debeant, & debeant declinare. Quod quidem in principio videmus fecisse credentes, quando orta Hierosolymis persecutione dispersi sunt in vniuersam Iudaeam, ut tribulationis occasio fieret Euangelij seminarium. Consentit Hieronymo Chrysofostomus, dicens: Non enim iussit cominus aggredi persecutores, sed fugere. nam quoniam adhuc in principijs atque in ipsa origine res erat, mitiori vitur oratione. non enim de his persecutionibus dicit quae post mortem fuerunt, sed de his quas ante crucem & passionem habuerunt, quod significanter expressit, dicens: Non enim obibitis ciuitates Israel donec venerit filius hominis. Nam ne dicerent, si ab alia ciuitate in aliam fugeremus, quid faciendum nobis est, si illuc vsque persecutores peruenerint? ab hoc timore ipsos liberans: Non poteritis (inquit) Palaestinam prius circuire, quam ego ad vos veniam. Tu vero perpende qualiter etiam in hoc loco non penitus imminet mala repellit, sed adest in periculis atque leuat. Non enim dicit eripiam vos a persecutoribus, ac persecutiones cunctas dissoluam, sed nequaquam explebitis ciuitates Israel, donec filius hominis venerit. Sufficiebat certe ad sedandos labores suos solus aspectus Christi. Subscribit nostrae assertioni Theophylactus, eundem locum pertractans, ubi dicit, lubet Christus fugere eum qui persecutionem patitur. Enimvero temere se in periculum iniicere, & authorem fieri condemnationis homicidis, & damno esse his quibus per praedicationem prodesse poterant, diabolicum est. Tum etiam Paulus effugit manus praepositi Damasci, qui custodiebat ciuitatem Damascenorum, ut eum comprehederet, & per fenestram in sporta a suis discipulis demissus est per murum. Thomas etiam Cantuariensis fugit de Anglia tempore persecutionis suae Ecclesiae, quod non intentasset nisi ei fuisset licitum arrepta fuga suae vitae consulere. At dicit quispiam, Scribit Ioannes in suo Euangelio, Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis, mercenarius autem qui non est pastor, cuius non sunt oues propriae, videt lupum venientem,

& dimittit oues & fugit, & lupus rapit & dispergit oues. mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus. His verbis vult Christus ut praelati Ecclesiastici & Episcopi, quibus a domino credita est fidelium animarum cura, intrepido animo se exponant periculis, & mortem vltro pro defensione Christianismi obeant, nec vllis tyrannorum, & haereticorum minis terreantur, nec pro Christi nomine exhorrescant etiam atrocissima mortis tormenta. Melius siquidem est & multo conducibilius, pastorem Ecclesiae interire, quam innumeras sui gregis oues ab haereticis dilaniari. quod si secus fecerit, & terrore mortis percussus fugiat cum magno suarum ouium dispendio, non tam dicitur pastor, quam mercenarius: qui finit sua negligentia suas ouiculas a voracissimis luporum moribus deglutiri & absorberi. Gregorius illum Ioannis locum explicans, dicit illum qui fugit tempore persecutionis, merito perdere meritum pastoris, quod non esset verum si classicis Ecclesiasticis liceret tempore persecutionis fugere. Augustinus etiam tractatu quadragesimo sexto in Ioannem, dicit quosdam esse Ecclesiae praepositos, quos asserit Paulus sua quaerere, non quae Iesu Christi, qui non gratis diligunt deum, nec eum propter se quaerunt, sed lucris inhiantes, temporalia commoda festantur, & honores ab hominibus appetunt: tales sunt mercenarij, qui non reprehendunt quos deberent grauius & acerbè corripere, ne perdant quod festantur, & inimicitiarum humanarum molestiam incurrant. Duo hic sunt pro diluenda ratione spectanda. Primum, si praefectus Ecclesiae vsque adeo sit Christianae reipublicae, & suis ouibus pascendis necessarius, ut si timore mortis fugiendo maximam occasione data suis subditis perniciem adferret, nec esset qui eius vices obiret, non deberet ille fugere, sed suam animam ponere pro suis ouibus, a tyrannorum aut haereticorum manu & violentia eripiendis. Nam maius sequeretur detrimentum ex eius fuga quam commodum. Siquidem pastoris vigilantissimi munus obeundo, principum gladios, & tyrannorum minas, ut soli deo praestet obsequium, contemnet, & gloriabitur quod pro fidei defensione egregiam mortem oppetierit. Secundum, si Ecclesiae praelatus hostiliter a persecutoribus impetatur etiam vsque ad mortis comminationem, nec desint alij ministri prudentes & docti qui aequè, aut non minus poterunt illius subditis prodesse, tunc potest arripere fugam. Et ratio est, non enim tenetur facere iacturam sui corporis, & se mortis periculo exponere, conseruata sui gregis incolumitate. & ubi ex eius fuga subditi nullum, aut forsitan minimum patiuntur detrimentum: potest etiam contingere quod maius sequeretur commodum cum ad tempus ab eis discedit, quam si cum eis maneret. Et quod ita sentiendum sit, colligam facile ex doctrina Augustini in Epistola ad Honoratum, de Fuga in persecutione, ubi vtrinque hanc quaestionem agit. Et cum pro ruenda nostrae assertionis veritate profertur illud Matthaei, Cum vos persequuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam, dicit: Quis autem credat, ita hoc dominum fieri voluisse, ut necessario ministerio, sine quo viuere nequeunt, deferantur greges quos suo sanguine comparauit? Et cum Apostolus fugit, non fuit deserta Ecclesia necessario ministerio, sed ab alijs fratribus ibidem constitutis quod oportebat impletum est. Eis quippe volentibus hoc Apostolus fecerat, ut seipsum seruaret Ecclesiae, quem proprie persecutor ille quaerebat, nec alij similem habebant necessitatem. Etiam ut dicit tractatu quadragesimo sexto, in Euangelium Ioannis, cum Paulus fugit, oues Ecclesiae, pastori in caelo sedenti orationibus commendauit, se autem vtilitati earum fugiendo seruabat, sicut quodam loco ait: Manere in carne necessarium duxi propter vos. Et in eadem ad Honoratum epistola praecedentibus subnectendo quae plurimum ad diluendum propositam rationem faciunt, dicit: Faciant ergo serui Christi ministri verbi & sacramenti eius quod praecipit siue permittit, fugiant omnino de ciuitate in ciuitatem, quando eorum quisquam specialiter a persecutoribus quaeritur, ut ab alijs qui non ita requiruntur, non deferatur Ecclesia, sed praebant cibaria conseruis suis, quos aliter viuere non posse nouerunt, R.R. iij.

Gregorius.

Augustinus

Philippē. 2.

Philippē. 1.

1. Ioan. 3.

Lyranus.

Iacobi 4.

Thomas.

Cum autem omnium, id est Episcoporum & clericorum est commune periculum, ij qui alijs indigent, non deserantur ab his quibus indigent. Aut igitur ad loca munita omnes transeant, aut qui habent remanendi necessitatem, non relinquuntur ab eis, per quos illorum est Ecclesiastica supplenda necessitas, ut aut pariter uiuant, aut pariter sufferant, quod eos paterfamilias uolet perpeti. Quod si contigerit, ut siue alij maius, alij minus, siue omnes aequaliter patiantur, qui eorum sint qui alijs cōpatiuntur apparet, illi scilicet qui cū se possent talibus malis eripere fugiendo: ne aliorum necessitatem desererent, manere maluerunt. Hinc maxime probatur illa charitas quam Ioannes Apostolus commendat, dicens: Sicut Christus animam suā pro nobis posuit, sic & nos debemus animas pro fratribus ponere. Nam qui fugiunt, vel suis deuincti necessitatibus fugere non possunt, si comprehensi patiuntur, pro seipsis non pro fratribus utique patiuntur. Qui uero propterea patiuntur, quia fratres qui eis ad Christianam salutem indigebant deserere noluerunt, siue dubio suas animas pro fratribus ponunt. Vnde illud quod Episcopum quendam dixisse audiuius, Si dominus nobis imperauit fugā in eis persecutionibus, ubi potest fructus esse martyrij: quanto magis debemus fugere steriles passiones, quando est barbaricus & hostilis incurfus? Verum est quidem, & acceptabile, sed his quos Ecclesiastici officij non tenent vincula. Nam qui clades hostiles ideo non fugit cum possit effugere, ne deserat ministerium Christi, sine quo non possunt homines vel fieri, vel uiuere Christiani, maiorem charitatis inuenit fructum, quam qui nō propter fratres, sed propter seipsum fugiens atque cōprehensus non negat Christum, suscipitque martyrium. Et paulopōt dicit Augustinus laudata Athanasij Alexandrini Episcopi fuga, cum eum Constātiū imperator cuperet specialiter apprehendere, remanentibus in Alexandria ministris, qui Christianum populum uerbo & opere pascebant. Cum autem plebs manet & ministri fugiūt, ministeriūque substrahitur, quid erit nisi mercenariorum illa fuga damnabilis, quibus nō est cura de ouibus? Veniet enim lupus, non homo, sed diabolus, qui plerumque fideles apostatas esse persuasit, quibus quotidianum ministerium dominici corporis defuit, & peribit infirmus in tua non scientia, sed ignorantia frater, propter quem Christus mortuus est. In hanc descendit sententiam Lyranus enarrans eundem Ioannis locum pronuntiatum, & satisfaciendo rationi propositā, dicit: Nomine lupi uenientis super oues, aliquādo intelligitur diabolus, per tentationes, fideles infestans, aliquando hæreticus per falsam doctrinam corrumpens, aliquando tyrannus uolentia armorum persequens. Si primo & secundo modo accipiatur lupus, non est licitum pastori fugere, quia cum talibus lupis, non est resistendum corporaliter, sed magis spiritualiter, per deuotā orationem, sanctam prædicationem & doctrinam. Aliter enim si daretur illis ingressus non resistendo, accideret maius periculum, propter quod dicit Beatus Iacobus, capite quarto, Resiste diabolo, & fugiet a uobis. Et hoc idem potest dici de hæretico, quia fugit illum, qui per sanam doctrinam detegit eius falsitatem. Si uero accipiatur lupus tertio modo, distinguendum est. Aut est persecutio personalis, aut communis. Si personalis, ita quod est contra pastorem tantum, & non contra gregem sibi commissum, tunc pastori est fugiendum, nec tunc dimittit gregem in persecutione, quia tunc persecutio non est contra gregem. Si autē persecutio sit communis contra pastorem & gregem, adhuc distinguendum est, quia aut est vnus solus pastor, aut multi. Si vnus tantum, non est sibi licitum fugere & gregem dimittere, quia hic esset mercenarius, & non pastor. Si autem sint multi pastores, quibus Ecclesia indigeat, tunc aliqui debent remanere, & alij fugere: ut grex remanens in illa Ecclesia sufficienter custodiatur, & utilitati Ecclesiae de alijs prouideatur: & si decerent quinam manebunt, qui uero fugient: poterunt inuocata spiritus sancti gratia fortes mitri. Eiusdem est opinionis sanctus Thomas, secūda secūda, quaestione centesima octuagesima quinta, articulo quinto, dicens vnamquamque obligationem ab ipso sine potissimum pendere.

Cum igitur Episcopi se astringant ad obeundum pastoris officium propter subditorum salutem, si subditorum salus exigat pastoris praesentiam, non debet pastor personaliter suum gregem deserere, neque propter commodum temporale, neque etiam propter uitae periculum, cum bonus pastor teneatur animam suam ponere pro ouibus suis. Si uero pastor possit sufficienter alterius ministerio & opera, subditorum saluti prouidere, tunc licet pastori propter aliquod Ecclesiae commodum, aut periculum uitae propriae, gregem deserere. Ostendit abunde Tertullianus libro de Fuga in persecutione, quando praecipuum erat fugiendi imminente persecutione, & quando cessauit. Praecipuum (inquit) illud, Cum vos persequuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam, habuit personas suas, & tempora, & causas. Hoc in persona proprie Apostolorum, & in tempora, & in causas eorum pertinere defendimus, sicut subsequentes sensus probabunt, qui non nisi in Apostolos competunt. In viam nationum ne iteritis, & in ciuitates Samaritanorum ne introieritis, sed ite potius ad oues perditas domus Israelis. Nobis autem & via nationum patet, in qua & inuenti sumus, & vsque in finem incedimus, & nulla ciuitas excepta est quo per totum orbem praedicamus, sed nec cura nobis Israelis iniuncta est extra ordinem, nisi qua & omnibus gentibus praedicare debemus. Etiam si apprehendamus, non in concilia eorum perducemur, nec in Synagogis illorum flagellabimur, sed Romanis utique potestatibus, & tribunalibus obijciemur. Si igitur & fugae praecipuum Apostolorum conditio desiderabat, quoniam primo praedicandum erat ad oues perditas domus Israelis: ut ergo perciperetur praedicatio apud quos priores eam perfici oportebat, uti panem ante filij quam canes sumerent, ideo illis fugere tunc ad tempus praecipit non propter elidendum periculum proprio nomine persecutionis, atqui persecutiones eos passuros praedicabat, & tolerandas docebat, sed propter profectum annuntiationis, ne statim oppressis Euangelij quoque disseminatio perimeretur. Neque enim quasi tacite in aliquam ciuitatem transfugiendum erat, sed quasi ubique annuntiatoris, & ex hoc ubique persecutiones subituras, donec replerent doctrina sua. Denique non consummabitur (inquit) ciuitates Israelis, adeo intra terminos Iudaeae, praecipuum fugae continebatur. Nobis autem nulla Iudaeae praefinitio competit praedicationis, in omnem iam carne effuso spiritu sancto. Itaque Paulus, & Apostoli ipsi, memores praecipui dominici contestantur illud apud Israel quem iam doctrina sua impleuerant, Vobis oportuit imprimis sermonem dei tradi, sed quoniam repulistis eum, nec dignos vos aeterna vita existimastis, ecce conuertimus nos ad nationes. Atque exinde conuersi, & ipsi sicut antecessores instituerant, & in viam nationum abierunt, & in ciuitates Samaritanorum introierunt, ut in totam scilicet terram exiret sonus eorum, & in terminos orbis voces eorum. Si ergo cessauit exceptio viae nationum, & in ciuitates Samaritanorum, cur non cessauerit & fugae praecipuum pariter emissum? Denique ex quo saturato Israele Apostoli in nationes transferunt, & fugerunt de ciuitate in ciuitatem, nec pati dubitauerunt. Atqui Paulus, qui se per murum concesserat expediri de persecutione qua ad hoc tempus erat praecipui, idem iam in clausula officij, & in consummatione praecipui discipulis magnopere deprecantibus ne se Hierosolyma committeret passurus illic quae Agabus prophetauerat, sollicitudini eorum non subscripsit, sed e contrario: Quid (inquit) facitis lachrymantes & coturbantes cor meum? Ego enim non modo vincula pati optauerim, sed etiam mori Hierosolymis pro nomine domini mei Iesu Christi. Atque ita omnes aiunt, fiat voluntas domini. Quae erat voluntas domini? utique non fugiendi iam persecutionem. Caeterum poterat & priorem domini voluntatem proposuisse, qua fugere madauerat, qui illum persecutionem vitasse maluerant. Igitur cum etiam sub Apostolis ipsis temporale fuerit fugae praecipuum sicut & reliquorum praescriptorum, non potest apud nos perseverare quod apud doctores nostros concessauit, & si non proprie ad illos fuisset emissum. Aut si perseverare illud dominus voluit, deliquerunt RR. iij.

Tertullianus

Acto. 13.

Acto. 21.

Math. 10.
Ibidem.

Apostoli qui non vsque in finem fugere curauerunt. Et hæc Christi autoritas, Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor illum coram patre meo qui in cælis est, ostendit præceptum fugæ non esse perpetuum. Et rursum, Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum qui potest & corpus & animam perdere in gehennam.

CAPVT XI.

Hierem. 18.

Dionysius
Carthusianus

Lyranus.

Hierem. 17.

Galat. 5.

Hieronymus

Icite possum precari Deum ne deleat pro aliquo temporis interstitio peccata sceleratissimorum hominum. Hanc ex Hieremia veritatem suadebo, qui postquam nouit in varijs persecutionibus quam supplicia aduersum se moliebantur filij Israel, diuinarum legum contemptores impudentissimi, & quidam coniuuauerant, vt eum interficerent, dixit domino: Tu scis domine omne consilium eorum aduersum me in mortem. Ne propitius iniquitati eorum, & peccatum eorum a facie tua non deleatur. Fiant corruentes in conspectu tuo, in tempore furoris tui abutere eis. Hæc ad historiam planè indicant & nobis exprimunt Hieremiam orasse dominum, ne miseretur illius perditissimi populi, neque illorum peccata deleat a quibus affligebatur, & inierant conciliabulum, vt eum perderent. Dionysius Carthusianus hunc enarrans locum, dicit: Ista petuntur à Hieremia, ne diuina iustitia peccatum relinquat inultum, & vt in obstinatis ac reprobis voluntas dei sanctissima completatur. Huic subscribit sententiæ Lyranus edisserendovim illius precationis, Ne propitius iniquitati eorum, Non dimittas (inquit) tantum dedecus culpæ sine decore iustitiæ. Adde quòd aliubi dicit Hieremias, Confundantur qui me persequuntur, & non confundar ego, paueant illi & non paueam ego, induc super eos diem afflictionis, & duplici contritione contere eos. Dicit etiam Paulus de illis qui fascinoauerant Galatas & à recta Euangelij via abduxerant, Vtinam abscondantur qui vos conturbant. Quod illic orat Hieremias, trifariam potest intelligi. Prophetice denuntiando, quia sic erit: prophetico siquidem spiritu denuntiat & prædicit quæ nam tormenta & supplicia erant perpeffuri ij à quibus vexabatur. Vel imprecando, vt illi vapulent & acerrimas luanit pœnas, non quidem libidine vlciscendi, sed zelo æquitatis. Aut optat pœnas infligi malis, vt per præsentem calamitatem à futuris supplicijs eruantur, quod optabat & Paulus his qui Galatas subornauerant, & seduxerant. Dicit aliquis, Dissidere videtur hæc, quòd scilicet Hieremias orauerit dominum pro Hebræis, vt eis indulgeret & suam misericordiam præstaret, etiã vt idem decimuoctauum caput ostendit, in quo scriptum est: Recordare quòd steterim in conspectu tuo, vt loquerer pro eis bonum, & auerterem indignationem tuam ab eis: & tamè efflagitauerit dominum, vt illis irrogaret supplicia, nec solum supplicia, sed ne propitiaretur iniquitati eorum. Hæc nititur Hieronymus coniungere, qui tamen non tam putat hæc intelligenda esse de Hieremia, quam de Christo, Hieremiæ persona figurato. Cum enim exponit locum illum, Ne propitius iniquitati eorum & cætera, dicit hoc non esse priori sententiæ contrarium, in qua pro populo deprecatur patrem, sed postquam datum tempus pœnitentiæ præterijt, & illi in suo scelere perseverant, populi ac seniores, non tam pro se puniuntur quam pro alijs, ne inultum peccatum cæteris noceat exemplo. Ex luculentissima Hieronymi sententia possum ratiocinando colligere, Licetum esse homini non precari deum ad tempus pro illo quem cognoscit reipublicæ Christianæ infestissimum esse, & qui in suo scelere perseverat, in quo nulla est aut tantilla respicientiæ spes, vt cum deus illius non miseretur, sed finit vt corruat in scelera etiã inaudita, agnoscat tandem suæ culpæ pondus & grauem suorum scelerum sarcinam: & agnoscendo, suam desinat vitã, suamque deploret calamitatem, quo ante exitum vitæ possit cû sui contemptu, Ecclesiæ precibus ad dominum reuerti: aliud est si perpetuo perseueraret in suo scelere, & omnino desperaret de misericordia dei. Dicit enim Ioannes,

Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis. Verum luctabitur quispiam aduersus nostram assertionem, Non solum astringimur inimicis nostris benefacere, sed etiam pro eis orare: quod exprimit Matthæus Christi verba referens, Dico vobis diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderit vos, & orate pro persequentibus & calumniatibus vos, vt sitis filij patris vestri qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Licet igitur nos inuadât etiam iniuste inimici fidei, & qui legem dei præuaricantur, tamen debemus pro eis orare ne luto vitiorum hæreant perpetuo. Nec nobis nostra delicta dimittet Christus, nisi offensam nobis illatam alijs dimiserimus: quod clarè patefacit præscriptum illud Evangelicum, Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ex hac delicti dimissionem cognoscemus quàm benignus sit & facilis pater cælestis, vt nobis pareat. Sic enim subiungit Euangelista, in Christi persona loquens: Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater cælestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra. Et cum Petrus dixisset Christo, Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vsque septies? dixit illi Iesus, Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies. Et in eodem loco ægrefert rex clementissimus quòd cum omne debitum suo seruo dimisisset, ille immemor beneficii accepti, nec versans animo se esse ab ære alieno liberatum, sibi conferuum qui ei debebat centum denarios, acerbe torfit & suffocauit, & in carcerem detrussit, donec redderet debitum. Tunc dominus hanc inhumanitatem & crudelitatem vix æquo ferens animo, dixit: Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nõne ergo oportuit & te misereri cõserui tui, sicut & ego tui miserus sum? Et iratus dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuersum debitum. Sic & pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris. Nec potest nobis prodesse vindicta si deo displicuerit. Scriptum est enim in eodem Euangelio: Audistis quia dictum est, Oculum pro oculo & dentem pro dente. Ego autem dico vobis non resistere malo, sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Dicit etiam Paulus in epistola ad Romanos, huic doctrinæ consentanea: Benedicite persequentibus vos, benedicite, & nolite maledicere. Et in fine capitis concludit, quod ad tuendam patientiam mirum in modum spectat: Non vos ipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim, mihi vindictam, & ego retribuam, dicit dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius. Noli vinci à malo, sed vince in bono malo. Huic sententiæ proxima sunt, quæ scribit Petrus in prima epistola Canonica: In fide omnes vnanimis, compatiens, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles, non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed econtrario benedicentes, quia in hoc vocati estis, vt benedictionem hæreditate possideatis. Adde quòd Augustinus, libro vno Enchiridij ad Laurentium, capite septuagesimo secundo, dicit Christianum non debere reddere malum pro malo. Et capite septuagesimo tertio, existimat nihil ea elemosyna esse maius, qua ex corde dimittimus quod in nos quisque peccauit. Minus enim magnum est, erga eum esse beneuolum, siue etiam benificum, qui tibi mali nihil fecerit: illud multo grãdus & magnificentissimæ bonitatis est, vt tuum quoque inimicum diligas, & ei qui tibi malum vult, & si potest facit: tu bonum semper velis, faciãque cum possis, illius memor exempli, qui in cruce pendens, pro suis exorat persecutoribus, suosque admonuit, dicens: Diligite inimicos vestros. Capite etiam septuagesimo tertio, eiusdem operis, sic scribit: Quisquis autem roganti & peccati sui pœnitenti, non ex corde dimittit, nullo modo exstimet à domino sua peccata dimitti. Satisfaciemus pro virili & quidem breuiffi-

1. Ioan. 5.

Matth. 5.

Matth. 6.

Matth. 18.

Exo 21.

Deuter. 19.

Leuiti. 24.

Matth. 5.

Roma. 12.

1. Petr. 3.

Augustinus

me illis rationibus quæ ex Euangelio deductæ sunt. Si quis tamen vellet calumniari, diceret argumenta illa nihil aut parum habere virtutem ad oppugnandam assertionem, quæ veteris instrumenti scripturis & prophetis oraculis potissimum innotuit: rationes autem adductæ, ex Euangelicis, & Apostolicis literis suam vim desumunt. Quia tamen eadem sunt moralia vtriusque Testamenti præcepta, nec Euangelium aduersatur legi & prophetis, ideo paucis quæ adducta sunt discutimus. Quæ solum probant hominem semper debere esse animo paratum & propensissimum, ad parcendum suis inimicis pro quibus debet orare, vt à malo respiciant, & quos non nouit suis perpetuo adherere & complacere vitijs, potest tamen studio & affectu iustitiæ tuendæ, ad tempus illis imprecari malum, nõ quidem ratione mali & libidine vlciscēdi, sed vt suam agnoscentes culpam, & moderatam pro suis flagitijs pœnam sufferendo, tandem ad dominum reuertantur. Nec præcepta illa, Diligite inimicos vestros, Orate pro persequentibus vos, obligant semper & pro semper, vt communi verbo vtar, siue pro quacunq; temporis morula, eo quod sunt affirmatiua. Nec ex illa assertionem, Licite possum precari deum, vt non deleat peccatum sceleratissimi hominis, quis potest colligere, ergo licite possum precari deum, vt sceleratissimus homo perseueret in peccato, siue dānetur. Nam quod orem ad tempus vt deus illius peccatum non deleat, in primis id facio propter pertinacem eius malitiam, quamuis non sit finalis impœnitentia: & quia multa mihi intulit mala, velim diuinam iustitiam illius peccata vlcisci, aut saltem existimo ita futurum. Si autem orarem deum, vt perseueraret in peccato, vellem simpliciter, vt perpetuo dei gratia priuaretur, & ex consequio vt nunquam dei gloria frueretur, quod sanè viatori non debemus imprecari.

CAPVT XII.

Vgere etiam bene mortuos pium est.] Hanc Assertionem ex vtriusque Testamenti scripturis suffulciemus. Ostendit Geneleos historia Abraham venisse in ciuitatem Arbee vt suam vxorem Saram mortuam plāgeret & fletet, planctu quidem publico, & qui habitantibus in terra Chanaan tritus erat, cum agebatur funeris officium, ex quo verisimile est Abraham luxisse suam vxorem defunctam antequam eam sepelisset in spelunca agri duplici. Isaac etiam suam matrem Saram defleuit, & vsque adeo dilexit Rebeccam, vt dolorem qui ex morte matris eius acciderat, temperaret. Tum etiam Iacob scissis vestibus & cilicio indutus, luxit multo tempore Ioseph filium suum, quem firmissime credebat esse mortuum, & suis liberis cupientibus dolorem sui patris lenire, dixit: Descendam ad filium meum lugens in infernum. Adde quod Ioseph cum primum nouit & conspexit suum patrem Israel siue Iacob, vita sublatum, prorupit in lachrymas, & ruit super faciem eius, flens & deosculans eum, quem Aegyptus fleuit septuaginta diebus. Filij etiam Israel videntes Aaron occubuisse, fleuerunt super eo triginta diebus per cunctas familias suas. Luxerunt & Moyses toridem diebus in campestribus Moab. Ad hæc, David ingenti luctu defleuit mortem sui filij Absalon. Vniuersus etiam Iuda & Hierusalem luxerunt Iosiam mortuum, Hieremias maxime, cuius omnes cantores atque cantatrices vsque in præsentem diem lamentationes super Iosiam replicat. Probat & Ecclesiasticus luctum mortuorum, dicens: Super mortuum plora, defecit enim lux eius: & super fatuum plora, defecit enim sensus. Modicum plora super mortuum, quoniam requieuit. Nequissimi enim nequissima vita, super mortem fatui. Luctus mortui septem dies. Matathias etiam & amici eius habuerunt luctum super eos qui pro defensione suarum legum interfecti sunt à militibus Antiochi. Nunc proferam ex Euangelio Ioannis quod plurimum facit ad tuendam hanc assertionem, ex quo colligimus Martham & Mariam sorores Lazari vehementer luxisse mortem Lazari: Multi (inquit) ex Iudæis venerant ad Martham & Mariam, vt consolarentur eas de fratre suo. Hæc autem consolatio erat, vt mitigarent dolorē quo discruciantur sorores illæ super morte

fui fratris. Et cum vidissent Mariam ad Christum contendentem, secuti sunt eam, dicentes: Quia vadit ad monumentum vt ploret ibi. Maria ergo cum venisset vbi erat Iesus, videns eum, cecidit ad pedes eius, & dicit ei: Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus. Iesus ergo vt vidit eam plorantem, & Iudæos qui venerant cum ea, plorantes, infremuit spiritu, & turbauit seipsum, & dixit: Vbi posuistis eum? Dicunt ei: Domine, veni & vide. Et lachrymatus est Iesus. Quod si Christus perspecto feruenti Mariæ erga suum fratrem amore, quem tantopere defleuerat, emisit lachrymas & commiseratus sit honestis illis mulieribus immo dico dolore vulneratis, nostramque agnouerit naturam ad effundenda suspiria propensissimam, nec quempiam nisi filice duriorum, vix posse sibi à lachrymis ob mortem suorum parentum temperare, cur illos improbabilibus qui pro suis amicis defunctis conceptum in intimis præcordijs dolorem fletibus produunt externis, & ægreferunt maximopere se familiari suorum amicorum cōsuetudine priuari? Chryso-
stomus edisserens illa mysteria, & quare Christus humanum adaperiens erga homines affectum eruperit in lachrymas, dicit: Quid tandem tam diligenter quoties lachrymatus sit, meminit Euangelista, & quod infremuerit? Vt intelligas vere naturam nostram induisse. Cum enim magna de eo loquatur, etiam in his quæ ad corpus spectant, hoc in loco multo humiliter loquitur. Nihil vt reliqui Euangelistæ in passione quod in agonia esset, narrauit: sed contra quod retrorsum supinos reiecerit. Quod ergo illic omisit, hic per luctum implet. Nam de morte disputans, inquit: Potestatem habeo ponendi animam meam, & nihil submisit loquitur. Ideo in humanitatis affectibus incarnationis veritatem ostendit. Matthæus enim ab agonia, & tremore & sudore, hic à lachrymis humanitatem confirmat. Neque enim nisi nostræ fuisset naturæ, & semel, & iterum lachrymari coactus fuisset. Subscribit Chry-
stomo Theophylactus, loquens in Euangelio Ioannis de fremitu Christi & lachry-
mis: Itaque (inquit) caro non ferens increpationem, turbatur & fremit, & cum mœ-
rore pugnat. Hæc autem omnia dominus naturam pati permittit, & vt cōfirmet quod
vere & non apparenter tantum sit homo, & vt doceat nos & terminos & modum tri-
stitiæ ac mœroris ponere. Nam absque compassione & lachrymis esse, bestiarum
est. Multum autem lachrymari, plorare & contristari, mulierum. Igitur cum nostræ
carnis, & sanguinis particeps esset, particeps quoque fuit humanarum & natura-
lium affectionum. Nec ab istorum sententia diuariat Augustinus Tractatu 49. in
Ioannem, dicens: Turbatus est Christus, quia voluit: esuriuit, quia voluit: dormiuit,
quia voluit: contristatus est, quia voluit: mortuus est, quia voluit. In illius potestate
erat sic vel sic affici, vel nõ affici. Verbum enim animam suscepit & carnem, totius homi-
nis sibi coaptans in personæ vnitate naturam. Fleuit autem Christus, vt hominem flere
doceret. Dicit etiam Lyranus Christum emisisse lachrymas ex pietate, videntem
locum sepulturæ, ex quo ostendit veritatem humanæ naturæ. Paris enim periculi
est discredere veram humanitatem in Christo, sicut & deitatem: & ideo vbi Chris-
tus ostendit suam deitatem, adiungebat aliqua ad declarandum suam humanitatem,
& econuerso, & hoc patet in eius natiuitate quado iacens in præsepio vt homo in-
firmus, stellam fecit radiare in celo vt deus. Similiter in passione, quando ipso mo-
riente ex natura passibili sol obscuratus est inuisibili virtute dei. Et hic similiter in
suscitatione Lazari quadriduani, quod erat maxime virtutis, turbatus est, & fleuit
ad declarandum veritatem humanitatis. Hæc ille. Nec huiusmodi affectus siue pas-
siones erant in Christo vitiosæ, sed studiosæ, quia non obturbabant rationem, neq;
eam de gradu deijciebant, nec præueniebant imperium rationis & dominium, sed se-
quebatur omnino subiugata. ¶ At vibrabit aliquis in nos iaculum, Chryso-
stomus enarrans illum Pauli locum ad Hebræos, Fide Iacob moriens vtrunq; filiorum
Ioseph benedixit, existimat deieci esse animi deslere mortuos, cuius hæc sunt ver-
ba: Quidam dicunt, Ecce iusti iam curam gerebant sepulchrorum, dicamus ad illos
quia non propter hoc. nam sciebant quia Domini est terra, & plenitudo eius. Nequa-

Chryso-

Theophyl.

Augustinus

Lyranus.

Chryso-
Hebr. 11.

Psal. 23.

quam igitur in tanta conuersatus philosophia hoc ignoraret, quia tantum tempus viuens in Aegypto, cum etiam liceret illi, si vellet ad patriam repedare & non lugere, non inaequanimiter affici, sed etiam patrem inde reuocaret. Quid ergo sibi vult quod sua ossa inde reuocari debere considerauit? Incertum igitur est quapropter hoc. Quid autem, dic mihi: num ipsius Mosis ossa nonne in peregrinis iacet, & Aaron, & Danielis, & Hieremiae? Apostolorum autem plurimorum ossa nescimus vel ubi iacent. Petri & Pauli quidem & Ioannis & Thomae, manifesta sunt sepulchra: aliorum vero cum tanti sint, minime cognitum est ubi sint. Nihil igitur pro hac re lugeamus, neque pusillanimiter feramus. Vbicunque enim sepeliatur, Domini est terra, & plenitudo eius, scilicet quod oportet fieri, efficitur: Lugere autem & deplorare & lamentari eos, qui de hac vita discedunt, ex pusillanimitate contingit. Et enarrando illum Matthaei locum, Discedite, non enim mortua est puella, sed dormit, in quo Christus repellit tibicides qui admouerant instrumenta ad excitandas lachrymas super puella mortua, cuius mortem Christus somno contulerat, dicit: Nemo ergo defunctos ploret, nemo lugeat, nemo mortem Christi, qua mors superata est, calumniatur. Quid frustra fles, si mortem in somnum redactam esse credis? Quid te caedis & luges? Gentes id faciunt, quia non credunt. si autem fidelis pariter atque infidelis hac in re peccat, quid respondebit? quomodo veniam petere audebit praesertim longis temporibus postea, cum iam nemo christianus de resurrectione ambigat? Tu vero sedulo stude delictum hoc casu amplificare, & incitantes fletus mulieres conuocas, quarum flebili cantu incendatur, atque inflammetur vehementius aegritudo tua: nec Paulo dicenti auscultas, Quae consonantia est Christo ad Belial? vel quae proportio fidei cum infidei? Cumque Gentiles qui nihil de resurrectione acceperunt, consolandi rationes inueniant, magno animo dicentes: nec enim facere poteris, vt quod factum sit, non esse factum videatur, nec lugendo charissima pignora excitabis: tu qui sublimioris philosophiae praecipua quotidie audis, non erubescis grauius illis in tuo casu exagitari? Non enim dicitur tibi fortiter feras, non potes facta infecta facere, sed aequo animo feras. Dormit enim puella tua, non est mortua: quiescit, non est perdita: resurget, ac aeterna in posterum atque immortalis vita viuet. Non audis prophetam dicentem: Couertere anima mea in requiem tuam, quoniam dominus benefecit tibi. Beneficium deus hanc rem vocat, & tu ploras? Et quidnam faceres, si hostis, si inuidus, si inimicus esses defuncti? Nam si quempiam flere oportet atque lugere, diabolus certe oportet. Ille igitur pectus pugnibus caedat, ille grauius ferat, quoniam ad immortalitatem mortui tendunt: illum hi clamores & fletus decent, non te qui ad requiem proficisceris: & certe harum turbationum omnium tranquillius quidam portus in morte est. Examina quot quantaque mala sunt in hac vita, tecum ipse recense quoties praesentibus rebus maledixisti, cum semper in poenis & videris & videas omnia ruere, quamuis & ab initio non parua poena huic vitae sit attributa: In doloribus (inquit) paries filios, & in sudore vultus tui comedes panem tuum, & in mundo tribulationem habebis. Nihil autem huiusmodi de futuris rebus scribitur, quin imò totum oppositum, Effugit (inquit) dolor, tristitia, gemitus. Et rursum, Ab oriente atque occidente venient, & recumbent in sinu Abrahae, Isaac, & Iacob. Et alibi, Thalamus sunt quae illic sunt, spiritualis, inextinguibiles frigidaque lucernae, caelestis vita. Cur ergo defunctum exagitas? cur committis vt timeant mortem alij atque formident? cur causam praebes, vt nonnulli deum inculcare audeant, quod mala nobis tanta inuexerit? Imo verò cur post mortem tuorum pauperes conuocas? cur presbiteros vt pro eo velint orare, obsecras? Non ignoro te respondurum, vt defunctus requiem adipiscatur, vt propitium iudicem inueniat. His ergo de rebus flendum atque ululandum arbitraris? Nonne vides quam maxime tibi ipse repugnas? Nam cum illum abesse in prata florentia putes, ingentes tamen aduersus te ipsum fluctus suscitatis tempestatis. Sed quid faciam? inquires: talis quaedam res natura parentum est. non est naturae ista culpa, non est rei ipsius, sed nos qui omnia huc

Matth. 9.

2. Corin. 6.

Psal. 114.

Gene. 3.

Matth. 8.

atque illuc impellimus, molles nimium atque deiectos nostros animos efficimus, & diuinam nostram perdimus nobilitatem, & simul infideles facimus duriores. Quomodo enim de immortalitate animae secum disputabimus? qua ratione resurrecturos nos illis persuadebimus, cum longe magis quam illi mortem formidemus? Haec ille. Si quis his temporibus temere & nude scriberet aut praedicaret hanc propositionem à Chrysostomo assertam, Cur presbiteros obsecras, vt pro defunctis velint orare? de haeresi suspectus haberetur, aut haereseos notam incurreret, & ei cauendum esset ne tuendo illam assertionem cum pertinacia, conijceretur in carceres, & coniectus tandem in vulcanios ignes proijceretur. Et haec admonitionis formula dico, ne quis ex illis verbis arripiat ansam deridendi aut potius contemnendi preces sacerdotum pro defunctis. Nec puto Chrysostomum in ea fuisse sententia, vt crediderit nullo modo conuocandos esse sacerdotes, & accersendos pauperes vt orent pro defunctis, quod tamen videtur eius contextus primo intuitu innuere: sed non est orandum pro defunctis, qui subito & absque vlla peccati venialis nota, hinc ad Elysios campos siue regnum dei demigrant. Orandum tamen est pro defunctis, qui non omnino in hoc mundo pro suis peccatis satisfecerunt, aut discedentes cum peccato veniali, ad purgatorij sedes detruduntur. Et in eadem persistit sententia de vitando mortuorum luctu, Homilia quarta in epistolam Pauli ad Hebraeos, illum edisserens locum, Et liberauit eos quorquor timore mortis per omnem vitam obnoxij erant seruituti, ubi dicit: Cum video luctus in plateis, & lamentationes super exeuntes de hac vita, & ululationes, & inhonestates alias, credate mihi, confundor: & paganos & Iudaeos & haereticos videns, & omnes qui nos irident. Deinde ostendit quinam sunt digni luctu. Isti (inquit) vere digni sunt luctu, qui mortem timent adhuc, & horrescunt, qui resurrectionem adhuc non credunt. Et ne lugeas mortuum, profert ad maximam defuncti consolationem psalmum illum, Reuertere anima mea in requiem tuam, quoniam dominus benefecit tibi. Dic mihi, dicit, quoniam dominus benefecit tibi, & lachrymaris? Nonne scena sunt ista? nonne hypocrisis? Si enim vere credis verbis quae dicit, superuacue luges: si autem ludis & fingis, & fabulas esse putas, quare psallis? quare suscipis ad te venientes? quare non repellis psallentes? Sed furor hoc facit, & illud amplior furor. Nec Chrysostomo ibidem placet, quod conducantur lamentatrices ad desendum mortuum. Si enim auarum Paulus idololatram vocat, multo magis eum qui super fidelem mortuum, ea quae sunt idololatrarum, inducit. Pro qua re, dic mihi, presbiteros vocas & psallentes? nonne vt consolationem recipias? nonne vt honores discedentem? Quare igitur illum iniurias? quare ludis sicut in scena? Nos enim venimus de resurrectione philosophantes, omnia docetes, & eos qui necdum percussi sunt per honorem qui illi tribuitur, si quando aliquid tale contigerit, ferre fortiter: tu autem adducis eos qui nostra condemnant, quantum interim ad ipsos pertinet. Praeterea Hieronymus in epistola ad Paulam super obitu Blefillae filiae, videtur planè suadere non esse Christianorum desistere bene vita defunctos, tamen si ad vtranque partem digladietur & concertet: Non est (inquit) lugenda illa quae abiit, lugeatur mortuus, sed ille quem gehenna suscipit, quem tartarus deuorat, in cuius poenam aeternus ignis aestuat. Nos quorum exitum angelorum turba comitatur, quibus obuiam Christus occurrit, grauemur magis si diutius in tabernaculo isto mortis habitemus: quia quantum hic moramur, peregrinamur à domino. Illa illa nos cupido teneat, Hei mihi quia peregrinatio mea prolongata est à me, habitavi cum habitantibus Cedar, multum peregrinata est anima mea. Si Cedar, tenebrae sunt, & mundus iste sunt tenebrae, quia lux lucet in tenebris, & tenebrae eam non comprehenderunt. Fauemus Blefillae nostrae, quae de tenebris migravit ad lucem, & inter fidei incipientis ardorem, consummati operis percepit coronam. Reuera si seculare desiderium, & quod deus à suis auertat, delicias vitae huius cogitantem, mors immatura rapuisset, plangenda erat, & omni lachrymarum fonte ploranda. Nunc verò cum propitio Christo, ante

Hebr. 2.

Psal. 114.

Eph. 5.

Hieronym.

2. Cor. 5.

Psal. 119.

Ioan. 1.

quatuor ferme menses, secundo quodammodo propofiti se baptifmo lauerit, & ita deinceps vixerit, vt calcato mundo, femper monasterium cogitarit, non vereris ne tibi faluator dicat, Irafceris Paula, quia tua filia, mea facta est filia: indignaris de iudicio meo, & rebellibus lachrymis facis iniuriam possidentem. Scis enim quid de te, quid de ceteris tuis cogitem? Et paulo post dicit: Si viuentem crederes filiam, nequaquam plangeres ad meliora migrasse. Sed dicis, Quomodo me lugere prohibes, cum & Iacob, Ioseph in sacco fleuerit, congregatisque ad se omnibus propinquis noluerit consolari, dicens: Descendam ad filium meum lugens in infernum. Et Dauid Absalon cooperto capite planxerit, repetens, filius meus Absalon, Absalon filius meus, quis dabit vt moriar pro te, filius meus Absalon? Moyfi quoque & Aaron ceterisque sanctorum solennis fit luctus exhibitus? Perfacilis ad ista responsio est: Luxisse Iacob filium quem putabat occisum, ad quem & ipse erat ad inferos descendurus, dicens: Descendam ad filium meum lugens in infernum, quia necdum paradisi ianuam Christus effregerat, necdum flammam illam rompream & vertiginem praesidentium cherubim, sanguis eius extinxerat. Vnde & Abraham licet in loco refrigerij, tamen apud inferos cum Lazaro fuisse scribitur. Et Dauid iuste fleuisse filium parricidam, qui alium paruulum postquam vt viueret impetrare non potuit, quia sciebat non peccasse, non fleuit. De Moyse vero & Aaron, quod eis ex veteri more fit planctus exhibitus, non mirandum est, cum in Actis apostolorum iam Euangelio coruscate, Stephano fecerint Hierosolymam fratres planctum magni. Et utique planctus magnus non in plangentium examinatione, vt putas, sed in pompa funeris, & exequiarum frequentia intelligendus sit. Denique de Iacob scriptura sic loquitur: Et ascendit Ioseph sepelire patrem suum, & ascenderunt cum eo omnes pueri Pharaonis & seniores domus eius, & seniores omnis terrae Aegypti, & omnis domus Ioseph & fratres eius. Et post paululum: Et ascenderunt cum eo quadriga & equites, & facta sunt castra grandia nimis. Ac deinde, Et planxerunt eum planctu magno & fortinimis. Plactus iste solennis non longas Aegyptijs imperat lachrymas, sed funeris monstrat ornatum. Iuxta quem modum Aaron quoque & Moysen fletos esse manifestum est. Nequeo satis scripturae laudare mysteria & diuinum sensum, in verbis licet simplicibus admirari quid sibi velit quod Moyses plangit, & Iesus Naue vir sanctus sepultus refertur, & tamen fletus esse non scribitur. Nempe illud, quod in Moyse, id est in lege veteri sub peccato Adam omnes tenebantur elogio, & ad inferos descendentes consequenter lachrymarum prosequerantur, secundum Apostolum qui ait: Et regnavit mors ab Adam vsque ad Moysen, etiam super eos qui non peccauerunt: in Iesu vero, id est in Euangelio, per quem paradifus est apertus mortem gaudia prosequuntur: flentemque hodie Iudaei, & nudatis pedibus in cinere volutati, sacco incubant. Ac ne quid desit superstitioni ex ritu vanissimo Pharisaeorum, primum cibum lentis accipiunt, videlicet ostendentes quali edulio primogenita perdiderint. Sed merito, quia in resurrectione domini non credentes, Antichristi preparantur aduentui. Nos vero qui Christum induimus, & facti sumus iuxta Apostolum, genus regum & sacerdotale, non debemus super mortuos contristari. Et dixit (inquit) Moyses ad Aaron & Eleazar & Ithamar filios eius qui relictii erant, Caput vestrum non denudabitur, & vestimenta vestra non scindetis, ne moriamini, & super omnem synagogam veniat ira: Nolite (inquit) scindere vestimenta vestra, & luctum exhibere gentilem, ne moriamini. Mors nostra peccatum est: & quod forsitan crudele alicui videatur, sed fidei necessarium est, in eodem Leuitico scribitur, quomodo sacerdos magnus ad patrem, matrem, fratresque, vel liberos mortuos prohibeatur accedere, ne videlicet anima dei sacrificijs vacans, & rota in illius mysterijs occupata, aliquo impediatur affectu. Nonne alijs verbis id ipsum in Euangelio praecipitur, vt non renuntiet domui discipulus, vt mortuo patri non exhibeat sepulturam? Verum vt Hieronymus quod praetendit, ad suum scopum progrediendo concludat, dicit: Detestanda sunt istae lachrymae plenae sacrilegio, incredulitate ple-

nissima, quae non habent modum, quae vsque ad viciniam mortis accedunt. vltulas & exclamitas, & quasi quibusdam facibus accensa, quantum in te est, tui semper homicida es. Sed ad talem clemens ingreditur Iesus, & dicit: Quid ploras? Non est mortua puella, sed dormit. Irrideant circustantes, ista infidelitas Iudaeorum est. Te quoque si ad sepulchrum filiae volueris volutari, angelus increpabit, Quid quæris viuentem cum mortuis? Quod quia Maria fecerat Magdalene postquam vocem domini se clamantis agnouit, ad eius prouoluta pedes audit: Ne tetigeris me, necdum enim ascendi ad patrem meum, id est non mereris tangere resurgentem, quem mortuum existimas in sepulchro. Efficacissima sunt haec Hieronymi argumenta, quibus nititur suadere non esse Christiani bene mortuos deslere. Nec Augustinus à sententia Hieronymi digreditur Sermone primo de Consolatione mortuorum, cap. 3. si modo sermo ille sit Augustini, & illorum rationes adducit, qui mortuos deslent, Sed dicis: Scio communem esse hunc casum, scio quia is qui mortuus est, debitum soluit, sed delectationem cogito, necessitates reputo, consuetudinem requiro. Sed haec discutiedo dicit Augustinus: Si propter haec tristitia afficeris, errore duceris, non ratione gubernaris. Scire enim debes, quia dominus qui hanc dederat dilectionem, dare potest & aliam sciretorem: & qui tibi hanc intulit necessitatem, sufficiens est per aliam occasionem supplere. Vtilitatem vero sicut tuam videre debes, & eius qui defunctus est, cogitare: quia sic ei forsitan expediebat, sicut scriptum est: Raprus est ne malitia mutaret eius intellectum, placita enim erat deo anima eius, ideoque properauit de media corruptione educere eum. De consuetudine autem quid fuisse videtur? Quod ergo tempus praestat & dies, multo magis debet & ratio, & bona praestare cogitatio. Et illud maxime cogitandum est, quod diuina sententia per Apostolum definit: Quia tristitia huius mundi mortem operatur. Et capite quarto agit rationes, quas paulo ante ex Hieronymo agitauimus, quod ante legem & sub lege Hebraei fleuerunt mortuos. Sed dicit aliquis: Prohibes lugere mortuos, cum & Patriarchae plorati sunt? & Moyses ille famulus dei, & multi inde prophetae, praesertim cum Iob quoque iustissimus suam plagam super filiorum consciderit necem: Non ego (inquit Augustinus) prohibeo lugere mortuos, sed gentium illuminator Paulus, qui sic ait: Nolo vos ignorare fratres de dormientibus, vt non tristes sitis, sicut & ceteri qui spem non habent. Non potest Euangelij claritas obscurari, siue quia hi qui ante legem, aut sub legis umbra positi fuerant, suos mortuos flebant. Merito flebant, quia nondum de caelis venerat Christus, qui fontem illum lachrymarum sua resurrectione siccaret. Merito flebant, quia adhuc sententia permanebat: merito lamentabatur, quia nondum resurrectio praedicabatur. Sperabant quidem sancti aduentum domini, sed mortuos flebant, quia nondum viderat quem sperabant. Denique Simeon vnus de veteribus sanctis, qui prius fuerat de sua morte sollicitus, postquam Iesum dominum adhuc puerum in manibus atrectare promeruit, de suo exitu gratulatur, & dicit: Nunc dimittis seruum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum. O beatus ille Simeon, qui quod sperauerat, vidit: iam mortem suam, pacem & requiem computabat. Sed dices: In Euangelio ecce legitur, Archisynagogi deploratam filiam, & sorores Lazari, Lazarum fleuisse. sed & illi adhuc secundum veterem legem sapiebant, quia necdum à mortuis Christum surrexisset conspexerant. Fleuit plane & ipse dominus Lazarum iam sepultum, non utique vt flendi mortuos formam daret, sed vt se per lachrymas verum corpus assumpsisset monstraret. Vel certe fleuit amore humano Iudaeos, qui nec dei signo monstrato, erant in eum credituri. Neque enim mors Lazari causa esse poterat lachrymarum, quem ipse Iesus & dormisse dixerat, & resurrecturum se promiserat, sicut & fecit. Insuper Ambrosius in oratione de Fide resurrectionis, tribus argumentis probat mortem non esse lugendam. Primum, quia communis sit, & cunctis debita. Deinde quia nos seculi huius absoluit ærumnis. Postremo, quia fomni specie vbi ab istius mundi labore requietum sit, vigor nobis viuacior refundatur. quem dolorem non

Gene. 37.

2. Reg. 18.

Gene. 3.
Luca 16.

Acto. 8.

Roman. 5.

Matth. 8.

Ioan. 20.

Augustinus

Sapient. 4.

2. Corin. 7.

1. Thef. 4.

Luca 2.

Marci 5.

Ioan. 11.

Ambrosius.

foletur resurrectionis gratia? quem non excludat mororem si credas nihil perire morte, imò ipsius celeritate fieri mortis, plus perire ne possit? Erit ergo fratres charissimi vt in adhortatione communi etiam fratri nostro pendamus affectum, nec ab eo longius deuiasse videamur, si per resurrectionis spem, & futuræ gloriæ suauitatem etiam in sermone nobis hodie reuiuifcat. Ordiamur igitur ab eo vt lugendum nobis nostrorum obitum non esse doceamus. Quid enim absurdius quam vt id quod scias omnibus esse præscriptum, quasi speciale deplores? Hoc est animum supra conditionem extollere, legem non recipere, cōmune naturæ consortium recusare, mente carnis inflari, & carnis ipsius nescire mensurā. Quid absurdius quam nescire qui sis, affectare quod non sis? Aut, quid imprudentius quod futurum scias, id cum acciderit ferre non posse? Natura ipsa nos reuocat, & huiuscemodi mororibus quadā sui collatione subducit. Quis est enim tam grauis luctus, aut tam acerbus dolor, in quo nō interdum relaxetur animus? Habet hoc natura, vt quamuis homines in tristibus rebus sint, tamen si modo homines sunt, à morore mentem paulisper abducant. Fuisse etiam quidam feruntur populi, qui ortus hominum lugerēt, obitūque celebrarent, nec imprudenter: eos enim qui in hoc vitæ salum nescissent, mœrendos putabant: eos verò qui ex istius mundi procellis & fluctibus emerissent, non iniusto gaudio prosequendos arbitrabantur. Ad hæc Tertullianus libro de Patientia, vt suadeat mortem non esse lugendam, ita ratiocinatur: Cum constet de resurrectione mortuorum, vacat dolor mortis, vacat & impatiētia doloris. Cur ergo doleas si perisse non credis? cur impatienter feras subductum interim, quem credis reuersurum? Profectio est quam putas mortem. Non est lugendus qui antecedit, sed planè desiderandus, id quoque desiderium patientia temperandum. Cur enim immoderatè feras abisse, quem mox subsequeris? Cæterum impatiētia in huiusmodi & spei nostræ male ominatur, & fidem præuaricatur, & Christum lædimus cum euocatos quosque ab illo quasi miserandos non æquanimiter accipimus. Cyprianus (inquit Apostolus) recipi iam & esse cum domino. quanto melius ostendit votum Christianorum. Amplius, Sentit cum Tertulliano Cyprianus Sermone quarto de Mortalitate, dicens: Nobis ipsi minimis & externis quoties reuelatum est, quam frequenter atque manifeste de dei dignatione præceptum est, vt contestarer assidue & publice prædicarem, fratres nostros non esse lugendos, accensione dominica de seculo liberatos, cum sciam non eos amitti, sed præmitti: recedentes præcedere, vt proficiscentes & nauigantes desiderari eos debere, non plangi: nec accipien- das esse hic atras vestes, quando illi ibi indumēta alba iam sumpserint: occasionem dandam non esse gentilibus, vt nos merito ac iure reprehendant, quòd quos viuere apud deum dicimus, vt extinctos & perditos lugeamus, & fidem quam sermone & voce depromimus, cordis & pectoris testimonio reprobemus: spei nostræ ac fidei præuaricatores sumus, simulata, ficta, fucata videntur esse quæ dicimus. Nihil prodest verbis proferre virtutem, & factis destruere veritatem. Improbatur denique apostolus Paulus, & obiurgat, & culpat, si qui contristentur in excessu suorū. Nolumus (inquit) vos ignorare fratres de dormientibus, vt non cōtristemini, sicut & cæteri qui spem non habent. Si enim credimus quia Iesus mortuus est & resurrexit, sic & deus eos qui dormierunt in Christo, adducet cum illo. Eos contristari dicit in excessu suorū qui spem non habent. Qui autem spe viuimus, & in deum credimus, & Christum passum esse pro nobis, & resurrexisse confidimus, in Christo manentes, & per ipsum atque in ipso resurgentes, quid aut ipse recedere istinc de seculo nolumus, aut nostros recedentes quasi perditos plangimus ac dolemus? ipso Christo domino ac deo nostro monente ac dicente, Ego sum resurrectio, qui credit in me, licet moriatur, viuet: & omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternum.

¶ Laconica breuitate diluemus argumenta ex sacris doctoribus adducta, quæ videbantur dilucide fidem nobis facere, bene mortuos non esse lugendos. Et occurrendum in primis censeo his quæ tota ingenij acrimonia protulit Chrysofomus ad e-

Tertullian⁹

Philipp. 1.
Cyprianus.

1. Thef. 4.

Ioan. 11.

ludendum illorum consuetudinem qui tantopere suos amicos vita sublato luxerunt. Solum, vt conijcere possum, cupit innuere Ethnicorū sive Gentilium morem improbadum esse, nec nobis imitandum, quòd immoderatis lachrymis, ac inauditis acclamationibus, & muliebri vociferatione illos defleuerint, qui exhalauerant animam. Et lugebant infideles suos amicos defunctos, eo quòd non sperabāt resurrectionem mortuorū, & arbitrabatur illos omnino periisse, & extinctos non solū corpore, sed & anima. & frustra accerferentur sacerdotes ad orandum pro aliquo mortuo, si ille cum hanc agebat vitam non credebat animam esse immortalem, nec resurrectionem mortuorum. Nos verò qui inuicta fide credimus animā hominis esse immortalem, nec hæsitamus de resurrectione mortuorum, debemus mentem ab immodicis & profusissimis lachrymis abducere, & absorbere dolores quos super morte nostrorum parentum concepimus, ne in nobis argumentum esse videatur infidelitatis, aut incredulitatis de immortalitate animæ, aut futura carnis resurrectione. Cum enim graui ac intemperato luctu contabescimus, ob amicū nobis morte ademptum, & vehemētius æquo ac immoderatus prorumpimus in lachrymas, indolere videmur aut animam eius simul interijisse cum corpore, nec post dissolutionem carnis manere superstitem, aut ipsam nunquam iterum coniungendam corpori in consummatione sæculi, proinde perpetuam ab amico separationem deploramus quasi cum deinceps nunquam visuri, nec cum eo nectare & ambrosia in exoptatissimo dei regno victuri. sed recta ratione refrenanda est hæc infania, & adhibendus lachrymis modus. Nullo modo tamen compati nec mœrere ferinum est, durum & inhumanum. Hac in re nobis fauet & assentitur Hieronymus in epistola ad Paulam, super obitu Blefillæ, dicens: Ignoscimus matris lachrymis, sed modum quærimus in dolore. Si parentem cogito, non reprehendo quòd plangis: si christianam & monachā, istis nominibus mater excluditur. Recens vulnus est, & tactus iste quo blandior non tam curat quam exasperat: attamen quod tempore mitigandum est, cur ratione non vincitur? Hæc ille. Quæ etiam ex cæteris doctoribus protulimus, solum probant non esse defendendos bene vita defunctos, fletu quidem & dolore immoderato, procedente ex vehemente animi perturbatione, quam recta ratio non compefcit. Siquidem per huiusmodi dolorem mens humana inquietis plerunque affectibus succumbit. Lugendi tamen sunt bene mortui luctu moderato, qui ex pio affectu commiserationis in proximum prodire solent. Nec pugnant hæc adinuitem, Gaudemus amicū nostrum fœliciter è vita decessisse, & lugemus eum, diuersis quidem rationibus: Lætatur quidem quòd à procellis & turbulentis huius mundi fluctibus emerferit, & ad æternas beatorum sedes migrauerit: pudenter tamen & moderate ægreferimus, non nihil affectibus naturæ condonando, nos honesta & familiari eius consuetudine priuari. Nihil tamen nobis iucundius & beatius contingere potest, quàm à densissimis huius sæculi carceribus eripi & viuere cum Christo, cui pro beneficijs acceptis perpetuum deuouemus obsequium.

Hieronym⁹

FINIS DECIMI LIBRI ACTO.
tius primi Tomi Theosophiæ
Ioannis Arborci.

AVTHORIS AD CANDIDVM LECTOREM
EPIGRAMMA.

Abdita sacrorum stupeas oracula Lector
Arborei studijs nunc patefacta tibi.
Hæc placido vultu quisquis monumenta reuoluet,
Arborei fructum sentiet & genium.
Quicquid inest sacris, quicquid mysteria narrant,
Arborei paucis diua Thales docet.
Hac duce difficiles poteris dissoluere nexus,
Quos passim sacris cernis inesse locis.
Prospicies nostro conclusa volumina fœtu,
Doctorum, quæ vix pagina multa capit.
Sæpe velim relegas hæc duro parta labore,
Ne quid in authorem liuida lingua ferat.
Auctori meritas grates, tibi quando licebit,
Pro tam præclaro munere semper agas.

ERRATVLORVM PRIMI TOMI EMENDATIO.

Folio 5, pagina 2, linea 21. lege, eloquio. Fo. 16, pag. 2, lin. 1. lege, lutulento. Fo. 40, pag. 2, lin. 27. dele in margine Ioan. 6. Fo. 44, pag. 1, lin. 31. lege, adoratione. Fo. 44, pag. 2, lin. 31. lege, adoratione latræ. Fo. 56, pag. 1, lin. 15. lege, charitatis. Fo. 90, pag. 1, lin. 41. lege, similitudinem. Fo. 102, pag. 1, lin. 6. dele post unitatem, sit. Fo. 112, pag. 2, lin. 18. lege, & non solum cepit triftari. Fo. 119, pag. 1, lin. 21. lege, Apostolatus. Fo. 124, pag. 1, lin. 46. & 48. lege in margine loco Deute. Exo. 32. & 34. Fo. 132, pag. 1, lin. 2. lege, mutari. Fo. 142, pag. 1, lin. 28. lege, quod eam salutando precemur. Fo. 143, pag. 2, lin. 11. lege in margine, Matthæi 25. Fo. 145, pag. 2, lin. 46. lege in margine, Esa. 56. Fo. 167, pag. 2, lin. 27. lege in marg. Apoc. 12. Fo. 174, pag. 2, lin. 16. lege in marg. Leuit. 27. Fo. 175, pag. 2, lin. 35. lege, alteram. Fo. 177, pag. 1, lin. 6. dele actus, & lege viua vox. Fo. 186, pag. 2, lin. 22. lege in marg. 1. Corint. 10. Fo. 194, pag. 1, lin. 20. lege in marg. 1. Corint. 7. Fo. 198, pag. 1, lin. 8. lege in marg. Matth. 10. Fo. 219, pag. 2, lin. 7. lege, vel. Fo. 243, pag. 1, lin. 27. lege, cap. 36. Fo. 252, pag. 2, lin. 1. dele, hoc. Fo. 262, pag. 1, lin. 35. lege, patientia. Fo. 291, pag. 2, lin. 1. lege, inceffus. Fo. 299, pag. 2, lin. 48. dele in marg. Iudic. 1. Fo. 304, pag. 2, lin. 11. in marg. loco Rom. lege, Matth.